PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATI ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CXXXIV.

ATTO VERCELLENSIS EPISCOPUS; LEO VIII ANTIPAPA; BRUNO COLONIENSIS; WIBOLDUS CAMERACENSIS, ARCHIEPISCOPUS ARGENTINENSIS EPISC; ADALGERUS EPISC. INCERTÆ SEDIS, GUILLELMUS CABILLONENSIS MONACH.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1884

BK
60
.M14
t.134

Clichy. — Ex typis PAUL DUPONT, 12, viâ dictâ Bac-d'Asnières 106.8.84.

PHILADELPHIA
COLLEGE OF

SÆCULUM X.

ATTONIS

VERCELLENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONEM DUPLICEM EXPRESSA, QUARUM UNA BURONTIO CANONICO VERCELLENSI DEBETUR, ALTERA, MONUMENTA INEDITA EXHIBENS EX CODICIBUS VATICANIS, EMINENTISSIMO CARDINALI MAIO.

ACCEDUNT

LEONIS VIII,

ANTIPAPÆ,

EPISTOLÆ ET CONSTITUTIONES.

INTERMISCENTUR

BRUNONIS COLONIENSIS, WIBOLDI CAMERACENSIS, ARCHIEPISCOPORUM, UTHONIS ARGENTINENSIS EPISCOPI, ADALGERI EPISCOPI INCERTÆ SEDIS, GUILLELMI CABILLONENSIS MONACHI,

Scripta vel scriptorum fragmenta quæ exstant.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

—

1884

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXIV CONTINENTUR.

ATTO VERCELLENSIS EPISCOPUS.

Capitulare. 27
De pressuris ecclesiasticis. 51
Epistolæ. 95
Expositio in Epistolas S. Pauli. 125
Sermones 833
Polypticum. 859

ADALGERUS INCERTÆ SEDIS FORSAN AUGUSTANÆ, EPISCOPUS.

Admonitio ad Nonsuindam reclusam. 915

SANCTUS BRUNO COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Diploma Brunonis. 937

LEO VIII ANTIPAPA.

Privilegia et constitutiones. 989

WIBOLDUS CAMERACENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Ludus clericalis. 1007

UTHO EPISCOPUS ARGENTINENSIS.

Vita S. Arbogasti. 1003

GUILLELMUS CABILLONENSIS MONACHUS.

Fragmentum historicum. 1017

PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

ANNO DOMINI DCCCCLX

ATTO

VERCELLENSIS EPISCOPUS.

PROLEGOMENA.

(Ex editione Vercellensi anni 1768, procurante D. Carolo Burontio del Signore.)

EPISTOLA DEDICATORIA.

Optimo principi VICTORI AMEDEO Sabaudiæ duci, Carolus BURONTIUS DEL SIGNORE.

Cur ad te usque oculos sustollere auserim, et meum hunc qualemcunque laborem grato animo te excepturum sperarim, Princeps amplissime, res ipsa melius dixerit, quam ego facturus sim.

Attonis Ecclesiæ octo ab hinc jam sæculis episcopi Opera, partim a D. Luca D'Acherio in Spicilegio jam edita, lacunis tamen plurimis, hiatibusque lebefactata, partim in archivio nostro capitulari hactenus obscure latentia, in publicum nunc tandem integra, atque ad fidem autographi ubique exacta dum prodeunt, alium certe Mæcenatem exposcere nec debebant nec poterant,quam eum,qui et paterni exempli, et ingenii, et dignitatis causa religionis, morum, ecclesiasticæ disciplinæ litterarumque fautor, custos et vindex est jure optimo habendus.

Hæc igitur, quæ cum meorum in me collegarum studio et fiducia, tum mea cura lucem vident, consueta benignitate, humanissime Princeps, excipe atque Ecclesiam hanc, meque, et meos omnes, dum tibi regiæque familiæ cuncta a Deo prospera quotidie precamur, in tui clientela servare perge, patriique optimo regi nostro augustissimo summopere commendatos velis.

CAROLUS BURONTIUS DEL SIGNORE LECTORI BENEVOLO.

Attonis Opera publici juris facere cogitantibus nobis operæ pretium videtur nonnulla de auctore deque Operibus ipsis, atque de hac nostra eorum editione breviter præfari.

DE AUCTORE.

I. Attones duos episcopalem Vercellarum catnedram tenuisse, atque hunc nostrum ætate fuisse posteriorem litteris prodiderunt Rossottus in Syllabo, et d'Acherius in Spicilegio : at unius tantummodo memoria apud nos exstat Attonis, scriptis factisque celeberrimi ; alterius autem cujusvis, qui hunc, vel præcesserit annis, vel subsecutus sit, nihil in monumentis habemus.

II. A longinqua regione huc advenisse. Attonem A ex iis colligimus quæ in fine Expositionis Epistolarum D. Pauli perorans ait : *Tu dedisti, ut propter gustum, et suavitatem hujus vitæ, sanctæ Scripturæ, gentem, patriamque relinquerem.* Cæterum sub quonam cœlo natus sit, quave de gente nobis advectus, haud certo inter scriptores constat, qui ejus mentionem fecerunt.Nam Rossottus mox citatus ab Eporediæ marchionibus prognatum affirmat ,testes appellans probatissimos auctores ; quorum tamen nomina siluit, uti et momenta quibus fides illorum testimonio concilietur. D'Acherius præterea in laudato loco, ex Ferdinando Ughello, Attonem Aldegarii filium dicit ; sed enim quis Aldegarius fuerit, et ad quam gentem referendus, neuter docet (1). Si quid nos judicamus, a Longobardis Attonem jure

B

(1) Quod alii minoris nominis auctores, qui de rebus Ecclesiæ Vercellarum scripserunt,veluti Modena, Corbellinus, Cusanus affirmavere Attonem scilicet ex advocatorum, vel vicecomitum familia prognatum esse, vix est commemorandum, cum ex nullo gravi monumento ducatur.

450

aliquo repetere quis posse videtur : nam ex ipsius testamento, quod num. 10 referemus, patet fratrem ei fuisse Aupertum nomine, et Longobardorum legibus ex natione vixisse : atqui Attonis, Auperti, hisque similia nomina gentem illam sapiunt : leges tiam, et mores, quibus quis vivit, qua de gente sit, aliquod solent præbere indicium.

III. Illud porro indubitatum est, Attonem Vercellarum episcopum creatum fuisse anno nongentesimo vigesimo quarto, Ragemberto, cui proxime successit, quarto Idus Martii ejusdem anni Papiæ, facto ab Hungaris incendio, e vivis sublato (2).

Sacris infulis eo anno decoratum Attonem Ecclesiæ nostræ cathedram ascendisse, invicto sunt argumento, autographa instrumenta donationis (3), qua eadem hanc Ecclesiam cumulavit, consignata anno incarnationis Dominicæ nongentissimo quadragesimo quinto, pontificatus autem Attonis vicesimo primo. Jam enim, si ex nongentis quadraginta quinque annis a Dominica incarnatione subtraxeris annos viginti et unum pontificatus, ad annum reduceris nongentesimum vicesimum quartum.

Hinc colliges a vero abiisse Ughellum (4), dum Vercellensi Ecclesiæ anno nongentesimo vicesimo quinto præfuisse Norgandum asseruit.

IV. Eidem Norgando proxime successisse Attonem, Ragemberto ad sæculum duodecimum misso, auctor est Joannes Stephanus Ferrerius, Vercellarum et ipse episcopus (5), antecessoris sui Bonomii Tabellam (6) prosecutus, quibus novissime accessit clarissimus Iricus in Historia Tridinensi.

His opponimus antiquissimum Necrologium, nostrum, ubi de Norgando legimus : v *Kal. Mart. obiit venerandæ memoriæ Norgandus hujus Ecclesiæ episcopus, qui canonicas ordinavit, et hujus Ecclesiæ ordines nobilitatis instituit.* Nam præterquam quod verisimile non est, Necrologii scriptorem deplorandæ mortis genus fuisse prætermissurum, si Papiensi incendio periisset Norgandus, haud cohæret dies in Necrologio notata cum die, ad quam Luitprandus coævus scriptor incendium refert, ad IV scilicet Idus Martii an. 924. Quamobrem recte concluseris, Norgandum nec prædicto exstinctum incendio, nec successorem propterea habuisse Attonem eodem incendii anno sacris decoratum infulis.

V. Longe graviora sunt in hanc rem monumenta duo, quibus aperte conficitur, Ragembartum proximis ante Attonem annis Ecclesiam rexisse Vercellensem ; quæque eo lubentius proferre aggredimur, quod erudito cuique optanda merito videantur.

Primum est epistola formata quam ex antiquo archivii nostri codice sign. num. 53, Canonum collectionem una cum aliquot Attonis, opusculis complectente desumpsimus, quamque et sæculo decimo scriptam, et Attonis ipsius jussu eum in codicem relatam, suadet forma characterum sæculum ipsum sapiens, et cum Attonianorum operum characteribus prorsus eadem (7), En præclarissimi exemplar monumenti ex autographo ad amussim exaratum :

« *Incipit epistola, quam mos Latinus formatam appellat, a sanctis Patribus in Nicæna synodo constituta.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

I

« ΠΦCHPNAK (8) *Mille* XXX

« Reverentissimo, omnique sacra veneratione colendo Patri Andreæ sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopo, Ragembertus sanctæ Vercellensis Ecclesiæ humilis episcopus, præsentem, et æternam in Domino felicitatem. Quia sacris apicibus vestris Walfredum Ecclesiæ nostræ subdiaconum vobis consecrandum Ecclesiæ Eporrediensi ad votum cleri et populi præsulem expetistis : nefas a nobis aliquid sanctis petitionibus vestris denegari exstimantes, juxta amorem, et reverentiam canonicæ definitionis, usque ad gradum subdiaconii nostrorum prædecessorum sollicitudine promutum, paternitati vestræ ad episcopalem cathedram, Domino adminiculante, concedimus promovendum. Ne ergo de ipsius transacta conversatione, sive præsenti concessione quidpiam almitati vestræ necesse sit ambigere, præsentibus humilitatis nostræ litteris eum prosecuti, sumus ; quibus illum in sacrosancta religione, in quantum audivimus, et cognovimus, atque humana fragilitas exstimare sufficit, hactenus conversatum fuisse testificamur, eumque ad id ministerium pera-

Si quis forte rapax partem subduxerit ullam,
Sentiet hinc pœnas, Tartareumque locum.
Alter erit Judas) Dathan erit alter Abyron,
Exspoliat si quis templa divina bonis.

I

(2) Vid. Frodoad. in Chron., et Luitprand. Hist ib. III, cap. et seqq.

(3) Asservantur hæc in archivio nostro, eorumque exemplar referemus num. 8.

(4) In Ital. sacr.

(5) In D. Euseb., et ejus successor. Vita Romæ edita 1602.

(6) Adject. ad Collectan. edita de S. Eusebio.

(7) In fine hujus codicis hi etiam versus leguntur.

Atto, tibi præsui, ternos ego confero libros,
Eusebi martyr, suscipe vota, rogo.
Primus habet glossas : psalmos pertractat et alter ;
Tertius officium disserit omne Patrum.
Nec credant hoc me tibi solum tradere donum.
Ecclesias quique exspoliare solent.
Quod si intestatum moriens quid forte relinquam :
Ecclesiæ proprium istius esse volo.
Prædia sic maneant : sic sint et cætera cuncta ;
Occasio pravis nec detur ulla viris

(8) Numerus hic *mille* XXX nigriori atramento, diversisque aliquanto characteribus, charta insuper aliquanto super abrasa, scriptus legitur, ubi forte rectiori supputatione legebatur MLXVII, Cum enim in epistola numerus per litteras expressus in summam ductus ipsis litteris consequenter adjunctus innuatur ; ibi numerum MLXVII primo legi debuisse jure suspicamur, cum et ibi locus, ubi exstiterit, appareat, et revera ex hisce litteris, adjuncta littera Z. sive numero indictionis septimæ, hic numerus confletur. Vel saltem, dempto indictionis numero, legendum esset MXXXXX : scilicet abrasi fuere duo numeri XX ; revera enim numerus quinquageuarius non semper signo L, sed quinque X in nostris hisce codicibus expressus visitur.

gendum satis profitemur idoneum. De cujus etiam commendatione,ut omnis ambiguitas abstergatur, Græca elementa cum proprii supputatione numeri dignum duximus inserenda : Patris scilicet,et Filii. et Spiritus sancti primas : Petri apostoli primam litteram : nominis quoque nostri primam : vestri secundam : fratris proficiscentis tertiam : civitatis nostræ quartam : quarum numerus in summam ductus,ipsis habetur litteris consequenter adjunctus Sed et numerum præsentis indictionis eidem supputationi,sicut ratio dictat, credidimus adjiciendum. Addidimus præterea nonagenarium (9) et nonum numeros,quibus divini figura jurisjurandi sine dubio patenter exprimitur :AD-CHN.XCVIII.Data il datarum.Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo quarto, indic. VII. »



Jam vero Andream hunc Mediolanensium archi- præsulem circa finem decimi sæculi vixisse, colligi videtur ex charta apud Muratorium (10),in qua legitur : Anno Incarnationis Domini nongentesimo nonagesimo sexto, pontificatus vero supra taxati domni Andreæ archiepiscopi sexto, mense Julio, indictione octava.

At enim audiendus est idem Muratorius in Annal. Ital. ad hunc annum : « Ma senza fallo, inquit, si dee scrivere, nongentesimo quinto.perche in questo correva l' anno sesto d'esso Andrea, eletto arcives-

B covo nell' anno 900 ; e nel Luglio di questo medesimo anno correva l' indizione ottava. Più corretto è l'altro consistente in un placito tenuto dal medesimo arcivescovo in Belano sul lago di Como, e da Ragifredo giudice del sacro palazzo, amendue missi domni imperatoris,e scritto : Anno imperii domni Illudovici imperatoris quinto, mense Julio, indictione octava. » His adde ex Ughello (11) eodem tempore Eporrediæ episcopum fuisse Walfridum, seu Walfredum prædictum.

Habes hinc primis decimi sæculi lustris Ecclesiæ

(9) Ita legendum duximus,ubi minus legere licuit in autographo. Numerus enim hic nonagesimus nonus adjici solebat,et per Hebraicam vocem αμην græcis litteris expressam significabatur α enim 1, μ 40, η 8, ν vero 50 numeros innuebant, qui simul numerum 99 componunt. Vid. Cabassutium ad has litteras,et conciliorum Historiam,ad Nicænum. Vide Acta Concil. t. V, ad hasce litteras.

(10) In Antiquit.Ital., dissert. 14.

(11) In Italia sacra.

Mediolanensi præfuisse Andream, Eporrediensi Walfridum, Vercellensi vero Ragembertum.

VI. Age vero, alterum in eamdem rem proferatur gravissimum monumentum, quod de codice Veronensis Ecclesiæ repetimus, signat. num. 62 : sicque habet :

Exemplar privilegii, quod domnus Anastasius papa concessit Ragemberto sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopo.

ANASTASIUS episcopus servus servorum Dei, reverentissimo, et sanctissimo RAGEMBERTO sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopo, diebus vitæ suæ tantummodo.

Si pastores ovium sole geluque, etc. *Reliqua vide in Anastasio papa III.*

Porro etsi hisce pontificiis litteris inscriptus annus non sit, tribuanturque Anastasio, quin exprimatur quisnam fuerit ex quatuor, qui hoc nomine censiti sunt, summi pontifices ex indictione tamen XV, facile colligimus eas ad Anastasium tertium pertinere, ac referendas esse ad annum nongentesimum decimum secundum. Ut enim prætereamus Anastasium primum, qui juxta clarissimum Murator. (12) creatus pontifex fuit anno tercentesimo nongentesimo octavo, indictione undecima, vitaque est functus anno quadringentesimo primo, mense Decembri, indictione quarta decima, utque nihil etiam dicamus de Anastasio secundo, qui ab anno quadringentesimo nonagesimo sexto, indictione quarta, ad annum usque 498, cum sexta curreret indictio, Ecclesiæ præfuit ; Anastasius certe quartus anno 1153, indictione prima, ad summum pontificatum evectus ad secundam tantum indictionem pervenit, quo tempore alium non fuisse Vercellarum episcopum, quam Ugutionen multa et gravissima confirmant argumenta. Hunc enim ex archidiacono Bergomensi, episcopum Vercellensem, Gisulpho in episcopatu successisse, auctor est prælaudatus Joannes Stephanus Ferrerius. Ex Ughello autem discimus contigisse hoc anno 1150 (licet in hoc dissentiat Ughellus, quod non Gisulpho proxime successisse Ugutionem minus recte affirmat. Eum vero ab anno 1152 usque ad 1170 huic Ecclesiæ præfuisse probant, sententia ab eo inter canonicos sancti Eusebii, et sanctæ Mariæ, lata nono Kalendas Augusti 1152, rog. Gandulphus, ex lab. nostro capit., diploma Friderici imperatoris eodem anno, et indictione decima quinta datum, cujus exemplar hic in parte præbemus :

«In nomine sanctæ, et individuæ Trinitatis. Federicus Dei gratia Romanorum rex Augustus. Quia Romani imperii regimen, potestatemque suscepimus, Ecclesiis a nostris prædecessoribus plurima largitione sublimatis, erga nos competit provisione consulere, et ne ipsarum possessiones aliqua distractione depereant, suffragium sufficiens adhibere. Præsentibus igitur, ac futuris Christifidelibus volumus esse cognitum, quod petitione Domini papæ Eugenii tertii, et intercedente charissimo cancellario nostro Arnoldo, aliisque principalibus regni principibus, venerabilem Vercellensem episcopum Ugutionem, atque ecclesiam sancti Eusebii in regiam A protectionem suscepimus, et præsentis privilegii pagina communimus. Quæcunque ergo memoratæ ecclesiæ largitione regum, concessione pontificum, ita quorumlibet oblatione fidelium collata esse noscuntur, et quæ in posterum, largiente Domino, conferentur, confirmamus, etc.

« Præterea concessiones, commutationes, alienationes, distractiones ab invasoribus sancti Eusebii factas, qui pontificalem benedictionem non obtinuerunt, videlicet, a Gregorio de Verucha, Liprando, Evarado, Ardicione, in irritum ducimus, et regia auctoritate cassamus. Quemadmodum et patronus, atque antecessor noster Conradus Romanorum rex ipsa cassavit, investituram suamque ab Anselmo Vercellensi; episcopo contra voluntatem suæ Ecclesiæ occulte, et irrationibiliter factam de Clavasiolo, atque investituram a Gisulpho eidem Ecclesiæ episcopo contra juramentum quod fecerat, et contra interdictum Domini papæ Eugenii tertii ipse eas se B non fecisse confessus est de pedagio, et naulo Salugiæ factas, et alias quæcunque probare potuerint, atque omnes alias investituras in ecclesia sancti Eusebii ab episcopis furtive occulte factas, omnino cassamus, et in posterum ne fiant sub pœna centum librarum auri regia auctoritate interdicimus, etc.

« Ita præscriptionem quoque centum annorum tam episcopis Vercellensibus quam ecclesiæ sancti Eusebii et sanctæ Mariæ concedimus in perpetuum.

« Item testes fuerunt præsentes, quorum nomina subscripta cernuntur: Hartunicus Bremensis archiepiscopus, Ghebaardus Vitemburgensis episcopus. Henselmus Abelpergen. episcopus, dux Velpho, Henricus dux Saxoniæ, Cunradus, Albertus marchiones de Saxonia, Guido comes de Blanderada.

« Signum Domini Federici Romanorum regis invictissimi. Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici C Maguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

« Datum Vitemburgi XVI Kalendas Novembris, anno Dominicæ incarnationis 1152, indictione XV, regnante domino Federico Romanorum rege gloriosissimo, anno vero regni ejus primo feliciter. »

Usque ad annum autem 1170 in episcopatu mansisse Ugutio probatur, tum ex ejusdem donatione canonicis sancti Eusebii facta utriusque Montanarii et decimarum Roasii, et Roaxendæ an. 1155, ex tabul. nost. ; tum ex cessione ecclesiæ suæ nomine facta jurium ad ipsam pertinentium super Castro, et Agro Tridinensi, Guillelmo Montisferrati marchioni eodem anno data. quam clarissimus Iricus in Hist. Tridin. fol. 28 profert ; tum ex translatione Bugellæ de Valle in Montem, qui Platium appellatur D de qua diplomata anno 1160 datum in tabul. Bugellen. commun, existit ; tum denique ex cessione episcopatus facta domino Wale præposito et canonico sancti Eusebii duodec. Kal. Septemb. anni 1170 rog. Otto not. sac palatii ex tabul. nostro. Sed plura jam quam oporteat. Restat igitur ut pontificias litteras de quibus agitur Anastasio tertio vindicemus, et concludamus anno 912 Ragembertum Vercellarum episcopum fuisse.

VII. Quam porro caliginosis temporibus Deus optimus maximus Attonem nobis quasi lucidissimum sidus miserit, norunt quotquot ævi illius historiam

(12) In Annal. Ita.

perlustrarunt. Barbari nempe Italiam undequaque vastantes aliique alios ex occupatis sedibus vi depellentes, et sæpe iterum pulsi, humana omnia, et divina susdeque verterant; pessundatæ liberales artes, perturbata religio, rerum omnium summa invecta calamitas; atque hæc omnia præ cæteris mala experiebantur Vercellenses, euntium,et redeuntium, inter seseque de præda pugnantium barbarorum itineri admodum obnoxii.

Quales etiam solerent ea ætate Ecclesiis præfici episcopi, ut alios prætermittam, refert Muratorius (13): « Si rifiutavano i meritevoli eletti (*pastores scilicet*) e conveniva prender i prediletti da loro (*videlicet a principibus*) ancorché indegni, non considerando essi merito del sapere, e della bonta de' costumi, ma solamente de ricchezze, il parentado, ed i servigii. E se non vendexano le Chiese per danaro, le davano nondimeno in pagamento della servitù prestata da essi, o da lor parenti alla corte: pero si vedevano fanciulli alzati al vescovato, e si obbligava il popolo a dar testimonianze favorevoli a questi sbarbatelli, che appena aveano imparato a memoria qualche articolo della fede, per potere rispondere, benché tremando, all' esame: il quale era tuttavia in uso piuttosto per formalità, che per chiarire la scienza d'essi. Ed ecco qual fosse in questi tempi lo stato miserabile delle Chiese d'Italia. » Cui adde etiam Attonis ipsius ea de calamitate testimonium in tractatu *De pressuris ecclesiasticis*.

Enimvero qui Ecclesiæ nunquam defuturum se spoponderat Christus Dominus, jam veluti cum cæteris rebus omnibus collapsæ religioni egregium excitavit reparatorem Attonem, qui ex episcopali cathedra, tanquam e sublimi loco, diffusa pietatis, et ecclesiasticæ doctrinæ splendentissima luce, Vercellensibus primum, tum finitimis etiam populis ac universæ resplenduit Ecclesiæ,et qua remedium ferre gravissima poterant mala, summa vigilantia, atque indefessis attulit viribus. Huc pertinet ejus in visitanda sigulis annis diœcesi sollicitudo; huc eximium illud ab co editum Capitulare ad cleri populique reformationem, atque ad ecclesiasticam disciplinam, veluti postliminio revocandam: huc sacræ conciones ad gregem frequenter habitæ,quibus ad Evangelii normam institueretur; huc epistolæ, plurimæ, vel aliis episcopis, vel ecclesiasticis viris, vel clero, vel populo suo incriptæ: huc cætera omnia ipsius scripta, factaque præsulem doctrina, et religionis zelo insigne ubique referentia.

VIII. Prætermittendum hoc loco non est præclarum Christianæ liberalitatis exemplum,quo episcopus præstantissimus non jam moriens, dum nempe quæ retinere amplius non licet, fucata munificentia largimur, sed diu adhuc vivendi spe fretus, canonicos suos egregia cumulavit donatione. Nam frequentissimis hostium incursionibus ad eas rerum angustias adducti illi fuerant, ut cum nec præsto esset quo vel tenuissime alerentur, officium cogerentur abjicere. Id intelligens Atto, prædia ipsis, possessionesque liberalissime cessit, ut pulsa nempe necessitudine, omnem ad divina cogitationem converterent. En chirographi donationis exemplar:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Atto divinæ miserationis munere sanctæ Vercellensis Ecclesiæ humilis episcopus. Quotiescunque indigentibus, Deoq antibusuefamul pro, eorum scilicet calamitate proclamantibus, consulimus, eos liberius Deo famulari, ac pro nobis, et benefactoribus nostris promptius orare, nullatenus diffidimus, ideoque noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium præsentium scilicet, ac futurorum industria, sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, seu beati martyris Eusebii canonicos sub nostro regimine degentes nostram petisse mercedem, quippe cum essent, Deo annuente, numero triginta, sumptum minime sufficientem habentes, quo subsistere possent, atque divinum officium in jam præfatis ecclesiis debite persolvere, precati sunt, quatenus aut eumdum numerum minuere, aut auxilium hujusmodi tribuere dignaremur. Nos ergo talibus permoti clamoribus curticellam unam constitutam in Montanario pertinentem de curte quondam regia, quæ fuit Vercellis, quam nobis nostræque Ecclesiæ domini et serenissimi reges per præcepti paginam Ugo et Lotharius concesserunt cum omnibus suis adjacentiis ac familiis utriusque sexus eis concessimus, ut de ejus frugibus seu reliquo redditu ad nos pertinentibus alimenta habeant; ita tamen ut fruges jam dictæ curticellæ non per singulos dividant, sed de ipsis communiter annue sibi refectionem in statuto loco eorum canonicæ præparent. Nam cum Dominice dicitur voce: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, multo magis inter tot fratres laudes Deo de ejusdem beneficiis simul referentes, et de divino mysterio seu profectu animæ, corporisque tam suorum, quamque benefactorum simul meditantes præsentem esse minime diffidimus. His denique taliter perfectis, ne in posterum super hanc nostræ concessionis paginam aliqua insurgeret ambiguitas, ut liberius Deum laudare, ac pro nostrorum seniorum dominorum regum, Ugonis et Lotharii, atque notra salute sedule exorare valeant, hæc omnia scriptis tradi per Vercellinum presbyterum ad vicem Eistulfi nostræ Ecclesiæ cancellrrii jussimus. Subter manu propria confirmantes. Anno incarnationnis Dominicæ 945 pontificatus autem nostri XXI, indictione III. In Dei nomine. Actum Vercellis feliciter.

« Atto gratia Dei episcopus a me facto subscripsi
« Petrus judex domnorum regum. not. subscr.
« Cunibertus judex domnorum regum not. subscr.
« Odelricus judex not. me teste subscr.

(13) In Annal. Ital. ad an. 958.

« Aværicus notarius rogatus subscr.
« Judex domnorum regum not. subsc.
« Giselbertus not. reg. subscr.
« Ragembertus ut supra rog. subsc.
« Vercellinus presbyter, ut supra scripsi,et sub-[scripsi. »

IX.Cum vero multa apud principes eorumque administros gratia polleret, ea non ad propriam dignitatem amplificandam augendamque in subditos auctoritatem, quod nonnunquam accidit, sed in cleri Ecclesiæque tutelam usus in primis fuit ; quam obrem egregiis donationibus auctam Ecclesiam nostram illis temporibus, certis accepimus documentis. En unum, quod regum Hugonis et Lotharii donationem continet.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Hugo et Lotharius divina providente clementia reges. Si sanctis ac venerabilibus locis divino cultui mancipatis more bonorum Christianorum devotissime contulerimus nostri muneris suffragia, certissime credimus nos nostrumque regnum intercessionibus sanctorum cœlesti juvamine semper sublevari, atque divinis beneficiis sublimari, Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium ac nostrorum præsentium scilicet atque futurorum devotio Berengarium nostri fidelem dilectum illustremque marchionem nostram monuisse clementiam, ut pro amore Dei omnipotentis sanctique Eusebii,qui prædicando fidem catholicam palmam martyrii est decentissime consecutus, canonicis Vercellensis Ecclesiæ, cui venerabilis Atto præesse videtur episcopus, alveos fluminum Sicidæ et Sarvi largiremur Hanc petitionem satis omnibus pene principibus hujus regni ratam suscipientes,per præceptum nostræ auctoritatis alveos prædictorum fluminum canonicorum Vercellensium dominio, prout juste et legaliter possumus, præsentialiter concedimus, sicuti posita sunt capita briulæ,usque ad ripam quæ est juxta capellam sancti Columbani,intra hos fines decurrentia flumina cum insulis et suis ripis nobis pertinentibus prædictis canonicis sancti Eusebii ut dictum est, largimur, proinde ut piscationes naviumque redhibitiones atque riparum eorum usui famulentur. Insuper etiam confirmamus Vercellinos portus per hoc præceptum, veluti prædecessores nostri pro amore ordinaverunt ad usum luminaris ecclesiæ sancti Eusebii, in qua sacratissimum ejus corpus requiescit,et ad indumenta clericorum ibique jugiter famulantium. Si quis igitur hujus nostri præcepti statutum aliquando quomodocunque instigante diabolo infringere conatus fuerit, sciat se compositurum auri optimi libras mille,medietatem cameræ nostræ, et medietatem ecclesiæ sancti Eusebii, suisque clericis, qui inibi pro tempore fuerint. Et ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes,annulo nostro insigniri jussimus.

« Signa serenissimorum Hugonis et Lotharii regum,Geseprandus episcopus et cancellarius ad vicem Bosonis episcopi et archicancellarii recognovi et subscripsi.

« Data Idus Augustas, anno Dominicæ incarnationis 945, regni vero domni Hugonis xx, Lotharii xv,indictione II.Datum Papiæ feliciterAman. »

X.Plurima etiam Attonis gratia canonicis Parmensibus donasse Lotharium probat Muratorius Antiq. Italic. dissert. 66. ex diplomate dato XVII Kal. Julii anno Dominicæ incarnationis 948, regni autem Lotharii piissimi regis XVII, indictione VII (*sexta* optime observat legendum cl. Murat.)

XI. Qua sollicitudine clericis sui Ecclesiisque tum suæ tum Parmensi prospexerat Atto,eamdem testamentum condens etiam Mediolanensibus adhibuit, cujus exemplar habeto :

« In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu « Christi.Lotharius gratia Dei rex, anno regni ejus « octavo decimo, mense Augusti, indictione sexta « (14). Dum in statu sanitatis humanæ vitæ cursus « peragitur, et pleno animo mentis ratio vegetatur « sic debet homo semper cogitare, atque disponere « de suis propriis rebus pro animæ suæ mercede, « quæ sunt futura,atque mansura, ut cum eum Do- B « minus de hoc sæculo vocari jusserit, non de ne- « gligentiis judicetur, sed de bono disposito con- « gratuletur, ut et pius. Igitur ego in Dei nomine « Atto episcopus sanctæ Vercellensis Ecclesiæ qui « professus sum ex natione mea, lege vivere Lon- « gobardorum, præsens præsentibus dixi : Vita et « mors in manu Dei est, melius est homini metu « mortis vivere, quam spe vivendi morte subitanea « præveniri, considerante me de Dei omnipotentis « misericordia ; et de mercede et remedio animæ « meæ, ut aliquantis rebus et familiis meis post « meum decessum inordinatis non reliquissem,sed « sic firmum et stabilitum permansisset, qualiter « ego hic subter per singula capitula ordinassem et « judicassem. Igitur volo et judico, atque instituo, « seu per hoc meum testamentum pro animæ meæ C « mercede confirmo, ut valles illæ Bellenica et Le- « bentina, quas habere et detinere proprietario « nomine videor, statim post meum, et Auperti « germani mei decessum,deveniant in jure et pote- « state sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ,et presbyte- « rorum, seu diaconorum cardinalium, atque sa- « cerdotum decumanorum, qui in eadem civitate « pro tempore fuerint, cum omni suarum pertinen- « tia, tam cortes, domus, coltiles, quam castellas, « capellas, molendines, piscationes cum terris, vi- « neis, pratis, pascuis, silvis ac stablareis, ripis, « rupinis ac paludibus,coltis et incoltis, montibus, « alpibus, planiciebus, aldiones, vel aldionas, ser- « vos, et ancillas, omnia, et ex omnibus, quantum « in prænominatas valles Bellenica et Lebentina « habere viso sum, vel mihi inibi legibus pertinent, D « ad habendum totum in integrum,eo videlicet or- « dine, ut omne censum,vel redditum,quod de præ- « dictas valles, annue Dominus dederit, seu quid- « quid exinde pervenerit per omne annum,in primo « die lunæ, in initio Quadragesimæ, ipsi sacerdotes « et levitas inter se dividant, ita ut ordinarii unus- « quisque duplum exinde accipiant,quantum unus « ex decumanis insuper et archipresbyter, archi- « diaconus cardinalis ipsius urbis,dupliciter exinde « habeaut, quam unus eo aliis ordinarii acceperit,

(14) Anno igitur 948.

« Item primicerius decumanorum dupliciter exinde A « habeat, quam unus ex cæteris decumanis, id est « tantum, quantum unus ordinarius, ut omnes ipsi « sacerdotes et diacones pro remedio animæ meæ « Dei omnipotentis misericordiam exorare festi- « nent, qualiter exinde Deum habeant retributorem, « nam nullo in tempore habeant licentiam de præ- « dictis rebus et familiis aliquid alienare nec com- « mutare, seu liberario aut tintheochario nomine « contrahere, sed ad eorum usum habere et deti- « nere, ut supra scriptum est, debeant et faciant ex « frugibus earum rerum censum vel redditum, ut « supra scriptum est, atque de servitio ipsarum fa- « miliis, atque quidquid ex meo pervenerit, omni « tempore secundum quod supra statui, quidquid « voluerint, sine omni mea, hæredumque meorum B « contradictione, nam dum in hoc sæculo aliquid de « ex nobis istis germanis advixerit, usufructum « tantummodo ipsarum rerum in mea, vel prædicti « germani mei, si me supervixerit, reservo potesta- « tem, eo ordine ut pro ipso usufructu, ego vel « prædictus germanus meus, si me supervixerit, per « singulos annos persolvere debeamus præscriptis « sacerdotibus et levitis in eo ordine in isto consti- « tuto, id est, die lunæ primo Quadragesimæ, ar- « genti denarum boni solidos quadraginta inter se, « ut supra dictum est, dividendos, quod si adim- « plere distulerimus, tunc potestatem habeant præ- « dicti sacerdotes et diacones, infra ipsas res in- « troire, et se exinde investire, et eas detinere, « quemadmodum post obitum nostrum superius fieri « institui, ut mihi et parentibus meis proficiat ad C « animæ salutem, et gaudium sempiternum, et hoc « ita volo, ut nullo in tempore pontifex ejusdem « sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ habeat licentiam « ipsorum sacerdotum et levitarum de ipsis rebus et « familiis aliqua facere contrarietate, aut ulla in- « ferre violentia, sed liceat eos rebus ipsis et fami- « liis quiete et pacifice habere et detinere, eo vide- « licet ordine, sicut supra statui et judicavi pro « mercede et remedio animæ meæ, et pro honore epi- « scopii mei, nec mihi liceat ullo tempore nolle « quod volui, sed quod ad me semel factum, vel con- « scriptum est, sub jusjurandum inviolabiliter con- « servare promitto, cum stipulatione subannexa, « hanc enim chartulam judicati, et ordinationis An- « selmo notario, et judici domini regis tradidi, et D « scribere rogavi, in qua subter confirmans, te- « stibusque obtuli roborandam. Actum civitate Me- « diolani.

« Atto Dei gratia episcopus a me facto subscripsi.

« Aupertus germanus ejusdem domini Attonis sub- « scripsi.

« Angelbertus judex domini regis rogatus sub- « cripsi.

« Signum manibus Natalis et Aufredi, qui pro- « fessi sunt lege vivere Romana, testes.

« Bertericus judex domini regis rogatus ab isto « Attone episcopo testis subscripsi.

« Gumbertus judex dommi regis rogatus testis « subscripsi.

« Rodulphus judex domini regis rogatus subscri- « psi.

« Joannes judex domini regis rogatus subscri- « psi.

« Anselmus judex domini regis rogatus testis « subscripsi.

« Arialdus rogatus subscripsi.

« Luitprandus rogatus subscripsi.

« Daibertus judex domini regis rogatus subscrip- « psi.

« Henricus rogatus subscripsi.

« Ego Anselmus notarius et judex domini regis « scripsi post traditam complevi, et dedi. »

XII. Attonem placito Papiæ ab Hugone rege habito una cum Raterio Eporrediensi episcopo interfuisse ex eomet placito colligimus, quod refert Murator. Antiquit. Italic. dissert. 31, et legitur datum « regni domini Hugonis, et Lothario filio ejus, gratia Dei reges, Deo propitio D. Hugoni decimo, Lotharii vero v, XIV. Kal. Octobris, indict. IX, hoc est anno 935. »

Eum etiam ex quadam charta, quam refert Ughellus in episcopis Astensibus, regii archicancellarii titulo, et officio ab Hugone et Lothario, quorum, ut supra demonstravimus, gratia summopere pollebat, decoratum fuisse, jure optimo suspicamur. In ea enim donationem a dictis regibus Astensi Ecclesiæ factam referente ita legimus : « Dat. x Kal. Augusti, anno Incarnationis Dominicæ 938, anno domini Hugonis piissimi regis XIII, Lotharii VIII, indictione XI. Actum Papiæ feliciter. Amen. Gisprandus cancellarius ad vicem Attonis episcopi et archicancellarii recognovit. » Quidni Atto noster hic sit?

XIII. Ad annum usque 960 vixisse Attonem litteris tradiderunt nonnulli : at ne certam iis adhibeamus fidem, facit, quod nullo docuerunt monumento. Nobis hoc unum constat, Ingonem proximum Attonis in episcopatu successorem anno 964 Ecclesiæ nostræ jam præfuisse. Nam eo anno synodum convocasse Ingonem, sequens fragmentum ex vetusto tabularii nostri codice descriptum monstrat.

« Anno incarnationis Dominicæ 9 4, indictione septima, Nonis Novembris, resedit domnus Ingo episcopus, ut moris esse priscorum Patrum cognoscitur suorum, Vercellis ante altare beatissimi Eusebii martyris Christi, causa synodalis concilii, in quo, divino compulsus amore, pene ommes clericos suo regimini subjectos decentissime docuit, maxime de fidei et charitatis observatione, ut canonica toto orbe tenet institutio. Præterea summo quæsivit studio, ut res ecclesiasticæ pie regerentur et destitutæ restaurarentur. Insuper admonitione suorum clericorum sancivit ut antiquus exigit usus, pessima Ungrorum incursione vastatus, Ecclesiæ cardinales debitum præberent baptisterio hac in civitate celebrato decenter obsequium, ita ut ipsis ex ecclesiis quæ sunt constitutæ in villis, videlicet, Petiana, Petroriolo, Quinto, Calviniasco, Casale, atque Auzeningo, presbyteri veniant sic expediti suis vestimentis, qui hic Vercellis pueros valeant baptismatis

tingere aqua. Et ne intentio (*legendum forte* contentio) oriretur inde, subjunxit: Placet nobis et rectum videtur, ut duo tantum presbyteri de præfatis ecclesiis studiose veniant ad hoc mysterium peragendum, id est, de Petiana et Petroriolo simul duo: A de Quinto et Calviniasco, de Casale, et Auzeningo simili statuimus ratione, quousque vicissim vices impleant suas, et implere annuatim iterum inchoent. »

DE ATTONIS OPERIBUS.

XIV. De Attone hactenus, jam de ipsius operibus. Quanto hæc in pretio semper habuerint eruditi, quotquot illa noverunt, quibusque votis exoptarint, ut e scriniis eruta in publicam proferrentur lucem; qua demum applausu sint excepta, cum clarissimi d'Acherii studio, licet nec omnia, nec integra prodierint, vix dici potest. Legantur quæ habet Natalis Alexander Histor. Eccles. tom. II, fol. 338, edit. B Paris. anni 1743. Adeantur etiam Pagius ad annum 960, Fleurius in Histor. Eccles. tom. XII, lib. LV, § 54; Gulielmus Cave Histor. litter. tom. II, pag. 99, edit. Basil.; Dupin Histor. Eccles. vol. VIII, pag. 26; Racine tom. IV, pag. 109, edit. Ultraject., articl. 6, § 4; Murator., ad an. 958 et 959 Annal. Ital.

XV. Attonis Opera recensere aggressus Joannes Stephanus Ferrerius supracit.(15). Sermones primum posuit, tum epistolas, dein Polypticum, sive Perpendiculum, inde Canones, seu Capitulare, postremo tractatum De pressuris ecclesiasticia. Atque eadem passim magna cum laude memorant quotquot fere de ecclesiasticis rebus Historiam texere hactenus instituerunt.

Opportunum tamen accidit legentium oculis hoc loco subjicere quæ de eorumdem numero et fortuna refert Auctor supplementi ad Bellarminum. C

« Attonis opera, inquit, vir clarissimus Joannes Bono generalis abbas reformatæ congregationis sancti Bernardi, seu Fulientium in Italia (Pedemontanus scilicet, qui fuit postea S. R. E. cardinalis) ex manuscripto codice Vaticano num. 4322. eruit, describi curavit Romæ anno 1664, atque ad Lucam d'Acherium monachum Benedictinum transmisit, qui ea inseruit tomo VIII. a pag. 1 ad 138 Spicilegii sui. Et sunt: Capitulare, seu Capitula Attonis episcopi; Liber de pressuris ecclesiasticis; atque epistolæ variæ. In iisdem autem codicibus, tam Vaticano quam Vercellensi, erant præterea sermones septemdecim de diversis argumentis, et Polypticus, quem Perpendiculum appellat, quo noxa redarguere et honesta sancire decet, cum scholiis; sed quia vix legi possunt, ideo transcripti non sunt. Est autem D dolendum quod manuscriptus codex Vaticanus lacunis pluribus in foliis laboret, inde integer omnino sanusque haberi non potuit, nec sanari etiam collatione manuscripti codicis Vercellensis, quem denegarunt canonici. Floruit Atto usque ad annum 960 et ultra, » etc.

His cohærent quæ paulo fusiori narratione prosequitur Acherius ipse: « Atto, hoc nomine secundus, » etc. *Vide infra Præfationem Acherii in suam editionem Operum Attonis.*

XVI. Quæ cum ita sint eruditorum notitiam hactenus fugit eximium aliud Attonis opus, commentarius videlicet in omnes divi Pauli Epistolas, quem qui legerint, haud hercle poterunt quin magnopere mirentur sæculo cassis ignorantia tenebris involuto virum exstitisse qui tanta sapientia tamque acri judicio summis de argumentis eleganti etiam scripserit stylo. Quam inibi animadvertent Scripturarum peritiam? quam doctrinarum puritatem? quem denique sententiarum delectum? Quid? Quod sanctissimæ religionis dogmata a novatoribus posteriori ætate impetita, veluti de Christi præsentia in Eucharistiæ sacramento, veluti de purgatorio igne, veluti alia multa invictis argumentis confirmata, constanti traditione posteris per hosce commentarios sunt transmissa? Nec illud profecto parvi facient sanioris doctrinæ studiosi, quod Augustinianam de divina gratia sententiam, tanquam illis temporibus probatissimum dogma, rejectis omnibus ad Pelagianismum utcunque declinantibus constanter iis in commentariis assertam invenient.

XVII. Quo fato pretiosissimus hic thesaurus tot sæculis detulerit, haud satis scio: at de Attonis fecundissimo penu profectum fuisse, ita certum habeo quam quod maxime. Nam comparans horum commentariorum stylum cum cæteris Attonis operibus, simillimum ubique invenio. Non raro etiam easdem sententias in commentariis reperio, quas in epistolis et per eadem fere verba expressas. Confer epistolam de obedientia principibus debita ad episcopum Wadonem missam cum expositione capitis XIII Epistolæ ad Romanos.

Præterea in fine Commentariorum hæc leguntur: *Vercellinus diaconus, et Tetbertus subdiaconus jussu domini Attonis scripsimus.* Integer autem Attonianorum Operum Codex, inter alios multos archivii nostri signatus num. 40, ab utroque hoc scriba est exaratus. Idem Vercellinus anno 945 jam in presbyterum consecratus autographum donationis instrumentum scripsit: ac si hujus chartæ characteres inspexeris, eodem jure dices cum characteribus commentariorum, qua parte sunt exarati a Vercellino diacono: ut quemadmodum recte hinc colliges commentaria ante annum 945 a Vercellino adhuc diacono, Tetberto juvante, scripta fuisse, pari momento concluseris eumdem et donationis et commentariorum auctorem exstitisse Attonem.

XVIII. Priusquam hoc missum facio, lubet epistolam referre Joseph Blanchini presbyteri, dum vi-

(15) Num. 4.

veret, congregationis Oratorii Romani. vindiciis canonicarum scripturarum clarissimi, quam ad eminentissimum virum hinc dedit, postquam hac transiens cathedralis ecclesiæ inviserat archivium. « Mi sarei fermato in Vercelli quanto abbisognava, se avessi potuto copiare tutto il codice segnato 40 (*Codicem scilicet quem nos edimus*) che è molto interessante per quella illustra Chiesa, e per Attone. Contiene un commentario di esso Attone sopra l'Epistole di san Paolo. Trascrissi questa nota, che sta nel fine del codice. *Explicit Tractatus in Epistola Pauli ad Hebræos. Vercellinus diaconus, et Tesbertus subdiaconus ex jussu domni Attoni episcopi scripsimus. Orate pro nobis, fratres.* Dopo il suddetto vomA mento vengono vario lettere, e statuti della Chiesa di Vercelli interessanti, eppoi una picciola collezione de' canoni con questo preciso titolo, che io copiai ad verbum : *Capitula canonum exertorum de diversis conciliis, decretotibus, statutis, atque epistolis congruentium ad forense judicium tempore Domini Attoni episcopi* . . . Il signor canonico Fileppi mi die, che voleva fare una edizione delle Opere di Attone, ma, se tarda più a ricopiare i codici, essendo vechio, io temo, che morrà prima di aver fatto nulla (16). Converrebbe pero sollecitarlo a beneficio della republica letteraria, e principalmente a gloria di quella antichissima Chiesa.

(16) Nimis vera fuit prædictio, nam antequam huic Operi primam manum apponeret, fato cessit.

ACHERII PRÆFATIO.

Atto hoc nomine II, *Aldegarii filius* (inquit Ferdinand. Ughellus in Ital. Sacra) *episcopus Vercel. fuit an.* 945, *doctissimus theologus et canonista, plura sui ingenii doctrinæque monimenta reliquit, quæ continentur in antiquo codice manuscripto, in Vaticana bibliotheca, ac Vercellensi archivio,* » etc. « *Canones rursus, statutaque Vercel. Ecclesiæ, eruta e conciliis epistolisque decretatibus, quod opus in* 100 *capita apte distinxit. Item de Pressuris ecclesiasticis opus in tres partes divisum, quarum prima est* de Judiciis episcoporum, secunda de Ordinationibus eorumdem, tertia de Facultatibus Ecclesiarum. *Hujus temporibus Ugo et Lotharius reges Vercellensem Ecclesiam exornarunt,* etc.

Attonis Opera vir clarissimus Joannes Bona abbas generalis reformatæ congregationis S. Bernardi ex ms. codice Vaticano, num. 4322, eruit, describi curavit Romæ an. 1664, atque ad me transmisit. Sed dolendum maximopere est quod lacunis codex ipse pluribus in locis fœdatus, nempe in superiori parte ista, vel pluvia infectus, seu carie corrosus, fuerit repertus, ut in unaquaque pagina desit linea. Spem tamen mihi suis litteris dans eruditissimus abbas integrum habendi codicem asseruit, quod jam apud doctissimum Ughellum, in Italia sacra (*tom. IV, col.* 2 *pag.* 1060), legeram exstare in tabulario Vercellensis Ecclesiæ, rogavitque ea de re episcopum Vercellensem ageret cum canonicis ut illa Opera exscribi sinerent. At is repulsam passus est.Unde isthoc negotium cum indicassem illustrissimo domino Caroccio tunc in Gallia serenissimi ducis Sabaudiæ legato, viro religione, prudentia et eruditione præstantissimo, actutum ipse, qui sua me, dum in vivis esset, familiari dignabatur amicitia, omnem curam et Industriam adhibuit, tum per seipsum, tum per amicos Vercellis agentes obtinendo hujusce monumenti apographo, aut saltem opplendis Romani codicis lacunis. Mira primo polliciti sunt canonici ; sed post epistolas ultro citroque datas, demum fatentur (ingenue an ficte, judicent alii) in sua Ecclesia esse neminem rei antiquariæ peritum. Non hic stetit illustrimissi Caroccii diligentia et benignitas. Nam cum legatione feliciter peracta rediisset in Sabaudiam, instat iterum, exposcitque ab illis canonicis Taurinum ad se autographum transmittant, bona fide istud se restituturum, postquam suis expensis exscribi curasset.

Ecquid agerem omni spe abjecta integra tanto potiendi thesauro ? Ederem Opera biatibus sensum sæpe interrumpentibus labefactata, an aliis edendis operam darem meam ? Anxio mihi adsunt eruditione præstantes amici ; aiunt in lucem proferre rebus ecclesiasticis præclara opuscula, etsi nonnullis fœdata lacunis, quam tenebris forsitan perpetuis sinere involvi ; aut ne incendio pereant, quam sortem plerisque in locis sustinuere multa anterioris ævi monumenta. Postremo adjecerunt rerum antiquarum etiam fragmenta in pretio haberi. Itaque hisce rationibus adductus, illa typis mandari curavi.

Et quandoquidem Atto in rebus divinis et ecclesiast. versatissimus suas lucubrationes testimoniis quasi margaritis e S. Script. e conc. et Eccl. Patribus desumptis adornavit, haudque loca indigitavit, potissimum in Collectione canonum, quam Capitulare inscripsimus, nos haud levem impendimus operam locis quæ designata non erant margini apponendis, eoque labore quamplures supplevimus hiatus.

Sunt et præter ea quæ proferimus, ut scias, lector, Attonis opuscula cum in Vercellensi, tum in Vati-

cano codice : videlicet sermones 17 ad populum ; et Polythycum, *quod Perpendiculum appellat, quo noxia redarguere et honesta sancire docet*,cum scholiis.

Pro *codicem Vaticanum transcribi curarunt bibliothecæ custodes, ne totus periret : continet primo sermones, qui vix legi possunt, et ideo non sunt transcripti*, etc. Ita clariss. Joannes Bona in epistola mihi an. 1664 scripta.

In Attonis Capitulari animadvertenda sunt : 1° hæc verba *fides catholica* signant Symbolum Athanasii, quæ in eo sensu bis ab auctore usurpantur cap. 4, etc., et a Ratherio Veronensi, vel ut aliis placet Udalrico perperam tamen, in synodica ad presbyteros : *Sermonem ut superius dixi, Athanasii episcopi de fide Trinitatis, cujus initium est. Quicunque vult*, etc. Riculfus quoque eadem prope habet in cap. 5 Constitut. : *Ut unusquisque vestrum psalmos, et sermonem fidei catholicæ, cujus initium : Quicunque*, etc.

2° Circa sæculum IX conventus seu collationes presbyterorum memoratæ in cap. 29 institutæ fuisse videntur ex cap. 10 Riculfi Suess. : « Rationi quoque proximum esse sanximus, ut in unoquoque mense. stututa die, id est in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas decanias presbyteri simul conveniant, non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio, et religiosa conversatione, atque de his quæ in eorum parochia accidunt sermonem habeant, et qualiter pro rege, vel rectoribus Ecclesiæ, atque pro suis familiaribus tam vivis quam defunctis orare debeant, considerent. » Huc facit capitul. » 15 Hincmari ad presbyteros (*sub fin. tom. I Opp.*) : « Ut quando presbyteri per Kalendas simul convenerint, post peractum divinum ministeriam, et necessarium collationem, non quasi ad prandium ibi ad tabulam resideant, » etc.

3° Caput 90 elucidare potest Beda in præfat. de Remediis peccatorum, sive pœnitentialis : « Solerter admonentes doctum quemque sacerdotem Christi, ut in universis quæ hic adnotata reperit, sexum, ætatem, conditionem, statum, personam cujusque pœnitentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis curiose discernat, et secundum ut sibi visum fuerit, singula quæque judicet. Quibusdam namque a cibis abstinendo, nonnullis sæpius genua flectendo, sive in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi quod ad purgationem peccatorum pertineant, faciendo. » Ipsissima repetit verba Heriveus Rhemens. in epistola ad Witonem Rothomag., cap. 23. Hæc Acherius, quibus hoc unum addemus, haud paucas lacunas a nobis reparatas esse in libro de Pressuris ecclesiasticis, ope ms. cujusdam codicis monasterii Resbacensis, quem cum consulisset olim R. P. D. Edm. Martene, quæcunque ex illo exserpserat, nobiscum humanissime communicavit.

ATTONIS

VERCELLENSIS EPISCOPI

CAPITULARE.

CAP. I. — *Admonitio pontificis ad presbyteros, qualiter erga subditos agant.*

(Theodulfi caput 1 *Capitularis.*)Obsecro vos, fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum et emendationem vigilantissima cura laboretis quatenus illis viam salutis ostendentes, et eos verbis et exemplis instruentes, et vos de eorum profectu, et nos de vestro, Domino Jesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, ut hæc Capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digessi, assidue legatis, et memoriæ commendetis, et eorum, sive cæterarum sanctarum Scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, ut cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cœlestia pergere certetis.

CAP. II. — *Retractatio ejusdem, et de ordinis discretione bonæque vitæ exhortatione.*

(*Ibid.*) Veraciter nosse debetis, et semper meminisse, quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus. Pro his vero quos verbis et exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Quod si populus fidelis cibus est Dei, ejusdem cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum, et pene conjunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum summi pontificis Aaron, isti vero filiorum ejus. Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ quam in manibus suscepistis unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro sanguine delibutas peccando polluatis ; sed cordis et corporis munditiam conservantes, plebibus exem-

plum bene vivendi præbentes, his quibus præestis ducatum ad cœlestia regna præbeatis.

Cap. III. — *De ignorantia evitanda, et doctrina servanda.*

(*Concil. Tolet.* iv, c. 24) Ignorantia mater cunctorum errorum Maxime sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Apostolus, dicens ad Timotheum : *Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ. Semper permane his* (*I Tim.* iv, 13). Sciant igitur sacerdotes Scripturas et canones, et omne opus eorum in prædictione et doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei, scientia quam operum disciplina.

Cap. IV. — *Ut omnes fidem catholicam memoriter teneant.*

Primo omnium fidem catholicam (17) omnes presbyteri et diaconi, seu subdiaconi memoriter teneant. Ut si quis hoc faciendum prætermittat, quadraginta diebus a vino se abstineat. Et si post abstinentiam neglexerit, condemnandum dupliciter in eo sententia.

Cap. V. — *De negligentia cavenda, justitia amplectenda, et vita emendanda.*

Nemo clericorum ultra hæc quæ jussa sunt dissimulet, aut ullatenus negligere audeat, sed libenter expleat, et sacramenta divina nequaquam negligenter contrectet. Ideo tam juvenes quam senes de his, et de omni conversione sua, ac conversatione et pœnitentia valde esse sollicitos, satisque agere oportet, ut hæc condigne agant, et de reliquo ornent tam clerici quam sæculares, animas suas ornamentis dignissimis, dogmatibus scilicet veritatis, decore pudicitiæ, splendore justitiæ, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam decet esse rationabilem mentem. Tum præterea declinare a consortiis inhonestis, et infidelibus, et societatem habere fidelium, atque illos frequentare conventus, in quibus de pudicitia, de justitia, de pietate tractatur. Orare semper Deum ex toto corde, et ab ipso petere quæ decet, ipsi gratias agere, et veram pœnitudinem præteritorum gestorum. Aliquantulum etiam, si possibile est, per misericordiam pauperum juvare pœnitentiam.

Cap. VI. — *Quibus armis diabolus, et vitia expugnentur.*

(Theodulf. cap. 2). Oportet vos assiduitatem habere legendi, et instantiam orandi. Quia vita viri justi lectione instruitur, oratione ornatur, et assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta illum qui dicebat : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal.* cxviii, 11). Hæc sunt enim arma, videlicet lectio et oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur.

Cap. VII. — *Quod sacerdos missam solus nequaquam celebret.*

(Idem Theodulf. cap 7.) Sacerdos solus missam nequaquam celebret, quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis ; ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent qui ei circumstant, quos ille salutet, a quibus ei respondeatur, et ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum : *Ubicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, et ego in medio eorum sum* (*Matth.* xviii 20).

Cap. VIII. — *Quod sacerdos missas nisi sacratis ab Episcopo locis non præsumat celebrare* (18).

Hic in Romana synodo constitutum est omnium cum consensu synodi, ut nullus presbyter missas nisi sacratis ab episcopo locis celebrare præsumat, qui particeps de cætero sui voluerit esse sacerdotii.

Cap. IX. — *Quod divina mysteria studiose celebrentur.*

(Theodulf. cap. 5.) In sacrificiis, dilectissimi, ante omnia diligenter observetur, ut panis et vinum et aqua, sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiosissime tractentur. Et nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur, juxta illud quod ait Scriptura : *Sit timor Domini vobiscum : cum diligentia cuncta facite* (*II Par.* xix, 7).

Cap. X. — *Item ex eisdem.*

Corpus Domini nullo modo consecretur nisi ex integra oblatione. Neque enim Dominus sui corporis aliquam sustinuit diminutionem, sicut scriptum est : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv, 21). Et alibi *Os non comminuetis ex eo* (*Joan.* xv, 36). Missæ etiam nisi a jejunis sacerdotibus non celebrentur.

Cap. XI. — *Ut feminæ ad altare non accedant.*

(Theodulf. cap. 6.) Feminæ missam sacerdote celebrante nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, et ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores esse debent feminæ infirmitatis suæ, et sexus imbecillitatis. Et idcirco quælibet sancta in ministerio divino contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozæ pœnam subeant, qui, dum Arcam Domini extraordinarie contingere voluit, Domino percutiente interiit (*II Reg* vi).

Cap. XII. — *Ut feminæ sacrata vasa, vel pallas non contingant.*

Sacratas (19) Deo feminas, vel monachas sacrata

(17) *Fidem catholicam.* Acherius jam monuit de Symbolo Athanasii hic agi. In fine pro *sententia* lego *sciat.*

(18) *Concil. Rom.* sub Sylvestro in epil. Refertur pud Anselm. libr. vii, c. 137 et 138 et apud Grat. cap. *Nullus presbyter.* De consecr. dist. 1.

(19) Soteris quæ fertur epist. 2. episcop. Ital. Exstat dist, 23, cap. *Sacratas.* Et apud Yvonem Carnot. Decret. p. ii. c. 72 et p. iii, cap. 265,

vasa, vel sacratas pallas penes nos contingere, et circa altaria incensum deferre perlatum est ad apostolicam sedem. Quæ omnia reprehensione et vituperatione plena esse nulli recte sapientium dubium est. Quapropter hujus sanctæ sedis auctoritate hæc omnia resecare funditus quantocius poteritis, censemus: et ne pestis hæc latius divulgetur, per omnes provincias abstergi citissime mandamus.

CAP. XIII. — *Ut nullus præsumat qualibet ex sacris illicite usurpare.*

(Theodulf. cap. 18.) Nullus præsumat aut calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, et divino servitio mancipata, ad alios usus retorquere, nec calice sacro aliud bibat præter sanguinem Christi, qui in sacramento accipitur; nec patenam ad aliud officium admittere audeat, quam ad altaris ministerium. Et altaria non cooperiantur nisi nitidis et novis pannis, corpora vero mortuorum in ipsis nullo modo involvantur.

CAP. XIV. — *Ut vestimenta ecclesiastica sacrata et honesta sint.*

Vestimenta (20) igitur ecclesiastica quibus Domino ministratur, sacrata debent esse et honesta. Quibus aliis usibus nemo debet uti, quam ecclesiasticis et Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio quæ Balthasar regem percussit, super hæc transgredientes, et alia præsumentes, veniat divina; qui dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam cum regno pariter amisit.

CAP. XV. — *Ut clerici sæcularibus indumentis non utantur.*

(Zacharias papa, et refertur 21, q. 4, cap. *Episcopi*,) Presbyteri et diaconi sæcularibus indumentis minime utantur, nisi ut condecet, tunica sacerdotali: sed neque dum ambulaverint in civitatem, aut in viam, aut in plateas, sine operimento præsumant ambulare, præter si in itinera longa ambulaverint. Quia, sicut *mulier orans in ecclesiis non velato capite deturpat caput suum* (*I Cor.* II, 4), juxta apostolicam vocem; ita sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum. Nam, si tenere præsumpserit contra statuta agere, communione privetur, donec quæ statuta sunt adimplere maturet.

CAP. XVI. — *Quando symbolum competentibus tradatur.*

Concil. Agathens. c. 13.) Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis una die, id est ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publice in ecclesia competentibus tradi.

CAP. XVII. — *De tempore baptismi.*

(Gelasius epist. ad episcop. Lucaniæ c. 12.) Baptizandi sibi quispiam passim quocunque tempore nullam credat inesse fiduciam; præter Paschale festum, et Pentecostes venerabile sacramentum: excepto duntaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans, exitio præventus abscedat.

CAP. XVIII. — *Qualiter baptismi sacramenta celebrari oportet*

Catechumeni antequam baptizentur, instruantur qualiter credant, ut sacerdotibus cum baptizantur respondeant. Qui nullo modo baptizentur nisi suam confessi fuerint fidem: si facultas loquendi adfuerit; si autem subito imminente periculo obmutuerint, per Christianissimos testes eorum fides examinetur, qui illis antequam obmutuerint, adfuissent. Et si eorum testimoniis digni inventi fuerint, baptizentur. Hi vero qui ab infantia muti fuerunt, si aliquibus nutibus, aut indiciis Christianos se esse velle, vel baptismum petere videantur, non est illis vitandum. Pro infantibus vero quibus ætas adhuc loquendi non est, aliis non abnuimus respondendum, catholicis tamen. Sed qui pro eis fidem promittunt, curam et sollicitudinem habere debent, ut illi hoc impleant quod ipsi pro eis promiserunt. Si autem religiosi et docti talibus parentes fuerint, quod sit cum hac protestatione committendi sunt. Qui si defuerint (21) isti eos frequentius instruant, suisque beneficiis sapius studeant confortare.

CAP. XIX. — *Item de parvulis ægrotantibus.*

(Theodulf. cap. 17.) Si parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterorum baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus potenti concedere detrectaverit, et ille parvulus absque baptismi gratia mortuus fuerit, noverit se ille qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum.

CAP. XX. — *Ut presbyteri absque diaconis baptisma non celebrent.*

Ut in nulla (22) ecclesia cujuslibet diœceseos ubi baptismus celebratur, presbyter absque diacono esse reperiatur. Unde omnis presbyter non habens diaconum, eligat sibi personam, et plebi suæ innotescat: tunc ad pontificem suum consignans deducat, cujus vitam probatam habeat, et diaconus consecretur. Quod si distulerit presbyter, dicens eo quod non habeat talem clericum, episcopus suus provideat ex ecclesia sua, aut unde voluerit bonam personam. Tantum est ut sine diacono non sit.

CAP. XXI. — *Quæ in ecclesiis recondi liceat.*

(Theodulf. c. 8.) Videmus crebro in ecclesiis messes et fenum congeri; unde volumus ut hoc pe-

(20) Steph. papa Hilario ep. t. c. 3. Refertur de consecr. distinct. 1, c. *Vestimenta*. Et apud Yvonem Carnot. p. II. c. 74.

(21) *Si defuerint*. sic restitui ex conjectura sane non improbabili. Antea legebatur, *fide fuerint*, quod cum Acherius non intelligeret monuerat hoc loco verbum aliquod, ut *infirmi*, deesse.

(22) *In nulla*. Præpositionem quæ deerat, adjeci.

nitus observetur, ut nihil in ecclesia, præter vestimenta ecclesiastica, et vasa sancta et libros, recondatur. Si autem (23) tempore persecutionis propter improbitatem prædonum sua pauperes alimenta inibi servanda reponunt, non sunt ejicienda : ita sane ut de eadem ecclesia pace recepta illico transportentur. Vendendi enim vel emendi ibi nulla detur licentia. Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, a Domino audiamus : *Domus meu, domuo orationis est, vos autem speluncam latronum fecistis* (*Luc.* XIX, 46).

CAP. XXII. — *Quod in ecclesia convivia et accubitus non fiant.*

(*Laodic.* c. 27 ; *Trull.* c. 72 ; *Aquisg.* c. 80.) Quod non oporteat in Domini Ecclesiis convivia quæ vocantur agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.

CAP. XXIII. — *Quod in ecclesiis sepulturæ non fiant.*

(Theodulfi c. 9.) Antiquus in his regionibus in ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, et pleraque loca divino cultui mancipata, et ad offerendas Deo hostias præparata, cœmeteria sive polyandria facta sunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora vero, quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt, naquaquam projiciantur, sed tumuli qui apparent profundius in terra mittantur, et pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi vero tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, et in eo loco consituto, ubi religiose et pure Deo sacrificium offerri valeat.

CAP. XXIV. — *Ut sepulturæ non vendantur.*

(Greg. lib. VII, ep. 55.) Questa nobis est Nereida clarissima femina, quod ab ea centum solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra velit exigere, atque ei super doloris gemitum majorem dispendii studeat inferre molestiam. Quod si ita se veritas habet, quia grave nimis, et procul nimis est a sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium; ab hac se patratione fraternitas vestra contineat, et molesta ei de cætero non existat. Hoc autem vitium et nos, postquam Deo auctore ad episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra omnino vetuimus, et parvam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus ; memores quia dum Abraham a filiis Emor, hoc est Ephron filio Segor sepuleri terram pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutns. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus. Unde ne hoc avaritiæ vitium, vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo ; sed si quanto aliquem in ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius, proximive hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus ; peti vero aut aliquid exigi, omnino prohibemus. Quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studetis quærere quolibet modo compendium.

CAP. XXV. — *Ut diœceses singulis annis visitentur.*

(*Concil. Tarracon.* sub Hormisda, c. 8.) Multorum experientia casuum magistrante reperimus nonnullas diœceses ecclesiis destitutas. Pro qua re id constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur et annis singulis ab episcopis diœceses visitentur. Et si qua forte basilica destituta reperta fuerit, ordinatione ipsius reparetur.

CAP. XXVI. — *Qui presbyteri chrisma petant.*

(*Con. Cart.* IV, c. 36.) Presbyteri qui per diœceses ecclesias regunt, non a quibuslibet episcopis, sed a suo, nec per juniorem clericum, sed per se ipsos, aut per illum qui sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem chrisma petant.

CAP. XXVII. — *Quod singulis annis synodus celebretur.*

(*Tolet.* IV, c. 3.) Nulla pene res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores synodum facere negligunt. Ob hoc a nobis universaliter definitum est, ut quia juxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri concilium non sinit, saltem vel semel a nobis celebretur.

CAP. XXVIII. — *Qualiter majores presbyteri ad synodum veniant.*

(Theodulf. c. 4.) Quando more solito ad synodum convenitis, vestimenta, et libros, et vasa sancta cum quibus vestrum ministerium et injunctum officium peragatis, vobiscum deferte, nocnon duos, vel tres clericos sive laicos, cum quibus missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur quam diligenter, quam studiose Dei servitium peragatis.

CAP. XXIX. — *Quod singulis Kalendis collatio in plebibus fiat.*

Experimento didicimus, non minus bonam collationem, quam etiam lectionem prodesse. Unde a præsenti statuimus, ut per singulas plebes singulis Kalendis omnes presbyteri seu clerici simul conveniant, ut de fide ac sacramentis divinis, seu de vita et conversatione, et singulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent. Et si forte aliquis inter eos negligens aut reprehensibilis invenitur, a cæteris corrigatur. Quod si corrigi omnino non studuerit, mox suo nuntient episcopo, ut hæc acrius

(23) *Si autem.* Hæc usque ad *Ne forte*, non leguntur apud Theodulfum.

emendare quantocius studeat. Ne cum eadem diœcesis ab episcopo visitata fuerit,aut cum ipsi ad synodum venerint,* aliquorum infamia, omnes pariter adnotentur. Si autem Kalendæ in festivis fuerint, sub sequenti die hoc adimplere non differant.

CAP. XXX. — *Quod nullus absolute clericus ordinetur.*

(*Concil. Calced.* c. 6.) Nullum absolute ordinari debere presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter in ecclesia civitatis, aut possessionis, aut martyrii,aut monasterii qui ordinandus est,p ronuntietur. Qui vero absolute ordinatur,decrevit sancta synodus irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.

CAP. XXXI. — *Ut singulis ecclesiis sacerdotes ordinentur*

(Clementis, quæ dicitur epist. 2, ad Jacobum.) Ecclesias per congrua et utilia facite loca, quas divinis precibus sacrare oportet, et in singulis sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos poni, quos ab omnibus venerari oportet, et non a quoquam gravari.

CAP. XXXII. — *De clericis qui loca in quibus ordinati sunt derelinquunt,*

(*Concil. Arel.* I, c. 21.) De presbyteris aut diaconis qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, et ad alia loca se transferunt, placuit ut eisdem locis ministrent quibus præfixi sunt. Quod si derelictis locis suis ad alium se locum transferri voluerint, deponantur.

CAP. XXXIII. — *De presbyteris qui pro alterius ecclesia munera promittunt.*

(Theodulf. c. 16.) Si quis presbyter, vel quislibet in clero inventus fuerit alicui clerico aut laico deinceps munera dare, aut promittere, ut ecclesiam alterius presbyteri subripiat, sciat se pro hac rapina, et sæva cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum.Illi vero (24) quem fatigare præsumpserit,omne damnum quod ei pro hac acciderit querela, ipsosque actionis sumptus insuper restaurare cogatur. Nullusque presbyter fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ de alterius presbyteri parochia, ut ad suam ecclesiam concurrant relicta propria ecclesia, et suas decimas sibi dent ; sed unusquisque sua ecclesia, et populo contentus,quæ sibi non vult fieri alteri nequaquam faciat, juxta illud Evangelii : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis* (*Matth.* VII, 42).

CAP. XXXIV. — *Ut nullus oblationes ecclesiæ præter conscientiam episcopi aut det, aut accipiat.*

(*Concil. Grangrense* c. 7.) Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit,præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere concilio, anathema sit.

CAP. XXXV. — *Ut nullus presbyter absque permissu episcopi aliquid in ejus parochia agat.*

(*Epist.* 1, quæ Clemen. Romani nomine circumfertur.) Nullum presbyterum in alicujus episcopi parochia aliquid agere debere absque permissu docebat, sed et cunctos presbyteros propriis episcopis in omnibus absque mora obedientes (instituente Domino) esse debere docebat. Nullum item aliena concupiscere, aut præsumere quæ eorum erant, sed unumquemque suis sibique commissis contentum esse docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere, nisi quod sibi fieri velit instruebat.

CAP. XXXVI. — *Ut nullus clericus mulierem in consortio familiaritatis habeat.*

(*Concil. Tolet.* II, c. 3.) Illud præterea speciali ordinatione decernimus, quod nec antiqua concilia in universis pene canonibus siluere, ut nullus clericorum a gradu subdiaconatus, et supra in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, aut ancillam : sed si sunt ei hujuscemodi servitia, matri, vel sorori, aliique cujuslibet propinquitatis contradat, et quidquid suis manibus profecerint, proprio Domino deferatur. Aut si propinquitas memorata deest, alia domus longe ad earum habitaculum requiratur, eo modo, ut nulla occasione introeundi domum clericorum feminæ permittantur, unde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocentis fortassis possit inuri. Sane deinceps post datam hanc admonitionem quisquis harum consortio frui voluerii, noverit se non solum a clericatus officio retrahi, vel ecclesiæ foribus pelli, sed etiam omnium catholicorum, clericorum, vel laicorum communione privari, nulla prorsus colloquii consolatione relicta.

CAP. XXXVII. — *Ut clericus nullam conversationem cum muliere post denominationem habeat.*

(Vide Riculfum in c. 15.) Ut si cui sacerdoti ex qualibet muliere denuntiatum fuerit, ut exinde suspicio malæ opinionis efficiatur, nullam cum ipsa habeat conversationem, neque secretam, neque patentem. Si deinceps inventus fuerit,post secundam et tertiam contestationem ut contemptor gradus sui periculum sustineat.

CAP. XXXVIII. — *Qualem professionem presbyteri et diaconi faciant, quando ordinantur.*

(*Concil. Tolet.* IV, cap. 26). Quando presbyteri et diaconi per parochias constituuntur, oportet eos primum professionem episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub Dei timore, et eos talis professio alligatos sanctæ disciplinæ retineat.

CAP. XXXIX. — *Item qualem episcopus diaconum faciat.*

A præsenti die episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere diaconum præsumant, nisi qui se caste victurum promiserit.

(24) *Illi vero.* Prior editio, *Ille vero* corrupte. Hæc usque ad, *Nullusque* non leguntur apud Theodulfum.

CAP. XL. — *Ut clerici episcopis suis obtemperent.*

(*Concil. Carthag.* c. 31) Item placuit, ut quicunque clerici vel diaconi pro necessitatibus ecclesiasticarum rerum non obtemperaverunt episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua ecclesia promovere, nec illi ministrent in suo gradu unde noluerunt recedere.

CAP. XLI. — *Quod nullus clericus die Dominico aliquod sæculare negotium audeat vindicare.*

(*Concil. Tarracon.* c. 4.) Ut nullus presbyterorum vel clericorum die Dominico propositum cujuscunque causæ negotium audeat vindicare, nisi hoc tantum, ut Deo statuta solemnia peragant. Cæteris vero diebus, cohibentibus personis, illa quæ juxta sunt habeat licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis.

CAP. XLII. — *Ut clericis ludicris spectaculis non intersint.*

(*Concil. Laodicense* c. 54.) Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur, interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de convivio, et abire debere.

CAP. XLIII. — *Ut clerici per plateas, vel andronas, vel nundinas non ambulent.*

(*Concil. Carthag.* IV, c. 47, 48; *Carth.* III, c. 27). Clerici per plateas, vel andronas, aut nundinas non ambulent, et ad forum, vel tabernas non accedant absque certa corporis vel officii sui necessitate, vel si fuerint peregrinatione compulsi; nec ibi comedere aut bibere præsumant.

CAP. XLIV. — *Item clericum scurrilem puniendum :*

(*Concil. Carthag.* IV, c. 60.) Clericum scurrilem, et verbis turpibus jocularem, ab officio retrahendum censemus.

CAP. XLV. — *Item clericus adulator et proditor degradetur.*

(*Ibid.*, c. 56.) Clericus cui adulationibus et proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

CAP. XLVI. — *Clericus inter epulas cantans similiter.*

(*Ibid.*, c. 61.) Clericus inter epulas cantans, supradictæ sententiæ severitate coercendus.

CAP. XLVII. — *Quibus negotiis se miscere debeant.*

(Refertur tanquam Melchiad. distinct. 88, c. *Decrevit.*) Decrevit Nicæna synodus nullum clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi forte episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut pupillorum et orphanorum, aut viduarum. Ubi liquido patet, quia alia sunt negotia sæcularia, et alia ecclesiastica.

CAP. XLVIII. — *Ut clerici auguria non credant, nec divinationes exquirant.*

(*Concil. Tolet.* IV, c. 23) Si quis episcopus aut presbyter, sive diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum magos aut aruspices, aut ariolos, aut certe augures vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterium ingressus pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii solvat (25). Item : Si quis post hanc cognitionem, ecclesiasticam contemnens doctrinam, ad eos quos prophetas, aut angelos, vel aliquos sanctorum defunctorum, quos æquivocos falso vocant, abierit, eorumque pravis doctrinis inhæserit, anathema sit; nullisque mysteriis ecclesiasticis communicet, donec ad pontificis venerit satisfactionem (26). Nam ipse Dominus in Evangelio docet: *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et seducent multos* (*Matth.* XXIV, 24). Et Paulus apostolus: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (*Hebr.* XIII, 9). Similiter etiam de illis qui arbores colunt, aut ad fontes hujusmodi religiose accedunt, deliberare curavimus. Insuper nullus talibus communicare præsumat.

CAP. XLIX. — *Ut clerici usuras non accipiant, nec laici quoque.*

(*Concil. Carthag.* III, c. 16.) Item placuit, ut clericus si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eamdem speciem quantum dederit accipiat. Similiter quoque laici ab usuris se abstineant; quod si non fecerint, excommunicentur.

CAP. L. — *Ut clerici vilius emendi et carius vendendi usum non habeant.*

(*Concil. Tarracon.* c. 2.) Sicut per canonum statuta firmatum est, quicumque in clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi charius studio non utatur. Certe si voluerit exercere, cohibeatur a clero.

CAP. LI. — *Ut clerici sæcularem defensionem adversus ecclesiastiam disciplinam non requirant.*

(*Agath. Concil.* c. 8.) Idem placuit, ut clericus si relicto officio suo propter districtionem ad sæcularem fortasse defensionem transierit, et ei ad quem recurrerit solatium defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

CAP. LII. — *Ut clerici ecclesiastico judicio contenti sint.*

(Pseudo-Clemens epist. 1 ad Jacob.) Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores sæculi non judicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ quidquid illud est, dirimatur.

CAP. LIII. — *Ut clerici vigiliis non desint.*

(*Concil. Carthag.* IV, c. 49.) Clericus qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio privetur.

CAP. LIV. — *Ut presbyter in nuptiis bigami non prandeat.*

(*Concil. Neocæs.*. c. 7.) Presbyterum in nuptiis

(25). *Solvat* Quæ sequuntur non sunt ex concil. Tolet. desumpta.

(26) Burchard. lib. X, c. 48. Yvo, par. II, c. 5 et 73; Vide Concil. Laodic. c. 34, 35.

bigami prandere non convenit, quia cum pœnitentia bigamus egerat, quis erit presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?

CAP. LV. — *Quod ex collatis convivia non celebrentur*

(*Concil. Laodic.* c. 55.) Quod non oporteat sacerdotes, aut clericos ex collatis, vel commessalibus convivia celebrare. Hoc autem nec laicis posse congruere.

CAP. LVI. — *Quod ad agapen vocati, ciborum partes non accipiant.*

(*Laodicens.* c. 27.) Quod non oporteat sacro ministerio deditos clericos ad agapen vocatos, ciborum partes accipere: propterea quod hinc ecclesiastico ordini fiat injuria.

CAP. LVII, — *Quod clericos orare, et legere, ac manibus laborare instanter conveniat.*

(*Concil. Carthag.* IV, c. 50, 51, 52, 53; ex cap. 3 Capitul. Theodulf. Aurel.) Clericus victum et vestimentum sibi artificio vel agricultura, absque officii duntaxat sui detrimento præparet: et si quando a lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ,et antiquus hostis quem a lectione sive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis, qualiter et vos vivatis, et alios doceatis. Per usum orationis et vobis, et his quibus in charitate conjuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem, et corporis macerationem, et vitiis alimenta negabitis, et vestris necessitatibus subvenietis, et habebitis quod necessitatem patientibus porrigatis.

CAP, LVIII. — *Qui psalmi in ecclesia cantentur, vel libri legantur.*

(Mart. Crac. *Collect. Orient can.*, c. 67; *Carth.* III, c. 47.) Quod non opporteat plebeos psalmos in ecclesia cantari, nec libros præter canonem legi, sacra volumina Novi Testamenti, vel Veteris. Licet etiam legi passiones martyrum, cum anniversaria eorum celebrantur.

CAP. LIX. — *Ut oratio Dominica quotidie proferatur.*

(Ex c. 10 *concil. Tolet.* IV.) Oratio quæ Dominica dicitur, quam Dominus proprio ore composuit, suosque discipulos per eam orare docuit, non tantum diebus Dominicis, sed quotidie in omni operatione frequentanda, est. Consideret tamen unusquisque conscientiam suam, quia si ex puro corde omnibus a quibus læsus fuerit, non dimiserit, hæc oratio magis ad occasionem, quam ad veniam illi esse videtur.

CAP. LX. — *Quod profundiores quæstiones penitus non astruantur.*

(Cœlestinus I ad episc. Galliæ, c. 13.) Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationl nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quid quid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos Scriptura docuerit, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.

CAP. LXI. — *Ubi et qualiter scholæ habeantur.*

(Theodulf. c. 20.) Presbyteri etiam per villas et vicos scholas habeant, et si quislibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis committere vult, eos suscipere et docere non renuant, sed cum summa eos charitate doceant. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII, 3). Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint.

CAP. LXII. — *Quibus libertis manumittatur.*

(*Concil. Tolet.* IV, cap. 72.) Quicunque libertatem a dominis suis ita percipiunt, ut nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet; iti si eine crimine sunt, ad clericatus ordinem libere suscipiantur; quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc a patrono servituti tenentur obnoxii, nullateuns sunt ad ecclesiasticum ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis servi.

CAP. LXIII. — *Quales ad ministerium clerici eligantur.*

(Clementi epist. 2 ascripta.) Tales ad ministerium clerici eligantur, qui digne possint Dominica sacramenta tractare: melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint digne exercere opus Dei, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.

CAP. LXIV. — *De jejunio quadragesimali clericorum.*

(Telesphor. attributa epist.) Cognoscite a nobis, et cunctis episcopis in hac sancta et apostolica sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati a carne jejunent. Quia sicut discreta debet esse vita clericorum a laicorum conversatione, ita et in jejunio debet fieri discretio. Has ergo septem hebdomadas omnes clerici a carne et deliciis jejument, et hymnis, ac vigiliis, atque orationibus Domino inhærere diu noctuque studeant.

CAP. LXV. — *Quod nulli sacerdotum licerat canones ignorare.*

(Cœlestin. episcopis per Calab. constitutis epist. 3.) Nulli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod possit Patrum regulis obviare: quæ enim a nobis rex digne servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?

CAP. LXVI. — *Quomodo adversa pro Christo patienter tolerare oporteat.*

(Anacleti quæ dicitur ep. 1.) Nolite mirari, charissimi, qui persecutiones patimini, quasi vobis aliquid novi contingat, sed communicantes Christi pas-

sionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. Nec pro aliqua cupidate, vel segnitie, aut metu, hæc quæ vobis facienda, vel dicenda sunt,dimittatis. Nec a populi increpatione, si deviaverit, ullo modo cessetis. Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor : si autem ut Christianus, non erubescat ; glorificet autem Deum in isto nomine, quia scriptum est : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v, 16). Cavete quia *propter justitiam* dixit. Nam qui pro aliquo crimine patitur, ob hoc non erit beatus.

CAP. LXVII. — *Quod cum excommunicato non sit orandum.*

(Canon. 11 apost.) Si quis cum excommunicato saltem in domo simul oraverit, iste communione privetur.

CAP. LXVIII. — *Quod oblationes discordantium, vel pauperes opprimentium refutandæ sint.*

(*Concil. Carthag.* IV, cap. 93 et 94.) Oblationes discordantium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur. Eorum etiam qui pauperes opprimunt, donaria a sacerdotibus refutanda sunt.

CAP. LXIX. — *Ut ebrietas vetetur.*

(*Concil. Agathens.* c. 41.) Ante omnia clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patet, aut trium dierum spatio a vino statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. Quod si hoc in usum assumpserit, excommunicatio proteletur ; si vero corrigi non potuerit, a sacerdotali ordine repellatur.

CAP. LXX. — *Qualiter singulis feriis agendum sit,*

(*Concil. Carthag.* IV, c. 74.) Qui die Dominico studiose jejunat, non credatur catholicus. Et nullum negotium, nullumque opus servile eodem die fiat. Quinta feria quisque non est jejunandus, ut inter jejunium Christianorum et gentilium, catholicorum, atque hæreticorum discretio sit (27). Nam dies Dominicus, et quinta feria jure solemniores præ cæteris habentur ; eo quod Die Dominico Dominus Jesus Christus,devicto mortis equuleo,resurrexit a mortuis ; sive quia eo die gratia Spiritus sancti post ascensionem ad cœlos, inflammavit discipulos, eis mittens tradidit charismatum dona.Quinta feria autem cum eisdem discipulis ultimæ cœnæ mysteria celebravit. Nec multo post eodem die revolvente illis viventibus ad cœlos ascendit ; ipso etiam die chrisma conficitur ; eodem quoque die pœnitentes reconciliantur. (Innocent. I, epist. 1, c. 4.) Quarta vero, sexta et septima feria præ cæteris jejunandum est, quia quarta feria Judas de proditione Salvatoris cum Judæis statuit ; sexta autem Christus crucifixus est ; Sabbato quidem inter metum et spem apostoli tristem duxere diem, dubii aliquantulum de Resurrectionis gloria permanentes. Qui ergo istis tribus diebus in crapula, vel epulis absque magna interveniente festivitate, vel necessitate fuerit, videtur aut cum tradente tradere, vel cum crucifigentibus crucifigere, aut apostolorum injurias deridere. Nam qui vult de Domini cum ipsis resurrectione gaudere, tristari quodammodo cum ipsis debet de passione.

CAP. LXXI. — *Quod die Dominico stantes oremus.*

(*Nicæum concil.* I, c. 20.) Quoniam sunt quidam in die Dominico ad orationem genu flectentes, et in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio, stantes in his diebus Domino vota persolvere.

CAP. LXXII. — *Ut sacerdotes admoneant populum, qualiter festis diebus se habeant.*

Sacerdotes admoneant populum ut in diebus festis non vacent conviviis malis et jocis turpibus, sed orationibus.

CAP. LXXIII. — *Quibus festis populus communicet.*

(*Conc Agath.* c. 18.) Sæculares vero qui Natalem Domini, Pascha et Pentecosten non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.

CAP. LXXIV. — *Si sacrificium per negligentiam ceciderit.*

Si cui sacrificium per negligentiam ceciderit (28), aut lingua lambat, ut nihil inde remeneat aut diebus quadraginta jejunet. Si autem per negligentiam alterius hoc factum fuerit, pœnitcat ipse cujus est negligentia. Locus autem in quo ceciderit, aut igne succendatur, aut penitus extergatur, et quod extersum fuerit, comburatur.

CAP. LXXV. — *Si vomitus infra tres dies post communionem negligenter evenerit.*

Si quis post accepta sacrosancta mysteria infra tres dies (29) vomitum per negligentiam fecerit, si presbyter est, quadraginta diebus pœniteat ;cæteri secundum proprium ordinem judicentur. Et quidquid rejectum fuerit, comburatur.

CAP. LXXVI. — *Ut energumeni non communicent, et balnea in sacratis aquis non faciant.*

Nulli liceat porrigere corpus, vel sanguinem Domini nostri Jesu Christi energumenis, donec in eadem passione sunt, nisi forte discrimen mortis incurrerint ; nam cum criminosis talla sacramenta vetentur, quanto magis illis quos ipse auctor criminis invadit ? Si autem divina misericor-

(27) Melchiad, ut fertur epist. ad episcop. Hispan. refert. de consecr. dist. 14. *Jejunium.*

(28) Ex decreto quod Pii papæ nomine circumfertur, referturque de consecr. dist. 2, c. *Si per negligentium*, verbis nonnullis immutatis.

(29) *Tres dies :* an potius *tres horas*, ut Acherio placuit ?

dia liberati fuerint, longo tempore in abstinentia et oratione permaneant secundum arbitrium sacerdotum, et sic demum communicent inter cæteros Christianos. Quod si baptizati vel consignati non fuerint, licet eos omni tempore baptizare, vel consignare. In aqua vero sanctificata nullus balneum facere audeat pro aliqua infirmitate vel necessitate, quæ spargi tantummodo concessa est. Hujuscemodi enim lavacra nec in sacris invenimus, nec a Patribus acta audivimus, nec nobis utilia videntur.

CAP. LXXVII. — *Qualiter mysteria baptismatis vel chrismatis custodienda sint.*

Qui sacri baptismatis mysterium, vel donum Spiritus sancti in chrismate susceperint, ante nonum diem cum mulieribus nullo modo coeant : similiter hujuscemodi mulieres omni modo a viris se abstineant, nec ullo turpi ludo, vel negotio ullo modo misceant ; a carnium usura diu abstineant donec episcopus loci pro qualitate personæ, vel temporis præviderit. Nec de sacro fonte aliquem levare, aut ad consignandum ante episcopum tenere aliquis audeat : nec clericus ullum sacrum ordinem assumere præsumet, nisi prius hæc eadem prædicta sacramenta in se celebraverit. Si quis autem in aliquo supradictorum prævaricator exstiterit, judicio episcopi pœniteat.

CAP. LXXVIII. — *Ut spectacula ludorum diebus festis non celebrentur.*

(*Concil Africam.* 61.) Necnon et illud petendum, ut spectacula theatrorum, cæterorumque ludorum de Dominica, vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberriminis amoveatur. Maxime quia sancti Pasehæ octavarum die populi ad circum, magis quam ad ecclesiam conveniunt, deberent transferri præfiniti ipsorum dies quando evenerint, nec debet ullus Christianus cogi ad spectacula.

CAP. LXXIX. — *Ut nullus Kalendas Januarii. colere, aut choros ducere præsumat.*

(Zachar. in *concil. Rom.* c. 9, referturque 27, quæst. 7, c. *Si quis.*) Ut nullus Kalendas Januarii et brumas ritu paganorum colere præsumat : si quis Kalendas Januarii et brumas colere præsumpserit, aut mensas cum lampadibus in domibus præparare, aut per vicos et planteas cantiones et choros ducere præsumpserit, quod magna iniquitas est, coram Deo anathema sit.

CAP. LXXX. — *Ut quod ad ecclesiam conveniendum sit.*

(Theodulf. c. 10.) Non debetis ad ecclesiam ob aliam causam convenire, nisi ad laudandum Deum, et ejus servitium faciendum ; disceptationes vero et tumultus, et vaniloquia, et cæteræ actiones, ab eodem loco sancto penitus prohibendæ sunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo sacrificium offertur, angelorum frequentia inesse non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere, vel agere quod loco non convenit : si enim Dominus illos de templo ejecit, qui victimas quæ sibi offerentur, emebant vel vendebant, quanto magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, et hujuscemodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant ?

CAP. LXXXI. — *De doctrina virorum et mulierum.*

(*Concil. Carthag.* IV, c. 98 ; *Ibid.*, c. 99.) Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis probantibus docere non audeat. Et mulier, quamvis docta in sancta, viros in conventu docere non audeat vel præsumat.

CAP. LXXXII. — *Item de indumentis eorum.*

(*Concil. Gang.* cap. 12 ; *Ibid.*, c. 13.) Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu palii utitur, quasi per hoc habere se justitiam credens, et despicit eos qui cum reverentia birris, et aliis communibus solitis utuntur vestibus, anathema sit. Similiter et mulier quæ propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, et pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.

CAP. LXXXIII. — *Ut natalitia seu nuptiæ in Quadragesima non fiant.*

(*Concil Bracar.* c. 48.) Quod non oporteat in Quadragesima martyrum natalitia celebrare ; sed eorum in Sabbato et Dominico die tantum memoria fieri. Nuptiæ vero aut natalia iisdem diebus nullo modo celebrentur.

CAP. LXXXIV. — *De Jejunio Quadragesimali.*

(*Concil. Agath.* cap. 12.) Placuit etiam ut omnes Ecclesiæ, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbati, sacerdotali ordinatione, et discretione (30) communicationis debeant jejunare.

CAP. — LXXXV. *Item de observatione ejusdem.*

(*Concil. Laod.* cap. 50.) Quod non oporteat in Quadragesima in ultima septimana, quintæ feriæ jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniet omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.

CAP. LXXXVI. — *Item unde supra.*

(*Tolet.* IV, c. 4.) Quidam in die ejusdem Dominicæ passionis ad horam nonam jejunium solvunt, conviviis abstinent (31). Et dum sol ipse eodem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata mœstitiam totius mundi ostenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epulisque inserviunt. Et quia totum eumdem diem universalis Ecclesia propter passionem Domini in mœrore, et abstinentia peragit, quicunque in eo jejunium, præter parvulos, senes et languidos, ante peractas indulgentiæ preces resolverit, a paschali gaudio depellatur, nec in eo sacramentum corpo-

(30) *Et discretione.* In editis conciliis legitur, *et districtionis commutatione.*

(31) *Abstinent.* Hic omnes facile vident nonnihil deesse ; sed concilii sententia adeo perspicua est, ut in verbis immorari necessarium non videatur.

ris, et sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ipsius per abstinentiam non honorat.

CAP. LXXXVII. — *De jejunio Quatuor Temporum.*

(Calixti papæ quæ dicitur epist. 1.) Jejunium quod ter in anno apud nos celebrare didicistis, convenientius nunc per quatuor tempora fieri dicimus; ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic et nos quaternum agamus solemne jejunium per quatuor tempora, juxta prophetæ Zachariæ vocem, qui ait : *Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium et lætitiam, et solemnitates præclaras : veritatem tamen et pacem diligite, dicit Dominus exercituum* (*Zachar.* VIII, 19). In hoc ergo omnes nos unanimes oportet esse, ut secundum apostolicam doctrinam : *Idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata* (*I Cor.* I, 10).

CAP. LXXXVIII. — *Jejunium ecclesiasticum non dissolvendum.*

(*Gang. concil.* c. 19.) Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, et ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

CAP. LXXXIX. — *Ut pœnitentibus infirmis oleum sanctificatum non infundatur.*

(Innocent I, epist. ad Decentium c. 8.) Pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi ?

CAP. XC. — *Qualiter presbyteri erga pœnitentes agant.*

Non debet presbyter injungere pœnitentiæ leges sine aliquo respectu personæ, aut causæ ; sed tempora pœnitentiæ aut reconciliationis epiocopi arbitrio concedat. Et, ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi episcopo permittente ; sed potius presbyteri qui in plebibus ordinantur, providentiam magnam habeant, ne eorum parochiani in criminalia incidant delicta. Quod si evenerit, tam ab ipsis, quam ab omnibus vicinis diligenter qualiter acta sunt, inquirant, et scriptis notare non differant, eosque admonere frequenter studeant, ut ad pacis et pœnitentiæ satisfactionem citissime currant, et cum ipsis primus ejusdem plebis presbyter, aut qui doctor post ipsum fuerit, veniat, idemque quod scripserat, secum afferat. Quod si iidem pœnitentes venire distulerint, ipse in capite jejunii ad primam ejusdem episcopi sedem esse nullo modo cum eodem dissimulet scripto, suoque suggerat episcopo, ut quod ei exinde agendum sit, consideret. Si autem etiam pœnitentes adfuerint, leges, quæ illis pœnitentiæ imponuntur, rursus describat, curamque et sollicitudinem erga eos maximam gerat, ut eorum conversationem plenissime cognoscere possit. Quod si obnixe aliquem pœnitentiæ viderit incumbere, aut debilitate incurrente periculum speret, aut si infirmitas quemquam oppresserit, ad suum presbyter recurrat episcopum, ut illi per ipsum remedia concedantur. Quod si defuerit, cardinalibus primæ sedis interim suggeratur. Ad diem namque reconciliationis, id est cœnæ Domini ipse quoque cum ipsis pariter adesse festinet, ut rursursus quæ illis jussa fuerint, cognoscere et describere possit.

CAP. XCI. — *Ut pœnitentes quotidie genua flectant.*

(*Concil. Carthag.* c. 8.) Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

CAP. XCII. — *Ut mortuos pœnitentes sepeliant.*

(*Ibid.*, cap. 83.) Mortnos pœnitentes offerant ecclesiæ, et sepeliant.

CAP. XCIII. — *Pœnitentes negotiis sæcularibus se abstineant.*

[Leon. M. epist. 91, c. 9.) Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus, et turpis : verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi ; quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum. Unde monemus (32) ne pœnitens aliquo negotio, seu venatione se obstringat, sed sub custodia sacerdotis, qui loco præfuerit orationi, atque jejuniis vacet. Victum autem suum si egenus est, tali artificio quærat, cui nulla inhæreat macula peccati, quatenus ita testimonio sacerdotis fultus, ad pontificis sui securius recurrat sententiam (ejusdem epist. c. 10). Sed neque post pœnitentiæ actionem pergat ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (II *Tim*, II, 4). Quapropter non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare. Ergo illicitorum veniam postulantem, oportet etiam a multis licitis abstinere, dicente Apostolo : *Omnia licent, sed non omnia expediunt* (I *Cor.* VI, 12) ; unde si pœnitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius expetit ecclesiasticum quam forense judicium.

CAP. XCIV. — *Qualiter sponsus et sponsa a sacerdote benedicantur.*

(*Carth.* IV, c. 13.) Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

CAP. XCV. — *Quæ nuptiæ vitandæ sint.*

(*Conc. Rom.* I, sub Greg. II ; *Rom.* sub Eugen. II et Leone III.) Ut nullus præsumat Deo dicatam feminam, aut commatrem suam, vel novercam, seu matrem, aut sororem, aut filiam spiritualem, vel de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, sibi in conjugio copulare. Et virginem aut viduam nullus rapere præsumat, aut furari in uxorem, nisi desponsatam habuerit a propriis parentibus, vel a tutoribus ejus, etiamsi ipsa voluerit. Si quis vero, vel si qua in aliquo prædictorum nefario conjugio con-

(32) *Unde monemus.* Hæc usque ad *Sed neque* in Leonis epistolis non leguntur.

venerit, et in eo permanserit, sciat, se auctoritate canonica anathematis vinculo esse innodatum. Consentientes vero atque consiliantes, etiam anathematis vinculo implicentur. Si autem ii, qui conjuncti sunt, admoniti declinaverint, et ab alterutro fuerint divisi, pœnitentiæ submittantur, ut episcopus loci prævideriт. Similiter illi qui in hoc consiliati fuerint, vel aliquam habuerint portionem. Quicunque vero sacerdotum vel clericorum in talibus assensum præbuerit, aut communicaverit eorum consortio, condemnatus, sacerdotii, vel ministerii sui honore privetur.

CAP. XCVI. — *Qualiter unusquisque docendus sit.*

(Theodulf. c. 21.) Cum ergo omnium sanctarum Scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum refertæ sint, et per sanctarum Scripturarum campos possint inveniri arma quibus vitia comprimantur, et virtutes nutriantur ; lincuit nobis huic nostro Capitulari inserere sententiam cujusdam Patris (S. Benedict. *Regul.* cap. 4) de instrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate quid agi quidve vitari debeat continetur. In primis Dominum Deum diligere, ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam seipsum. Deinde non occidere : non adulterare : non facere furtum non concupiscere : non falsum testimonium dicere : honorare omnes homines ; et quod sibi quis fieri non vult, alteri non faciat. Abnegare semetipsum sibi, ut Christum sequatur, corpus castigare ; delicias non amplecti. Jejunium amare ; et pauperes recreare : nudum vestire ; infirmum visitare, mortuum sepelire, dolentem consolari. A sæculi actibus se facere alienum ; nihil amori Christi præponere. Iram non perficere, iracundiæ tempus non reservare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare ; charitatem non derelinquera. Non jurare, ne forte perjuret. Veritatem ex corde et ore proferre : malum pro malo non reddere ; injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre : inimicos diligere ; maledicentes non maledicere, sed magis benedicere : persecutionem pro justitia sustinere. Non esse superbum, nec vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmurosum, non detractorem. Spem suam Deo committere, bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi ; malum vero semper a se factum sciat, et sibi reputet. Diem judicii timere : gehennam expavescere ; vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare ; mortem ante oculos quotidie suspectam habere ; actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum prospicere. Cogitationes malas cordis sui advenientes mox ad Christum allidere, et seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel a pravo eloquio custodire. In omni loco Deum prospicere. Multum loqui non amare ; verba vana aut risui apta non loqui ; risum multum aut excussum non amare ; lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere. Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confitori, et de ipsis malis emendare : desideria carnis non perficere : voluntatem propriam odire : præceptis sacerdotis et præceptoris in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat ; memores illius Dominici præcepti : *Quæ dicunt facite ; quæ autem faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse, quod verius dicatur : præcepta Dei factis quotide studeat adimplere ; castitatem amare ; nullum odire, zelum et invidiam non habere ; contentionem non amare ; relationem fugere ; seniores venerari, juniores diligere ; in Christi amore pro inimicis orare ; cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, et de Dei misericordia nunquam desperare.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis, quæ cum fuerint a nobis diu noctuque incessabiliter adimpleta, et in die judicii reconsignata, illa retribuentur nobis a Domino recompensabiliter, quæ ipse promisit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum* (*I Cor.* II, 9).

CAP. XCVII. — *Ut orationem Dominicam et Symbolum memoriter teneant.*

(Theodulf. c. 22.) Commonendi sunt omnes fideles, ut generaliter a minimo usque ad maximum orationem Dominicam, et symbolum memoriter teneant ; et dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit, et nisi qui has duas sententias memoriter tenuerit, et ex toto corde crediderit, et in oratione sæpissime frequentaverit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, et orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

CAP. XCVIII. — *Ut hos canones nullus refutare præsumat.*

(Gelasius I, epist. 9.) Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum Sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio, devotoque studeat tenere proposito satis indignum est quemquem vel pontificum, vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat, et docere (Ex Julii 1, epist. 1, c. 4, ea Gelasius mutuatus est), satisque convediens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hanc sibimet observationem concordet quam illic virgere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.

CAP. XCIX. — *Ut quæ statuta sunt nullo modo immutentur.*

Hæc vero statuta nulla debent improbitate convelli, nulla novitate mutari, quia alia ratio est sæcularium alia divinorum.

CAP. C. — *Quod scire etiam nos oporteat quæ in sacris Scripturis recipienda sint, quæve refutanda.*

(Gelasius I, in *Conc. Rom.* I.) *Quamvis aliud firmamentum nemo possit ponere, præter id quod positum est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11), tamen ad ædificationem sanctæ Ecclesiæ post illas Veteris et Novi Testamenti quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est sanctam synodum Nicænam trecentorum decem et octo Patrum, mediante maximo Constantino Augusto : sanctam sypodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, consensu beatissimi Cœlestini papæ, mediante Cyrillo sanctæ sedis Alexandrinæ antistite, et Arcadio ab Italia destinato : sanctam synodum Chalcedonensem,mediante Martino Augusto,et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt. Item, opuscula beati Cæcilii Cypriani martyris,Carthaginensis episcopi; opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi; opuscula beati Basilii Cappadociæ episcopi; opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi; opuscula beati Joannis Constantinopolitani episcopi; opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi; opuscula beati Proterii Alexandrini episcopi; opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi; opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi; opuscula beati Augustini Hipponensis episcopi; opuscula beati Hieronymi presbyteri; spuscula beati Prosperi viri religiosi; epistola beati Leonis papæ ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinata, cujus textum quispiam si usque ad unum iota disputaverit,et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit. Item, opuscula atque tractatus omnes diversorum Patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctæ Ecclesiæ consortio deviarunt, nec ab ejus fidei prædicatione disjuncti sunt, sed ipsius communicationis per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fuerunt participes,legenda decernimus. Item, decretales epistolas quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Romana, pro diversorum Patrum consultatione dederunt,venerabiliter suscipiendas.

Item, gesta sanctorum martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus,et mirabilibus confessionum triumphis irradiant.Quis ita esse catholicorum dubitet,et majora eos in agonibus perpessos, nec suis viribus,sed Dei gratia et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripserunt nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus vel idiotis superflua,aut minus apta,quam ordo fuerit, scripta esse putantur; sicut cujusdam Cyrici et Julitæ, sicut Georgii aliorumque ejusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur composita. Propter quod,ut dictum est,ne vel levior subsannandi oriatur occasio, non leguntur in sancta Ecclesia. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes martyres, et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

Item, vitas Patrum Pauli, Antonii, Hilarionis, et omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus Hieronymus conscripsit, cum omni honore suscipimus. Item,actus beati Sylvestri episcopi apostolicæ sedis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicli legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ. Item, scripta de inventione sanctæ crucis, et alia de capite Joannis Baptistæ, novellæ quædam relationes sunt, et nonnulli eas catholici regunt; sed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint, beati Pauli procedat sententia : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* v, 21).Item,Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros,nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognovimus.Et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus, zelo Dei ac fidei religione reprehendit. Item, Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum suo auctore remenda.

Item,chronica Eusebii Cæsariensis,atque ejusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quam in primo narrationis suæ libro tepuerit (33),et postea in laudibus, atque excusatione Origenis schismatici unum conscripsit librum;propter tamen singularem notitiam,quæ ad instructionem pertinent,usquequaque non dicimus renuendos. Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessariam adversus paganoum calumnias ordinavit historiam, miraque brevitate contexuit.Venerabilis viri Sedulii Paschale opus heroicis descripsit versibus, insigni laude proferimus. Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.

Cetera quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt,nullatenus recipit catholica et apostolica Ecclesia:e quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt,credimus esse subdenda.In primis Ariminensem syno-

(33) *Tepuerit.* Hic Eusebium lenius tractat Gelasius; nam cæcum esse oportet, qui non videat in primo Historiæ ecclesiasticæ libro sermonem de Verbo ita institui, non solum ut nusquam æqualis Patris agnoscatur Filius,sed ut inferior Patre dicatur, ac prope negetur Deus. Quod cum offendisset Rufinum,qui ejus Historiæ in Latinam linguam vertendæ laborem susceperat, pleraque mutavit et quidem tanto successu,ut unde argumenta sumpserat Eusebius,quibus Christum Deum : non esse deblateraret,inde ejus interpres alia mutuatus est ad probandam Christi divinitatem. Quod deinde Eusebio vitio vertitur Origenem ab eo fuisse laudatum, cujusmodi sit nemo non videt.

dum a Constantio Cæsare Constantini Augusti filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc et nunc in æternum confitemur esse damnatam. Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libri numero octo, apocryphum esse scimus; Actus nomine Andreæ apostoli apocryphi; Actus nomine Thomæ apostoli, libri numero decem apocryphi; Actus nomine Petri apostoli, apocryphi; Actus nomine Philippi apostoli, apocryphi; Thaddæi, apocryphi; Evangelium nomine Matthæi apostoli, apocryphum; Evangelium nomine Barnabæ, apocryphi: Evangelium nomine Jacobi Minoris, apocryph.; Evangelium nomine Petri apostoli, apocryph.; Evangelium nomine Bartholomæi apostoli, apocryph.; Evangelium nomine Andreæ apostoli, apocryph.; Evangelium nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apocryph.; Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocryph.; liber de Infantia Salvatoris, apocryph.; liber de Nativitate Salvatoris, et de Maria et obstetrice, apocryphus; liber qui appellatur Pastoris, apocryphus; libri omnes quos fecit Seleucius discipulus diaboli, apocryph.; liber qui appellatur Fundamentum, apocryphus; liber qui appellatur Thesaurus, apocryphus; liber de Filiabus Adæ geneseos, apocryphus; Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum; liber qui appellatur Theclæ et Pauli, apocryphus; liber qui appellatur Nepotis, apocryphus; liber Proverbiorum qui ab hæreticis conscriptus, et sancti Xisti nomine prænotatus est, apocryphus; revelatio quæ appellatur Pauli apostoli, apocrypha; revelatio quæ appellatur Thomæ apostoli, apocrypha, revelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha; revelatio quæ appellatur Transitus, id est, assumptio sanctæ Mariæ, apocrypha; liber qui appellatur Pœnitentia Adæ apocryphus; liber de Ogiæ nomine Gigantis, qui ab hæreticis cum dracone post diluvium pugnasse perhibetur, apocryphus; liber qui appellatur Testamentum Job, apocryphus; liber qui appellatur Pœnitentia Origenis, apocryphus; liber qui appellatur Pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus; liber qui appellatur Pœnitentia Jammis et Mambræ, apocryphus; liber qui appellatur Sortes apostolorum, apocryphus; liber qui appellatur Laus apostolorum, apocryphus; liber qui appellatur Canones apostolorum apocryphus; liber Physiologus, qui ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine signatus, apocryphus; historia Eusebii Pamphili, apocrypha; opuscula Tertulliani, apocrypha; opuscula Lactantii, apocrypha, opuscula Africani, apocrypha; opuscula Postumiani et Galli, apocrypha; opuscula Montani et Priscillæ, et Maximillæ, apocrypha; opuscula omnia Fausti Manichæi, apocrypha; opuscula Commodiani, apocrypha; opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha; opuscula Taitii Cypriani, apocrypha; opuscula Arnobii, apocrypha; opuscula Tyconii, apocrypha; opuscula Cassiani presbyteri Galliarum, apocrypha; opuscula Victorini Pictaviensis, apocrypha; opuscula Fausti egiensis Galliarum, apocrypha; opuscula Frumenti cæci, apocrypha; epistola Jesu ad Abagarum, apocrypha; epistola Abagari ad Jesum apocrypha; passio Quirici et Julittæ, apocrypha; passio Georgii, apocrypha; scriptura quæ appellatur Contradictio Salamonis, apocrypha; phylacteria omnia, quæ non angelorum, ut illi confingunt, sed dæmonum magis arte conscripta sunt, apocryph.; hæc et his similia quæ Simon Magus; Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, qui et simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus Africanus, Arius, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Cœlestius, Donatus, Eustathius Jovinianus, Pelagius Julianus Celanensis, Cœlestinus. Maximinus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit; Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis; nec non et omnes hæretici eorumque discipuli, sive schismatici, docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur non solum repudiata, sed etiam ab omni sancta catholica et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

ATTONIS
VERCELLENSIS EPISCOPI
DE PRESSURIS ECCLESIASTICIS.

LIBELLUS.

(Apud Acherium, Spicilegii tomo I, p. 414.)

PARS PRIMA.
De judiciis episcoporum.

Evangelica nobis narrat historia, quod cum Dominus discipulos suos docturus relicta turba montem ascendisset, ibique postquam eos de omnibus præceptis, quibus Christiana religio informari

convenit, perfectissime intruxisset, in fine ipsius sermonis dixerit : *Omnis qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra petram* (*Matth.* VII, 24). Vir enim ille sapiens, ipse procul dubio est de quo et beatus Paulus ait apostolus : *Christus Dei virtus, et Dei sapientia* (*I Cor.* I, 24) ; qui bene domum suam, id est Ecclesiam sanctam, de qua ipse alibi ait : *Domus mea domus orationis vocabitur* (*Luc.* XIX, 46), super petram ædificavit, scilicet supra semetipsum, sicut et idem dicit Apostolus : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 1). Et alibi : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.*, III 11). Hujus domus pressuras idem Dominus prænuntians, mox adjecit : *Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra petram* (*Matth.* VII, 25). Cujus ventura mala ideo ipse prædicere dignatus est, ut quando acciderent; tanto levius ea sancta Ecclesia ferret, quanto amplius ea præcognita haberet. Armavit quippe eam clypeo patientiæ, quoniam levius possunt ferri mala præscita, quam ea quæ subito, et improvisa eveniunt; unde et Dominus alibi : *Hoc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis* (*Joan.* XVI, 4). Hæc itaque domus non ex parietibus manufactis, sed ex vivis et electis lapidibus, id est, sanctorum cœtibus elegantissime constat. Ejus vero structuræ sunt quique fideles variis. . . virtutibus coruscantur ; structores autem ipsi doctores. . . . . quorum per fidem et operationem . . . . . cujus institutionis exordium in beatissimi Petri fideli confessione credimus fundatum, cum ait ad Dominum : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Pro qua etiam remuneratione audire inter cætera meruit : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 16-18). Ædificata est ergo sancta Ecclesia supra petram in soliditate apostolicæ fidei, per fidem et dilectionem Christi, et perceptionem sacramentorum, et observantiam mandatorum ejus. Felix quidem domus, quæ pluviis irruentibus non læditur, fluminibus inundantibus non eruitur, ventis impellentibus non dejicitur. Adversus quam nec portæ inferi prævalent, quamvis vario luctamine jugiter eam lacessant ; quæ nec occultis tentationibus, nec apertis persecutionibus, nec ipsorum etiam malignorum spirituum infestationibus, nec vitiorum, aut criminum ponderibus ullo modo cedit.

Deponant ergo sanctam Ecclesiam persequentes contumaciam, sumant fideles in persecutione constantiam. Audiant illi, quia non prævalebunt : præparent se isti, quia revera persequentur, et perseverantes in fine feliciter coronabuntur. Nullo ergo in tempore sanctæ Ecclesiæ deficiet fundamentum, quotidie, Deo gratias, accipit incrementum. Nec deerunt ei persecutores, fidelium videlicet sævissimi laceratores, qui eos post multas tribulationes ad æternam pervenire faciant felicissimam remunerationem. Hujusmodi etiam verba Dominus explanare videtur, cum ait apostolis : *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum : estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16), etc. Usque ad illud : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XIV, 13). Ii procul dubio erant domus illa, Ecclesia quidem, quæ variis fluctuationibus concussa supra petram tamen ædificata, non est repulsa, sed in fidei perdurat constantia. Hoc quoque ipsi sancti apostoli, cæterique sanctarum Ecclesiarum doctores, Dominicum intendentes præceptum, et se ad passionum tolerantiam præparabant, et alios constantissime invitabant. Ipsos etiam persecutores modeste arguebant, insipientes docebant, et duritiam cordis eorum vehementer exprobrabant ; unde ut quosdam ipsorum aliquando a perversitatibus mirabiliter corrigebant, quosdam vero adversum se potius irritabant. Quod et hodie agitur in sancta Ecclesia, ut dum malorum a rectoribus corripiuntur mores, ipsi quoque suos persequuntur doctores, et ut ecclesiasticam valeant effugere disciplinam [pastorum non metuunt infamare vitam. Sed hoc sancti Patres sagacissime] considerantes, ideo inviolabile pastorum sanxerunt privilegium [permanere, ne superbientes et vecordes] eos ullo modo auderent despicere, vel ipsorum præcepta contemnere. Quomodo enim præsules cæterorum possunt culpas arguere, si illi eos audent infestare ? Et ideo illos non leviter accusandos, vel calumniandos sanctorum statuta Patrum pleniter interdicunt ; nec aliquem ad eorum accusationem sancti canones admittunt, nisi qui vita et moribus fideli examinatione dignis sacerdotibus coæquandus inveniatur. Sed nec ideo ipsos impune transire sanxerunt, si crimina quæ Sacerdotibus objicere non metuunt, approbare non possunt : eamdem accusatoribus reprobatis imponentes jacturam, quam convicti pati debuerant accusati ; nullamque accusationem contra se prolatam suscipere vel defendere debere, nisi data ad invicem cautione ; neque judicari nisi scriptis, prudentissime statuerunt. Ipsamque cautionem, si vi, aut metu, vel dolo exorta fuerit, nullum dicunt robur habere.

Judicandi quoque pariter, et accusandi in uno eodemque negotio, cujuscunque auctoritatis persona sit, omnimodis excluserunt licentiam. Locum etiam et tempus in quo hæc debeant ventilari, insuper et personam ad cujus pertineant audientiam, sagassissime indixerunt. Nec judicum valere sententiam asserunt, nisi illorum qui ab ipsis electi fuerint accusatis. Induciam quoque suum pertractan-

di responsum propter innocentium simplicitatem, et improborum argumentosa machinamenta non modicam concesserunt, Damnari etiam eos absque sanctæ Romanæ Sedis auctoritate interdixerunt omnino; quamvis audire, vel discutere metropolitanis una cum consensu omnium comprovincialium episcoporum sit licentia attributa.

Sed ne aliquid enormiter loqui videamur, sanctorum Patrum institutionibus ea quæ jam diximus interim affirmemus. Sanctissimus quippe martyr Alexander ac Romanus papa ait (*epist.* 1) : « Si quis erga episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam justam, se habere crediderit, non prius primates aut alios judices quam ipsos a quibus se læsum existimat, conveniat familiariter ; et non tentum semel, sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam, aut justam accipiat excusationem. » Item Anacletus (*epist.* 2 : « Si enim sine crimine sacerdos eligi præcipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitis accusari aut caluminari permittitur, nec ab aliis quam ab his qui sine crimine sunt, et juxta electionem, si necessitas fuerit, aut ipsi volendo Domino servire elegerint, sacerdotesque sine crimine fieri, et ordinari possint, et tales per omnia fuerint, quales eligi sacerdotes jubentur. » Eutychianus (*epist.* 2) : « Quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium veniat nomen rei indicet, vinculum inscrpitionis arripiat, custodiæ similitudinem, habita tamen dignitatis existimatione, patiatur, ne forte noverit sibi attributam licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. » Rursus isdem Alexander (*epist.* 1) : « Similiter si hujusmodi personis quædam sbripturæ quomodo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possent, quocunque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus. » Fabianus (*epist.* 2) : « Nec ullus unquam præsumat accusator simul esse et judex et testis, quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse: id est, judices electos, et accusatoros, ac defensores, atque testes. » Felix quippe ait (*epist.* 2) : « Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, et eam corrigere noluerit ; non olim, sed tunc ad summos primates causa ejus canonice deferatur, qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore congruo, id est autumnali, vel æstivo, concilium regulariter convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ episcopis inibi audiatur. Quo ipse et regulariter convocatus, si eum infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit ; qui ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, quam audientia rogetur. » Item Gaius (*epist. unica*) : « Nemo unquam episcopum apud judices sæculares aut alios cluricos accusare præsumat. » Zephyrinus (*epist.* 1) : « Nullum eorum sententia non a suo judice dicta constringat. » Et idem : « Duodecim judices quilibet episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, a quibus ejus causa juste judicetur ; nec prius audiatur aut excommunicetur vel judicetur, quam ipsi per se eligant. » Et Felix : « De induciis vero episcoporum super quibus consuluistis, diversas a Patribus regulas invenimus institutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, et suas præparandas responsiones, et testes confirmandos, et consilia episcoporum, atque amicorum quærenda, annum et sex menses mandaverunt concedi ; quidam autem annum in quo plurimi concordant. Minus vero quam sex menses non reperi. » Rursus Zephyrinus (*ibid.*) : « Patriarchæ vero vel primates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quam apostolica fulti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes, qui minori non sint numero quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus adjumentum apostolorum eligere præcepit. » Id est, septuaginta duo.

Multos etiam et alios sanctæ Ecclesiæ doctores in his omnibus assentire, canonum edicta patenter ostendunt ; sed nunc quod absque injuria sanctæ Dei Ecclesiæ dicere non possumus, heu ! in tantum hoc aboletur, ut in ordinata etiam accusatione vix locus maneat legitimæ defensionis. Nec approbanda judicant quæ inique objiciunt, sed tantummodo vindicare quæquæ illata quærunt. Quod si de defensione apud eos quæritur, omni synodali censura postposita, suis adinventionibus talem fieri dijudicant, quam accusati implere minime valeant, vel quæ illos jure officii omnino impediant, ut in sacerdotes Dei liberius sæviant. Quippe, cum secundum beatum Paulum apostolum ipsi sibi sint lex (*Rom.* II, 14), accusatores, judices et testes, non ratione sed vi ipsi [simul] existunt. Satisfactionem igitur accusati sacerdotis [sub jurejurando minime dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes secum] compellat jurare, inique hoc assumentes in testimonium, quod factum se legisse jactant in actibus Romanorum pontificum. Nam quod de Damaso et Sixto, atque Symmacho venerabilibus pontificibus invenitur, eo quod dum a quibusdam perversis de criminibus accusarentur, collectis episcoporum conciliis synodice purgati sunt, hoc se his verbis penitus intelligere fatentur, quod omnes prædicti episcopi cum ipsis pontificibus, pro illatis jurassent criminibus, quasi non eos propria tantummodo absolveret satisfactio, nisi hoc etiam prædictorum confratrum firmaret juratio. Nobis tamen quod sic intelligendum sit, revera non patet. Plane enim a prædictis episcopis prædictos pontifices purgatos accipimus, si ipsorum suggestione, propria tantummodo satisfactione ipsis etiam faventibus, eos alienos a criminibus fuisse firmatum est. Sed si pro alicujus justi innocentia alicui placuit sacramentum præbere charitatis causa ut eum vel sic a persequentibus liberaret, omnimo-

dis [placet. Verumtamen licet perversorum infestatione in primitiva] Ecclesia hoc fieri potuisset; [nullum tamen exemplum] in posterum relinqui debuit. Quo etenim sancto concilio, vel cujus catholici et apostoli viri decreto sancitum sit, sacerdotes Dei a criminibus absolvi non posse, nisi confratrum satisfactione, penitus ignoramus. Cum enim sacramenta omnibus interdicta sint Christianis, valde perniciosum est sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, unde tam se custodire, quam et alios debuerant arguere. Ait Dominus in Evangelio : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* (*Matth.* v, 34). Et Jacobus apostolus sacramentum perhibens dicit : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare* (*Jac.* v, 12). Et Cornelius papa ait (*epist.* 2) : « Sacramentum hactenus a summis sacerdotibus exigi, nisi pro fide recta minime cognovimus, nec sponte eos jurasse reperimus. » Sed et quis adverso principe, judicibus quoque infestis, testes secum conducere valet ad causam ? Nunquid Joseph mentienti dominæ testes opponere potuit, ne carceris sentiret injuriam ? et tamen justus inventus est. Carceri quidem potuit mancipari, sed tamen crimini nullo modo subjugari. Valueruntne Nabuthæo testes succurrere, cum ei regali avaritia dolose abjectum sit, quod maledixisset Deo et regi ? An beatus papa Silverius testes conducere poterat, qui principum factione, eo quod nollet eorum pravis obedire mandatis, false de proditione suorum concivium, insuper et ipsorum principum accusatus infidelitate, mox exsilii pœna damnatus est, sed inique. Exsilii quidem pœnam ideo subiit, quia a justitiæ se linea non retorsit. Tamen si cui hoc ignotum fuerit, ipsius actus lectio plenitер indicare valebit.

Multi etiam alii sancti Patres tam Veteris quam Novi Testamenti falsitate damnati, ab infidelibus diversa pertulerunt tormenta, quibus nec testes, nec defensores adfuerant, qui illis aliquod defendendi præstare viderentur suffragium. Sed quid plura ? Ipsi namque sancti apostoli imminente præssura, relicto Domino fugerunt. Nunquid ideo excusandus est Pilatus, vel populus Judæorum, quia eo accusato testes a quibus absolveretur omnio defuerant, sed accusatus, sed judicatus, sed condemnatus, justus et sine dolo inventus est ? Plerumque enim secundum beatum Gregorium (lib. XXXI *Moral.*, cap. 23), quieti atque indiscussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Quod si illorum redarguere nequitiam cœperimus, illico ab ipsis persequimur, et etiam infamamur, ut vel sic vitam reprobando doctoris, valeant compescere sermonem correptionis.

Sed, ut ad incepta redeamus, nullum sanctorum Patrum [pro se ad sacramentum alios protraxisse vel invitasse aliquando legimus. Nam domnus] papa Pelagius quamvis non solum invide, verum et suspicione [quibusdam eminentibus causis in morte] prædecessoris sui se immiscuisse accusaretur, A propria solum manu præstito sacramento omnibus satisfecit. Similiter et venerabilis papa Leo, cum a quibusdam falsidicis de crimine etiam fatigaretur, suo tantum purgatus est sacramento. Beatus quoque Gregorius, universalis pastor Ecclesiæ et in discutiendis sacerdotum criminibus sagacissimus perscrutator, quibuscunque accusatos criminibus post actam satisfactionem omni honore habendos constantissime prædicabat. Quod etiam de Leone venerabili episcopo, et Menna necnon et Maximo Salonitano episcopo multis criminibus apud eum accusato, cæterisque compluribus sacerdotibus, in paginis sui registri lucidissime conspeximus. Verumtamen si sacerdotalis status juxta pravorum exquireretur (34) voluntatem, aut vix, aut nullus inveniretur sacerdos. B

Addunt insuper, quoniam si aliquis militum sacerdotes Dei in crimine pulsaverit, per pugnam hoc singulari certamine esse dicernendum (35), sed istud judicium quorumdam laicorum solummodo est, quod nec ipsis etiam omnino approbatur. Nam sæpe innocentes victi, nocentes vero victores in tali judicio esse videntur. Dicit enim beatus Gregorius : Quis intelligat quæ esse ratio secretorum potest, quod sæpe vir justus a judicio non solum vindicatus, sed etiam punitus redeat ; et iniquus ejus adversarius non solum non punitur, sed etiam victor abscedat. Et Dominus in Evangelio. Diabolo sibi suadenti, ut Dei Filium se esse de templi præcipitando pinna ostenderet, ait : *Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Matth.* IV, 6). In qua tam exemplo, quam verbis docuit, ne alicujus periculi discrimina nobis eligamus ; quamvis ab ejusdem Satanæ filiis multum etiam afflicti, hoc agere hodieque compellamur, eo quod ea quæ dicimus se minime credere aliter posse testentur. Simile vero ea in cruce posito Judæi dicebant : *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si vult* (*Matth.* XXVII, 41). Quod Dominus quamvis non impleverit, nunquam tamen Filius Dei esse desiit : non enim Dominus omnia suo præsenti judicio declarat, sed exspectat etiam plurima in futurum, ubi illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Occulto namque Dei judicio Jacobus ab Herode comprehensus, illico occiditur ; et Petrus post Pascha producendus, et in carcere servatus mirabiliter interea liberatur, cum unam uterque doctrinam eadem constantia, sub uno principe et tempore evangelizasse noscantur. Similiter et Urias Semei filius cadit ; simulque Jeremias in Jerusalem prophetans, post fugam ex Ægypto insuper retractus interficitur ; et Jeremias inibi etiam persistens conservatur. Beatus quoque Laurentius igne exustus, Christo reddidit spiritum ; cum noverimus etiam mulieres, et parvulos ipsius confessionis, et fidei multo majori igni immissos, non tantum ab incendio illæsos permansisse, sed etiam flammæ impetum penitus exstinxisse. Præcursor etenim Domini Jo-

(34) *Exquireretur*. Codex Resb. *exsequeretur*.

(35) *Discernendum*. Idem codex, *discutiendum*.

annes Baptista, misso spiculatore, illico decollatus est cum legerimus de aliquibus sanctos percuterevolentibus, quod eorum brachia adeo obriguerint, ut nisi ipsis sanctis intervenientibus, ea illi nullatenus movere ultra valuerint. Sicut et in Dialogorum libris (S. Greg. *Dial.* lib. III, c. 57) reperimus, de quodam sanctulo, qui cum a Longobardis occidendus teneretur, tandem ad decollandum ductus est. Et quia prius eum habebant notissimum, undique convenerant ad spectandum mortem ejus. Circumsteterunt itaque acies, vir autem Domini deductus in medio est, atque ex omnibus fortibus electus est unus, de quo dubium non esset, quod uno ictu caput ejus abscinderet. Venerandus igitur vir inter armatos ductus, ad sua arma statim concurrit. Nam petiit ut sibi daretur paululum orandi licentia. Cui dum concessum fuisset, in terra se stravit, et oravit. Qui dum diutius oraret, hunc interfector calce pulsavit, dicens: Surge et genu flexo tende cervicem. Surrexit autem vir Dei, et genu flexo cervicem tetendit; sed tenso collo eductam contra se spadam intuens, hoc unum fertur publice dixisse: Sancte Joannes Baptista, suscipe illam. Tunc electus carnifex evaginatum gladium tenens, adnisu forti, in altum brachium percussurus levavit, sed deponere nullo modo potuit: nam repente diriguit, et erecto in cœlum gladio brachium inflexibile remansit. Tunc omnis Longobardorum turba quæ ad illud mortis spectaculum aderat, in laudis pavorem conversa mirari cœpit, virumque Dei cum timore venerari, quia profecto claruerat cujus sanctitatis esset, qui carnificis sui brachium in aere ligasset. Itaque postulatus ut surgeret, surrexit: postulatus ergo ut brachium sui carnificis sanaret, negavit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, nisi antea mihi juramentum dederit, quia cum manu ista Christianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem qui, ut ita dicam, brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna sua exigente compulsus est jurare se Christianum hominem nunquam sua manu occidere. Nunc vir Dei dixit ei: Depone manum deorsum: qui statim deposuit; atque illico adjunxit: Remitte evaginatum gladium in vaginam, et statim remisit. Miroque modo sic actum est, ut et ipse beatus a percussore caput incunctanter amitteret, et iste ejus invocato nomine non tantum suum servaret, sed etiam ferire volentem adeo in membris debilitaret.

Ibi etiam (*Ibid.*, c. 18) et legitur de juvene Benedicto nomine, cujus cellulam cum Gothi nullo modo incendere potuissent, inde eum extrahentes, succenso in clibano clauserunt; die vero altera illæsum eum invenerunt, sed nec vestimenta ejus ullo modo sunt exusta. Unde ait beatus Gregorius in eodem Dialogorum libro: Petrus in mari pedibus ambulavit, Paulus naufragium pertulit, et in uno eodemque elemento ubi Paulus cum navi ire non potuit, ibi Petrus pedibus iter fecit. Cum Petrus adhuc dubitaret in fide, Paulus vero fide et opere jam perfectus, constantissime pro Christo ad martyrium eo tempore properaret. Quos enim vult Dominus, mirabiliter ab imminenti eripit periculo, quosdam vero hic etiam innocentes pati permittit, qui ab ipso quoque multo dignius in futuro coronantur. Unde nec illi sanctiores habendi, nec isti inferiores nullatenus a nobis sunt judicandi. Sed et hoc cavendum est, ut nec justi mala patientes se quasi victi desperent, nec inferentes supplicia, quasi de victoria sibi assumant fiduciam: ait enim Dominus ad Job, de iniqua Leviathan loquens potentia; *Dolus in manu ejus dirigetur* (*Job* VIII, 25). Quod exponens beatus Gregorius ait: Dolus quippe in manu est, fraus in virtute, quia omne quod nequiter volet, hoc ad tempus exsequi etiam fortiter potest. Dolus vero ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate præpeditur. Hoc enim Leviathan iste, vel vasa ejus habere crebro proprium solent, quod ad iniquitatis suæ cumulum, ea quæ nequiter appetunt, explere nequius possunt.

Ergo, fratres charissimi, nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate, considerantes quod perversis, imo et iniquissimis judicibus evangelica loquatur sententia, quæ ait: *Quare et vos transgredimini mondatum Dei propter traditionem vestram* (*Matt.* XV, 3)? Dominus enim dicit; *Si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe ei et alteram, et qui tecum voluerit judicio contendere et tunicam tuam tollere, remitte ei et pallium* (*Matth.* V 39); et: *Si patrem filias Beelzebub vocaverunt, quanto magis et domesticos ejus*? Et in passione: *Quod si in viridi ligno hæc fecerunt, in arido quid fiet*? et alibi: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Et illi dicunt: Si aliquid adversus sacerdotes Dei fuerit prolatum, pugna esse vincendum. Unde et prædictæ sententiæ mox subditur: *Hypocritæ, bene devobis prophetavit Isaias dicens: Populus hic tabiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* (*Matth.* XV, 7). Hinc Isaias: *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimodent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium* (*Isa.* X, 1). Et fortasse audierint Paulum apostolum dicentem: *Accipite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo* (*Ephes.* VI, 13). Quod si vel audierint, utinam intelligant, et quæ sequuntur: *Induite loricam justitiæ, sumentes scutum fidei, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 15). Quod et Salomon quoque de justis loquens, ait: *Induent pro thorace justitiam, et assument pro galea judicium certum, sument scutum inexpugnabile æquitatis* (*ap.* V, 19). Hujusmodi armis isti nostri antesignani nos instruunt dimicare. Nam sæcularibus armis pugnare, ipse Paulus nos prohibet dicens: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam ego retrivuam, dixit Dominus* (*Rom.* XII, 12). Et Petrus apostolus: *Estote non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes; quia in hoc*

vocati estis, ut benedictionem hæreditatis possideatis (*I Petr.* III, 9).

Hæc tamen omnia et alia sanctarum Scripturarum documenta maligni et improbi parvipendentes, ad pugnam sacerdotes impingere quærunt, nullam amplius reverentiam ipsis observantes, nisi quod non propriis manibus, sed per submissas illis in tali discrimine judicant (36) dimicare : et quibus prohibitum est armatorum cuneis, vel etiam publicis spectaculis interesse, ad pugnam producere, heu ! nostros compellimur vicarios, ut vel istorum cæde victi, vel illorum quasi absoluti esse videamur ; nec purgari a crimine, nisi perpetrato crimine valeamus. Cum enim præceptum sit David non ædificare visibile templum, quia sanguinum vir belli frequentia (37) esset ; quomodo poterint sacerdotes bellum, aut pugnam sua etiam pro justitia inire, qui templum debent ædificare, id est Ecclesiam Dei docere ? Ait beatus Paulus Apostolus : *Templum enim Dei est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Et alibi : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*II Cor.* VI, 16.) Quapropter ait beatus Ambrosius (lib. I *de Offic.*) : « Bellicarum rerum studium a nostro officio jam alienum videtur, quia animæ magis quam corporis officio intendimus ; nec ad arma jam noster spectat usus. Nam usus cito inflectit naturam. » Et paulo post : « Fortitudo enim sine justitia iniquitatis materia est. David quoque confirmatus in regno, nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est. » Et alibi : « Videtur mihi, quod vir Chistianus justus et sapiens, quærere sibi vitam aliena morte non debeat, utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. » De quo in Evangelierum libris aperta et evidens sententia est : *Reconde gladium tuum in locum suum : omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur* (*Matth.* XXIV, 52.) Quis latro detestabilior, quam persecutor qui venerat, ut Christum occideret ? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, nec suum usque ad homicidium quamvis religione pervenire taliter consensit apostolum; unde et quem ille percusserat, mox ipse sanare dignatus est. Nulla ergo pro innocentia sæcularibus armis pugnare, aut alios ad hoc pro nobis compellere convenit. Nam si facientes et consentientes pari pœna constringuntur, quanto magis ad pugnam persuadentes, vel etiam alios pro se opponentes, pugnæ implicantur periculo ? Insensati et perfidi, certe si nobis armis certare competeret, liberius pro fratribus bellare, quam pro nobis alios objicere crederemus ; nam, ait Dominus in Evangelio : *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis* (*Joan.* X, 11.) Non enim ait, bonus pastor oves sibi commissas pro anima sua ponit, sed animam suam ponit pro ovibus. Rursus : *Mercenarius cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit* (*Ibid.*, 12.) Si illi mercenarii dicuntur qui tantum relinquunt oves, et fugiunt, quali censentur vocabulo qui eas morti objiciunt? aut quomodo contra eos armis dimicare possumus, quos omnino diligere, et pro quibus etiam orare ab ipso Domino jubemur? Ait enim Dominus in Evangelio : *Diligite inimicos vestros* : *benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V, 44.) Et : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Luc.* XXIII, 34.) Quod etiam in cruce positus ipse edocuit, dicens : *Pater, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59.) Quo et exemplo beatum levitam, et protomartyrem suum Stephanum adeo informare dignatus est, ut ipse quoque noverit suis pro interfectoribus exorare. Et beatus Paulus apostolus ad Romanos : *Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere*. Et alibi : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi* (*Rom.* XII, 22). Item Ambrosius (lib. I *Offic.*, c. 48) : « Si perfectus sim, benedico maledicentem, sicut et benedicebat Paulus, qui ait : *Maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus* (*I Cor.* IV, 12). » Tamen et sanctum David in hoc quoque genere virtutis imparem Paulo non fuisse edocere possumus ; qui primo quidem, eum malediceret ei filius Semei, et crimina objiceret, tacebat, et humiliabat se, et silebat a bonis suis, hoc est bonum operum conscientia : deinde exspectabat maledici sibi, quia maledicto illo divinam acquirebat misericordiam. Qui etiam et in psalmis ait : *Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos* (*Psal.* LIII, 7.) Quid ergo præstat, si secundum quorumdam judicium corpus hoc moriturum male de infamia vel supplicio liberemus, animam autem in perpetuum damnemur ; dicente Domino : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* (*Matth.* XVI, 16.) Sed illa infelix anima hoc ad perficiendum (38) obediet, de qua scriptum est : *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam* (*Job.* XXXIX, 7.)

Nobis vero divinum jugiter convenit implorare auxilium, et omnimodis satagere, ut quia (38) absque peccato esse non possumus, vel a criminibus alieni existere valeamus, quia secundum beatum Paulum apostolum sine crimine sacerdotes esse debent. Et quamvis perversorum ora omnino obstruere nequeamus, de pura securi conscientia, interius fiducialiter gaudeamus. Nam quid mirum si homines perditi, et subversi bonorum vitam infamare non metuunt ? Ait enim beatus Gregorius : Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando, dilaceret. Sed illorum malitiosæ detractiones quamvis multum impedire videantur, non nobis

(36) *Judicant.* Sic restituimus e codice Resb. ; in editis, *indicant.*

(37) *Frequentia.* Ita laudatus codex Resb. editi, *frequentis.*

(38) *Perficiendum.* Codex Resb. *proficiendum.*

(39) *Ut quia.* Sic laudatus codex : editi, *ut qui jam.*

tamen aliter excusandas esse perpendimus, nisi quemadmodum sanctorum Patrum suluberrimis institutionibus admonemur, quia scriptum est : *Ne transgrediaris fines, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28.) Si quis tamen canonico in his contentus (40) esse noluerit judicio, sed sua adinventione sacerdotes Dei prægravare, vexare, vel exspoliare, insuper etiam et si occidere præsumpserit, oportet nos sanctorum censuram servando puniri, quam ejus pravæ satisfacere voluntati, quamvis et hoc agere perniciosum sit, et talis pœna, vel mors satis aspera videatur. Quæ enim mors in [hoc præsenti sæculo crudelior esse poterit, quam cum pastores Ecclesiæ ab ovibus separantur ; et, aut carceri] includuntur, vel exsilio pelluntur, [eorumque corpora penuriis atteruntur,mentes autem mœrore] afficiuntur ? De se suspirant, de sibi commissis ejulant, præsentia patiuntur supplicia, futuraque a carnificibus promittuntur, expavent majora,consolatores ab ipsis tolluntur, exprobrantes, vel terrentes jugiter assistunt ? Nonne levius præcisa cervice occumberent ? Aut fortasse hoc agentes ideo homicidæ non sunt, quia isti absque sanguine necantur. Certe Julianus ideo crudelior præ cæteris tyrannis dictus est, quia martyres Christi sanguinem fundere non sinebat, sed diversis suppliciis torquens, post longam macerationem vitam finire cogebat. Hinc Isaias ait : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (*Isai.* I, 3.)

Verumtamen licet hæc durissima esse videantur, divinam sed enim habeamus consolationem, quæ ait : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28.) Nam secundum beatum Ambrosium (l. III *Offic.*, c. 9) sanctus Nabuthæus in eo perfectus exstitit, quia sanguine proprio defenderat jura majorum, et honestatis contemplatione mortem incurrere non formidavit. Cum enim ab eo vineam rex posceret pecuniam se daturum pollicens, indecorum pretium pro paterna recusavit hæreditate, maluitque morte declinare hujusmodi turpitudinem : *Non mihi,* inquit, *fiat a Deo, ut dem tibi hæreditatem patrum meorum* (*III Reg.* XXI, 3) : hoc est tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non utique pro vitibus hoc dicit : neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spatio, sed de jure loquitur Patrum.Potuit utique et alteram vineam de vineis regis accipere, et amicus regis esse in quo non mediocris sæculi hujus utilitas æstimari solet : sed quod turpe erat judicavit non videri utile, maluitque periculum cum honestate subire,quam utilitatem cum opprobrio.Animadvertimus igitur quia id quod turpe est, non possit esse utile,neque rursus id quod honestum est, inutile, quia complexa honestati est semper utilitas, et utilitati honestas. Sed qui sanctorum Patrum parvipendunt edicta, magnum non est si nostra etiam redarguant et opera : nempe qui illorum non metuunt statuta temerare, nec nostræ metuunt vitæ detrahere, verum etiam et judicium prægravare.Quamvis igitur ab ecclesiastica recedamus censura, quibusdam ex ipsis [faventibus, illorum etiam judicio, satisfaciendi locum reperire apud sæculares in hujusmodi potuissemus, incommodum arbitramur, ne aliis hoc assequi volentibus, vel etiam] valentibus,in exemplum produceretur (41), et fratribus eveniret in scandalum, quod a nobis quoquomodo fuisset extortum. Non enim est sapiens qui nocet. Aliud est vero communiter sapere,aliud est sapere perfecte. Qui communiter sapit, pro temporalibus sapit, qui autem perfecte sapit, non quærit tantum quod sibi utile est, sed quod omnibus. Ait quidem beatus Gregorius : Sæpe ab hominibus timor debilis cauta dispensatio vocatur, et quasi prudenter impetum se declinasse asserunt,cum fugientes (42) turpiter in terga feriuntur. Congruentius ergo eligimus nostram portare injuriam, quam aliis inferre calumniam, et ab aliis injuste pati,quam a nobis injuste defendi: non enim in perpetuum damnamur, cum injuste judicamur, dicente Psalmista : *Nec damnabit eum cum judicabitur illi* (*Psal.* XXXV, 33.)

Multi denique sacerdotum culpam zelo Dei persequi se profitentur, sed dum indiscrete hoc agunt, sacrilegii facinus incurrunt,et dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque deterius multo magis cadunt : unde et in libro Regum de arca Domini legitur, quia *postquam venerunt ad arcam Nachor, extendit manum Oza ad arcam Domini, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverant eam ; et iratus indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritatem ; qui mortuus est ibi juxta arcam Domini* (*II Reg.* VI, 6.) Quid enim per arcam melius quam sancta Ecclesia designatur? Quid per boves, quam dissidentes sacerdotes ? Quid per Ozam,nisi aliquem temerarium intelligimus ? Saul etiam ab ipso Domino in regno electus, quia sacerdotis usurpare ausus est ministerium, merito a propheta audivit : *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quæ si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus* (*I Reg.* XIII, 13.) Ozias quoque rex, cum per aliquot annos Deos favente, cui devote famulari videbatur, feliciter regnasset in populo, ne-

(40) *Canonico . . . contentus.* Sic codex Resb. emendare : prior editio, *canonice . . , contemptus,* corrupte.

(41) *Produceretur.* Sic ex codex Resb. prior editio, *procuretur.* Statim ubi ex eodem codice edi curavimus *extortum,* Acherius ediderat, *exortum.*

(42) *Cum fugientes.* Ita legere placuit ; nam antea editum erat, *asserunt. Confugientes.*

tamen aliter excusandas esse perpendimus, nisi quemadmodum sanctorum Patrum salubertatis institutionibus admoneamur, quia scriptum est : *Ne transgrediaris fines, quos posuerunt patres tui* (Prov. XXII, 28.) Si quis latius canonica in his constitutis (40) esse voluerit judicio, sed sua adinventione sacerdotes Dei peregrinare, vexare, vel expellere, semper etiam et ut occidere presumpserit, oportet nos sanctorum censorum servando pariter, quam ejus pravo satisfacere voluntati, quamvis et hoc agere periculosum sit, et talia pacta, vel cum nulla urgere videatur. Quæ enim mens in Deum pravenit sancto crudelior esse poterit, quam cum pacem Ecclesiæ ab ordine separantur ; et, aut rapere[Ecclesiæ ab ordine separantur ; et, aut rapere] Ecclesiæ ab ordine separantur ; et, aut rapere] Ecclesiæ ab ordine separantur ; et, aut rapere]



facta tandem præsumptione sacerdotium insuper A monstretur, de qua scriptum est : *Ne desine rebui reclamchum, et dentibus ad iram : ira enim jocabitur Dei non operatur* (Jac. i, 18, 20). Hinc rursus scriptum est : *Quis potest habitare cum domino, vel quis habitabit in tabernaculo ejus nisi qui ingreditur sine macula et operatur justitiam?* (Prov. xxvii, 14.) Hinc iterum dicitur : *Noli esse cum homine iracundo : neque ambula cum homine furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ* (Prov. xxii, 24). Contra hanc in locis pulcrelle scriptum est : *Melior est vir qui vincit iram, quam qui capit civitates magnas* (Prov. xvi, 32). Hinc David persecutionis ac tribulationum assertores, ait : *Turbatus est præ ira oculus meus. Atqui ex ipsa turbatione quid acquirere adjecit : Derelinquet super omnia inimicos meos* (Psal. vi, 8). Ex ira quippe cum turbatione facta cordis cordia, inter inimicos contros ad volutabrum rochuntur, quia inter malignos spiritus ad vitanti hominis sinul fit dimen severantur. Cum igitur iram quæ nos persequi, nostra eloquia hoc testimonio detestentur, perpendamus qua intentione homicidium hoc ciliatis fugere, quod Deo judice in testimonio filius latice reprobatur. Nam ad Godescalcum decanum Campaganse [Idem II. Greg. I. vii, epist. 57]: « Ita præpositorum sollicitudo utilis, ita est mutatio laudabilis, in qua intima vitia agit, et favor sibi nihil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, et non quibuscunc agendi data, principum mentibus ad tranquillitatem ecclesiæ. Nam innocentiæ tempore Judæus putat ira omne quod fecerit, sed et si contra id in ira a Domino non corripiantur, repellit ab illorum ira non judicemus. Scriptum quippe est : *Misereatur cimerem Israël, et non cruciatis proximo* (Ezech. xxxiv, 6). » Et beatus Augustinus ait : Qui iracundia se terribilem catenis fecit, terrorem divino judicio sustinebit. Sed hoc non tantum a Christianis et catholicis, verum etiam a paganis observatum in multis invenimus, adhuc ut mali mentem dimittis, aut justos prosequeretur. Ait enim Terentianus philosophus ad villicum suum : D le indolescas, quam efficiamus, aut irata cuncta.

Præterea quod insorta judicare non debemus, plurimis sententiis edocemur. Unde beatissimus papa Julius ait [Inscript. contr. Orient. pro Athanas., c. 18]: « Inserta ungnam nullus præsumat judicare præsentes ; quia quamvis rara sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifesta inimicitia cum probantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicentur. »

Hæc quoque considerantes, si non a principatus sententiæ præsidente compescuit, vel omnia unde et aperta sunt cordis ejus, male tamen Sedemus notuit præcipitantur judicare. Qui ait : *Attendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere completivit an non est ita, et secus* (Gen. xviii, 21). Cum judicat Dominus omnia nostra, cur non pontificum quod dubitat . . . . . quem pudeat, Deo et beatæ Apostolo et Timotheum : *Adhuc*

linquentes autem coram omnibus argue ut cæteri metum habeant (*I Tim.* v, 19). Non enim facile credi debet de episcopo, vel presbytero, quorum ordo adhuc divisus non erat, quamvis eis crimen objiciatur, nisi probetur; quia sacerdotem nemini damnare licet, nisi aut sponte confessum, aut legitimis testibus canonice comprobatum. Tamen si legitime probatum vel manifestum fuerit quod objectum est, publice est arguendus, ut cæteri terreantur. Cum enim vident tantum virum erroris causa corripi, necesse est ut reliqui sibi caveant. Illud etiam plane attendendum est quod Dominus ait in Evangelio : *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV, 5). Non enim potest humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit judicio. Constantinus etiam sanctissimus imperator, cum in Nicæna synodo querelam quorumdam episcoporum coram se delatam conspiceret, ait : Vos a nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini. Dii enim vocati estis, idcirco non potestis ab hominibus judicari. Quod et Dominus in Exodo ostendens ait : *Diis ne detrahas, et principi populi tui ne maledicas* (*Exod.* XXII, 28). Et beatus Gregorius imperatorem Mauricium in hoc laudans ait (*lib* II, *epist.* 56) : « Quia serenissimi domini imperatoris animum non ignoramus, quod se in causis sacerdotum miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis gravetur. Item ad Joannem defensorem : De persona presbyteri hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed episcopum ipsius adiri debuit. » Beatissimus etiam Sylvester summus pontifex (*in Epilog.*, et cap. 3 *conc. Rom.*), et universalis apostolus collecta synodo in sancta et venerabili Romana Ecclesia per omnia interdixit, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut presbyter non adversus episcopum, nec diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem, det accusationem aliquam. Et non damnetur præsul, nisi in septuaginta duobus, neque præsul summus a quoquam judicetur : quoniam scriptum est : *Non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* x, 24). Beatus quoque Paulus apostolus ait ad Timotheum : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (*I Tim.* v, 1). Ergo non est mirum [quod de episcopis superius dictum est ad quorum cognitionem judicia omnium specialiter pertinent clericorum] ; cum etiam [cæteros Domini] sacerdotes, levitas et subdiacones, ac sequentis ordinis usque ad ultimi gradus clericos omnimodis exclusa sit laicis licentia accusandi vel judicandi, excepto si aliquis eorum, quod absit, tumore superbiæ elatus, ecclesiasticam deserens disciplinam, ad sæcularem se contulerit potestatem, ut adversus auctoritatem proprii episcopi contra jus (43) defendatur. Tunc episcopali suggestione, si necesse fuerit, principis vel judicis auxilio tandiu talis persequendus erit, donec ecclesiasticis vel invitus discat regulis obedire.

Accusationes autem eorum non aliter inquirere, vel judicare laicis præsumendum est, nisi ab episcopis invitentur, ad quorum hæc parochiam pertinere videntur. Ait enim beatus Paulus apostolus : *Et tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat aut cadit* (*Rom.* XIV, 4). Sæcularis tamen e contra potestas, quod lamentabile, multimodis ecclesiasticam interdum supprimit auctoritatem : et cujus subsidiis debuerat elevari, ejus solet adversitatibus affligi. Et sicut in electione præsulum sua potius vota, quam sanctorum Patrum instituta principes firmare contendunt, ita et in audiendo, vel judicando, seu etiam ejiciendo tam ipsos quam illis commissos, contra jus canonum suæ per omnia quærunt satisfacere voluntati. Et secundum perversorum judicum sententiam nec culpa retrahit aliquem a culmine regiminis, nec regimen ullum excusat ab accusatione alicujus criminis. Quod viriliter beatus Anacletus papa contradicens ait : Electionem summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset. Cui ergo similis esse videbitur, qui quod Deus sibi tantum modo reservavit, subripere præsumit. Restat utique ut illi, qui ait : *Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 24).

Explicit pars prima de judiciis episcoporum.

INCIPIT PARS SECUNDA.

De ordinationibus eorumdem.

Illud plane diligenti observatione cavendum est, ut quod Deus bonis sacerdotibus, et spiritualibus populis concessit, nullus ad proprium audeat privilegium retorquere. Cum enim episcopali electione generalis, et non specialis quærenda sit utilitas, et ecclesiasticæ aei inquirendus sit dispensator, non publice, vel private aliquis procurator : quis unquam aliquem ad id idoneum reperire poterit, nisi ipse qui occultorum est cognitor? . . . . . custodiam? Qui merito hoc etiam bonis sacerdotibus, et spiritualibus cognoscere sæpe concedit populis, quia ipse quoque alibi promiserat : *Ubi fuerint congregati in nomine meo duo vel tres, in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20). Et in psalmis : *Dominus stetit in synagoga deorum, in medio autem eos dijudicat* (*Psal.* LXXXI, 1). Plane ergo ipse facit quod ipsi faciunt, qui in nomine ejus congregantur, quia revera patet quod ipsi absque eo esse ibi non possint. Ipse quidem est qui, tam in Veteri quam in Novo Testamento, sacerdotes per semetipsum eligere dignatus est. Ait enim in Veteri Te-

(43) *Contra jus.* Optima lectio codicis Resb. at lectio prioris editionis, *contrarius*, pessima.

stamento de Levitis, Scilicet Levi filiis, de quorum tantummodo stirpe sacerdotes illi in Israel constituere tunc placuit : *Ecce eligo levitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito quod aperit vulvam a filiis Israel, redemptiones eorum erunt isti, et erunt mihi Levitæ ; mihi enim sanctificavi primogenitum in terra Ægypti* (*Num.* III, 21). Ubi ait sanctus Ambrosius : « Non mediocre officium est Levitarum. Cognovimus enim, quia inter cæteros Levitæ computantur, sed omnibus præferuntur,qui eliguntur ex hominibus, et sanctificantur,ut primogenita fructuum atque primitiæ,quæ Domino deputantur, in quibus est votorum solutio et redemptio peccatorum. » Unde et subditur : *Non accipies*, inquit, *eos inter filios Israel, et constitues Levitas super tabernaculum testimonii, et super omnia vasa ejus astare, et super quæcunque sunt in ipso. Ipsi tollant tabernaculum et omnia vasa ejus,et ipsi ministrent ex eo, et in circuitu tabernaculi castra ipsi constituant,et promovendo tabernaculum ipsi statuant : alienigena quicunque accesserit, morte morietur* (*Num.* I, 49). Similiter et ad apostolos,quos revera fundamentum Ecclesiæ, et primitias præsulum esse constat, in Evangelio ait : *Vos de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo* (*Joan.* XV, 19). Quod enim illis ait,et hoc successoribus eorum dixisse manifestum est.Et Paulus apostolus : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur* (*Hebr.* V. 1). Ex qua re apparet, quia episcopi digne eligi, et juste judicari, nisi a Deo nullatenus possunt. Hoc vero notandum est,quia cum ab ipsis quibus ab eo concessum est, legitime ordinantur, vel judicantur ab ipso procul dubio, sicut jam supra dictum est, hoc agitur.Expedit ergo ut tales de mundo ad hoc officium eligantur,qui,sicut ipse ait,jam de mundo non sint, et secundum carnem non ambulent. Qui etiam . . . . . fieri potest ; verum *princeps hujus mundi non inveniat quidquam* (*Joan.* VIII, 13 ; *Rom.* VIII. 1 ; *Joan.* XII, 31). Irreligiosi tamen principes hæc omnia parvipendentes, suum tantummodo in his parant prævalere edictum. Solent etiam admodum indignari, si vel ab aliis aliquis cujuscunque meriti sit, episcopus eligatur,vel si a se electus cujuscunque pravitatis sit,ab aliquo reprobetur. Illorum sane quos ipsi eligunt vitia, quamvis multa et magna sint, velut nulla tamen reputantur. Quorum quidem in examinatione non charitas et fides, vel spes inquiruntur, sed divitiæ, affinitas,et obsequium considerantur. Quæ tria,vel quod potius minus esse videatur,si duo ex his in unam eamdemque personam convertant (44), hac jam revera inter cælicolas computabitur ; et unum etiam ex his satis sufficere credunt,ad episcopalis scilicet cathedræ dignitatem. Sed quid talibus loquatur Dominus, sollicite perscrutemur. Videamus ergo, charissimi, quemadmodum amatoribus pecuniæ ipse minetur in Evangelio : *Non potestis servire Deo et mammonæ* (*Luc.* XVI, 23). Et iterum : *Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam divitem intrare in regnum Dei* (*Matth.* XIX, 24). Et rursus ad divitem : *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, et ea quæ parasti, cujus erunt ?* (*Luc.* XII. 20.) Et alibi : *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlis, ubi neque ærugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (*Matth.* VI, 19). Ait enim beatus Ambrosius : Nullum adminiculum præstant divitiæ ad vitam beatam. Quod evidenter Dominus monstrat in Evangelio dicens : *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuriunt et sitiunt, quia saturabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis* (*Luc.* VI, 20). Et ad divites : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis ; et illis qui rident, quia lugebunt* (*Ibid.*,24). Et Paulus apostolus : *Cupiditas radix est omnium malorum* (*I Tim.* VI. 10). Et Jacobus ait : *Exortus est sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus decidit ; et decor vultus ejus deperiit ita et dives in itineribus suis marcescit* (*Jac.* I, 11). Et iterum : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit diligentibus se ?* (*Jac.* II. 5.) Et paulo post : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos ? Idid.*, Item Ambrosius ait : Joachim qui aurum in obsidione servabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, et aurum vidit diripi, et se in captivitatem deduci. Et paulo post : Illud . . . . . quo utimur : quod autem . . . . . non habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum.Isaias quoque prævaricationem populi . . . . . ait : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones* (*Isa.* I, 23). Et rursus : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo* (*Isa* V, 23). Etenim si ii qui in stadio currunt, ita referuntur præceptis informari atque intrui, ut unusquisque celeritate non fraude contendat,cursuque quantum potest ad victoriam properet : supplantare autem alterum,aut manu dejicere non ausit : quanto magis in cursu vitæ istius sine fraude alterius,et circumspectione repetenda nobis victoria est.Jeremias namque ait : *Væ habitantibus terræ, quoniam a minore usque ad majorem student avaritiæ* (*Jer.*VI, 13).Et iterum : *Perdix fovet quæ non peperit insipiens* (*Jer.*XVII, 11). Et item : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usquv ad terminum loci. Nunquid vos soli habitabitis super terram ?* *Isa.* V, 8.) Salomon quippe ait : *Munera abcæcant corda potentum* (*Eccl.* XF, 31). Non enim divinum simul obsequium,et pecuniarum potest acquiri lucrum. Et Psalmista : *Melius modicum justo super*

(44) *Convertant*. Lego, *conveniant, hæc.*

divitas peccatorum multas (*Psal.* XXXIX, 16). Et alibi : *Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX, 15). Quæ enim negotiatio pejor esse poterit, quam sanctam Ecclesiam, immaculatam sponsam Christi, et omnium dominam quam Dominus pretioso suo redemit sanguine, indignis sacerdotibus pecuniam venundare. Unde et Dominus in Evangelio : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* (*Joan.* II, 16). Beatus quoque Petrus pastor Ecclesiæ ait ad Simonem Magum, cum ei pecuniam promitteret, ut donum Spiritus sancti acciperet : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Spiritus sancti pecuniis obtinere* (*Act.* VIII, 20). Unde et hæc hæresis simoniaca appellata est, quæ tam vendenti quam etiam ementi noxia esse conspicitur. Quam et beatus Gregorius constantissime redarguens, viriliter contra plurimos expugnavit. Unde ad Brunichildim reginam Francorum scribans, inter alia ait (S. Greg. lib. VII, *epist.* 113) : « Nec illud prætermimus, sed omnino exsecracile et gravissimum esse detestamur, eo quod sacri ordines per Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta, et districta maledictione damnata est, apud vos conferantur. Hinc ergo agitur ut sacerdotii dignitatis in despectu, et sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare, committit, et nefaria ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vile putet esse quod emitur ? Unde valde constristor et terræ illi condoleo, quia dum Spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere dici non arbitror. Ubi enim dona supernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. » Item ejusdem Theodorico et Tehodemperto regibus Francorum post aliqua (Idem in eod. lib., *epist.* 116 : « Fertur Simoniacam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, et in ipso ortu suo telo apostolicæ ultionis perculsa, atque damnata est, in regni vestri finibus dominari. Quæ enim esse opera valeant sacerdotis, qui honores tanti sacramenti convincitur habere per præmium ? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non res componere studeant, sed divitias, quibus sacer honor emitur, congregare. Hinc fit etiam, ut insontes et pauperes a sacris ordinibus prohibiti, despectique resiliant, et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quod præmium illic delicta commendet ; quia ibi aurum placet et vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infligitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copiæ suffragantur, restat ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum profanus auri amor obtineat. Qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est ? Major ergo metuenda locis in illis foret calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. »

Item Syagrio episcopo Augustudunensi (Idem in eodem lib., *epist.* 110) : « Nuntio apud nos olim discurrente vulgatum est, quod in Galliarum partibus sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, et fit sæculare quod sacrum est. Quicunque ergo hoc pretii studeat datione percipere, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet ? quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio : sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur ? Ex qua re si recti libraminis examen pensetur, dum improbe quis ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, quod honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus : sic qui ultro ambit vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius ad profunda descendat. Itaque, fratres charissimi, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, ut ad summa sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quia omnino grave facinus sit Dei donum pretio comparare, vel vendere, evangelica testis est auctoritas. Templum enim Dominus et Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, et Spiritum sanctum, quem omnipotens Deus hominibus tribui misericorditer voluit, venundare ? quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerita dhucne quitiæ pravitas vires suas ; nam cogit vendere, quos decepit ut emerent : et dum non attenditur quod divina voce præcipitur, *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8) : agitur ut crescat, et geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, mentis scilicet et vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse destatione damnatam, cur non cavetur ? Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur ?

« Plerumque igitur adversarius animarum, dum

non potest in his quæ ad faciem sunt prava subripere, callide specie quasi pietatis injecta nititur supptantare, suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, ut si quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvetur. Quoniam liquet ea esse perpetua ac solida, quæ vera sunt, et quæ sincere potius quam dolo congregantur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis et iniquitate congeritur. Unde etiam illud certum est, quia et si monasteria, aut xenodochia, vel quid aliud construatur, mercedi non proficit : quoniam dum perversus emptor honoris in locum transmittitur, et alios ad sui similitudinem sub commodi dilatione constituit, plura male ordinando destruit, quam ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam pro ordinatione accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet, dicens : *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXI, 27). Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est : *Honora Dominum de tuis justis laboribus* (*Prov.* III, 9). Qui ergo male tollit, ut quasi bene præbeat, constat procul dubio quod Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur : *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filium in conspectu patris* (*Eccli.* XXXIV, 24). Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur. Et hinc facile cognoscimus, quanto Deus omnipotens dolore exasperatur, quando ei sacrificium de rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissimi fratres, sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud peccata propter eleemosynas committere. »

Hæ sunt Gregorii sanctissimi et doctissimi papæ pro simoniacis et illicitis ordinationibus saluberrimæ admonitiones; nec acquievit omnino donec collecta generali synodo hæc sub anathemate damnata penitus impetraret; sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens se commodis licet turpissimis, imo periculosissimis, angustari, commentum satis artificiosum reperit, quo scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tanto subjectiores esse debuissent, quanto non divino, quin potius humano judicio se fuisse promotos, ipsi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in Evangeliorum tractatibus (*hom.* 4. *in Evang.*), ut scilicet frequentius legi vel audiri potuisset, disputat inquiens : « Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines per humanam gloriam largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt, ii nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cum justum virum describeret propheta ait : *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isai.* XXXIII, 15). Neque enim dixit, qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit *ab omni*, quia aliud munus ab obsequio, alius munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia; munus a lingua, favor. Qui ergo sacros honores tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. » Unde et Joanni episcopo Corinthiorum idem Gregorius post multa scribens ait (*lib.* IV, *epist.* 55) : « Oportet ut nec per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Nam et peccatum, sicut diximus, grave est, et sine correptione hoc non patimur remanere. » Quare nullatenus voluit Gregorius. . . . . *Propterea vos non auditis; quia ex Deo non estis* (*Joan.* III, 47); et alibi : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV, 23). Et Psalmista de viro injusto ait : *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4). Quamvis igitur ab avaritia pecuniæ in ordinandis episcopis aliquantulum ii tales videantur quoquomodo manum retrahere, non ideo ad legitimam liberalitatem ecclesiastica electio pertinebit; sed aut consanguinitatis affectio, vel amicorum dilectio, seu etiam familiarium obsequia prævalebunt. Et quid prodest declinare a laqueo, si in foveam incidamus? Ait enim beatus Hieronymus : Electio sacerdotum non jam juxta sanguinem, sed juxta merita et virtutes deferenda est. Cum enim aliquis dignissimus sacerdos diu in Ecclesia militans, ab episcopali electione ipsius cui servierat Ecclesiæ, a principibus reprobatur, nunquid non Dei filius despicitur, ut illud : *Ego dixi : dii estis, et filii excelsi omnes?* (*Psal.* LXXXI, 6.) Cum vero alicujus potentis filius impar meritis, et injuste præponitur, quid aliud quam Barabbas eligitur, qui filius patris interpretatur, ut merito eveniat quod scriptum est : *Ego sum Deus omnipotens, reddens iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus* (*Exod.* XXXIV, 7). Quidam autem adeo mente et corpore obcæcantur, ut ipsos etiam parvulos ad pastoralem promovere curam non dubitent, quos nec mente nec corpore idoneos esse constet. Et qui adhuc nec ipsa rudimenta humanæ naturæ sufficerint discere, hos ad magisteriam elevare non formidant, judicesque constituunt animarum, qui adhuc quid anima sit intelligere penitus nequeunt. Et qui docere populum instanter debuerant de divinis, doceri de sæcularibus et etiam vilibus, præceptorum verberibus incipiunt. Et qui vereri ab omnibus debuerant, ipsos etiam scholasticos timent. Nam quemadmodum olim sancti præsules a paganorum ritibus recedentes, injurias et verbera ab infidelibus

illata sustinuerunt, sic et isti rursus eadem patiuntur, ut paganorum regulis possint erudiri. Et nec indoctos elevare metuunt ad cathedram, et rursus elevatos disciplinæ philsophorum submittere non formidant.

Beatus quippe Gregorius omnes pontifices a lectione librorum gentilium inhibebat : quapropter Desiderio Galliarum episcopo scribens ait (*lib.* IX, *epist.* 48) : « Pervenit ad nos quod sine verecundia memorare non possumus fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere : quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius de te nobis bona dicta fuerant, in gemitum et tristitiam verteremus : quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt : et quam grave nefandumque sit Episcopis canere, quod nec laico religioso conveniat ipse considera. » [Legimus quoque de beato Hieronymo, quoniam cum librum legeret Ciceronis, ab Angelo correptus sit, quod vir Christianus] paganorum intenderet [figmentis.] Rudes adhuc scholastici operam dant studiis, quibus cum nulla suffragantur merita, a sola tantummodo castitate laudantur : et quomodo dici castus poterit, qui adhuc incentiva (45) sentire non valeat? statuitur puerulus in medium, interrogatur populus qualis sit, qui ordinandus sit; cui tamen perhibet testimonium non volens, sed invitus. Quid supervacue quæritur ut laudetur, cum ab omnibus inutilis videatur? Vota omnium inquiruntur, quæ etiam ostendere publice metuunt, ea tamen quæ proferunt metu extorta, et ipsi inquirentes non amhiunt. Rident plurimi, alii quasi de infantis honore gaudentes, alii tamen clarum et manifestum præstigium deridentes. Ipse quoque parvulus de aliquibus interrogatus capitulis, quæ si præparare poterit memoriter reddet, vel in aliquo tremens leget pittacio, non episcopalem timens perdere gratiam, sed magistri incurrere virgam. Non enim quæ recitat intelligit, cujus nec id corculum discere sufficit, sed verba tantum percurrere quærit. Interrogatur, sed unde eum nescire qui interrogant non dubitant, respondere tamen exinde quoquomodo didicisse confidunt. Nec quæritur ut sensum exponat, sed ut verba tantum aliquo modo promat; non enim inquiritur ut examinetur, sed quasi ut canonicus ordo servetur, et ut mendacium et fraus validior sit, si veritate obumbretur, et a compluribus firmetur : sed quis firmare poterit quod Deus infirmat? Quid enim dicere possumus cum talis in Ecclesia præponitur, nisi quod idolum statuatur? Oculos enim habet, et non videt, sicut Dominus ait in Evangelio : *Simile illos : cæci sunt et duces cæcorum* (*Matth.* XV,14). Aures habet et non audit, ut alibi : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI. 15). Et, ut ad discipulos : *Vestri autem beati oculi, quia viderunt; et aures vestræ, quia audiunt* (*Matth.* XIII, 16). Ubi valde timendum est quod Psalmista de simulacris ait : *Similes illis fiant qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Ait quippe beatus Hieronymus (l. VI *in Jerem.*, c. 12) : « Idolum hodieque ponitur, quando novum dogma in Ecclesia constituitur. » Sane hic etiam inserendum duximus, quod in Ezechiele propheta legisse meminimus : *Et factum est in anno trigesimo Ezechielis prophetæ : Cæli aperti sunt et vidit visiones Domini; et facta est super eum ibi manus Domini* (*Ezech.* I, 1). Quod beatus Gregorius prudentissimus in divinis dogmatibus disputator ita disseruit, dicens (lib. I, *super Ezech.*, homil. 2) : « Hoc autem quod dicitur, quia trigesimo anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat nobis aliquid considerandum, videlicet quia juxta rationis usum doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Unde et ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio doctorum in templo sedens, non docens sed interrogans (*Luc.* II, 46) voluit inveniri. Ut enim non auderent homines in infirmitate prædicare, ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper angelos docet in cœlo. Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso angeli videndo vivunt, hoc quod beatitudo æterna, satiantur. Quod Moyses quoque per allegoriæ mysterium admonet, dicens : *Non arabis in primogenito bovis* (*Deut.* XXII, 10). Primogenitum autem bovis accipimus, in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est, quia cum prima sint adolescentiæ, juventutis nostræ tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus : quia et arbusta plantata, si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt; at si semel radicem fixerint, manus tangit et nihil officit, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes si impellantur, eruuntur, nisi prius fuerint ab humore suo siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suæ perfecte non fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plus quam tolerare valet, concutitur, flatibus arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam et si Timotheo dicitur : *Præcipe hæc, et doce; nemo adolescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* IV, 11) : sciendum est quod in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur; unde scriptum est : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Eccli.* XI, 9). Profecto igitur, ut ostendatur cujus auctori-

(45) *Incentiva.* Sic edere libuit, at Acherius ediderat, *incentina.*

tatis sit in prædicatione ætatis solidæ esse, describitur quatenus ei cum vita et spiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt,concordare videantur.Nec contra hæc movere quempiam debet quod Jeremias atque Daniel prophetiæ spiritum pueri perceperint, quia miracula in exempla operationis non sunt trahenda.Omnipotens enim Dominus et linguas infantium fecit disertas, et ex ore infantium perfecit laudem : sed aliud est quod nos de doctrinæ usu atque disciplinæ dicimus, aliud quod de miraculo scimus. Jam vero si quæritur ut in ipsa quoque ætatis illius expressione mysticum aliquid designetur, absurdum non est quod propheta Dominum quem verbis denuntiat, ipso quoque ætatis suæ tempore ostendat, cum dicitur : *Anno trigesimo Ezechielis prophetæ cæli aperti sunt, et vidit visiones Domini et facta est ibi super eum manus Domini* (*Ezech.* I, 1). » Jesus Christus ante trigesimum ætatis suæ annum nunquam legitur populum prædicasse . . . . . .

Et omnes sancti Patres assequentes exemplum, nulli unquam pastore ministerium ante triginta annos concedere voluerunt. Qua etenim temeritate in membris illius ullo modo fieri posse credimus, quod in ipso summo capite non præsumptum ostendimus. Unde valde timendum, ne dum gratiam sancti spiritus aliis inepte tribuere præsumimus, ipsam a nobis expellamus, et nudi efficiamur,dum incommode alios vestire conamur ; nostramque salutem indignum est negligere,cum aliis non possimus proficere. At enim beatus Petrus apostolus Ananiæ et Saphiræ : *Quare convenit vobis mentiri Spiritui sancto ? non estis hominibus mentiti, sed Deo* (*Act.* V, 9). Si enim illi morte puniti sunt,qui tantummodo de pretio proprii agri mentiti sunt,quid illis restat qui falsis assertionibus ficte sibi in tali negotio ad invicem respondent,ut hæreditatem Christi sanctam Dei Ecclesiam, insuper et donum Spiritus sancti cuidam stulto quasi legitime concedere videantur? quod aliquibus ridiculum,nobis vero luctuosum esse videtur. *Insipientes,qui plantavit aurem,non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ? Psal.* XCIII, 9.) Salomon quippe ait : *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet dolum, et recedet a cogitationibus stultis* (*Sap.* I, 5).

Ait vere beatus Ambrosius : « Liquet igitur ea esse perpetua, atque solida quæ vera sunt, et quæ sincere potius quam dolo congregantur. Ea vero quæ simulatione atque assentatione parata sunt, non possunt diu perseverare. Quis igitur fideles putet quos vel pecunia,vel adulatione sibi obligandos crediderit ?» Et paulo post : « Ergo bonis artibus, et sincero proposito mittendum ad honorem arbitror, et maxime ecclesiasticum. Denique si sacramento se pro eo fraudulenter constrinxerint,vel conscriptionis vinculo per aliquam vim, aut metum, vel dolum obligaverint, nullum debet obtinere vigorem. » Unde et idem beatus Ambrosius ait : « Est etiam contra officium nonnunquam promissum solvere, sacramentum custodire, quia ea quæ simulatione, atque assentatione parata sunt,manifestum est non posse diu perseverare. » Et paulo post : « Regula autem justitiæ manifesta est, quia a vero declinare virum non decet bonum,nec damno justum afficere quemquam, nec doli aliquid ad . . . . . » . . . . . promissum non facere quam facere quod . . . . . et cum ipsi cugnoverint promittendum non fuisse, sacramenta tamen contemplatione . . . . . penderint, sicut de Herode legimus qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur ; crudele,quod morte prophetæ pro jurisjurandi religione donatur.Quanto tolerabilius fuisset tale perjurium, si tamen perjurium posset dici, quod ebrius inter vina juraverit,quod ejuratus inter saltantium choros promiserit,inferretur disco prophetæ caput ; et hoc æstimatum est fidei esse,quod amentiæ fuit.Neque unquam adducar,ut credam non incaute promisisse principem Jephte, ut immolaret Deo quidquid sibi revertenti intra limen domus suæ occurreret,cum et ipsum voti pœnituerit sui,postquam filia occurrerit sibi. Denique scidit vestimenta sua, et dixit : *Heu me, filia ! impedis me ; in stimulum doloris facta es mihi* (*Judic.* XI, 35). Melius enim fuerat nihil tale promittere, quam promissum solvere parricidæ. Quid etiam de fraude Gabaonitarum dicendum est, qui metuentes venerunt cum versutia, simulantes se de terra longinqua esse, diuque peregrinatos,et cœperunt ab Jesu Nave poscere, ut secum firmaret societatem ; et quia erat adhuc ignarus locorum,atque incolarum inscius,non cognovit fraudes eorum, neque Dominum interrogavit, sed cito credidit,testamentum disposuit,pacem dedit,confirmavit societatem : sed ubi in terras eorum ventum est, deprehensa fraude,quod cum essent finitimi, advenas se esse simulaverant,circumscriptum se populus patrum indignari cœpit. Jesus tamen pacem, quam dederat,revocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, [ne] dum alienam perfidiam argueret, suam fidem solveret, sed tanta usus est prudentia, ut nec ipse sacramentum solveret, nec illi libertate dolo acquisita omnino gauderent.Multavit eos propterea vilioris obsequio ministerii ; clementior sententia, sed diuturnior, et manet pœna veteris astutiæ in hunc diem hæreditario ministerio deputata. Qui enim sic potest promissum solvere, ut justitiam valeat custodire, expedit ut quod pollicitum fuerit,omnimodis impleatur : alioquin melius est promissum quoquomodo violare, quam ad graviores culpas promissionis intuitu declinare.Nam de illo quid loquar, qui de eo . . . . falso utitur tanquam reum facinoris . . . . . quapropter est, quam terribile de ipsis restet judicium, qui sacerdotium mendacio, vel fraude contrectant, quando, ut dictum est, in singularibus adeo falsitas persequitur. Et quis ergo dolus po-

di responsum propter innocentium simplicitatem, et improborum argumentosa machinamenta non modicam concesserunt, Damnari etiam eos absque sanctæ Romanæ Sedis auctoritate interdixerunt omnino; quamvis audire, vel discutere metropolitanis una cum consensu omnium comprovincialium episcoporum sit licentia attributa.

Sed ne aliquid enormiter loqui videamur, sanctorum Patrum institutionibus ea quæ jam diximus interim affirmemus. Sanctissimus quippe martyr Alexander ac Romanus papa ait (*epist.* 1) : « Si quis erga episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam justam, se habere crediderit, non prius primates aut alios judices quam ipsos a quibus se læsum existimat, conveniat familiariter ; et non tentum semel, sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam, aut justam accipiat excusationem. » Item Anacletus (*epist.* 2 : « Si enim sine crimine sacerdos eligi præcipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitis accusari aut caluminari permittitur, nec ab aliis quam ab his qui sine crimine sunt, et juxta electionem, si necessitas fuerit, aut ipsi volendo Domino servire elegerint, sacerdotesque sine crimine fieri, et ordinari possint, et tales per omnia fuerint, quales eligi sacerdotes jubentur. » Eutychianus (*epist.* 2) : « Quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium veniat nomen rei indicet, vinculum inscrpitionis arripiat, custodiæ similitudinem, habita tamen dignitatis existimatione, patiatur, ne forte noverit sibi attributam licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. » Rursus isdem Alexander (*epist.* 1) : « Similiter si hujusmodi personis quædam sbripturæ quomodo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possent, quocunque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus. » Fabianus (*epist.* 2) : « Nec ullus unquam præsumat accusator simul esse et judex et testis, quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse: id est, judices electos, et accusatoros, ac defensores, atque testes. » Felix quippe ait (*epist.* 2) : « Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, et eam corrigere noluerit ; non olim, sed tunc ad summos primates causa ejus canonice deferatur, qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore congruo, id est autumnali, vel æstivo, concilium regulariter convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ episcopis inibi audiatur. Quo ipse et regulariter convocatus, si eum infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit ; qui ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, quam audientia rogetur. » Item Gaius (*epist. unica*) : « Nemo unquam episcopum apud judices sæculares aut alios cluricos accusare præsumat. » Zephyrinus (*epist.* 1) : « Nullum eorum sententia non a suo judice dicta constringat. » Et idem : « Duodecim judices quilibet episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, a quibus ejus causa juste judicetur ; nec prius audiatur aut excommunicetur vel judicetur, quam ipsi per se eligant. » Et Felix : « De induciis vero episcoporum super quibus consuluistis, diversas a Patribus regulas invenimus institutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, et suas præparandas responsiones, et testes confirmandos, et consilia episcoporum, atque amicorum quærenda, annum et sex menses mandaverunt concedi ; quidam autem annum in quo plurimi concordant. Minus vero quam sex menses non reperi. » Rursus Zephyrinus (*ibid.*) : « Patriarchæ vero vel primates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quam apostolica fulti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes, qui minori non sint numero quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus adjumentum apostolorum eligere præcepit. » Id est, septuaginta duo.

Multos etiam et alios sanctæ Ecclesiæ doctores in his omnibus assentire, canonum edicta patenter ostendunt ; sed nunc quod absque injuria sanctæ Dei Ecclesiæ dicere non possumus, heu ! in tantum hoc aboletur, ut in ordinata etiam accusatione vix locus maneat legitimæ defensionis. Nec approbanda judicant quæ inique objiciunt, sed tantummodo vindicare quæquæ illata quærunt. Quod si de defensione apud eos quæritur, omni synodali censura postposita, suis adinventionibus talem fieri dijudicant, quam accusati implere minime valeant, vel quæ illos jure officii omnino impediant, ut in sacerdotes Dei liberius sæviant. Quippe, cum secundum beatum Paulum apostolum ipsi sibi sint lex (*Rom.* II, 14), accusatores, judices et testes, non ratione sed vi ipsi [simul] existunt. Satisfactionem igitur accusati sacerdotis [sub jurejurando minime dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes secum] compellat jurare, inique hoc assumentes in testimonium, quod factum se legisse jactant in actibus Romanorum pontificum. Nam quod de Damaso et Sixto, atque Symmacho venerabilibus pontificibus invenitur, eo quod dum a quibusdam perversis de criminibus accusarentur, collectis episcoporum conciliis synodice purgati sunt, hoc se his verbis penitus intelligere fatentur, quod omnes prædicti episcopi cum ipsis pontificibus, pro illatis jurassent criminibus, quasi non eos propria tantummodo absolveret satisfactio, nisi hoc etiam prædictorum confratrum firmaret juratio. Nobis tamen quod sic intelligendum sit, revera non patet. Plane enim a prædictis episcopis prædictos pontifices purgatos accipimus, si ipsorum suggestione, propria tantummodo satisfactione ipsis etiam faventibus, eos alienos a criminibus fuisse firmatum est. Sed si pro alicujus justi innocentia alicui placuit sacramentum præbere charitatis causa ut eum vel sic a persequentibus liberaret, omnimo-

dis [placet. Verumtamen licet perversorum infestatione in primitiva] Ecclesia hoc fieri potuisset; [nullum tamen exemplum] in posterum relinqui debuit. Quo etenim sancto concilio, vel cujus catholici et apostoli viri decreto sancitum sit, sacerdotes Dei a criminibus absolvi non posse, nisi confratrum satisfactione, penitus ignoramus. Cum enim sacramenta omnibus interdicta sint Christianis, valde perniciosum est sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, unde tam se custodire, quam et alios debuerant arguere. Ait Dominus in Evangelio : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* (*Matth.* v, 34). Et Jacobus apostolus sacramentum perhibens dicit : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare* (*Jac.* v, 12). Et Cornelius papa ait (*epist.* 2) : « Sacramentum hactenus a summis sacerdotibus exigi, nisi pro fide recta minime cognovimus, nec sponte eos jurasse reperimus. » Sed et quis adverso principe, judicibus quoque infestis, testes secum conducere valet ad causam ? Nunquid Joseph mentienti dominæ testes opponere potuit, ne carceris sentiret injuriam ? et tamen justus inventus est. Carceri quidem potuit mancipari, sed tamen crimini nullo modo subjugari. Valueruntne Nabuthæo testes succurrere, cum ei regali avaritia dolose abjectum sit, quod maledixisset Deo et regi ? An beatus papa Silverius testes conducere poterat, qui principum factione, eo quod nollet eorum pravis obedire mandatis, false de proditione suorum concivium, insuper et ipsorum principum accusatus infidelitate, mox exsilii pœna damnatus est, sed inique. Exsilii quidem pœnam ideo subiit, quia a justitiæ se linea non retorsit. Tamen si cui hoc ignotum fuerit, ipsius actus lectio pleniter indicare valebit.

Multi etiam alii sancti Patres tam Veteris quam Novi Testamenti falsitate damnati, ab infidelibus diversa pertulerunt tormenta, quibus nec testes, nec defensores adfuerant, qui illis aliquod defendendi præstare viderentur suffragium. Sed quid plura ? Ipsi namque sancti apostoli imminente pressura, relicto Domino fugerunt. Nunquid ideo excusandus est Pilatus, vel populus Judæorum, quia eo accusato testes a quibus absolveretur omnio defuerant, sed accusatus, sed judicatus, sed condemnatus, justus et sine dolo inventus est ? Plerumque enim secundum beatum Gregorium (lib. XXXI *Moral.*, cap. 23), quieti atque indiscussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Quod si illorum redarguere nequitiam cœperimus, illico ab ipsis persequimur, et etiam infamamur, ut vel sic vitam reprobando doctoris, valeant compescere sermonem correptionis.

Sed, ut ad incepta redeamus, nullum sanctorum Patrum [pro se ad sacramentum alios protraxisse vel invitasse aliquando legimus. Nam domnus] papa Pelagius quamvis non solum invide, verum et suspiciose [quibusdam eminentibus causis in morte] prædecessoris sui se immiscuisse accusaretur, propria solum manu præstito sacramento omnibus satisfecit. Similiter et venerabilis papa Leo, cum a quibusdam falsidicis de crimine etiam fatigaretur, suo tantum purgatus est sacramento. Beatus quoque Gregorius, universalis pastor Ecclesiæ et in discutiendis sacerdotum criminibus sagacissimus perscrutator, quibuscunque accusatos criminibus post actam satisfactionem omni honore habendos constantissime prædicabat. Quod etiam de Leone venerabili episcopo, et Menna necnon et Maximo Salonitano episcopo multis criminibus apud eum accusato, cæterisque compluribus sacerdotibus, in paginis sui registri lucidissime conspeximus. Verumtamen si sacerdotalis status juxta pravorum exquireretur (34) voluntatem, aut vix, aut nullus inveniretur sacerdos.

Addunt insuper, quoniam si aliquis militum sacerdotes Dei in crimine pulsaverit, per pugnam hoc singulari certamine esse dicernendum (35), sed istud judicium quorumdam laicorum solummodo est, quod nec ipsis etiam omnino approbatur. Nam sæpe innocentes victi, nocentes vero victores in tali judicio esse videntur. Dicit enim beatus Gregorius : Quis intelligat quæ esse ratio secretorum potest, quod sæpe vir justus a judicio non solum vindicatus, sed etiam punitus redeat ; et iniquus ejus adversarius non solum non punitur, sed etiam victor abscedat. Et Dominus in Evangelio. Diabolo sibi suadenti, ut Dei Filium se esse de templi præcipitando pinna ostenderet, ait : *Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tnum* (*Matth.* IV, 6). In qua tam exemplo, quam verbis docuit, ne alicujus periculi discrimina nobis eligamus ; quamvis ab ejusdem Satanæ filiis multum etiam afflicti, hoc agere hodieque compellamur, eo quod ea quæ dicimus se minime credere aliter posse testentur. Simile vero ea in cruce posito Judæi dicebant : *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si vult* (*Matth.* XXVII, 41). Quod Dominus quamvis non impleverit, nunquam tamen Filius Dei esse desiit : non enim Dominus omnia suo præsenti judicio declarat, sed expectat etiam plurima in futurum, ubi illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Occulto namque Dei judicio Jacobus ab Herode comprehensus, illico occiditur ; et Petrus post Pascha producendus, et in carcere servatus mirabiliter interea liberatur, cum unam uterque doctrinam eadem constantia, sub uno principe et tempore evangelizasse noscantur. Similiter et Urias Semei filius cadit ; simulque Jeremias in Jerusalem prophetans, post fugam ex Ægypto insuper retractus interficitur ; et Jeremias inibi etiam persistens conservatur. Beatus quoque Laurentius igne exustus, Christo reddidit spiritum ; cum noverimus etiam mulieres, et parvulos ipsius confessionis, et fidei multo majori igni immissos, non tantum ab incendio illæsos permansisse, sed etiam flammæ impetum penitus exstinxisse. Præcursor etenim Domini Jo-

(34) *Exquireretur*. Codex Resb. *exsequeretur*.

(35) *Discernendum*. Idem codex, *discutiendum*.

annes Baptista, misso spiculatore, illico decollatus est cum legerimus de aliquibus sanctos percuterevolentibus, quod eorum brachia adeo obriguerint, ut nisi ipsis sanctis intervenientibus, ea illi nullatenus movere ultra valuerint. Sicut et in Dialogorum libris (S. Greg. *Dial.* lib. III, c. 57) reperimus, de quodam sanctulo, qui cum a Longobardis occidendus teneretur, tandem ad decollandum ductus est. Et quia prius eum habebant notissimum, undique convenerant ad spectandum mortem ejus. Circumsteterunt itaque acies, vir autem Domini deductus in medio est, atque ex omnibus fortibus electus est unus, de quo dubium non esset, quod uno ictu caput ejus abscinderet. Venerandus igitur vir inter armatos ductus, ad sua arma statim concurrit. Nam petiit ut sibi daretur paululum orandi licentia. Cui dum concessum fuisset, in terra se stravit, et oravit. Qui dum diutius oraret, hunc interfector calce pulsavit, dicens: Surge et genu flexo tende cervicem. Surrexit autem vir Dei, et genu flexo cervicem tetendit; sed tenso collo eductam contra se spadam intuens, hoc unum fertur publice dixisse: Sancte Joannes Baptista, suscipe illam. Tunc electus carnifex evaginatum gladium tenens, adnisu forti, in altum brachium percussurus levavit, sed deponere nullo modo potuit: nam repente diriguit, et erecto in cœlum gladio brachium inflexibile remansit. Tunc omnis Longobardorum turba quæ ad illud mortis spectaculum aderat, in laudis pavorem conversa mirari cœpit, virumque Dei cum timore venerari, quia profecto claruerat cujus sanctitatis esset, qui carnificis sui brachium in aere ligasset. Itaque postulatus ut surgeret, surrexit: postulatus ergo ut brachium sui carnificis sanaret, negavit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, nisi antea mihi juramentum dederit, quia cum manu ista Christianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem qui, ut ita dicam, brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna sua exigente compulsus est jurare se Christianum hominem nunquam sua manu occidere. Nunc vir Dei dixit ei: Depone manum deorsum: qui statim deposuit; atque illico adjunxit: Remitte evaginatum gladium in vaginam, et statim remisit. Miroque modo sic actum est, ut et ipse beatus a percussore caput incunctanter amitteret, et iste ejus invocato nomine non tantum suum servaret, sed etiam ferire volentem adeo in membris debilitaret.

Ibi etiam (*Ibid.*, c. 18) et legitur de juvene Benedicto nomine, cujus cellulam cum Gothi nullo modo incendere potuissent, inde eum extrahentes, succenso in clibano clauserunt; die vero altera illæsum eum invenerunt, sed nec vestimenta ejus ullo modo sunt exusta. Unde ait beatus Gregorius in eodem Dialogorum libro: Petrus in mari pedibus ambulavit, Paulus naufragium pertulit, et in uno eodemque elemento ubi Paulus cum navi ire non potuit, ibi Petrus pedibus iter fecit. Cum Petrus adhuc dubitaret in fide, Paulus vero fide et opere jam perfectus, constantissime pro Christo ad martyrium eo tempore properaret. Quos enim vult Dominus, mirabiliter ab imminenti eripit periculo, quosdam vero hic etiam innocentes pati permittit, qui ab ipso quoque multo dignius in futuro coronantur. Unde nec illi sanctiores habendi, nec isti inferiores nullatenus a nobis sunt judicandi. Sed et hoc cavendum est, ut nec justi mala patientes se quasi victi desperent, nec inferentes supplicia, quasi de victoria sibi assumant fiduciam: ait enim Dominus ad Job, de iniqua Leviathan loquens potentia; *Dolus in manu ejus dirigetur* (*Job* VIII, 25). Quod exponens beatus Gregorius ait: Dolus quippe in manu est, fraus in virtute, quia omne quod nequiter volet, hoc ad tempus exsequi etiam fortiter potest. Dolus vero ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate præpeditur. Hoc enim Leviathan iste, vel vasa ejus habere crebro proprium solent, quod ad iniquitatis suæ cumulum, ea quæ nequiter appetunt, explere nequius possunt.

Ergo, fratres charissimi, nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate, considerantes quod perversis, imo et iniquissimis judicibus evangelica loquatur sententia, quæ ait: *Quarè et vos transgredimini mondatum Dei propter traditionem vestram* (*Matt.* XV, 3)? Dominus enim dicit; *Si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe ei et alteram, et qui tecum voluerit judicio contendere et tunicam tuam tollere, remitte ei et pallium* (*Matth.* V 39); et: *Si patrem filias Beelzebub vocaverunt, quanto magis et domesticos ejus*? Et in passione: *Quod si in viridi ligno hæc fecerunt, in arido quid fiet*? et alibi: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Et illi dicunt: Si aliquid adversus sacerdotes Dei fuerit prolatum, pugna esse vincendum. Unde et prædictæ sententiæ mox subditur: *Hypocritæ, bene devobis prophetavit Isaias dicens: Populus hic tabiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* (*Matth.* XV, 7). Hinc Isaias: *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimodent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium* (*Isa.* X, 1). Et fortasse audierint Paulum apostolum dicentem: *Accipite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo* (*Ephes.* VI, 13). Quod si vel audierint, utinam intelligant, et quæ sequuntur: *Induite loricam justitiæ, sumentes scutum fidei, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 15). Quod et Salomon quoque de justis loquens, ait: *Induent pro thorace justitiam, et assument pro galea judicium certum, sument scutum inexpugnabile æquitatis* (*ap.* V, 19). Hujusmcdi armis isti nostri antesignani nos instruunt dimicare. Nam sæcularibus armis pugnare, ipse Paulus nos prohibet dicens: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam ego retrivuam, dixit Dominus* (*Rom.* XII, 12). Et Petrus apostolus: *Estote non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes; quia in hoc*

vocati estis, ut benedictionem hæreditatis possideatis (*I Petr.* III, 9).

Hæc tamen omnia et alia sanctarum Scripturarum documenta maligni et improbi parvipendentes, ad pugnam sacerdotes impingere quærunt, nullam amplius reverentiam ipsis observantes, nisi quod non propriis manibus, sed per submissas illis in tali discrimine judicant (36) dimicare : et quibus prohibitum est armatorum cuneis, vel etiam publicis spectaculis interesse, ad pugnam producere, heu ! nostros compellimur vicarios, ut vel istorum cæde victi, vel illorum quasi absoluti esse videamur ; nec purgari a crimine, nisi perpetrato crimine valeamus. Cum enim præceptum sit David non ædificare visibile templum, quia sanguinum vir belli frequentia (37) esset ; quomodo poterint sacerdotes bellum, aut pugnam sua etiam pro justitia inire, qui templum debent ædificare, id est Ecclesiam Dei docere ? Ait beatus Paulus Apostolus : *Templum enim Dei est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Et alibi : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*II Cor.* VI, 16.) Quapropter ait beatus Ambrosius (lib. I *de Offic.*) : « Bellicarum rerum studium a nostro officio jam alienum videtur, quia animæ magis quam corporis officio intendimus ; nec ad arma jam noster spectat usus. Nam usus cito inflectit naturam. » Et paulo post : « Fortitudo enim sine justitia iniquitatis materia est. David quoque confirmatus in regno, nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est. » Et alibi : « Videtur mihi, quod vir Chistianus justus et sapiens, quærere sibi vitam aliena morte non debeat, utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. » De quo in Evangeliorum libris aperta et evidens sententia est : *Reconde gladium tuum in locum suum : omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur* (*Matth.* XXIV, 52.) Quis latro detestabilior, quam persecutor qui venerat, ut Christum occideret ? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, nec suum usque ad homicidium quamvis religione pervenire taliter consensit apostolum; unde et quem ille percusserat, mox ipse sanare dignatus est. Nulla ergo pro innocentia sæcularibus armis pugnare, aut alios ad hoc pro nobis compellere convenit. Nam si facientes et consentientes pari pœna constringuntur, quanto magis ad pugnam persuadentes, vel etiam alios pro se opponentes, pugnæ implicantur periculo ? Insensati et perfidi, certe si nobis armis certare competeret, liberius pro fratribus bellare, quam pro nobis alios objicere crederemus ; nam, ait Dominus in Evangelio : *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis* (*Joan.* X, 11.) Non enim ait, bonus pastor oves sibi commissas pro anima sua ponit, sed animam suam ponit pro ovibus. Rursus : *Mercenarius cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit* (*Ibid.*, 12.) Si illi mercenarii dicuntur qui tantum relinquunt oves, et fugiunt, quali censentur vocabulo qui eas morti objiciunt? aut quomodo contra eos armis dimicare possumus, quos omnino diligere, et pro quibus etiam orare ab ipso Domino jubemur? Ait enim Dominus in Evangelio : *Diligite inimicos vestros : benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V, 44.) Et : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Luc.* XXIII, 34.) Quod etiam in cruce positus ipse edocuit, dicens : *Pater, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59.) Quo et exemplo beatum levitam, et protomartyrem suum Stephanum adeo informare dignatus est, ut ipse quoque noverit suis pro interfectoribus exorare. Et beatus Paulus apostolus ad Romanos : *Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere.* Et alibi : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi* (*Rom.* XII, 22). Item Ambrosius (lib. I *Offic.*, c. 48) : « Si perfectus sim, benedico maledicentem, sicut et benedicebat Paulus, qui ait : *Maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus* (*I Cor.* IV, 12). » Tamen et sanctum David in hoc quoque genere virtutis imparem Paulo non fuisse edocere possumus ; qui primo quidem, eum malediceret ei filius Semei, et crimina objiceret, tacebat, et humiliabat se, et silebat a bonis suis, hoc est bonum operum conscientia : deinde exspectabat maledici sibi, quia maledicto illo divinam acquirebat misericordiam. Qui etiam et in psalmis ait : *Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos* (*Psal.* LIII, 7.) Quid ergo præstat, si secundum quorumdam judicium corpus hoc moriturum male de infamia vel supplicio liberemus, animam autem in perpetuum damnemur ; dicente Domino : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* (*Matth.* XVI, 16.) Sed illa infelix anima hoc ad perficiendum (38) obediet, de qua scriptum est : *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam* (*Job.* XXXIX, 7.)

Nobis vero divinum jugiter convenit implorare auxilium, et omnimodis satagere, ut quia (38) absque peccato esse non possumus, vel a criminibus alieni existere valeamus, quia secundum beatum Paulum apostolum sine crimine sacerdotes esse debent. Et quamvis perversorum ora omnino obstruere nequeamus, de pura securi conscientia, interius fiducialiter gaudeamus. Nam quid mirum si homines perditi, et subversi bonorum vitam infamare non metuunt ? Ait enim beatus Gregorius : Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando, dilaceret. Sed illorum malitiosæ detractiones quamvis multum impedire videantur, non nobis

(36) *Judicant.* Sic restituimus e codice Resb. ; in editis, *indicant.*

(37) *Frequentia.* Ita laudatus codex Resb. editi, *frequentis.*

(38) *Perficiendum.* Codex Resb. *proficiendum.*

(39) *Ut quia.* Sic laudatus codex : editi, *ut qui jam.*

tamen aliter excusandas esse perpendimus, nisi quemadmodum sanctorum Patrum suluberrimis institutionibus admonemur, quia scriptum est : *Ne transgrediaris fines, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28.) Si quis tamen canonico in his contentus (40) esse noluerit judicio, sed sua adinventione sacerdotes Dei prægravare, vexare, vel exspoliare, insuper etiam et si occidere præsumpserit, oportet nos sanctorum censuram servando puniri, quam ejus pravæ satisfacere voluntati, quamvis et hoc agere perniciosum sit, et talis pœna, vel mors satis aspera videatur. Quæ enim mors in [hoc præsenti sæculo crudelior esse poterit, quam cum pastores Ecclesiæ ab ovibus separantur ; et, aut carceri] includuntur, vel exsilio pelluntur, [eorumque corpora penuriis atteruntur,mentes autem mœrore] afficiuntur ? De se suspirant, de sibi commissis ejulant, præsentia patiuntur supplicia, futuraque a carnificibus promittuntur, expavent majora,consolatores ab ipsis tolluntur, exprobrantes, vel terrentes jugiter assistunt ? Nonne levius præcisa cervice occumberent ? Aut fortasse hoc agentes ideo homicidæ non sunt, quia isti absque sanguine necantur. Certe Julianus ideo crudelior præ cæteris tyrannis dictus est, quia martyres Christi sanguinem fundere non sinebat, sed diversis suppliciis torquens, post longam macerationem vitam finire cogebat. Hinc Isaias ait : *Omne caput languidum, et omne cor mærens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (*Isai.* I, 3.)

Verumtamen licet hæc durissima esse videantur, divinam sed enim habeamus consolationem, quæ ait : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28.) Nam secundum beatum Ambrosium (l. III *Offic.*, c. 9) sanctus Nabuthæus in eo perfectus exstitit, quia sanguine proprio defenderat jura majorum, et honestatis contemplatione mortem incurrere non formidavit. Cum enim ab eo vineam rex posceret pecuniam se daturum pollicens, indecorum pretium pro paterna recusavit hæreditate, maluitque morte declinare hujusmodi turpitudinem : *Non mihi*, inquit, *fiat a Deo, ut dem tibi hæreditatem patrum meorum* (*III Reg.* XXI, 3) : hoc est tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non utique pro vitibus hoc dicit : neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spatio, sed de jure loquitur Patrum.Potuit utique et alteram vineam de vineis regis accipere, et amicus regis esse in quo non mediocris sæculi hujus utilitas æstimari solet : sed quod turpe erat judicavit non videri utile, maluitque periculum cum honestate subire,quam utilitatem cum opprobrio.Animadvertimus igitur quia id quod turpe est, non possit esse utile,neque rursus id quod honestum est, inutile, quia complexa honestati est semper utilitas, et utilitati honestas. Sed qui sanctorum Patrum parvipendunt edicta, magnum non est si nostra etiam redarguant et opera : nempe qui illorum non metuunt statuta temerare, nec nostræ metuunt vitæ detrahere, verum etiam et judicium prægravare.Quamvis igitur ab ecclesiastica recedamus censura, quibusdam ex ipsis [faventibus, illorum etiam judicio, satisfaciendi locum reperire apud sæculares in hujusmodi potuissemus, incommodum arbitramur, ne aliis hoc assequi volentibus, vel etiam] valentibus,in exemplum produceretur (41), et fratribus eveniret in scandalum, quod a nobis quoquomodo fuisset extortum. Non enim est sapiens qui nocet. Aliud est vero communiter sapere,aliud est sapere perfecte. Qui communiter sapit, pro temporalibus sapit, qui autem perfecte sapit, non quærit tantum quod sibi utile est, sed quod omnibus. Ait quidem beatus Gregorius : Sæpe ab hominibus timor debilis cauta dispensatio vocatur, et quasi prudenter impetum se declinasse asserunt,cum fugientes (42) turpiter in terga feriuntur. Congruentius ergo eligimus nostram portare injuriam, quam aliis inferre calumniam, et ab aliis injuste pati,quam a nobis injuste defendi: non enim in perpetuum damnamur, cum injuste judicamur, dicente Psalmista : *Nec damnabit eum cum judicabitur illi* (*Psal.* XXXV, 33.)

Multi denique sacerdotum culpam zelo Dei persequi se profitentur, sed dum indiscrete hoc agunt, sacrilegii facinus incurrunt,et dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque deterius multo magis cadunt : unde et in libro Regum de arca Domini legitur, quia *postquam venerunt ad arcam Nachor, extendit manum Oza ad arcam Domini, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverant eam ; et iratus indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritatem ; qui mortuus est ibi juxta arcam Domini* (*II Reg.* VI, 6.) Quid enim per arcam melius quam sancta Ecclesia designatur?Quid per boves, quam dissidentes sacerdotes ? Quid per Ozam,nisi aliquem temerarium intelligimus ? Saul etiam ab ipso Domino in regno electus, quia sacerdotis usurpare ausus est ministerium, merito a propheta audivit : *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quæ si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus* (*I Reg.* XIII, 13.) Ozias quoque rex, cum per aliquot annos Deos favente, cui devote famulari videbatur, feliciter regnasset in populo, ne-

(40) *Canonico . . . contentus.* Sic codex Resb. emendare : prior editio, *canonice . . , contemptus*, corrupte.

(41) *Produceretur.* Sic ex codex Resb. prior editio, *procuretur*. Statim ubi ex eodem codice edi curavimus *extortum*, Acherius ediderat, *exortum*.

(42) *Cum fugientes.* Ita legere placuit ; nam antea editum erat, *asserunt. Confugientes.*

fanda tandem præsumptione sacerdotium insuper contra jus arripere voluit. Pro qua etiam illicita temeritate lepra percussus, regnum quo legitime uti poterat, et salutem amisit. Per viam ergo regiam unumquemque ambulare oportet, sicut. . . . via Domini est et recta, ne. . . . . dexteram declinavit, qui plus quam opus est agit, ad sinistram. . . . . Psalmista ait : *Deduc me, Domine, in via tua* (*Psal.* xxxv, 11). Beatus quoque Paulus apostolus ait ; *Unusquisque in vocatione, in qua vocatus est, in ea permaneat* (*I Cor.* iv, 20) : ne dum ambit illicita, juste perdat acquisita, et dum aliena ministeria usurpare gaudet, jure in sibi debitis torpeat. Unde evenire solet, ut sæculares, qui ecclesiasticam præsumunt invadere dispositionem, nec Ecclesiæ orationibus mereantur acquirere pacem nec suis valeant armis adipisci victoriam.

Sed dicit aliquis ; numquid omnia mala quæ fecerint sacerdotes, portanda sunt ? Quibus congruenter respondetur, quod a pluribus portanda sunt, a quibusdam vero secundum creditam sibi dispensationem cum maxima cautela sunt arguenda. Temere enim ab hominibus non sunt illi discutiendi, qui [a Deo] potestatem acceperunt etiam de angelis judicandi. Nam ut ait beatus Augustinus (lib II *de Sermone Domini in monte*, c. 18.) : « Plerumque nihil nocet ei de quo temere judicatur, ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas est necesse ut noceat. » Et item : « Qui enim nocet, ait Apostolus, recipit id quod novit. » Et Dominus in Evangelio : *In quo judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* vii, 2). Oportet ergo eos quibus alios judicandi attributa est potestas, tam modeste hoc agere, ut redeuntem ad se talionem minime perhorrescant. Caveant etiam ne odio aut invidia, seu pro aliqua inimicitia contra proximos plusquam præsens postulet actio, invehantur. Prævidendum quoque ne fraudibus, vel mandatis accusantium ullo modo decipiantur, ne adulatio, seu oblectatio locum obtineant, ne personarum inibi sit acceptio, aut affinitatis, aut alicujus clientelæ respectus, neve exardescant in ira, quæ procul a judicio omnino debet expelli. Ait enim Dominus in Evangelio *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v, 22). Et beatus Jacobus apostolus : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* i, 20). Et item : *Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam* (*Eccli.* xxviii, 3). Salomon quippe ait : *Ira in sinu stulti requiescit* (*Eccli.* vii, 10). Unde et beatus Gregorius ad Leontium exconsulem scribens ait (*lib.* viii, *epist.* 51) : « Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. Cum tranquilla mens fuerit, quod placet judica. » Et paulo post ; « Quando enim in exsecutione justitiæ placata mente irascimur, iracundiam et non sequimur, et exhibemus. » Ira enim quæ justitiam perturbat, quanta consideratione cavenda est, monstratur, de qua scriptum est : *Sit homo velox ad audiendum, et tardus ad iram : ira enim justitiam Dei non operatur* (*Jac.* i, 19, 20). Hinc rursus scriptum est : *Quis potest habitare cum homine, cui spiritus facilis est ad irascendum ?* (*Prov.* xviii, 14.) Hoc iterum dicitur : *Noli esse cum homine iracundo : neque ambules cum homine furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ* (*Prov.* xxii, 24), Contra hanc in laude patientiæ scriptum est : *Melior est vir qui vincit iram, quam qui capit civitatem magnam* (*Prov.* xvi, 32). Hinc David personam in se infirmorum assumens, ait : *Turbatus est præ ira oculus meus.* Atque ex ipsa turbatione quid sequatur adjunxit : *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* vi, 8). Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos nostros ad vetustatem reducimur, quia inter malignos spiritus ad veteris hominis similitudinem revocamur. Cum igitur iram quæ cor permovet, sacra eloquia tot testimoniis detestentur, perpendamus qua intentione debemus hoc vitium fugere, quod Deo judice in testimonio illius toties reprobatur. Item ad Godescalcum ducem Campagniæ (Idem R. Greg. l. viii, *egist.* 12) : « Illa præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nihil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, et nec quidquam agendum, priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat ira omne quod fecerit, sed et si oramus ut in ira a Domino non corripiamur, expedit ut alios cum ira non judicemus. Scriptum quippe est : *Memorare timorem Domini, et non irascaris proximo* (*Eccli.* xxviii, 8). » Et beatus Augustinus ait : Qui irascendo se terribilem ostendit fratri, terrorem divini judicii sustinebit. Sed hoc non tantum a Christianis et catholicis, verum etiam a paganis observatum in multis invenimus, scilicet ut irati neminem discutere, aut punire præsumerent. Ait enim Terentianus philophus ad villicum suum : O te infelicem, quem afflictarem, nisi iratus essem.

Præterea quod incerta judicare non debeamus, plurimis sententiis edocemur. Unde beatissimus papa Julius ait (*In epist. contr. Orient. pro Athanas.*, c. 19) : « Incerta unquam nullus pontificum judicare præsumat ; quia quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis incidiis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. »

Deus quoque omnipotens, ut nos a præcipitantis sententiæ prolatione compesceret, cui omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit præcipitanter judicare. Qui ait : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui veni : ad me opere compleverint : an non est ita, ut sciam* (*Gen.* xviii, 27). Omnipotens itaque Dominus omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat . . . . . quam probare. Hinc et beatus Apostolus ad Timotheum : *Adversus presbyterum accusationem ne recipias.* Et paulo post : *De-*

linquentes autem coram omnibus argue ut cæteri metum habeant (*I Tim.* v, 19). Non enim facile credi debet de episcopo, vel presbytero, quorum ordo adhuc divisus non erat, quamvis eis crimen objiciatur, nisi probetur; quia sacerdotem nemini damnare licet, nisi aut sponte confessum, aut legitimis testibus canonice comprobatum. Tamen si legitime probatum vel manifestum fuerit quod objectum est, publice est arguendus, ut cæteri terreantur. Cum enim vident tantum virum erroris causa corripi, necesse est ut reliqui sibi caveant. Illud etiam plane attendendum est quod Dominus ait in Evangelio : *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV, 5). Non enim potest humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit judicio. Constantinus etiam sanctissimus imperator, cum in Nicæna synodo querelam quorumdam episcoporum coram se delatam conspiceret, ait : Vos a nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini. Dii enim vocati estis, idcirco non potestis ab hominibus judicari. Quod et Dominus in Exodo ostendens ait : *Diis ne detrahas, et principi populi tui ne maledicas* (*Exod.* XXII, 28). Et beatus Gregorius imperatorem Mauricium in hoc laudans ait (*lib* II, *epist.* 56) : « Quia serenissimi domini imperatoris animum non ignoramus, quod se in causis sacerdotum miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis gravetur. Item ad Joannem defensorem : De persona presbyteri hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed episcopum ipsius adiri debuit. » Beatissimus etiam Sylvester summus pontifex (*in Epilog.*, et cap. 3 *conc. Rom.*), et universalis apostolus collecta synodo in sancta et venerabili Romana Ecclesia per omnia interdixit, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut presbyter non adversus episcopum, nec diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem, det accusationem aliquam. Et non damnetur præsul, nisi in septuaginta duobus, neque præsul summus a quoquam judicetur : quoniam scriptum est : *Non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* x, 24). Beatus quoque Paulus apostolus ait ad Timotheum : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut partem* (*I Tim.* v, 1). Ergo non est mirum [quod de episcopis superius dictum est ad quorum cognitionem judicia omnium specialiter pertinent clericorum] ; cum etiam [cæteros Domini] sacerdotes, levitas et subdiacones, ac sequentis ordinis usque ad ultimi gradus clericos omnimodis exclusa sit laicis licentia accusandi vel judicandi, excepto si aliquis eorum, quod absit, tumore superbiæ elatus, ecclesiasticam deserens disciplinam, ad sæcularem se contulerit potestatem, ut adversus auctoritatem proprii episcopi contra jus (43) defendatur. Tunc episcopali suggestione, si necesse fuerit, principis vel judicis auxilio tandiu talis persequendus erit, donec ecclesiasticis vel invitus discat regulis obedire.

Accusationes autem eorum non aliter inquirere, vel judicare laicis præsumendum est, nisi ab episcopis inviteutur, ad quorum hæc parochiam pertinere videntur. Ait enim beatus Paulus apostolus : *Et tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat aut cadit* (*Rom.* XIV, 4). Sæcularis tamen e contra potestas, quod lamentabile, multimodis ecclesiasticam interdum supprimit auctoritatem : et cujus subsidiis debuerat elevari, ejus solet adversitatibus affligi. Et sicut in electione præsulum sua potius vota, quam sanctorum Patrum instituta principes firmare contendunt, ita et in audiendo, vel judicando, seu etiam ejiciendo tam ipsos quam illis commissos, contra jus canonum suæ per omnia quærunt satisfacere voluntati. Et secundum perversorum judicum sententiam nec culpa retrahit aliquem a culmine regiminis, nec regimen ullum excusat ab accusatione alicujus criminis. Quod viriliter beatus Anacletus papa contradicens ait : Electionem summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset. Cui ergo similis esse videbitur, qui quod Deus sibi tantum modo reservavit, subripere præsumit. Restat utique ut illi, qui ait : *Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 24).

Explicit pars prima de judiciis episcoporum.

INCIPIT PARS SECUNDA.

De ordinationibus eorumdem.

Illud plane diligenti observatione cavendum est, ut quod Deus bonis sacerdotibus, et spiritualibus populis concessit, nullus ad proprium audeat privilegium retorquere. Cum enim episcopali electione generalis, et non specialis quærenda sit utilitas, et ecclesiasticæ aei inquirendus sit dispensator, non publice, vel private aliquis procurator : quis unquam aliquem ad id idoneum reperire poterit, nisi ipse qui occultorum est cognitor? . . . . . custodiam? Qui merito hoc etiam bonis sacerdotibus, et spiritualibus cognoscere sæpe concedit populis, quia ipse quoque alibi promiserat : *Ubi fuerint congregati in nomine meo duo vel tres, in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20). Et in psalmis : *Dominus stetit in synagoga deorum, in medio autem eos dijudicat* (*Psal.* LXXXI, 1). Plane ergo ipse facit quod ipsi faciunt, qui in nomine ejus congregantur, quia revera patet quod ipsi absque eo esse ibi non possint. Ipse quidem est qui, tam in Veteri quam in Novo Testamento, sacerdotes per semetipsum eligere dignatus est. Ait enim in Veteri Te-

(43) *Contra jus.* Optima lectio codicis Resb. at lectio prioris editionis, *contrarius*, pessima.

stamento de Levitis, Scilicet Levi filiis, de quorum tantummodo stirpe sacerdotes illi in Israel constituere tunc placuit : *Ecce eligo levitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito quod aperit vulvam a filiis Israel, redemptiones eorum erunt isti, et erunt mihi Levitæ ; mihi enim sanctificavi primogenitum in terra Ægypti* (*Num.* III, 21). Ubi ait sanctus Ambrosius : « Non mediocre officium est Levitarum. Cognovimus enim, quia inter cæteros Levitæ computantur, sed omnibus præferuntur,qui eliguntur ex hominibus, et sanctificantur,ut primogenita fructuum atque primitiæ,quæ Domino deputantur, in quibus est votorum solutio et redemptio peccatorum. » Unde et subditur : *Non accipies*, inquit, *eos inter filios Israel, et constitues Levitas super tabernaculum testimonii, et super omnia vasa ejus astare, et super quæcunque sunt in ipso. Ipsi tollant tabernaculum et omnia vasa ejus,et ipsi ministrent ex eo, et in circuitu tabernaculi castra ipsi constituant,et promovendo tabernaculum ipsi statuant : alienigena quicunque accesserit, morte morietur* (*Num.* I, 49). Similiter et ad apostolos,quos revera fundamentum Ecclesiæ, et primitias præsulum esse constat, in Evangelio ait : *Vos de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo* (*Joan.* XV, 19). Quod enim illis ait,et hoc successoribus eorum dixisse manifestum est.Et Paulus apostolus : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur* (*Hebr.* V. 1). Ex qua re apparet, quia episcopi digne eligi, et juste judicari, nisi a Deo nullatenus possunt. Hoc vero notandum est,quia cum ab ipsis quibus ab eo concessum est, legitime ordinantur, vel judicantur ab ipso procul dubio, sicut jam supra dictum est, hoc agitur.Expedit ergo ut tales de mundo ad hoc officium eligantur,qui,sicut ipse ait,jam de mundo non sint, et secundum carnem non ambulent. Qui etiam . . . . . fieri potest ; verum *princeps hujus mundi non inveniat quidquam* (*Joan.* VIII, 13 ; *Rom.* VIII. 1 ; *Joan.* XII, 31). Irreligiosi tamen principes hæc omnia parvipendentes, suum tantummodo in his parant prævalere edictum. Solent etiam admodum indignari, si vel ab aliis aliquis cujuscunque meriti sit, episcopus eligatur,vel si a se electus cujuscunque pravitatis sit,ab aliquo reprobetur. Illorum sane quos ipsi eligunt vitia, quamvis multa et magna sint, velut nulla tamen reputantur. Quorum quidem in examinatione non charitas et fides, vel spes inquiruntur, sed divitiæ, affinitas,et obsequium considerantur. Quæ tria,vel quod potius minus esse videatur,si duo ex his in unam eamdemque personam convertant (44), hac jam revera inter cælicolas computabitur ; et unum etiam ex his satis sufficere credunt,ad episcopalis scilicet cathedræ dignitatem. Sed quid talibus loquatur Dominus, sollicite perscrutemur. Videamus ergo, charissimi, quemadmodum amatoribus pecuniæ ipse minetur in Evangelio : *Non potestis servire Deo et mammonæ* (*Luc.* XVI, 23). Et iterum : *Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam divitem intrare in regnum Dei* (*Matth.* XIX, 24). Et rursus ad divitem : *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, et ea quæ parasti, cujus erunt ?* (*Luc.* XII. 20.) Et alibi : *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlis, ubi neque ærugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (*Matth.* VI, 19). Ait enim beatus Ambrosius : Nullum adminiculum præstant divitiæ ad vitam beatam. Quod evidenter Dominus monstrat in Evangelio dicens : *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuriunt et sitiunt, quia saturabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis* (*Luc.* VI, 20). Et ad divites : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis ; et illis qui rident, quia lugebunt* (*Ibid.*,24). Et Paulus apostolus : *Cupiditas radix est omnium malorum* (*I Tim.* VI. 10). Et Jacobus ait : *Exortus est sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus decidit ; et decor vultus ejus deperiit ita et dives in itineribus suis marcescit* (*Jac.* I, 11). Et iterum : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit diligentibus se ?* (*Jac.* II. 5.) Et paulo post : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos ? Idid.*, Item Ambrosius ait : Joachim qui aurum in obsidione servabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, et aurum vidit diripi, et se in captivitatem deduci. Et paulo post : Illud . . . . . quo utimur : quod autem . . . . . non habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum.Isaias quoque prævaricationem populi . . . . . ait : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones* (*Isa.* I, 23). Et rursus : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo* (*Isa* V, 23). Etenim si ii qui in stadio currunt, ita referuntur præceptis informari atque intrui, ut unusquisque celeritate non fraude contendat,cursuque quantum potest ad victoriam properet : supplantare autem alterum,aut manu dejicere non ausit : quanto magis in cursu vitæ istius sine fraude alterius,et circumspectione repetenda nobis victoria est.Jeremias namque ait : *Væ habitantibus terræ, quoniam a minore usque ad majorem student avaritiæ* (*Jer.*VI, 13).Et iterum : *Perdix fovet quæ non peperit insipiens* (*Jer.*XVII, 11). Et item : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usquv ad terminum loci. Nunquid vos soli habitabitis super terram ?* *Isa.* V, 8.) Salomon quippe ait : *Munera abcæcant corda potentum* (*Eccl.* XF, 31). Non enim divinum simul obsequium,et pecuniarum potest acquiri lucrum. Et Psalmista : *Melius modicum justo super*

(44) *Convertant*. Lego, *conveniant, hæc.*

divitas peccatorum multas (*Psal.* XXXIX, 16). Et alibi : *Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX, 15). Quæ enim negotiatio pejor esse poterit, quam sanctam Ecclesiam, immaculatam sponsam Christi, et omnium dominam quam Dominus pretioso suo redemit sanguine, indignis sacerdotibus pecuniam venundare. Unde et Dominus in Evangelio : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* (*Joan.* II, 16). Beatus quoque Petrus pastor Ecclesiæ ait ad Simonem Magum, cum ei pecuniam promitteret, ut donum Spiritus sancti acciperet : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Spiritus sancti pecuniis obtinere* (*Act.* VIII, 20). Unde et hæc hæresis simoniaca appellata est, quæ tam vendenti quam etiam ementi noxia esse conspicitur. Quam et beatus Gregorius constantissime redarguens, viriliter contra plurimos expugnavit. Unde ad Brunichildim reginam Francorum scribans, inter alia ait (S. Greg. lib. VII, *epist.* 113) : « Nec illud præterimus, sed omnino exsecracile et gravissimum esse detestamur, eo quod sacri ordines per Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta, et districta maledictione damnata est, apud vos conferantur. Hinc ergo agitur ut sacerdotii dignitatis in despectu, et sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare, committit, et nefaria ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vile putet esse quod emitur ? Unde valde constristor et terræ illi condoleo, quia dum Spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere dici non arbitror. Ubi enim dona supernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. » Item ejusdem Theodorico et Tehodemperto regibus Francorum post aliqua (Idem in eod. lib., *epist.* 116 : « Fertur Simoniacam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, et in ipso ortu suo telo apostolicæ ultionis perculsa, atque damnata est, in regni vestri finibus dominari. Quæ enim esse opera valeant sacerdotis, qui honores tanti sacramenti convincitur habere per præmium ? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non res componere studeant, sed divitias, quibus sacer honor emitur, congregare. Hinc fit etiam, ut insontes et pauperes a sacris ordinibus prohibiti, despectique resiliant, et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quod præmium illic delicta commendet ; quia ibi aurum placet et vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infligitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copiæ suffragantur, restat ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum profanus auri amor obtineat. Qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est ? Major ergo metuenda locis in illis foret calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. »

Item Syagrio episcopo Augustudunensi (Idem in eodem lib., *epist.* 110) : « Nuntio apud nos olim discurrente vulgatum est, quod in Galliarum partibus sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, et fit sæculare quod sacrum est. Quicunque ergo hoc pretii studeat datione percipere, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet ? quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio : sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur ? Ex qua re si recti libraminis examen pensetur, dum improbe quis ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, quod honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus : sic qui ultro ambit vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius ad profunda descendat. Itaque, fratres charissimi, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, ut ad summa sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quia omnino grave facinus sit Dei donum pretio comparare, vel vendere, evangelica testis est auctoritas. Templum enim Dominus et Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, et Spiritum sanctum, quem omnipotens Deus hominibus tribui misericorditer voluit, venundare ? quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerita dhucne quitiæ pravitas viros suas ; nam cogit vendere, quos decepit ut emerent : et dum non attenditur quod divina voce præcipitur, *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8) : agitur ut crescat, et geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis scilicet et vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse destatione damnatam, cur non cavetur ? Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur ?

« Plerumque igitur adversarius animarum, dum

non potest in his quæ ad faciem sunt prava subripere,callide specie quasi pietatis injecta nititur supptantare, suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, ut si quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvetur. Quoniam liquet ea esse perpetua ac solida, quæ vera sunt, et quæ sincere potius quam dolo congregantur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis et iniquitate congeritur. Unde etiam illud certum est, quia et si monasteria, aut xenodochia, vel quid aliud construatur, mercedi non proficit : quoniam dum perversus emptor honoris in locum transmittitur, et alios ad sui similitudinem sub commodi dilatione constituit, plura male ordinando destruit, quam ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam pro ordinatione accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet, dicens : *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXI, 27). Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est : *Honora Dominum de tuis justis laboribus* (*Prov.* III, 9). Qui ergo male tollit, ut quasi bene præbeat, constat procul dubio quod Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur : *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filium in conspectu patris* (*Eccli.* XXXIV, 24). Quantus autem dolor patris sit perpendamus,si in ejus conspectu filius victimetur. Et hinc facile cognoscimus, quanto Deus omnipotens dolore exasperatur, quando ei sacrificium de rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissimi fratres,sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud peccata propter eleemosynas committere. »

Hæ sunt Gregorii sanctissimi et doctissimi papæ pro simoniacis et illicitis ordinationibus saluberrimæ admonitiones; nec acquievit omnino donec collecta generali synodo hæc sub anathemate damnata penitus impetraret ; sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens se commodis licet turpissimis, imo periculosissimis, angustari, commentum satis artificiosum reperit, quo scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tanto subjectiores esse debuissent,quanto non divino,quin potius humano judicio se fuisse promotos, ipsi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in Evangeliorum tractatibus (*hom.* 4. *in Evang.*), ut scilicet frequentius legi vel audiri potuisset, disputat inquiens : « Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines per humanam gloriam largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt, ii nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cum justum virum describeret propheta ait : *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isai.* XXXIII, 15). Neque enim dixit, qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit *ab omni*, quia aliud munus ab obsequio, alius munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia; munus a lingua, favor. Qui ergo sacros honores tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. » Unde et Joanni episcopo Corinthiorum idem Gregorius post multa scribens ait (*lib.* IV, *epist.* 55) : « Oportet ut nec per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Nam et peccatum, sicut diximus, grave est, et sine correptione hoc non patimur remanere. » Quare nullatenus voluit Gregorius. . . . . *Propterea vos non auditis; quia ex Deo non estis* (*Joan.* III, 47); et alibi : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV, 23). Et Psalmista de viro injusto ait : *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4). Quamvis igitur ab avaritia pecuniæ in ordinandis episcopis aliquantulum ii tales videantur quoquomodo manum retrahere, non ideo ad legitimam liberalitatem ecclesiastica electio pertinebit ; sed aut consanguinitatis affectio, vel amicorum dilectio, seu etiam familiarium obsequia prævalebunt. Et quid prodest declinare a laqueo, si in foveam incidamus? Ait enim beatus Hieronymus : Electio sacerdotum non jam juxta sanguinem, sed juxta merita et virtutes deferenda est. Cum enim aliquis dignissimus sacerdos diu in Ecclesia militans, ab episcopali electione ipsius cui servierat Ecclesiæ, a principibus reprobatur, nunquid non Dei filius despicitur, ut illud : *Ego dixi : dii estis, et filii excelsi omnes?* (*Psal.* LXXXI, 6.) Cum vero alicujus potentis filius impar meritis, et injuste præponitur, quid aliud quam Barabbas eligitur, qui filius patris interpretatur, ut merito eveniat quod scriptum est : *Ego sum Deus omnipotens, reddens iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus* (*Exod.* XXXIV, 7). Quidam autem adeo mente et corpore obcæcantur, ut ipsos etiam parvulos ad pastoralem promovere curam non dubitent,quos nec mente nec corpore idoneos esse constet. Et qui adhuc nec ipsa rudimenta humanæ naturæ suffecerint discere, hos ad magisteriam elevare non formidant, judicesque constituunt animarum, qui adhuc quid anima sit intelligere penitus nequeunt. Et qui docere populum instanter debuerant de divinis, doceri de sæcularibus et etiam vilibus, præceptorum verberibus incipiunt. Et qui vereri ab omnibus debuerant, ipsos etiam scholasticos timent. Nam quemadmodum olim sancti præsules a paganorum ritibus recedentes, injurias et verbera ab infidelibus

illata sustinuerunt, sic et isti rursus eadem patiuntur, ut paganorum regulis possint erudiri. Et nec indoctos elevare metuunt ad cathedram, et rursus elevatos disciplinæ philsophorum submittere non formidant.

Beatus quippe Gregorius omnes pontifices a lectione librorum gentilium inhibebat : quapropter Desiderio Galliarum episcopo scribens ait (*lib.* IX, *epist.* 48) : « Pervenit ad nos quod sine verecundia memorare non possumus fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere : quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius de te nobis bona dicta fuerant, in gemitum et tristitiam verteremus : quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt : et quam grave nefandumque sit Episcopis canere, quod nec laico religioso conveniat ipse considera. » [Legimus quoque de beato Hieronymo, quoniam cum librum legeret Ciceronis, ab Angelo correptus sit, quod vir Christianus] paganorum intenderet [figmentis.] Rudes adhuc scholastici operam dant studiis, quibus cum nulla suffragantur merita, a sola tantummodo castitate laudantur : et quomodo dici castus poterit, qui adhuc incentiva (45) sentire non valeat? statuitur puerulus in medium, interrogatur populus qualis sit, qui ordinandus sit; cui tamen perhibet testimonium non volens, sed invitus. Quid supervacue quæritur ut laudetur, cum ab omnibus inutilis videatur? Vota omnium inquiruntur, quæ etiam ostendere publice metuunt, ea tamen quæ proferunt metu extorta, et ipsi inquirentes non ambiunt. Rident plurimi, alii quasi de infantis honore gaudentes, alii tamen clarum et manifestum præstigium deridentes. Ipse quoque parvulus de aliquibus interrogatus capitulis, quæ si præparare poterit memoriter reddet, vel in aliquo tremens leget pittacio, non episcopalem timens perdere gratiam, sed magistri incurrere virgam. Non enim quæ recitat intelligit, cujus nec id corculum discere sufficit, sed verba tantum percurrere quærit. Interrogatur, sed unde eum nescire qui interrogant non dubitant, respondere tamen exinde quoquomodo didicisse confidunt. Nec quæritur ut sensum exponat, sed ut verba tantum aliquo modo promat; non enim inquiritur ut examinetur, sed quasi ut canonicus ordo servetur, et ut mendacium et fraus validior sit, si veritate obumbretur, et a compluribus firmetur : sed quis firmare poterit quod Deus infirmat? Quid enim dicere possumus cum talis in Ecclesia præponitur, nisi quod idolum statuatur? Oculos enim habet, et non videt, sicut Dominus ait in Evangelio : *Simile illos : cæci sunt et duces cæcorum* (*Matth.* XV,14). Aures habet et non audit, ut alibi : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI. 15). Et, ut ad discipulos : *Vestri autem beati oculi, quia viderunt; et aures vestræ, quia audiunt* (*Matth.* XIII, 16). Ubi valde timendum est quod Psalmista de simulacris ait : *Similes illis fiant qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Ait quippe beatus Hieronymus (l. VI *in Jerem.*, c. 12) : « Idolum hodieque ponitur, quando novum dogma in Ecclesia constituitur. » Sane hic etiam inserendum duximus, quod in Ezechiele propheta legisse meminimus : *Et factum est in anno trigesimo Ezechielis prophetæ : Cœli aperti sunt et vidit visiones Domini; et facta est super eum ibi manus Domini* (*Ezech.* I, 1). Quod beatus Gregorius prudentissimus in divinis dogmatibus disputator ita disseruit, dicens (lib. I, *super Ezech.*, homil. 2) : « Hoc autem quod dicitur, quia trigesimo anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat nobis aliquid considerandum, videlicet quia juxta rationis usum doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Unde et ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio doctorum in templo sedens, non docens sed interrogans (*Luc.* II, 46) voluit inveniri. Ut enim non auderent homines in infirmitate prædicare, ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper angelos docet in cœlo. Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso angeli videndo vivunt, hoc quod beatitudo æterna, satiantur. Quod Moyses quoque per allegoriæ mysterium admonet, dicens : *Non arabis in primogenito bovis* (*Deut.* XXII, 10). Primogenitum autem bovis accipimus, in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est, quia cum prima sint adolescentiæ, juventutis nostræ tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus : quia et arbusta plantata, si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt; at si semel radicem fixerint, manus tangit et nihil officit, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes si impellantur, eruuntur, nisi prius fuerint ab humore suo siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suæ perfecte non fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plus quam tolerare valet, concutitur, flatibus arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam et si Timotheo dicitur : *Præcipe hæc, et doce; nemo adolescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* IV, 11) : sciendum est quod in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur; unde scriptum est : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Eccli.* XI, 9). Profecto igitur, ut ostendatur cujus auctori-

(45) *Incentiva.* Sic edere libuit, at Acherius ediderat, *incentina.*

tatis sit in prædicatione ætatis solidæ esse, describitur quatenus ei cum vita et spiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt,concordare videantur.Nec contra hæc movere quempiam debet quod Jeremias atque Daniel prophetiæ spiritum pueri perceperint, quia miracula in exempla operationis non sunt trahenda.Omnipotens enim Dominus et linguas infantium fecit disertas, et ex ore infantium perfecit laudem : sed aliud est quod nos de doctrinæ usu atque disciplinæ dicimus, aliud quod de miraculo scimus. Jam vero si quæritur ut in ipsa quoque ætatis illius expressione mysticum aliquid designetur, absurdum non est quod propheta Dominum quem verbis denuntiat, ipso quoque ætatis suæ tempore ostendat, cum dicitur : *Anno trigesimo Ezechielis prophetæ cæli aperti sunt, et vidit visiones Domini et facta est ibi super eum manus Domini* (*Ezech.* I, 1). » Jesus Christus ante trigesimum ætatis suæ annum nunquam legitur populum prædicasse . . . . . Et omnes sancti Patres assequentes exemplum, nulli unquam pastore ministerium ante triginta annos concedere voluerunt. Qua etenim temeritate in membris illius ullo modo fieri posse credimus, quod in ipso summo capite non præsumptum ostendimus. Unde valde timendum, ne dum gratiam sancti spiritus aliis inepte tribuere præsumimus, ipsam a nobis expellamus, st nudi efficiamur,dum incommode alios vestire conamur; nostramque salutem indignum est negligere,cum aliis non possimus proticere. At enim beatus Petrus apostolus Ananiæ et Saphiræ : *Quare convenit vobis mentiri Spiritui sancto ? non estis hominibus mentiti, sed Deo* (*Act.* V, 9). Si enim illi morte puniti sunt,qui tantummodo de pretio proprii agri mentiti sunt,quid illis restat qui falsis assertionibus ficte sibi ia tali negotio ad invicem respondent,ut hæreditatem Christi sanctam Dei Ecclesiam, insuper et donum Spiritus sancti cuidam stulto quasi legitime concedere videantur? quod aliquibus ridiculum,nobis vero luctuosum esse videtur. *Insipientes,qui plantavit aurem,non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ? Psal.* XCIII, 9.) Salomon quippe ait : *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet dolum, et recedet a cogitationibus stultis* (*Sap.* I, 5).

Ait vere beatus Ambrosius : « Liquet igitur ea esse perpetua, atque solida quæ vera sunt, et quæ sincere potius quam dolo congregantur. Ea vero quæ simulatione atque assentatione parata sunt, non possunt diu perseverare. Quis igitur fideles putet quos vel pecunia,vel adulatione sibi obligandos crediderit?»Et paulo post :«Ergo bonis artibus,et sincero proposito mittendum ad honorem arbitror, et maxime ecclesiasticum. Denique si sacramento se pro eo fraudulenter constrinxerint,vel conscriptionis vinculo per aliquam vim, aut metum, vel dolum obligaverint, nullum debet obtinere vigorem. » Unde et idem beatus Ambrosius ait : « Est etiam contra officium nonnunquam promissum solvere, sacramentum custodire, quia ea quæ simulatione, atque assentatione parata sunt,manifestum est non posse diu perseverare. » Et paulo post : « Regula autem justitiæ manifesta est, quia a vero declinare virum non decet bonum,nec damno justum afficere quemquam, nec doli aliquid ad . . . . . » . . . . . promissum non facere quam facere quod . . . . . et cum ipsi cugnoverint promittendum non fuisse, sacramenta tamen contemplatione . . . . . penderint, sicut de Herode legimus qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur ; crudele,quod morte prophetæ pro jurisjurandi religione donatur.Quanto tolerabilius fuisset tale perjurium, si tamen perjurium posset dici, quod ebrius inter vina juraverit,quod ejuratus inter saltantium choros promiserit,inferretur disco prophetæ caput ; et hoc æstimatum est fidei esse,quod amentiæ fuit.Neque unquam adducar,ut credam non incaute promisisse principem Jephte, ut immolaret Deo quidquid sibi revertenti intra limen domus suæ occurreret,cum et ipsum voti pœnituerit sui,postquam filia occurrerit sibi. Denique scidit vestimenta sua, et dixit : *Heu me, filia ! impedis me ; in stimulum doloris facta es mihi* (*Judic.* XI, 35). Melius enim fuerat nihil tale promittere, quam promissum solvere parricidæ. Quid etiam de fraude Gabaonitarum dicendum est, qui metuentes venerunt cum versutia, simulantes se de terra longinqua esse, diuque peregrinatos,et cœperunt ab Jesu Nave poscere, ut secum firmaret societatem; et quia erat adhuc ignarus locorum,atque incolarum inscius,non cognovit fraudes eorum, neque Dominum interrogavit, sed cito credidit,testamentum disposuit,pacem dedit,confirmavit societatem : sed ubi in terras eorum ventum est, deprehensa fraude,quod cum essent finitimi, advenas se esse simulaverant,circumscriptum se populus patrum indignari cœpit. Jesus tamen pacem, quam dederat,revocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, [ne] dum alienam perfidiam argueret, suam fidem solveret, sed tanta usus est prudentia, ut nec ipse sacramentum solveret, nec illi libertate dolo acquisita omnino gauderent.Multavit eos propterea vilioris obsequio ministerii ; clementior sententia, sed diuturnior, et manet pœna veteris astutiæ in hunc diem hæreditario ministerio deputata. Qui enim sic potest promissum solvere, ut justitiam valeat custodire, expedit ut quod pollicitum fuerit,omnimodis impleatur : alioquin melius est promissum quoquomodo violare, quam ad graviores culpas promissionis intuitu declinare.Nam de illo quid loquar, qui de eo . . . . falso utitur tanquam reum facinoris . . . . . quapropter est, quam terribile de ipsis restet judicium, qui sacerdotium mendacio, vel fraude contrectant, quando, ut dictum est, in singularibus adeo falsitas persequitur. Et quis ergo dolus po-

test esse mitior, quam si his præponatur in speculum, qui veniens non possit sentire periculum? Aut quis ei se committat, quem non putet plus sapere, quam ipse sapiat qui quærit consilium? Necesse est igitur, ut præstantior sit a quo consilium petitur, quam ille est qui petit. Quid enim consulas hominem quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis? Nam quamvis etiam in substantiis pauper aliquis esse videatur, sed si sapiens fuerit, magnum sibi credentibus valet conferre solatium : sunt enim plerique etiam viri boni qui tenues sunt censu, contenti quidem exiguo ad sui usum, sed non idonei ad subsidium levandæ paupertatis alienæ ; tamen suppetit aliud beneficentiæ genus, qus juvare possint inferiorem. Est enim duplex liberalitas : una quæ subsidio rei adjuvat, id est usu pecuniæ ; altera quæ operarum collatione impenditur, multum frequenter splendidior, multumque præclarior. Quanto illustrius Abraham captum armis victoribus recepit nepotem, quam si redemisset? Quanto utilius regem Pharaonem sanctus Joseph consilii providentia juvit, quam si contulisset pecuniam? facile autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Affabilitatem quoque sermonis dicimus ad conciliandam gratiam valere plurimum. Ex qua re apparet, quia melior est sapientia negotiatione argenti et auri primi et purissimi ; et qui tenuerit eam, beatus.

Sane sciendum est quia nisi pastor Ecclesiæ sapientiæ fuerit sale conditus, salutare pabulum Dominicis ovibus ministrare minime valebit, dicente Domino : *Si sal evanuerit, in quo salietur?* (*Matth.* v. 13.) Et Paulus apostolus ad Romanos : *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 28). Item ad Timotheum : *Si quis domui suæ præesse nescit. quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* (*I Tim.* III, 5.) Unde manifestum est, quia tunc potest idoneus rector futurus probari, si prius domum suam recte gubernavit. Et mox subditur : *Testor coram Deo et Christo Jesu electis angelis, ut hæc custodias, sine præjudicio nihil faciens in partem aliam declinans. Manus cito non imposueris, neque communica* (*I Tim.* v,21). [Sub testificatione ea quæ] ordinationem Ecclesiæ mandant, [custodiri] præcipit [nihilque fieri sine præjudicio : et non facile aliquis] accipiat ecclesiasticam dignitatem, nisi prius de vita ejus et moribus fuerit disputatum, [ut dignus approbatus] minister aut sacerdos constituatur, ne postea si reprehensibilis videatur, pœniteat forte principem populi non ad liquidum præjudicasse, sibique metuat imputandum quod meretur, si eum (46) improbabiliter ordinavit. Peccat enim si non probat, et sic ordinat : nam melior cæteris debet probari qui ordinandus est. Non enim sufficit si sine crimine sit, quia merita ejus debent præire viam bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem, sicut ait beatus Ambrosius. Decet igitur sacerdotem hospitalem esse, benignum, justum, non alieni cupidum, imo de suo jure cedentem potius aliqua si fuerit lacessitus, quam aliena jura pulsantem, et cætera. Unde ait beatus Hieronymus (libro XVI, in *Isaiam* c. 58.) : « Non est enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, et dare sanctum canibus, et ordinationem clericatus nequaquam sanctis et in lege Dei doctissimis, sed asseclis suis tribuere, et vilium officiorum ministris, quodque indecorius est muliercularum etiam precibus : in quo consideranda est loquentis in se Christi apostoli sapientia, qui ut ordinationis periculum demonstraret adjunxit tormenta peccantium. Cum enim dixisset, *Manus cito non imposueris*, illico subjunxit : *Neque communicaveris peccatis alienis* (*I Tim.* v, 22). »

Sicut ergo in ordinationibus malorum particeps est et peccatorum qui tales constituit, sic in ordinatione sanctorum particeps est eorum justitiæ qui bonos eligit. Insipientes vero et indignos ordinare, quid est aliud quam sacerdotium deturpare, Ecclesiam impedire, populum depravare? Hinc propheta ait : *Omnis qui non didicerit justitiam super terram, veritatem non faciet* (*Isai.* XXVI, 10). Isaias quoque Israeli comminatur dicens : *Ecce dominator Dominus auferet ab Hierusalem validum et fortem, et honorabilem vultum, et consiliarium, et sapientem architectum, et prudentem eloquii mystici : et dabo pueros principes eorum* (*Isai* III, 1). Et paulo post : *Speculatores ejus cæci ; omnes nescierunt, universi canes isti non valentes latrare* (*Isai.* LVI, 10). Et rursus : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam* (*Isai.* LVI, 11). Et alibi : *Discite bonum facere, quærite judicium* (*Isai.* I, 17). Et de populo : *Facti sunt in rapinam, et non est qui eruat ; in direptionem, et non est qui dicat, redde* (*Isai.* XLII, 22) . . . . . ipse postmodum. Israel de insipientia . . . . . ait : *Sacerdotes non dixerunt : ubi est Dominus? Et tenentes legem meam, nescierunt me* (*Jer.* II, 8). Et item : *Novate vobis novate, et nolite serere super spinas* (*Jer.* IV, 3). Et rursus : *Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili ; et cœlos, et non erat lux in eis* (*Ibid.*, 23). Et de sermonibus siccitatis : *Cerva in agro peperit, et reliquit, et onagri defecerunt, quia non erat herba* (*Jer.* XIV, 5, 6). Unde ait beatus Hieronymus (*Idem.*, c.14) : « Siccitas hæc sæpe accidit in Ecclesiis, quando cervi, et onagri inveniuntur in populis, qui magistrorum penuria contabescunt. Sunt qui possint discere ; et non sunt qui possint docere. » Quomodo enim pastor esse poterit, qui non noverit de pascuis judicare ; nec discernat inter pecus mundum et immundum, et lepram et

(46) *Si eum.* Audacter, at vere emendavimus ; nam quod legebatur *civem*, ita ineptum erat, ut ferri non posset.

lepram uvamque maturam et acerbam minime intelligat ? Unde revera cognoscere possumus, irato Domino stultos pastores in Ecclesiis contitui, rursumque placato, sapientes eo præstante ordinari. Quod ipse quoque post illata (47) flagella indulgentiam Israel per eumdem Jeremiam repromittens, ait : *Dabo vobis pastores juxta cor meum.et pascent vos scientia et doctrina* (*Jer.* III. 15). Stulti enim episcopi non pastores, sed incubones dici possunt, eo quod sanctam incubent Ecclesiam ; non errantes requirunt oves, sed collectas etiam errare permittunt, ut unaquæque per viam quam voluerit gradiatur et in his revera impleatur quod in Judicum volumine legitur : *In diebus illis non erat rex in Israel sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat* (*Judic.* XXI, 24). De talibus quidem legitur in Evangelio : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10). Gregorius (parte I, l. I, *Curæ past.* cap. I) : « Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per prophetam dicitur : *Ipsi pastores ignoraverunt scientiam* (*Isa.* LVI, 11). Quos et rursus Dominus detestatur dicens : *Et tenentes legem nescierunt me* (*Jer.* II, 8). Et nesciri se ergo ab eis veritas conqueritur et nescire se principatum nescientium se protestatur : quia profecto hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt a Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* XIV, 33). Plerumque pastorum imperitia meritis congruit subjectorum, quia quamvis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant districto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præbeat ambo in foveam cadent* (*Matth.* XV, 14). Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denuntiat dicens : *Obscurentur oculi eorum ne videant et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi providendi itineris officium suscipiunt quibus nimirum qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur Obscuritatis ergo oculis dorsum flectitur ; quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt profecto cuncti ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequntur. » Item (in *prolog.* part. I) : « Sunt plerique pastorum qui dum mentiri se nesciunt, quæ non didicerunt docere concupiscunt : qui pondus magisterii tanto levius æstimant quando vim magnitudinis illius ignorant. Ut qui indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, a præcipitationis suæ ausibus in ipsa locutionis janua repelluntur. Nulla ars doceri præsumitur, nisi tanta (48) prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur? Quoniam est ars artium, regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera altiora esset nesciat vulneribus viscerum ? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt cordis se medicos profiteri non metuunt; dum qui pigmentorum vim nesciunt videri medici carnis erubescunt. Sunt etiam nonnulli qui intra sanctam Ecclesiam per speciem reginis gloriam affectant honoris ; videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, attestante veritate primas salutationes, primos recubitus in cœnis, primas in conventibus cathedras quærunt (*Matth.* XXIII, 2) ; qui susceptæ curæ pastoralis officii ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud dicitur et aliud docetur.» Hinc Jacobus : *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis* (*Jac.* III, 1).

Item Gregorius : « Qui sacris nescit obedire camonibus, nec sacris sit dignus administrare altaribus. Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subjectos tramite vitæ melioris præire. » Et rursus : « Sicut iniqui et peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibetur ita indocti et imperiti tali officio retrahuntur, Illi enim exemplis sui vitam bonorum corrumpunt isti sua ignavia iniquo corrigere nesciunt. Quid enim docere poterunt quod non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere qui nescit docere. Ignorantia quippe præsulum vitæ non congruit subjectorum : » Et alibi (part. II *lib. past.* cap. 3) : « Sit rector discretus silentio, humilis in verbo, ne aut tacenda proferat: aut proferenda taceat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam . . . . . Cæcus pastor est, qui supernæ lumen cons . . . . . præsentis vitæ tenebris pressus dum venturam lucem nequaquam dilligendo conspicit . . . . . ait : Parvo autem naso est qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Nosque quippe odores fetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. » Et rursus : « Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. Unde recte per prophetam dicitur : *Mortificabant animas quæ non moriuntur et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII, 19). Non morientes quippe mortificat, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio solvere conatur. » Isidorus (lib. III *Sent.* c. 36.) « Tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor : nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem fa-

(47) *Post illata*. Hic etiam nobis, nec fortasse nimium, indulsimus. Nam hoc loco legebatur *postulata*.

(48) *Intenta*. Editi, *in tenta* quod cum non placeret, sic emendavimus, ut vides.

cit. » Item (Idem ibid., cap. 46) : « Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. Testante Domino ad prophetam : *Speculatorem te dedi domus Israel. Si non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ille in iniquitate sua morietur ; sanguinem vero ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* XXXIII, 7). » Prosper (sive Julian. Pomerius, l. I *de Contemplat vita* c. 20) : « Quod vero dicit Apostolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus quid volebit si is cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene vivendo se imitandum bonis non exhibeat, et malos tacendo non arguat ? » Miror ergo qua inani deludantur intentione, qui Dominicam parvipendentes censuram, qualescunque ad episcopalem dignitatem eligere quærunt, quos sibi magis utiles, quam Ecclesiæ profuturos suspicantur. Unde sæpe evenire solet, ut nec Ecclesiæ congruos, nec sibi proficuos sentiant : et dum pro amore hominis Deum offendere non metuunt, ab ipsis solent etiam perpeti injuriam, quo contra Dei nutum provehunt ad cathedram ; ut merito se errare doleant, qui Dei honorem suo non præposuerant. Unde beatus Ambrosius ait (lib. III *Offic.* c. 16) : « Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. » Si enim secundum beatum Apostolum, *Quid oremus, ut oportet nescimus* (*Rom.* VIII, 26) quomodo scire possumus . . . . . quæ evideant, ita fuerunt . . . . . si nostræ solius curæ committamus. Hinc raro omnino eveniet, quod pro . . . . . *Primum quarite regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Si quis . . . . . sari tentaverit, ut sibi profutura absque justitia quærant, seipsum destruere . . . . . stabilire valebit. Ait enim ipse de divite plurima sibi in futuro promittente : *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, quæ autem parasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20.) Et alibi : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV, 13). Et rursus : *Qui mecum non est, contra me est ; et qui non colligit mecum, spargit* (*Matth.* XII, 30). Et Joannes Baptista : *Nemo potest habere, nisi quod ei fuerit datum desuper* (*Joan.* XIX, 11). Et beatus Petrus apostolus : *Humiliamini sub potenti manu Dei ut vos exaltet in tempore tribulationis. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (*I Petr.* V, 6). Joannes quoque evangelista ait: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum* (*Jac.* I, 17). Et Jacobus apostolus : *Ecce nunc qui dicitis : hodie aut crastina ibimus in illam civitatem et faciemus ibi annum, et mercabimur et lucrum faciemus. Quæ enim vita vestra ? Vapor est ad modicum apparens, deinceps exterminabitur* (*Jac.* IV, 13). Psalmista quoque ait : *Jacta cogitatum tuum in Domino et ipse enutriet* (*Psal.* LIV, 23.) Et item : *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII, 11). Et alibi : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Et Isaias ait : *Væ filii desertores, dicit Dominus. ut faceritis consilium, et non ex me, ut et ordiremini telam, et non per spiritum meum* (*Isai.* XXX, 1). Et iterum : *Fecisti malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis* (*Isai.* LXV, 12). Et rursus : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus* (*Isai.* LX, 8). Et alibi : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant* (*Jerem.* XXIII, 21). Hieremias quoque ait : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* (*Jerem.* XVII, 5). Et : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus* (*Ibid.*, 7). Et item : *Scio, Domine, quia non sunt hominis viæ ejus nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos* (*Jerem.* X, 23). Et rursus : *State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona ; et ambulate in ea et invenietis refrigerium* (*Jerem*, VI, 16). Maxime quidem temeritatis est gratiam sancti Spiritus injuste offerre, quam novimus eumdem spiritum minime [confirmare ; nec securus potest esse de munere, qui hujusmodi officium suscipit indigne] . . . . . tanquam Aaron. Sed ne aliquis . . . . . odis Dominus sua nobis concessit perquirere mandata. Interrogemus . . . . . testamentum, quam etiam et per Evangelium, interrogemus prophetas, interrogemus apostolos, interrogemus sacrorum canonum edicta, atque cæterorum sanctorum Patrum statuta, et quod ab eis didicerimus . . . . . certissime teneamus. Nullis novis consiliis decipiamur, ut ea quæ ipsi sanxerunt, violari aliquo modo conemur : quoniam qui illorum contendit regulis impugnare, restat ut eorum non mereatur consortium obtinere. Ait enim ipse Dominus, ut dictum est : *Qui mecum non est, contra me est, et qui non colligit spargit* (*Luc.* XI, 23). Et iterum : *Qui non intrat per ostium in ovile sed aliunde ascendit ille fur est et latro* (*Joan.* X, 1). Unde et mox sequitur : *Ego sum ostium, per me si quis intraverit salvabitur* (*Ibid.*, 9). Et contra indignos pastores ipse per prophetam queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt et non ex me; principes exstiterunt et non cognovi* (*Osee* VIII, 4). Unde ait beatus Gregorius (parte I *Curæ past.*, c. 1) ; « Ex se namque, et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua accensi cupidine, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur. » Inutiles namque sacerdotes internus Judex et provehit, et non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profecto in eis judicium approbationis ignorat. Unde ad se quibusdam per miracula venientibus dicit : *Recedite at me, operarii iniquitatis, nescio qui estis* (*Matth.* VII, 33).

Sane sciendum, quia tunc poterit episcopalis reverentia manere sincera et illibata, si ordinationis fuerint competentia in omnibus jura servata. Nam qui diligenti examinatione regulariter fuerit electus, pro Christi misericordia credimus, quia suis existentibus culpis vix unquam erit dejectus. Sed quia irreligiose eliguntur, inaniter ordinantur, indifferenter accusantur, injuste opprimuntur, perfide dejiciuntur, crudeliter etiam aliquando et necantur. Omnia tamen quæ pro tali illicita ordinatione mala eveniunt, ad ordinantis pertinere periculum manifestum est. Denique tandiu inquirendus, vel examinandus (49) est qui ad pontificalem provehatur gratiam, quandiu talis inveniatur qui pro suis meritis digne ab omnibus veneretur, et a nemine jam in posterum accusetur ; nullamque ejus sancta conversatio turpem ultra oriri permittat vel suspicionem. Ait enim beatus Augustinus : « Qui Pastorum » nomen audire volunt . . . . . [Non debet ordinari qui legitime possit accusari. Si vero, ut in talibus quod pejus evenire solet, falsa ab aliquibus vaniloquii postmodum opinione ventiletur, ipsi] . . . . . dignam iniquitatis suæ pœnam patiantur. De illo tamen nil indecorum atque [sinistrum ullo modo jam ultra credatur.] Quomodo enim libere poterit episcopus stultorum errores redarguere, si se timeat . . . . impediri. Saniori quapropter uti convenit consilio, et sic omnipotentis secuta non est (50) voluntas, ut ei pia Majestas * acta nostra dirigat universa. Ejus si rite assequamur servitium, nostræ quoque salutis ipse perficiet statum. Decet ergo ut nec indigni ordinentur, nec ordinati vexentur. Talisque (51) ordinandus, qui jam in perpetuum non sit vexandus, sed cum ingenti honore habendus, et summa diligentia observandus. Gratia absit, causam merita decernant. Qui enim quem diligit injuste viderit prælatum, tunc jam lugeat necesse est ut dejectum. Sic est enim qui indigne aliquem sublimare laborat, quasi qui ad altius protrahit præcipitium, ut inde deterius demergatur. Unde et Dominus ad Ezechielem loquitur, dicens (*Ezech.* XXXIV, 2) : *Fili hominis propheta de pastoribus Israel, propheta et dices pastoribus : Hæc dicit Dominus Deus : Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis ; gregem autem non pascebatis. Quod infirmum fuerat, non consolidastis, et quod ægrotum, non sanastis ; quod fractum est, non alligastis : et quod abjectum est, non reduxistis : quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia ; et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. Erraverunt greges A mei in cunctis montibus et in universo colle excelso : et super omnem faciem terræ dispersi sunt omnes greges mei, et non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini. Vivo ego, dicit Dominus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor : neque enim quæsierunt pastores gregem meum ; sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant. Propterea, pastores, audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit eis ultra in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce B ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum : sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. Et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam : et pascam eas in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel sunt pascua earum : ibi requiescent in herbis viventibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram, et quod abjectum erat, reducam : et quod confractum fuerat, alligabo : et quod infirmum erat, consolidabo : et quod pingue et fortius, custodiam : et pascam C illas in judicio.* Quid rogo, est Deus, ut ea quæ ad ipsum specialiter pertinent nostris audeamus usibus retorquere, et quæ suis jubet committere dilectis, nostris ne timeamus tribuere asseclis ? Nunquid nos pariter et ipsos cum voluerit perpetuis poterit implicare ruinis ? Non enim quæ nobis delectant hæc agere, sed quæ a Deo jubentur custodire oportet. Nec consideremus quod sint aspera, sed potius intendamus quod omnino sint observanda. Nam cum diceret Dominus ad Abraham : *Exi de terra tua, et de cognatione tua ; et vade in terram quam monstravero tibi* (*Genes.* XII, 1). Mulcebat Abraham suorum suavitas, sed imperii cœlestis, et remunerationis æternæ consideratio eum amplius movebat : immu- D tari quapropter in melius malas convenit consuetudines, et unusquisque suum ministerium sollicite custodiat, nec alienum usurpare intendat. Clerici militiam non exerceant, nec publica vectigalia exigant, et fenus nullo modo exsequantur. Laici quoque cujuscunque sint ordinis vel dignitatis, ecclesiasticarum rerum dominationem vel dispensationem arripere non præsumant : nec aliquem in clericorum gradu constitutum judicare aut vexare conentur,

(49) *Examinandus.* Sic codex Resb. emendate : prior editio, *excommunicandus*, corrupte.

(50) *Secuta non est.* Locus hic sane corruptus est : conjicio legi oportere, *sequenda nobis est*, et pro *pia majestas*, lego *pietas*.

(51) *Talisque.* Sic codex Resb. editi, *talis quæratur*.

nisi ab episcopis, ad quos, ut jam supra dictum est, pertinent, pro aliqua utilitate invitentur. Ait vero beatus papa Cornelius : « Laicis quamvis religiosi sint, nulla tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas.» Beatus quoque Joannes Baptista publicanis et militibus ad suum baptisma venientibus, et quod facerent interrogantibus dixit : *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis ; et neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* III, 13). Stipendiis quidem suis contenti sunt, qui illicita non apponunt, nec aliena concupiscunt. In electione vero pontificum [sanctorum in omnibus canonum ordo servetur, nullus clerus vel populus præjudicium patiatur ; sed libera sit eis absque alicujus controversia facultas tranquille quem melius præviderint, eligendi. Electus quoque tam a metropolitano, quam a cæteris comprovincialibus episcopis diligentissime examinandus erit. Quod si quis contra eum] juste aliqua poterit objicere, licentiam habeant in omnibus tunc [ventilare, quem si convincere poterit de culpa,] a benedictionis removeantur gratia. Si vero dignus inventus fuerit, tunc cum [consensu et notitia principis] ad cujus ditionem eadem parochia pertinere videtur, solemniter et devotissime [consecretur. Post cujus ordinationem] omnium adversariorum linguæ refrenentur, nec sibi jam licere putent contra prælatum quod dudum licuit [in collega] : nullusque eum accusare vel judicare ulterius præsumat, nisi quemadmodum canonum decent edicta. De quibus, ne a nobis omnino viderentur omissa, quædam quamvis pauca in principio hujusce nostræ adnotationis commemorare curavimus. Sed et si cui fortasse et illa non sufficiunt, sanctorum Patrum statuta diligentissime perquirat, ut plenius inde instrui valeat.

Explicit pars secunda de ordinationibus episcoporum.

PARS TERTIA.

De facultatibus Ecclesiarum.

Præterire non possumus, quod res ecclesiasticæ post mortem vel expulsionem episcopi in direptionem et rapinam sæcularibus tradantur : cum dignum sit quod ea in episcopio remapeant, per œconomum et cæteros dispensatores ecclesiæ usque ad ordinationem futuri episcopi intemerate serventur, ne ab aliis per quodvis ingenium ullo modo subripiantur. Quid enim interest si vivente episcopo, aut post mortem ejus, res ecclesiasticæ ab exteris diripiantur ? aut quid prodest si similia conserventur, horrea autem et cellaria, clerus et familia, et cætera quæ ad Ecclesiam pertinent deprædentur ? Talibus enim ait Dominus in Evangelio : *Vos dicitis : qui jurat in altari non debet ; qui autem jurat in auro quod super altare est, debet. Stulti et cæci, quid est plus aurum, an altare quod sanctificat aurum ?* (*Matth.* XXIII, 17.) Et iterum : *Culicem liquantes, et camelum glutientes* (*Ibid.*, 24). Denique si necesse fuerit, omnis Ecclesiæ thesaurus laudabiliter in prædictis expenderetur ; nihil tamen horum pro thesauro commutandum est : verum omnia quæ ad usus Ecclesiæ pertinent, ornamenta Ecclesiæ sunt, præcipue sacerdotes, clerus et familia, nec possunt absque periculo abuti. Hujuscemodi ergo sanctarum ecclesiarum persecutores beatus Pius Romanus pontifex (Pius papa I) increpans, ait (*epist.* 2) : « Ad sedem apostolicam perlatum est quod sint inter vos contentiones et æmulationes, et prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, et Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos et Domini sacerdotes persequi, eosque infamare audivimus, ut malum supra malum addant, et deteriores fiant ; non intelligentes quod Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, et crescit in templum Dei. Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, et ejus prædia et donaria exspoliat, et invadit, fit sacrilegus : sic ille qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit, et sacrilegus judicatur. Nunquid si aliquis monilia sponsarum vestrarum detraxisset, injuriam eis, et potius vobis factam conquereremini ? Ait enim beatus Gregorius : « Omnis qui nostra tollit inimicus est. Cum enim omnia quæ sponsa habere videtur, ad ejus sponsi constet respicere dominium, et sanctam Ecclesiam Christi sponsam esse nullus abneget catholicus, omnia quæ Ecclesiæ sunt Christi esse probantur ; et quæ ab ea auferuntur, ipsi procul dubio tolluntur. »

Revera ergo inimicus Christi efficitur qui ecclesiasticas res usurpare conatur, nec immerito eadem decidet sententia, quam beatus David proclamans ait : *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient* (*Psal.* XXXVI, 20). Qui enim Deo creatori suo, et omnium beneficiorum datori inimicus esse probatur ; homini, per quem hæc tantummodo ministrari aliquo modo possunt, fidelem se esse revera mentitur. Quid ergo juvat eos esse Christianos, et Christi deprædari Ecclesiam ? Quod beatus Paulus apostolus increpans ait : *Qui abominaris idola, sacrilegium facis* (*Rom.* II, 22). Divinæ enim res non hominum possessiones esse noscuntur, nec licet sæcularium dignitatum inde fieri additamentum : quoniam ecclesiasticorum vel pauperum sunt præparata ad usum. Decet namque ut sancta Ecclesia inconcussa atque inoffensa ab omnibus observetur Christicolis, nec in aliquo dehonestetur ab ipsis. Sponsa enim, ut jam diximus, Christi est, et omnium domina, qui se de Domini confitentur esse familia. Quis ergo tam insipiens Christianus ejus se dominum audeat nominari, vel ejus rebus

præsumptive perfrui? Scriptum quippe est: *Non est servus super dominum suum* (*Matth.* x, 24). Dignum enim procuratorem ei inter homines invenire vix possumus, Dominum autem ejus penitus ignoramus præter illum, de quo Joannes Baptista ait: *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III, 29). An sancta Ecclesia sponsa Christi. . . . . summa itaque Salomone ipsam. . . . . rursus devotissime imploremus, ut ipsam pro nobis ad eum interced . . . . . auferre, sed devotissime, quæ necessaria sunt inibi postulare . . . . . re, nam et David esuriens propositionis panes de templo arripere vi non præsumpsit. . . . . donis vero, quamvis a rege missus, quia de templo Dei aliquid auferre voluit, ab angelo percussus est. Sed quid mirum, si fidelis princeps rem Deo dicatam in maxima quamvis constitutus necessitate arripere timuit, cum etiam ab ipsis paganis et barbaris tam in Veteri Testamento quam in Novo hoc ipsum observatum legamus Nam Pompeius vir gentilis et bellicosus, cum rebellantem Jerusalem expugnasset, infinitam thesauri copiam in templo Domini audierat congregatam, ad quam cum modo videndi solum causa accessisset, cuncta quæ aderant sibi sigillatim jussit exponi. Quarum multitudinem admirans, nihil penitus exinde contingere præsumpsit. Item Alericus vir infidelis et barbarus, cum bello Romanam cepisset urbem, omnia quæ ad Ecclesiam confugerant salva esse permisit. Et hoc illi divina mysteria ignorantes. Catholici vero principes manifestum est quia Ecclesiæ Dei non præsumpserant dominari, sed elegerant sedule famulari. Idolis quoque servientes terram sacerdotum, vel templorum suorum a publica functione removebant. Quod et de Pharaone rege Ægypti legimus, qui cum omnem terram Ægypti suæ redegisset ditioni, terram sacerdotalem excepit, et indemnem permisit.

Quid ergo de illis, qui ea quæ ad præsens inveniunt deprædantur, et quæ in futuro congregari posse credunt, exactori quasi sub pastoris nomine vendunt, et quanto majora fuerunt patrimonia, tanto prolixius episcopalis ordinatio propalatur; ut nihil remaneat indiscussum, quod utile videatur ad usum? Ut sic pariter luat Ecclesia animarum dispendium, amissionem et rerum. Et tunc tandem novissime sequitur episcopalis ordinatio, quam parcorum præcedit electio; neque inquiruntur merita, sed potius eliguntur munera. Cujus unquam prædia toties deprædata et postmodum venundata, quemadmodum sanctæ Ecclesiæ inveniuntur? Aut quibus sacrificiis tales poterunt expiari prædones? Denique scriptum est: *Si peccaverit vir in virum, placare ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* (*I Reg.* II, 25.) Quidam et ab ipsis episcopis fuerint cautione firma. . . . . *Omnes principes eorum qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam; et sicut stipulam ante faciem venti* (*Psal.* LXXXII, 15). Et Jeremias: *Hæc dicit Dominus: Adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quam tribui populo meo Israel. Ecce ego evellam eos de terra sua* (*Jerem.* XII, 14). Dignum [est ut] qui ecclesiasticas res, Dei siquidem hæreditatem contaminare præsumunt, a propria qua juste perfrui poterunt excludantur.

Hoc vero diligentissime intuendum est, quia Deus omnipotens, quamvis nostris exigentibus culpis Ecclesiam suam flagellare voluerit per deprædationem, vel aliquam contritionem, non suis dilectis, sed illis hoc agere permittit, quibus diram exinde in posterum reddat vicissitudinem. Ut in Isaia legimus, de Jerusalem dicente Domino ad Babyloniam: *Sede tacens intra tenebras, filia Chaldæorum; quia non vocaberis ultra domina regnorum. Iratus sum super populum meum, et contaminavi hæreditatem meam, et dedi eos in manu tua, non posuisti eis misericordias* (*Isai.* XLVII, 5). Quamvis enim Chaldæos Dominus ad capiendum Israel miserit, sed quia crudelitate in eis propria abusi sunt, et majores illis imposuerunt plagas quam Dei ultio efflagitabat, iratum se adversus eos manifestissime clamat. Et paulo post rursus ad Hierusalem: *Eos vero qui judicaverunt te, ego judicabo* (*Isai.* XLIX, 25), *et omnem linguam resistentem tibi, judicio judicabis* (*Isai.* LIV, 17); et item: *Non in sempiternum litigabor, neque usque ad finem irascar* (*Isai.* LVII, 16); et iterum: *In indignatione mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui* (*Isai.* LX, 10). Et Jeremias: *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus, omnes qui devorant eum delinquent, mala venient super eos, dicit Dominus* (*Jerem.* II, 3). Et David in psalmis: *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus* (*Psal.* XIX, 9); et item: *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt* (*Psal.* XXVI, 2). Et Dominus de Israel rursus: *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis; neque nocebo in veritate mea* (*Psal.* LXXXVIII, 33). Et item Jeremias ad Dominum: *Tradidisti enim nos, ut emendaremur; illi autem aggravaverunt jugum suum super nos.* Et Dominus in Evangelio: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6). Sed dicet aliquis: Quamvis enim res ecclesiasticæ a me detineantur, liquet quia plura beneficia [ex ipsis per me adversus eamdem ecclesiam ministrantur, quam si ab iisdem ecclesiasticis detinerentur: sed errant.] Quæ ergo opera [misericordiæ de hujusmodi frugibus a talibus poterunt legitime præparari? Nunquid eleemosynas] largiri? vel fortasse potius [ipsius ecclesiæ cujus beneficiis vi potiuntur, altaria cooperiri, vel luminaria] succendi, architecta reparari? Clamat Dominus per Osee: *Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocausta* (*Osee* VI, 6). Et item: *Ego Dominus diligens judi-*

cium, et odio habens rapinam in holocausto (*Isai.* LXI, 8). Deus justorum diligit paupertatem, quam divitum munera, quæ de rapinis sunt . . . . . Deus ad munera Cain ; quia quamvis recte offerret, tamen non recte dividebat cum fratre. Ait enim beatus Ambrosius (lib. I *Offic.*, c. 30) : « Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat, si injuste acquirat, ac juste dispendendum putet. » Et item : « Fundamentum igitur habeat liberalitas tua. Hoc primum quæritur ut cum fide conferens, fraudem non facias oblatis. » Et paulo post : « Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum. Quamvis quidam perverse intelligentes assumant sibi in testimonium, quod Dominus ait in Evangelio : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in ælerna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9). Mammona enim divitiæ sunt, quæ bene iniquitates dicuntur, quod sæculares divitiæ vix crescunt nisi absque rapina. Omnis enim rapina iniquitas est, sed non omnis iniquitas rapina: iniquitas enim dicitur quidquid plus vel minus æquo fit ; rapina autem est præda, dicta a rapiendo, id est a violenter capiendo. Non ergo jubemur amicos de rapina facere, sed de mammona iniquitatis. De rapina autem eleemosynam dare nullatenus possumus. Quod Zachæus ille publicanus prudenter considerans, ait ad Dominum : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus ; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX, 8). Totum enim daret pauperibus, si se innocenter ante conversionem vixisse cognosceret; sed quia aliquid per fraudem se abstulisse consideraverat, dignum censuit prius ablata juxta legem reddere, et sic postmodum quæ remanserant pauperibus erogare. Antiqua enim lex in quadruplum restitui jubebat ablata. Et quia dimidiam bonorum suorum partem, ad hoc sufficere credidit, competenter et dimidiam egenis distribuit, sibique nihil in posterum reservavit. Igitur si evenerit ut quibus reddantur, quæ injuste ablata sunt, vel hæredes ipsorum inveniri non possint, melius est ut ipsorum, cujus [fuerant nomine in eleemosynis distribuantur, quam a raptoribus capiantur. Sed si fieri potest, magis reddenda sunt, quam aliter quoquomodo dispensanda. »] . . . . fecerit Domino. . . . . . exemplum, ut spe eleemosynæ faciendæ, l. . . . . laudatus est, sed de prudentia. Nam si de bonitate . . . . . non vocaretur, sed in eo ejus laudatur prudentia, quia prospexit . . . . . a nobis imitandum est. Villici sane omnes sumus, quia dispensationem Dominicarum rerum omnes accepimus. Nam secundum beatum Paulum apostolum : *Nihil habemus quod non accepimus, et nihil intulimus in mundum : nec efferre quid possumus* (*I Tim.* VI, 8). Tempus faciendæ villicationis et reddendæ rationis, fini intentæ prope est. Ergo prospiciamus nobis in futurum, et dum tempus habemus, operemur bona ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Quoniam sicut ait beatus Ambrosius (lib. I *Offic.* c. 30, ante med.) : « Omnibus debemus misericordiam ; sed quod plerique eam fraude quærunt, et affingunt ærumnam ; ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet profundere misericordia. » Unde beatus Joannes apostolus ait : *Nolite credere omni spiritui, sed probate utrum ex Deo sit* (*I Joan.* IV, 1). Talibus ergo opem inferre non desistamus, ut ipsorum meritis et intercessionibus introduci mereamur in æterna tabernacula.

Sed quia asperum quod denuntiamus observare volentibus omnino videtur, dum penitus blasphemare sanctarum Scripturarum non audent auctores, ipsos persequi non omittunt relatores, ut quasi securius de ignorantia se excusari possint, si hæc minime audierint. Econtra nos Dominus admonet Ezechieli prophetæ dicens : *Tu, fili hominis, speculatorem te posui domui Israel, audiens de ore meo verbum, annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur : sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate et via sua mala ; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 17). Et Jacobus apostolus : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam ; et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* V, 20). Isaias quoque ait : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Israel peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt : quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non reliquerit : rogant me judicia justitiæ, appropinquare Deo volunt* (*Isai.* LVIII, 1) . . . . . Et rursus : *Sed et si quid patimini propter justitiam, beati eritis* (*I Pet.* III, 14) ; et iterum : *Timorem non timueritis, et non conturbemini* (*Ibid.*). Cum enim subjectionem nobis imperaret, ait propter Deum ; quia præter eum nil nobis intend . . . . . arte compellamur. Et rursus : *Deum timete, regem honorificate* (*I Petr.* II, 17). Quia sic rex honorificandus est, ut Dei timor præcedere videatur. Unde et remunerationem promittens mox adjecit : *Sed et si quid patimini propter justitiam, beati eritis* (*Ibid.*); et item : *Timorem autem ne timueritis, et non conturbemini* (*Ibid.*). Et beatus Paulus apostolus ad Titum : *Admone illos principibus et potestatibus subjectos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse* (*Tit.* III, 1). Unde ait beatus Hieronymus : « Si bonum est quod præcipit imperator et præses, jubentis obsequere voluntati ; sin vero malum, et contra Deum sapit, responde illud ei de Actibus apostolorum : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). » Beatus quoque Ambrosius ait : « Licet tibi silere in negotio duntaxat pecu-

niario, quanquam sit constantiæ adesse æquitati. In causa autem Dei ubi commune periculum est, etiam dissimulare peccatum est non leve. » Et item : « Episcopus neque adulantem se, neque adulandum cuique exhibeat. Alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum (l. I *Offic.*, c. 47). » Unde valde metuendum est, ne humanam observando gratiam, divinam adversus nos concitemus iram ; et dum a momentaneis adversariorum nos præcavere quærimus insidiis, æternis mancipemur periculis, et illud eveniat quod in Salomone legitur : *Qui timet pruinam, irruet super eum nix* (*Job.* VI, 16). Ait enim Dominus in Evangelio : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum* (*Luc.* IX, 26). Et beatus Sixtus papa ait : « Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. » Et Isidorus (lib. III *Sent* c. 44) ; « Qui corrigere potest et dissimulat, verum est quia consensum erroris alieni habeat. » Et beatus Hieronymus : « Omnis correctio quæ proficit ad salutem, ad præsens videtur esse tristitiæ, sed postea fructus habet pacificos. » Sed quod absque gravi dici non potest gemitu, [quidam ex nostris in tantum se pravis subjiciunt potestatibus, ut etiam divina verba, sanctorumque Patrum edicta ad redarguendum vitia prolata, adeo falsis nitantur vituperationibus obumbrare, ut etiam sacris videantur confirmare doctrinis, quæ omnimodis dudum destructa sunt in ipsis. Hi ergo tales merito pseudoprophetæ, et pseudochristi dicuntur.) . . . modo vel gloria vitæ temporalis per adulationis lapsum se terrenis potestatibus . . . . . subjiciunt. Et hoc certe quidam ideo facere videntur, ut ipsorum delicta potentium auctoritate indiscussa relinquantur ; sibique conscii de proprio timent facinore argui, si illorum defendere pravitates non decertaverint. Quos et congruenter admonet idem dicens : « Consideret namque homo cum quo adversario bellum gerat, in suam se mali, quo deliquisse perpendit, saltem ad culpam protrahi, ex culpa pertimescat. Talibus quidem Dominus etiam per Isaiam comminatur, dicens : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras* (*Isai.* V, 20). Et supra ad Hierusalem : *Caupones tui miscuerunt vinum aqua* (*Isai.* I, 22). » Hieronymus (lib. IV *in Jerem.* c. 13) : « Sæpe imitatur mendacium veritatem, et nisi habuerit aliquam recti similitudinem, decipere non potest innocentes. » Et iterum : « Si aliquando nobis pro necessitatibus et augustiis humilitas opus est, sic eam sumamus, ne veritatem et constantiam deseramus. » Quibusdam etiam nec se tantummodo errasse sufficit, sed ad sui detrimenti cumulum quosque in errorem proprium deducere quærunt. Resistentes quoque sibi in hujusmodi in tantum proterve increpant, quantum se in perversorum potentia gratiosius confidunt. Nam semper mendaces vera dicentibus adversantur, et iniqui fideles persequi non omittunt : quia secundum beatum Ambrosium : « Plerumque etiam ex doctrina arrogantia nascitur. » Hinc et legimus in Jeremia, quod Semel pseudopropheta iratus sit contra mendacium suum vera scripsisse Jeremiam. Unde et Dominus : *Ecce ego visitabo super Semeiam* (*Jer.* XXIX, 32). Et Isaias : *In quo percutiam vos ultra addentes prævaricationes?* (*Isa.* I, 5.) Item in psalmis : *Declinantes autem in obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* (*Psal.* CXXIV, 5). Et Petrus apostolus : *Omnis prophetia vel scriptura propria interpretatione non fit* (*I Petr.* I, 20). Et Joannes : *Omnis qui præcedit, et non manet in doctrina Christi, Deum non habet* (*II Joan.* IX). Et Jacobus : *Si zelum amarum habetis, et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari* (*Jac.* III, 14). Hi etenim injuste damnari nihil metuunt proximum, ubi favorem sperant acquirere principum, de quibus etiam et beatus papa Alexander . . . . . (52) . . . Personam potentis accipere ut requisiti ab eo pro favore . . . . . non dubitent in causa proximi . . . quis est veritas, nisi ille qui dixit : *Ego sum via, veritas et vita?* (*Joan.* X V, 6.) Augumentari etiam . . . . scelere quam et de oppressorum miserabili elisione, cum sit nostri opprimi, ... vero instantissime juvare. Unde beatus Ambrosius : *Errantem amicum corripe . . . . . ne deseras ; in adversis enim amicus probatur. Nam in prosperis amici omnes videntur.* Et iterum : *Non defendas improbum, et sancta indigno committenda non arbitreris ; neque impugnes acrius crimen, non deprehendis* (sic). Et alibi : *Nihil opinionem imo* (sic) *fidem gravat, quam si in judicando potentiori dones causam inferioris, et pauperem innocentem arguas, divitem excuses reum culpæ.* Et rursus : *His enim favemus frequenter, a quibus referendæ vicem speramus gratiæ. Sed eo magis infirmos et inopes sustentare convenit, quia pro eo, qui non habet, remunerationem speramus a Domino Jesu, qui sub specie convivii generalem virtutum edidit formam, ut his potius nostra conferamus beneficia qui nobis ea non possunt repræsentare, dicens : Ad convivium atque epulas non eos qui divites sunt, sed pauperes invitandos ; idem adjuvat ad profectum bonæ existimationis, si de potentis manibus eripias inopem. Nam si oppressum opibus potentis et factione magis quam sceleris sui vitio gravatum liberaveris, egregie valescit opinioni testimonium.* Et Job ait : *Salvum feci pauperem de manu potentis, et pupillum cui adjutor non erat, adjuvi* (*Job* XXIX, 12). Et item : *Benedictio perituri in me veniat* (*Ibid.*, 13). Et Isaias : *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate : dicite pusillanimis, nolite timere* (*Isa.* XXXV, 3). Quapropter, fratres mei dilectissimi, a rectitudinis tramite nullatenus recedamus, quia secundum eumdem beatum Ambrosium justitia nec locis nec personis nec tem-

(52) Quæ sequuntur adduntur ex Mansi apud Baluz., Miscell. sacr. editionis Luccensis.

poribus excipitur; sed in Domino unanimiter confidentes dicamus : *Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII, 8, 9), et illud procul dubio Evangelium patienter exspectemus : A *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 10), ubi nos pius Dominus perducere dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen (MANSI, apud Baluz., *Miscell. sacr.*).

ATTONIS EPISCOPI

VERCELLENSIS

EPISTOLÆ.

(Apud Acherium, Spicilegii tomo I, pag. 431.)

EPISTOLA PRIMA
AD VALDONEM EPISCOPUM.

ATTO gratia Dei humilis episcopus fidele servitium cum devotis orationibus.

Multas vestræ charitati mercedes referimus pro tam benevola legatione gratia fraternitatis suscepta. Quod autem vos nobiscum colloquium habere velle indicastis, vel cum nostro misso, Deus scit, quia si debita inter nos unitas permaneret, libenter in vestrum et veniremus et dirigeremus servitium. Sed quod pejus est, tanta inter nostrum seniorem et vos excrevit dissensio, ut nec loquendi, nec nostrum missum dirigendi in vestrum servitium absque ejus licentia nobis nunc tempus conveniat. Verumtamen quod magis in commune necessarium esse cognovimus, debitæ charitatis vinculo constricti, celare vobis minime valemus. Humiliter vestram rogantes celsitudinem, ut quæ a me vestro fideli, quin et infimo confratri humiliter dicenda sunt, deposito supercilio pacifice audire dignemini. Non te, Domine, lædat, quod aliquid quasi magistrando tibi insinuare præsumam, qui ut familiaris vernaculus suggerere vestræ magnificentiæ opportuna desidero. Unde, Domine mi, tanta vestro cordi subripere potuit temeritas? unde tanta exquiri potuit occasio? unde vestra mens tam cito potuit concitari, ut sacerdotalis immemores reverentiæ, ex improviso a vestro discederetis seniore, vestrisque benevolis confratribus, et gratis in ipsos insurgere non vereremini? Non leve est regalem impugnare majestatem, etsi injusta in aliquo videatur. Dei enim ordinatio est; Dei est dispensatio. Profanum est enim D violare quod Deus ordinat. Ait enim Dominus per Moysen : *Principem populi tui ne maledicas* (*Exod.* XXIII, 28). Namque cui nec maledicere licet, liquido patet quia et persequi non licet. Et per beatum David : *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* CIV, 15). Quod quanta mansuetudine ipse observaverit, manifestum est. Certe jam Saul sua protervia ab ipso Deo fuerat reprobatus; jam et ipse David divina gratia in regem fuerat unctus, et tamen cum in B spelunca in manu ipsius Saul incidisset, dixerunt servi David ad eum : *Ecce dies de qua Dominus locutus est ad te : Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David eo quod abscidisset oram : dixitque ad viros suos : propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est. Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus veneril ut moriatur, aut descendens in prælium perierit; propitius sit mihi Dominus, ne mittam manum meam in christum Domini. Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul* (*I Reg.* XXIV, 5). Quamvis enim de illius abjectione, suaque electione minime dubitaret, eoque persequente usque ad interna coarctaretur speluncæ, tamen manum in eum extendere noluit, sed divinum judicium exspectavit. Et quod oram tantummodo chlamydis ipsius absciderit, postea eum pœnituit, eo quod principis indumentum vel in aliquo dehonestaverit. Sic rex electus reprobato pepercit, quamvis ab ipso innocens persequèretur, nimisque angustaretur injuste.

C Samuel quoque cum, jubente Domino, hunc jam regem super Israel unxerit, vocatus a Saule ire non distulit, quin et pro eo se oraturum spopondit, dicens : *Absit a me ut cessem orare pro te* (*I Reg.* XII, 23). Sed nunc rebelles milites resistere Domino suo manu armata non formidant, eumque expellere a D regni solio omnimodis laborant. De talibus enim ait Dominus : *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. Cæcus enim si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14). Sacerdotes vero Dei, quibus divina sunt perscrutanda mandata, non tantum se custodire a talibus, sed etiam alios quos valent, retrahere convenit. Certe ipse Dominus tributum, jubente Cæsare, dare nullo modo prohibuit, dicens : *Reddite quæ Cæsaris sunt, Cæsari* (*Matth.* XXII, 21). In quo non tantum tributi redditio, sed totius debiti

honoris reverentia intelligendum est. Quod etiam ipse cum ab exactoribus ut redderet, urgeretur, non dedignatus est perselvere ; sed ait Petro *Vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem ; illum samens, da eis pro me, et pro te* (*Matth.* XVII, 26). Unde et ipse tanta Magistri eruditus doctrina admonet Ecclesiam omnimode regibus servare obedientiam. Ait enim : *Deum timete, regem honorificate* (*I Petr.* III, 14). Nam post timorem Dei qui sapientiæ initium est, regium statim præcepit servandum esse honorem. Et item : *Sujecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Sic enim nos regis subjectos esse docet sicut præcellesic ducibus tanquam ab eo missis. Multum namque est inter principem, et missum ab eo. Sed hæc princeps docet Ecclesiæ. Vibeamus quid et ejus socius : *Non est postestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt, Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timoris boni operis. sed mali. Vis autem non timere potestatem ; bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei minister est tibi in bonum. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Ideo necessitate subditi estote : non solum propter iram, sed et propter conscientiam : Ideo enim et tributa præstatis : ministri enim sunt Dei in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII, 2). Item ad Timotheum : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui sunt in sublimitate constituti* (*I Tim.* II. 1).

Nam et beatus David cum peccatum suum Domino confiteretur, ait ; *Tibi soli peccavi* (*Psal.* L, 6), Quam sententiam diligentissime exponens Gassiodorus dicit : « De populo si quis erraverit, et Deo peccat et regi : nam quando rex delinquit, soli Deo reus est, quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet. Merito ergo rex Deo tantum dicit se peccasse, quia solus erat. qui ejus potuisset admissa discutere. » Sed quid dicendum est de omnibus aliis sanctis doctoribus in hoc consentientibus ? Qui vero contra hos omnes calcitrare voluerit, liquido patet quia ex Dominicis ovibus non erit, vocem Domini non audit, bonum pastorem non cognoscit, pascentem oves non intelligit, magistrum spernit. Superest ut fur sit et latro, mactet et perdat. Et si in ovili Dominico se conspicit, consideret unde vel quomodo intravit. Ait enim Dominus : *Qui mecum non est, adversum me est : et qui meeum non colligit spargit* (*Luc.* XI, 23). Sane sciendum, quia cum Deus omnipotens utilem populo principem donare dignatur, justum est ut ejus hoc pietati ascribant, et grates exinde dignas persolvant ; si autem adversus fuerit, suis hoc imputent peccatis, ipsumque flagitare non desinant, ut hoc secundum multitudinem misericordiæ suæ propitius disponat. Nam dejiciendus vel impugnandus nullo modo est a populo, qui jam ordinatus est a Deo. Equidem scriptum est in Daniele : *Quia dominatur excelsus in regno hominum et cui voluerit, ipse dat illud* (*Dan.* IV, 14). Nullus de alicujus dejecti regis injuria sibi assumat fiduciam. Quoniam quamvis mul. . . . . .

. . . . . .

. . tanti facinoris miserabile pertulisse exitium. Quod si cui enumerare liceat, ab ipsius gentis exordio diligentissime perquirat, et tunc cognoscere poterit populi hujus destructionem maxime propter hanc evenisse occasionem. Quia donee regibus repugnare quærunt, et a paganis undique opprimuntur, et a finitimis gentibus ideo conculcantur. Et dum præsumunt illicita, a debitis nihilominus privantur honoribus.

Sed quid de regia fidelitate et beatus Gregorius dicat, audiamus. Ait enim ad Mauritium scribens imperatorem (*lib.* II, *epist.* 61) « Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis dominis in omne quod agit et loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione mea neque ut episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. » Quamvis enim Mauritius in quibusdam inclementer ageret, et maxime contra ipsum, sicut ipsius scriptis declaratur, tamen domino hoc committebat, eique fidem servabat, et pro eo orare non differebat. Denique enumeratis injuriis ab eo sibi inflictis, ait rursus (*lib*, II, *epist.* 1 *in fine*) : « Inter hæc omnia incerta ad solas lacrymas redeo, petens ut idem omnipotens Deus piissimum dominum nostrum et sua hic manu regat, et in illo terribili judicio liberum ab omnibus delictis inveniat. » Sed quia Dominus sibi commissam vindictam non differat, eidem Mauritio postea aperte demonstratum est. Beatus quoque Ambrosius cum injuste persequeretur a principe, totum se Domino commendabat, nec defendendo resistere quærebat. Taliter sacerdotes Dei se contra iniquos principes munire debent. Sicut ait beatus Paulus apostolus : *Non vosmetipsos defentes, charissmi sed dale locum iræ. Scriptum est : Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 17). Nam armis defendi, deprædatione vel devastatione vindicari, præda ditari, vel homicidio vel dévastatione vindicari, præda ditari, vel homicidio vel detruncatione timeri, non sacerdotum, sed dæmonum est. Ait namque beatus David : *Nolite sperare in iniquitate : et in rapinis nolite concupiscere* (*Psal.* LXI, 11). Talia etenim perpetrantes mercenarii dici possunt, pastores aures nullatenus esse possunt. Aut quomodo Deo sacrificium offerre præsument, cum audiant ipsum Dominum dicentem : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet*

aliquid adversum te : relinque ibi munus iuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* v, 23,24) . . . . . adversum nos habere sentimus, sacrificium Deo nullatenus offerre debemus.

Igitur quæ de perversis regibus servanda fidelitate huc usque diximus, ideo adnotare curavimus, ut exinde intelligere valeamus, quanta diligentia quantaque cautela bonis obedire debeamus, quando nec etiam malos a subditis vexandos esse monemur. Quod si ira principis in tantum desæviat, vel si tam gravis fuerit culpa, ut ad ejus gratiam redeundi aditus nullo modo reperiatur, neque sacerdotali interventu, neque magnatum precibus, verum etiam nec familiarium consiliis vel supplicationibus, nullaque satisfactione ipsius animus placari possit, tunc fugiendum esse consulimus, dicente Domino : *Si vos persecuti fuerint in una civitate fugite in aliam* (*Matth.* x, 23), donec mittat Dominus auxilium de sancto, et de excelso misereatur omnipotens. Congruentius itaque fieri potest, ut aliquis procerum furorem regis sui fugiendo declinet, quam rex infra sui regni fines rebellantem adversum se persequi omittat. Audivimus etenim quosdam sic evadentes, ad pristinos postmodum felicissime remeasse honores. Quosdam vero pertinaciter intrantes, usque etiam ad contemptibilem exitum pervenisse. Est enim naturale remedium, ut qui pro diversitate morum simul permanere non poterunt, majores minores expellant, minores ipsos majores fugiant, Nam ut a subditis præpositi violentiam diu patiantur, ignominiosum est. Ait enim Dominus : *Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum* (*Ibid.*, 24). Venerabilis etiam Joannes Chrysostomus in quadam homilia sic ait : « Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus eligit sibi regem, quem vult : sed cum rex ille fuerit factus et confirmatus in regno, jam habet potestatem in hominibus, et non potest populus jugum ejus de cervice sua repellere. Nam primum quidem in potestate populi est facere sibi regem quem vult ; factum autem de regno repellere, jam non est in potestate ejus, et sic voluntas populi postea in necessitatem convertitur. » Sancti quoque Patres sacra celebrantes concilia, pro robore regum et stabilitate regni sagacissima protulerunt decreta. Ex concilio Toletano cap. 75, post instituta quædam ecclesiastici ordinis, vel decreta quæ ad quorumdam pertinent disciplinam. « Postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum regum, et stabilitate gentis Gothorum pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta exstat perfidia animorum, ut fidem juramento promissam regibus suis servare contemnant, et ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente per fidiæ impietatem. Jurant enim regibus suis, et fidem quam pollicentur prævaricantur, nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod indicitur maledictio. Multaque est pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus ? Eritne fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda ? Quod fœdus non violandum ? Quæ in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsius. propriis regibus juratam fidem conservant ? Qui enim adeo furiosus est, qui caput suum manu propria desecet ? Et illi ut notum est, immemores salutis suæ propria manu seipsos interimunt, in semetipsos propriosque reges suas convertendo vires. Et dum Dominus dicat : *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* CIV, 15). Et David : *Quis*, inquit, *exendet manum suam in christum Domini, et innocens erit ?* (*I Reg.* XXVI, 9.) Illis nec vitare metus et perjurium, nec regibus suis inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod si in bello fides valet, quanto magis in suis servanda est ? Sacrilegium quippe est si violetur a gentibus regum suorum promissa fides, quia non solum in eos fit peccati transgressio, sed et in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quod multa regna terrarum cœlestis iracundia ista permutavit, ut impietate fidei et morum alterum ab altero solveretur. Unde et nos cavere oportet casum hujusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, et pœna puniamur crudeli. Si enim Deus angelis in se prævaricantibus non pepercit, qui per ibobedientiam cœleste habitacuium perdiderunt : unde et per Isaiam dicit : *Inebriatus est gladius meus in cœlo* (*Isai* XXXIV 5) : quanto magis nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eamdem sævientis Dei giadio pereamus ? Quod si divinam iracundiam vitare volumus, et severitatem ejus ad clementiam revocare cupimus (53) ne una cum eis qui eadem conjuratione nituntur par pœna perditionis constringat, quos in pernicie prava societas copulat. Si placet omnibus qui adestis hæc tertip reiterata sententia, vestræ vocis eam consensu firmate. Ab universo clero et populo dictum est : « Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserit, anathema, maranatha, hoc est perditio in adventu Domini sit, et cum Juda Iscarioth partem habeat, et ipse, et socii eorum. Amen. » Et nunc. . . . . « Quanquam in concilio anteriori quod anno primo gloriosissimi principis nostri de hujusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare (*concil. Tolet.* VI, c. 17) quod convenit custodire. Itaque regi vita constante nullus sibi aliquo opere vel deliberatione, seu cujuscunque dignitatis laicus, seu gradu episcopatus, presbyterii aut diaconii consecratus, cæterique clericatus officii deditus, regem provideat contra viventis regis utilitatem, nullo blandimento vel suasione per eam-

(53) *Cupimus* Multa hic omitti monet Acherius.

dem spem aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim et valde exsecrabile a Christianis debet haberi,futuris temporibus illicita prospicere,et vitæ suæ ignaros ventura disponere.» et rursus :(54)Confinitimi hostium sacerdotes, præter eos qui regia potestate licentiam accepere,quodlibet mandatum ad gentem extraneam occulte accipere vel dirigere non præsumant : qui autem deprehenditur atque convincitur,denuntietur principibus, apud concilium condigna animadversione multabitur. Qui enim jam dictis Dei et Domini nostri Jesu Christi, beatissimorumque apostolorum Petri et Pauli, et cæterorum sanctorum Patrum monitis contraire tentaverit,sciat se procul dubio diabolum habere ductorem ; et quia Jesum habere noluit, profecto Barabbam habebit.

Quapropter,reverendissime domine,hæc et hujusmodi considerantes,ad gratiam serenissimi regis et domini nostri reverti non dedignemini, recolentes qualem ei jurejurando polliciti estis fidelitatem. Scriptum quidem est, dicente Domino : *Non assumas nomen Dei tui in vanum : quoniam non habebit Dominus insontem eum,qui nomen ejus in vanum assumpserit*(*Exod.*x,7).Memores estote regiæ dignitatis,memores estote et vestri ordinis.Erimus enim in quantum possumus,si jubetis,in his fautores. Erimus et fidelissimi adjutores. Nihil dubites, pater mi, non expedit quidem : diligimus enim, Deo teste, bonum pacis,et ad fructum festinamus pervenire charitatis. Non etenim omnis pax eadem pax est ; est namque salutaris pax,invenitur et noxia : salutaris quidem pax est de qua Dominus ait in Evangelio : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Et quia dissimilem agnoverat, subdidit : *Non quomodo hic mundus dat ego do vobis* (*Ibid.*).Item bona pax est quam angeli pastoribus nuntiavere,dicentes: *Gloria in excelsis Deo,et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Et de qua ait beatus Paulus apostolus : *Christus est pax nostra,qui fecit utraque unum Ephes.* II, 14). Rursus iniqua pax est, de qua . . . . . *Cum fortis ormatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ ipse possidet* (*Luc.* XI, 21). An non ipse diabolus quem per fortem intelligimus armatum, pacem Domino quærebat,cum procidens ante eum, scilicet fortiorem, diceret : Jesu, *Fili Dei altissimi, adjuro te per Deum ne me torqueas?* (*Marc.* V, 7.)Sed quia eam injuste quæsivit, impetrare apud eum minime meruit. Beatus quoque David noxiam putans pacem impiorum ait : *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII, 3). Sicut enim angeli bonorum pacem utilem judicabunt,sic iste impiorum inutilem judicabat. Unde cum magna discretione pax est inquirenda, ut et salutarem omnimodis firmare laboremus,et inutilem vitare valeamus. Melius itaque est nobis adversarios utcunque tolerare, quam cum ipsis inique pacisci, dicente Domino : *Cavete a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis* (*Marc.* VIII, 15). Dicit enim beatus Paulus apostolus : *Si fieri potest quod ex vobis est* (*Rom.* XII, 18), id est ex vestra parte ; ac si diceret :Quidquid mali homines faciant,vos semper illorum salutem quærite,opportuna docete, inutilia quamvis ingrati arguite, et si fieri potest, corrigere studete. Hæc est enim utilis pax, quam si despexerint, non ideo nobis a rectitudine convenit deviare ; nam a bono recedere, et alienis erroribus implicari inutile conspicitur.Scriptum quippe est : *Qui tetigerit picem,coinquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induetur superbia* (*Eccli.* XIII, 1).

Ad tramitem ergo veræ pacis, id est,Domini nostri Jesu Christi, sanctorumque Patrum exempla, vel documenta,sincera mente conveniamus ; fidelitatem regiam,ut ipsos docere cognoscimus,firmiter teneamus ; nosque in Dei omnipotentis servitio, nostrique senioris obsequio,ac fidelium confratrum suffragio paratissimos instituamus, et quoscunque possumus ad hæc omnimodis invitemus. Qui vero talibus monitis rebelles exstiterint, inter hos jam non est pacis vinculum inserendum,sed separationis consilium perquirendum, ut aliquem ex ipsis ad societatis possimus perducere gratiam, ne simul omnes pereant in culpa. Hanc quidem immittere separationem, ipsius Salvatoris quod jam præmisimus,sacro cogimur exemplo.Quoniam valde dignum est, ut eum qui se justitiæ dari vult, ab eis qui noluerint separare curemus.Quia si cum ipsis in errore permanserit, neque illum prodiderit, et ipse cum illo pariter interibit.Sicut enim bonorum consortio multi proficiuat,sic malorum societate plurimi percunt. Namque malorum collegium cujuscunque. . . . . multorum hominum nequitiam quasi unius imbecill. . . judicandum scriptum est : *Omnes gentes quasi non sint,sic sunt coram eo; et quasi nihili et inane reputatæ snnt ei*(*Isai.*ML,17). Sed nec in arcis . . . quarumlibet munitionum in hujusmodi confidendum est præsidio, quia, ut propheta ait : Si *exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera poneres nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus* (*Abd.* 4). *Divitiæ quoque si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* LXI, 11) ; ne aliquando videntes irrideant dicentes : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum ; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua* (*Psal.* LI, 9).Neque enim ducimus superfluum amicos acquirere,ædificia utiliter erigere,possessa custodire, et honesta in omnibus servata moderatione proficere, sed his fretus auxiliis aliquatenus superbire, incommodum utique judicamus.Ait enim Dominus in Evangelio : *Non in abundentia uniuscujusque vita est super terram* (*Luc.* XII, 15) ; et item : *Miser. hac nocte repetent a te animam tuam ; quæ autem parasti, cujus erunt?* (*Ibid.*, 20.) Itaque : *Spera in Domino,et fac bonitatem, et inhabita terram,et pasceris in divi-*

(54) *Confinitimi.* Hæc in edito concilio desunt.

tiis ejus. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet (*Psal.* XXXVI, 3).

His et similibus sanctarum Scripturarum sermonibus invicem exhortantes, ad meliora nos provehere non tardemus, et quos nobiscum trahere non valemus,hos saltem ad deteriora prosequi formidemus, dicente Apostolo : *Infidelis si discesserit, discedat* (*I Cor.* XVII, 15). Ille enim ab altero revera discedit, qui nequiorem viam eligit ; qui viam Domini relinquit,et per devia errabundus incedit.Nam ad præcipitium cum amico descendere, non sani capitis est sed dementiæ : nec societatis valet gratia, ubi nulla est adjuvandi fiducia.

Sed ne nobis solummodo consulere videamur, ad cæteros etiam redeamus. Secundi quoque ordinis milites ita nos admonere oportet, ut divina jugiter mandata custodiant,suisque regis fidelitatem, quam jurando promiserant, inviolabilem teneant, et suæ legis transgressores nullo modo efficiant.Quæ etiam in ipso sui exordio de regum infidelitate omnino castigat, et qualis transgressoribus pœna debeatur, insinuat, quantaque sit regum excellentia demonstrat ; nam, si quis horum mandatorum observator exstiterit, maximum et in præsenti sæculo decorem acquirere,et in futuro suæ animæ lucrum felicitatis adipisci merebitur. Qui autem in his repugnando mortis judicium incurrerit, periculum suæ animæ procul dubio sustinebit. . . . . quam quod constitutum est vobis . . . . . Heu, heu ! quid de episcopo qui sibi commendatos,quin etiam et commissos contra divini eloquii præceptum,contraque promissum sacramentum, contra sæcularem quoque legem, in qua etiam mortis periculum assignatur, regi præcipit repugnandum ? Quis de illorum animarum dispendio luet supplicium ? Restat omnino ut cujus exemplo vel documento periclitatæ fuerint,de ipsorum manibus requirantur : prædia quoque et facultates ecclesiarum, sive res pauperum, cujus exigentibus culpis devastatæ fuerint,ad ipsius interitum prævalere potuerint. Fateor enim coram Deo, plus propter divina præcepta,sanctorumque Patrum monita,quam pro alicujus terreni commodi desiderio, aut rebellantis inimicitia me ejus assequi velle fidelitatem. Ait enim Dominus in Evangelio : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* (*Matth.* XVI, 26.) Audi beatam Susannam clamantem : *Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum,quam peccare in conspectu Domini* (*Dan.* XIII, 23). Et beatus David : *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas* (*Psal.* XXXVI, 16). Salomon quoque ait : *Metius est buccella sicca cum gaudio, quam tota domus plena victimis cum jurgio* (*Prov.* XVII, 1).Quapropter Dominum Jesum Christum supplici- ter imploremus, ut qui beato Petro mergenti manum ut erigeret, porrexit, a cunctis nos malis eripiat, et ad rectitudinis semitam perducat. Amen.

(*Epistolæ sequentes inscribuntur :* PRO ALIQUIBUS ERRORIBUS MISSÆ.)

EPISTOLA II.

AD OMNES FIDELES DIOECESIS SUÆ

ATTO gratia Dei humilis episcopus,cunctis fidelibus in nostra parochia consistentibus salutem et gaudium.

Nuper in vigilia octavæ Domini quemdam sermonem his qui præsentes erant, Deo donante, retulimus,quem vobis dirigere necessarium æstimamus. Heu ! quia sunt multi in vestris partibus,qui divina servitia contemnunt, et auguria, vel cœli signa, seu vanas præcantationes intendunt, nec metuunt illud quod Dominus de Judæis ait : *O generatio incredula et perversa, signum quærit* (*Matth.* XVI, 4), etc. Beatus quoque Paulus clamat apostolus : *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (*Coloss.* II, 8). Et alibi : *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis et menses, et tempora et annos ; timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV,9). Psalmista quippe dicit : *Filii hominum, usquequo graves corde ; ut quid diligitis vanitatem,et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3) ; et iterum : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias fulsas* (*Psal.*XXXIX, 5). Valete in Domino.

EPISTOLA III.

AD PLEBEM VERCELLENSEM.

ATTO Christi misericordia humulis episcopus, cuncto populo nostræ diœcesis sanctæ matris Vercellensis Ecclesiæ, nostris dilectissimis filiis pax, salus et gaudium in Christo Jesu Domino nostro.

Noveritis igitur quia et per ipsum Christum Dominum atque sanctos apostolos seu prophetas, sive sanctos reliquos doctores,audivimus plurimos venturos esse pseudoprophetas, qui, quod gravissimum est, subvertere a via veritatis multos studebunt, ita ut eos in perniciem perducant, qui illis crediderint.Unde quia non solum prodigia diversaque signa tunc temporis facientibus seu philosophicis dogmatibus falsa defendentibus(55),verum etiam non tam facile justum habetur cor, ut etiam quibusdam simplicia atque bruta referentibus tantummodo verba credere omnino festinetis, eosque, heu miserrimi ! diabolico errore decepti, prophetas nominetis, relinquentes sanctam matrem vestram Ecclesiam, seu sacerdotes per quos ad æternam pervenire debetis salutem.Quocirca his visis litteris, auditis vel cognitis, si quis vestrum forte, quod absit, deinceps hujuscemodi nefas perpetraverit, sciat se omnimodis diamnandum, et non habeat licentiam manducandi quid coctum, nisi panem,nec

(55) *Defendentibus.* Hic nonnulla desunt.

bibendi vinum, quousque ad suam sanctam matrem, A scilicet Vercellensem Ecclesiam, nostramque præsentiam ad satisfactionem, veramque pœnitentiæ humilitatem judicandus adveniat. Si quis autem superbia inflatus contra hoc agere tentaverit, sciat se ab Ecclesiæ liminibus pellendum, et a sancta communione extraneum ; omnibusque fidelibus abominandum, donec sanctæ Ecclesiæ susceperit correptionem, tam ipse quam omnes qui ipsi communicant, postquam eum talem cognoverint ; sacerdotum vero si quis fortasse, quod Deus avertat, tali abominatione pollutus fuerit, nullum divinum audeat usurpare mysterium, donec dignam Deo, nostro judicio persolvat satisfactionem.

EPISTOLA IV.

AD OMNES FIDELES SUÆ DIŒCESIS.

Atto gratia Dei humilis episcopus, universis fidelibus nostræ Ecclesiæ, notrisque dilectissimis filiis pax sit et gaudium.

Si enim sincero corde quæ a sanctis Patribus tradita cognoscuntur, a vobis inviolata servantur, magnam nobis in hoc præparatis lætitiam. Si autem, quod absit, diversis erroribus vos cognoverimus depravatos, grandis inde mœror nostro cordi accumulabitur. Nam si abjectio discipuli, magistri est detrimentum, quanto magis prævaricatio filiorum patris valet esse periculum ? Sic nos omnipotens pater degere concedat, ut utrique de utroque remuneremur, ne damnandi judicemur. Igitur audivimus inter vos novum quemdam surrexisse errorem, ut dicatis sexta feria otio esse vacandum, et epulis, vel conviviis abutendum ; et cum ipse C omnium Redemptor eumdem diem tristiorem præ cunctis duxerit, et tanta pro nobis opprobria sustinuerit, vos jocis incumbere, et otia sectari studeatis. Apostoli etiam cæterique fideles tam tristem eumdem duxerunt diem, ut per diversas latebras fugitantes vix duo simul reperirentur. Nec epularum poterat fieri mentio, quibus vitæ jam pene adhæserat desperatio. Eadem quoque die sol tenebris amictus lumen obduxit, et ipsa elementa turbata turbationem totius ostenderunt mundi. Nam si diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, seu apostolorum cæterorumque fidelium lætitiam non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus ; demens est, qui sextam feriam, qua Dominus crucifixus est, per omnes hebdomadas ob illius imaginem cum abstinentia et compunctione mœroris abnegat celebrandum. Labor denique impedimentum dicitur. In magno ergo eo die Christus fuerat labore, qui tanta ab impiis tormenta pertulerat. Similiter etiam omnes ejus fideles, quod fugientes intus dolor, a foris premebat angustia, nec feriandi dabantur induciæ, quibus talis parabatur injuria. Fugite ergo, fratres, ab hac stultitia : sufficit enim vobis diem Dominicum, et alias celeberrimas et a sacerdotibus approbatas festivitates observare. In quibus ideo feriare debetis, ut a sæcularibus negotiis expediti, liberius Dominum ejusque sanctos collaudare vel prædicare, eisque deservire possitis. Nam sexta feria melius est laborare panem, unde et tuam et alienam reficere possis esuriem, quam otiosis manibus sedens inanes fabulas garrulo ore jactare.

EPISTOLA V.

AD AZONEM EPISCOPUM.

Summa devotione colendo domno Azoni reverendissimo et sanctissimo præsuli Atto gratia Dei humilis episcopus, vesterque fidelissimus, orationum B instantiam cum devoto famulatu.

Deus omnipotens, qui vos in pastorali throno locare dignatus est, ipse vos jugi opitulatione adeo custodire dignetur, ut sacerdotalis honor cunctos vestros dirigat actus, rursumque vestris sacris actibus sacerdotalis ordo præfulgeat. Quod autem vestra prudentia nostram hebetem dignata est (56) parvitatem, quare quemdem nostræ Ecclesiæ filium a filiæ suscipientis se de sacro fonte prohiberemus nuptiis. Insuper si aliquod capitulum repertum haberemus, vobis dirigere mandastis. Scitis, domini mei, quia in carnalibus nuptiis non tantum spiritualis, sed etiam sæcularis lex est inquirenda. Igitur Luitprandus catholicus rex hujus in qua degimus patriæ, tale cum consensu illius temporis procerum vel judicum capitulum promulgavit (*Leg. Long.* lib. II, tit. 8, l. 5) : « Hoc censuimus atque præcepimus, ut nullus præsumat commatrem suam uxorem ducere, sed nec filiam quam de sacro fonte levavit ; neque filius ejus præsumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit ; quia spirituales germani esse noscuntur : et qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem substantiam suam. Et filii qui de tali illicito matrimonio nascuntur, hæredes esse non debent, sed propinqui parentes. Ubi autem inventi fuerint, qui supra scripta illicita conjugia contraxerint, in præsenti separentur, et pœnæ suprascriptæ subjaceant. »

Lex etiam, quæ Salica dicitur, hoc continet : « Uxorem patris si quis acceperit, mortis periculum D incurrat, et de præteritis conjunctionibus, quæ incestæ esse videntur, per precationem episcoporum jussimus emendare. Qui vero episcopum suum noluerit audire, et excommunicatus fuerit, perennem conditionem (57) apud Deum sustineat, et de palatio nostro omnino sit extraneus, et omnes res suas parentibus legitimis amittat. » Romani quoque principes totius pene monarchiæ dominantes, quorum legem etiam nobis sacerdotibus in multis convenit observare, talia instituta de conjugiis loquentes de-

(56) *Dignata est.* Vidit Acherius vocem aliquam, fortasse *interrogasse*, deesse hoc loco.

(57) *Conditionem.* Perspicuum est hic legi oportere *condemnationem.*

dere. « Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, quandiu quidem constat adoptio, sane inter te et eam nuptiæ consistere non possunt. » Et item : « Si adversus ea quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque qui ex tali coitu naseuntur, in potestate patris non sunt, sed tales sunt, quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt ii quos mater vulgo concepit. Sequitur ergo ut et dissoluto coitu, nec dotis exactioni locus sit, et alias pœnas patiantur, quæ sacris constitutionibus continentur. » Nulla denique adoptio talis esse poterit, quam hæc per quam homines filii Dei efficiuntur. Hæc est enim adoptio, quæ emancipari non potest. Unde beatus Paulus ait apostolus : *Qui prædestinavit in adoptionem filiorum per Christum Jesum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ* (*Ephes.* I, 5). Cujus adoptionis participem nemo ambigit eum qui secundum sacramentorum ordinem pueros baptizantibus offert, quique pro ipsis secundum catholicæ fidei normam, non quemadmodum de altera, sed sicut de propria, in prima persona respondent, quia per sacram adoptionem jam illorum conjunctus est spiritus. Rursumque ex sacro fonte, quasi ex matris utero post baptismum a sacerdotibus ipsis ad instruendum committuntur. Nam sicut carnales nostri parentes nostræ generationis ministri sunt, secundum quod beatus Clemens in suis Decretalibus asserit, sic hujusmodi ministri sunt sacræ regenerationis. Deus auctor in utrisque consistit, sicut scriptum est : *Unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* (*I Cor.* III, 6). Illi namque, qui, ut superius diximus, erga pueros agunt, spiritualiter plantant, et patres sunt. Qui autem rigant, ministri ecclesiarum sunt, sacramenta conferentes baptismatis. *Dominus autem incrementum* dat in omnibus, sive in spiritualibus, sive in carnalibus profectibus.

Legitur etiam in libro Codicum, quod est Romanæ legis, ita : « Nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo animæ eorum copulatæ sunt. » Item ex Novella (Nov. 12, c. 1) : « Si qui nefarium atque damnatum matrimonium contraxerint, et ex priori matrimonio liberos non habuerint, statim suis facultatibus careant, et dos fisci juribus vindicetur. Post publicationem autem, et cinguli sui patiantur amissionem, et in exsilio puniantur. Quod si vilior sit persona, corporali quæstioni subsistat, et uxor ejus contra leges nupta easdem pœnas patiatur. Hæc post biennium valeant ; nam biennii indulgentia illis præstita est, qui jam contraxerunt contra leges matrimonia, ut infra biennium separentur. Quod si non fuerint separati, sed perseveraverint in toto biennio, pœnis in primo capite dictis subjiciantur. » Valde enim turpe est, ut quod religionis causa sæculares leges custodire contendunt, hoc sacerdotes Dei infringere quærant. Sed neque summi pontifices sæculares leges adeo respuendo contrivere, cum noster atque ipsorum Dominus ac Magister dicat : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Item sanctissimus papa Calixtus (*epist.* 2, *ad omnes Galliarum episc.*) : « Nec eos viros, quos leges sæculi rejiciunt, suscipere debemus. Ipsam quoque infamiam, qua aspersi sunt, delere non possumus, sed animas eorum per pœnitentiam publicam et Ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus. » Item Dionysius : « Infames omnes esse censemus qui suam Christianam prævaricantur legem. » Item Entychianus : « Similiter prohibemus ut nullæ causæ a judicibus ecclesiasticis audiantur quæ legibus non continentur vel quæ prohibitæ esse noscuntur. » Hic et sanctissimus Julius papa confirmat. Beatissimus etiam Gregorius multa Romanæ legis capitula confirmans, suo inseruit registro. Ergo, domine mi, absonum esse videtur, ut spiritalis affinitas carnalibus amplexibus deservire cogatur : ait enim beatus Paulus apostolus : *Vos enim in libertate vocati estis, fratres ; tantum ne libertatem in occasione detis carnis* (*Gal.* V, 13), et iterum : *Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (*Gal.* VI, 8). Et rursus : *Ubi spiritus, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17). Et in Levitico : *Omnis consecratio quæ offertur, ab homine non redimetur* (*Levit.* XXVII, 29), ne nostris usibus succumbendo, sacratum exsecrabile fiat.

Sed et si hæc cuncta quæ superius tale reprehendentes conjugium diximus, deficerent, satis ad id reprimendum etiam remanerent. Nam adeo hujus religionis causa hactenus est abolitum, ut non tantum litteratis, vel prudentibus, sed etiam ipsis rusticis moris causa profanum jam videatur, ut sicubi peccatis exigentibus aliquid tale audierint, ideo scandalizentur. Unde grave committentibus peccatum exoritur. Ait enim Dominus : *Væ homini illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7) ; et beatus Paulus : *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*II Cor.* VIII, 21) ; et item : *Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei* (*I Cor.* X, 32) ; et rursus : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (*I Cor.* VIII, 13) ; et iterum : *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius* (*I Cor.* X, 24). Plures nempe offendit, qui antiquas consuetudines a religiosissimis et prudentibus observatas immutare vel abradere præsumit : cum beatus dicat Isidorus (lib. II *Orig.* c. 10) : « Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod per legem suscipitur cum deficit lex. Non differt utrum scriptura an ratione consistat, quando et legem ratio commendat. Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam quod ratione constiterit, duntaxat quod religione congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat. » Beatus quoque papa Gregorius, cujus institutionibus pene totus regulatur orbis, ait registri parte prima (*lib.*

1, *epist.* 75) : « Et nos juxta seriem relationis vestræ consuetudinem,quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de primatibus constituendis cæterisque capitulis, exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt. » Sed et beatissimus Augustinus, de cujus prati oleribus omnis Dominicus pascitur grex, scribit ad inquisitionem Januarii (*epist.* 118, *ad Januar.*) : « Ipsa quoque mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. » Quapropter quæ utilis non est,perturbatione infructuosa, consequenter noxia est. Apparet ergo quod consuetudo quæ fidei catholicæ, vel sæcularibus legibus non obest,omnimodis servanda sit, quod Theodosiano confirmatur edicto. Sed hæc de qua nunc agitur consuetudo, nec catholicæ fidei, nec ulli Christianorum legi penitus impugnat. Licet tamen quædam leges sint in quibus hæc specialiter non contineantur,sed nulla est quæ huic impugnare videatur. Quapropter ideo de hac multos tacuisse antiquitus credimus, quia in nova quasi religione baptismatis, nullus Christianus talia præsumere conabatur ; nec judicavere interdicendum, quod non credebant præsumendum. *Nam justo lex non est posita, sed injustis* (*I Tim.* I, 9). Attamen nobis, quibus licet indignis discernendi imposita est conditio, ut dividamus inter mundum et immundum,et lepram, talia convenit declamare, ne tacentes a Domino per prophetam arguamur, dicente : *Canes muti non valentes latrare* (*Isai.* LVI, 10), ne populi consentire flagitiis videamur, et reprehensibiles efficiamur, dum aliorum reprehendere nequitiam dissimulamus. *Sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros* (*II Cor.* VI, 4); quia scriptum est : *Ne communicaverit peccatis alienis* (*I Tim.* v, 22); et rursus : *Et immundum ne tetigeritis* (*II Cor.* VI, 17).

Quod autem ex Domini sententia dicitis : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6), hæc religio modis omnibus custodienda videtur; sed non omnes qui conjuncti sunt Dominus conjunxit. Eorum tamen quos ipse conjunxit bona est copula,quippe nec legibus obest, nec catholicorum usus conturbat. Sed est *honorabile connubium et torus immaculatus* (*Hebr.* XIII, 4). sicut beatus Paulus ait apostolus : *His namque qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro suo non discedere : et vir uxorem suam non dimittat* (*I Cor.* VII, 10). Videte quod dicit *his qui matrimonio juncti sunt.* Matrimonium enim est conjugum justa conventio et conditio; eos vero qui nefario et exsecrabili coitu contra leges et mores permiscentur,omnino separari oportet, quoniam nec vir nec uxor poterit esse in hujusmodi. Ait enim Dominus in Evangelio : *Si dextera manus tua scandalizet te, abscide eam et projice abs te* (*Matth.* v, 30). Quid enim melius per scandalizantem dexteram quam male appositam uxorem intelligimus ? Et iterum : *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29); ut Paulus apostolus : *Non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi ; in pace autem vocavit nos Dominus* (*I Cor.* VII, 14). Dominus etiam divortium prohibens, fornicationis causam excepit, dicens : *Excepta fornicationis causa* (*Matth.* v, 32), cujus,ut scitis,duo sunt genera, de quibus nobis per omnia modo non convenit disputare. Vestrum unde fidelem,nostrum scilicet filium, o domine mi, verbis affabilibus et mellifluis, sicut bene nostis, consulere non dedignemini : quatenus relictis prioribus ad meliora pertingere queat. Bene namque scitis quia *omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ* (*Hebr.* XII, 11). Et Jacobus apostolus : *Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ,salvavit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* v, 20).

Quod autem vestra nobis innotuit magnificentia quia multi majores et inferiores in hoc regno sint, qui tales uxores habent, quos etiam nobis intimare polliciti estis, Deo teste, hoc incognitum manet apud nos, et valde novum videtur. Sed si qui sint qui talia agunt, aut raritate nobis obscurum est, aut dissimulatione contectum. Verumtamen in istis partibus nullum præter hunc aliquando audivimus : tamen et si multi essent qui hoc agerent Dominica debuerat præcellere sententia : *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies* (*Exod.* XXIII, 2) ; et Paulus : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10) ; et Jacobus apostolus, ait : *Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV, 4). Et Moyses negavit se esse filium filiæ Pharaonis,magis eligens affligi cum populo Dei,quam temporalis peccati habere jocunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum *improperium Christi* (*Hebr.* IV, 24). Secundum decretum autem Cœlestini papæ, docendus est populus, non sequendus. Sed et si nec lex valet, nec consuetudo proficit, saltem ipsa ratio procedat.

Inter compatres et commatres interdicta esse conjugia evidenter omnes testificant. Cum hujus sacramenti mysterium non specialiter in ipsis,sed in eorum filiis celebratur. Nam et ipsi sequestratim esse possunt. Quis ergo hoc dicere audeat, quod absentes hoc sacramentum constringat?Præsentibus autem, in quibus celebratur non pertineat ? Quod etiam ipsius vocabuli vis manifestat. Quid enim compater vel commater sonat, nisi simul pater, aut mater ? Si ergo simul patres aut matres sunt, cui simul patres vel matres sunt, omnes eorum filii vel filiæ fratres vel sorores ipsius erunt. Increpans enim Dominus Scribas et Pharisæos ait : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, stulti, et cæci, qui dicitis : Quicunque juraverit in altari nihil est, quicunque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci, quid*

enim majus est ; donum, an altare quod sanctificat donum ? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super illud sunt. Et qui juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso (*Matth.* III, 17). Videtur ergo nobis, quod hujusmodi adoptio, si pertinet ad parentes, magis pertineat et ad filios, et si nec ad filios, profecto nec ad parentes pertinere videtur. Hæc itaque intendentes, prædictum Theodericum a tali toro suspendimus, non tamen conjugium penitus interdiximus, nec aliter excommunicavimus, donec in domini archiepiscopi et vestram, cæterorumque nostrorum venerabilium confratrum audientiam veniamus. Non quod de rectitudinis dubitemus modo, sed ut majori auctoritate firmetur assertio plurimorum. Sæpe et enim delinquentibus, dum vulnus facinoris premitur, reproba videtur sententia medicantis ; et dum perversi criminis nævum diluere nolunt, ad diluentis injurias currunt. Quorum detractiones a nobis extorquemus, cum plurimorum sententiam interim exspectamus, sicut beatus Paulus ait ad Timotheum : *Irreprehensibilem te exhibe, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (*Tit.* II, 8). Dum enim, domine, cum isto agitur, non solum cum ipso, sed pro omnibus hujusmodi laboratur. Lex enim non admittit personam ; si enim huic licet, evidenter omnibus licet ; et si huic prohibitum sic erit, nullus se in postmodum de ignorantia excusabit.

Innotuistis etiam nobis esse aliquos talibus nuptiis perplexos, qui pro nullius excommunicatione suas deserant copulas. Utinam, domine, nos injunctum officium implere valeamus. Illi quidquid faciant, nos saltem nosmetipsos liberare curemus. De talibus quippe Joannes clamat apostolus ; *Qui autem non est ex Deo, non audit nos* (*I Joan.* IV, 6). In hoc ergo cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris. Deus pacis et charitatis ita vos sibi copulare dignetur ut in his quæ ejus sunt boni procuratores existentes, nullius caliginis obscuritate torpeat ; sed divino illustrati fulgore, sic in præsenti valeatis vinea laborare, ut in futuro mereamini euge Dominicum audire.

EPISTOLA VI.

GUNZONIS LEVITÆ NOVARIENSIS AD OTTONEM.

Domno ATTONI pontificali reverentia colendo, GUNZO Novariensis Ecclesiæ levitarum extimus, debitæ venerationis servitium.

De eo quod celsitudo vestra parvitatem meam consulere dignata est, ideo hactenus respondere distuli, ut diutina meditatio firmiora daret responsa. Et, quamvis dignitati vestræ omnimodo pateat, clarissimum rescriptum ab apostolica sede Theodoro Ticinensi episcopo in medium proferri placuit. Zacharias episcopus servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo fratri Theodoro episcopo ecclesiæ Ticinensis. Pittacium, quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per quod nos sciscitari curasti, si licet filium, cujus pater alterius filiam ex sacro baptismate susceptam, id est, spiritualem (58) ejusdem patris filiam, quod dici crudele est, in matrimonio accipere, quod apud te enormiter asseruisti (59) contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus per Moysen præcepit, * dicens : *Turpitudinem patris tui non revelabis. Turpidinem matris tuæ non revelabis. Turpitudinem sororis tuæ, et turpitudinem filiæ patris tui non revelabis. Turpitudo enim tua est* (*Levit.* XVIII, 7). Turpitudinem enim revelare dicitur, dum a propria consangninitate præcipimur abstinere : multo magis a spiritali patris nostri filia, omni occasione aut argumento seposito (60), sub nimia districtione nos cavere convenit, ne in iram divini examinis incidat, si quis tali facinori * mistus, minime restrinxerit frena luxuriæ. Unde et omnes omnino cavere debent talis sceleris commistionem, ne in æternum pereant. Sed hos qui hujus perniciosæ temeritatis, animæ suæ salutem despicientes, impiissimo se miscuere matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, et pœnitentiæ dignæ snbmittere, quatenus ab æterna erutas damnatione animas eorum lucreris, præstante Domino et (61) Deo Salvatore nostro Jesu Christo.

Non igitur latet prudentiam tuam non solum illos ecclesiastica censura feriendos qui nefario se conjugio polluere, sed illos quoque qui hujus sceleris auctores fuerunt : illum videlicet qui alterius carnalis et alterius spiritualis pater cognoscitur. Hic etenim tanto majori pœnitentiæ debet submitti quanto majorem auctoritatem in causa habuisse probatur. De filiis autem horum isdem venerabilis pater eidem Theodoro episcopo rescribit, non teneri eos crimine parentum.

EPISTOLA VII.

AMBROSII MEDIOLANENSIS PRESBYTERI AD ATTONEM

Invictissimo curiæ cœlestis athletæ, ac supernorum civium cœtibus aggregato, ATTONI ter beatissimo pontifici, humilis Christi famulus, vesterque fide-

(58) *Id est, spiritualem.* Sic legitur in vetusto codice Bibliothecæ regiæ, in quo epistolam Zachariæ integram Baluzius reperit : in priori editione legebatur *idem spiritualem.*

(59) *Enormiter asseruisti.* Sic idem codex emendate : editio Acheriana *enormum dissecuisti*, corrupte. Ex eodem codice reposui *præcepit*, ubi erat *præcipiat.*

(60) *Seposito.* Hic etiam codicem regium sequor : prior editio *reposito*, et mox *facinore.*

(61) *Et Deo Salvatore.* In codice regio, *præstante Domino. De filiis autem qui ex eis nati probantur, retulisti si liceat eos conjugio copulari. Sed hi cur prohibeantur a conjugio, aut pro hujusmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc absque condemnatione esse perhibentur, quia non pater pro filio, neque filius pro patre sustinebit tormenta, dicente Domino per prophetam :* Anima patris est mea, et anima filii est mea ; anima quæ peccaverit, ipsa morietur. *Sed et de his, frater charissime, dixisse sufficiet. Cave autem ne aliter agere subjectis concedas, ne a recto tramite inveniaris discedere.* Hæc est altera epistolæ pars, cujus Gunzo in fine hujusce epistolæ meminit.

lissimus Ambrosius presbyter licet indigne sanctus honore in sancta Mediolanensi Ecclesia,continuum debitæ servitutis obsequium cum felicitate perenni.

A vestra sanctitate nuper delegati apices,quibus vestra sanctitatis nostrique memoria in sacris vestris oratianibus signabatur, ineffabili nos jocunditate undique munitos reddidere ; cum nos videlicet abjecti (62) et repudiati * sanctorum pedum vestris nec simus * æquandi calceamentis ; quomodo ergo tam religiosi et tam potentis domini ac patris digni sumus memorari orationibus ? Sed vos illius credimus memores sententiæ quæ dicit : *Deus non laborat in magnis, nec fastidit in minimis.* Cæterum nulli dubium est,quod divinus Spiritus in pectore vestro habitans, ad cuncta sancta opera reddat promptissimos.

Conjugium denique illud,super quo nostram pusillitatem consuluisti, a nostris doctoribus et sacerdotibus scitote omnino prohiberi, quia spirituales fratres, quod vos quoque asseruistis, vocantur : sæcularis quoque lex, veluti a quodam legislatore audivi, hoc interdicit. In decretis nihilominus Zachariæ papæ capitulo 3 continetur : « Ut neque presbyteram neque diaconam,nec commatrem spiritalem quis in conjugium ducat.« Ubi datur intelligi, quod neque spiritalis patris filiam cuilibet in matrimonium liceat sortiri. Verum si placet dominationi vestræ, vestris rescriptis pandite nobis quas debemus intelligere eas,quas prædictum capitulum presbyteram aut diaconam appellant,quia nos omnimodo latet. Assiduis orationibus vestris sibi commendatos vos longo Christus tempore salvet.

EPISTOLA VIII.

ATTONIS AD AMBROSIUM SACERDOTEM

Atto grata Dei humilis episcopus, domno Ambrosio reverendissimo et sanctissimo sacerdoti,devotas in Christo orationes cum vinculo charitatis.

Vestræ sanctitati, quoniam pro nostra imbecillitate Omnipotentem novimus exorare,immensas coram Deo mercedes exposcimus. Sacris prostrati vestigiis id ipsum instanter fieri in postmodum imploramus. Nos quoque, licet imparibus meritis, vestris tamen confisi virtutibus,hoc etiam pro vobis omnimodis agere non omittimus. Crebræ namque vestri corporis, cum audivimus, infirmitates quasi proprios terebrant artus.Sed beatum Paulum quasi intendere credimus , ubi ait : *Cum enim infirmor, tunc fortior sum* (*II Cor.* xii, 10). Deus Pater Domini nostri Jesu Christi sic vos sustentet et verberet, ut nec adversa dejiciant, nec prospera reddant elatum. Plures denique iterum grates referimus, quia de his omnibus quæ vobis mandavimus,abunde nos instruere curastis. Præterea miramur omnino, cur ingens fons inter tantos profluentes constitutus, vicinum alicujus vix desudantis venæ perquirat liquorem. Nam et si inibi aliquis reperiatur humor, a potiore distillatus liquido comprobatur. Igitur quod vestra prudentia consulere judicavit,quid in canonibus presbyteram,quidve diaconam intelligere debeamus : videtur nobis quoniam in primitiva Ecclesia, quia secundum Dominicam vocem : *Messis multa, operarii pauci* (*Luc.* x, 5), videbantur, ad adjumentum virorum etiam religiosæ mulieres in sancta Ecclesia cultrices ordinabantur.Quod ostendit beatus Paulus in epistola ad Romanos, cum ait : *Commendo vobis Phœbem sororem meam, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchris* (*Rom.* xvi, 1). Ubi intelligitur quia tunc non solum viri,sed etiam feminæ præerant Ecclesiis,magnæ scilicet utilitatis causa. Nam mulieres diu paganorum ritibus assuetæ, philosophicis etiam dogmatibus instructæ,bene per has familiarius convertebantur, et de religionis cultu liberius edocebantur. Quod Laodicense postmodum prohibet concilium cap. 11, cum dicitur : quod non oportet eas quæ dicuntur presbyteræ vel præsidentes, in Ecclesiis ordinari. Diaconas vero talium credimus fuisse ministras. Nam diaconum ministrum dicimus,a quo derivatam diaconam perspicimus. Denique legimus in concilio Chalcedonensi, cap. 15 (*can.* 15) diaconam non ordinandam ante annum quadragesimum, et hanc cum summo libramine. Talibus etiam credimus baptizandi mulieres injunctum esse officium,ut absque ulla penitus verecundia aliarum corpora ab his tractarentur. Nam in statutis Orientalium scriptum est (*Concil. Carthag.* iv, c. 12) : Viduæ vel sanctimoniales quæ tam instructæ sint ad officium ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore quo sunt baptizandæ,qualiter ad interrogata respondeant, et qualiter accepto baptismate vivant : sicut enim hæ quæ presbyteræ dicebantur, prædicandi, jubendi vel edocendi,ita sane diaconæ ministrandi vel baptizandi officium sumpserant : quod nunc jam minime expedit.Nam in tanta parvitate ob parentum religionem infantulæ baptizantur,ut nulla eis verecundia,nullus baptizantibus voluptatis possit stimulus impedire. Unde jam statum est, ut mulier baptizandi usum assumere non præsumat.

Sunt etiam, qui eas priscis temporibus diaconas asseruere appellatas,quas nunc abbatissas nominamus, quod nobis minime congruere videtur. Abbas namque Pater dicitur ; unde secundum normam aliorum nominum in genere feminimo derivatum abbatissa eadem significatione,manente.Cujus vocabuli vis, timoris pariter et amoris, reverentiæ et affectionis explicat qualitatem. Diaconam vero nihil aliud quam ministram intelligimus. Quapropter si hujus officii nomen nunc etiam quoquomodo perduraret, in his quæ per mulieres adhuc dispensari videntur, illas diaconas putaremus, quæ ætate senili devictæ, religiosam vitam cum castitate servantes, oblationes sacerdotibus offerendas fideliter

(62) *Abjecti.* Prior editio *abjectis et repudiats..... scimus* perspicue male.

præparant, ad ecclesiarum limina excubant, pavimenta detergunt.

Possumus quoque presbyteras vel diaconas illas existimare, quæ presbyteris vel diaconis ante ordinationem conjugio copulatæ sunt: quas postea caste regere debent, sicut in canonibus promulgatum est, qui apostolorum titulo annotantur, cap. 6. « Episcopus aut presbyter aut diaconus uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat: si vero rejecerit, excommunicetur. Sed si perseveraverit, dejiciatur. » Item ex Decretis Leonis papæ cap. 1 7: « Lex continentiæ eadem est altaris ministris quæ episcopis atque presbyteris, qui cum essent laici sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare, potuere, sed cum ad prædictos pervenere gradus, cœpit eis non licere quod licuit. » Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere, qua et salva sit charitas connubiorum, et cesset operatio nuptiarum. Libentius tamen, charissime doctor, secundum superiorem sensum quæ explicata sunt accipimus, donec a vobis mereamur certius informari. Omnibus vero istis, sicut mandastis, denegata sunt conjugia, ut ecclesiasticus honor servetur in omnibus.

Præterea sinceram charitatem vestram humiliter exposcimus, de epistola quæ in canonibus reperitur, quæ etiam canonica dicitur, cujus capitula 11, esse noscuntur. quæ nobis utilissima asse videntur, quorum initium est : » Primum omnium fidem catholicam omnes presbyteri et diaconi seu subdiaconi memoriter teneant, ut si quis hoc faciendum prætermittat, quadraginta diebus a vino se abstineat; et si post abstinentiam neglexerit commendandam, duplicetur in eo sententia , » sive de statutis antiquis Orientalium, quorum capitula centum dinumerantur. Ex quibus primum apud nos in omni episcoporum consecratione perquiritur, cujus initium est : Qui episcopus esse debet, necesse est ut antea examinetur, etc. Ut de his omnibus nos certificare dignemini, quo tempore vel loco constituta, sub quo principe vel a quibus Patribus, quomodo habenda vel si penitus recipienda, aut in aliquo refutanda, dijudicentur. Omnipotens Dominus vestram prudentiam nobis conservare dignetur ut ab ea regulati, recto tramite incedere valeamus.

EPISTOLA IX.

AD OMNES SACERDOTES DIOECESIS VERCELLENSIS.

Atto Dei gratia humilis episcopus, cunctis sacerdotibus eorumque ministris in nostra Vercellensi diœcesi commorantibus æternæ felicitatis coronam.

Incontinentiæ, dilectissimi, multæ sunt species. Qoties enim aliquod facinus perpetramus, ad id per incontinentiam labimur. Specialis tamen incontinentia, luxuria, est, quæ corpus simul orrumpit et animam. Nam cum multa sint vitia quæ, licet unum offendant. fovent tamen sed alterum, hæc est qua corpus dissolvitur, mens fatigatur, anima affligitur. Hæc est quæ David appetiit, Solomonem prostravit. Hæc est quæ martyribus palmam, confessoribus insuper diuturnæ maceralionis coronam auferre conatur. Igitur cum cætera vitia per ministros quoque perfici possint, huic nullo modo nisi cum proprii corporis pollutione famulatur. Sunt etiam multa quæ incerta sunt quo animo fiant ; et licet cooperatores suos per propriam conscientiam damnent, ipsi tamen se quoquo modo aliis excusare possunt. Adulterium vero, nec bono animo fieri, nec excusandi potest aditum reperire. Quod ut beatus Clemens ait, secundum in pœnis continet locum. Unde omnibus Christianis, præcipue tamen sacerdotibus, qui prædicandi serviunt officio, eorumque ministris summopere cavendum est. In quod lapsi si fuerint, sit eis nihilominus in supplicium, continentibus in lamentum, conjugatis in scandalum, stultis in exemplum, sanctæ Dei Ecclesiæ in detrimentum. Nam secundum beatum Gregorium, cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Nostri denique officii nomina a talibus abstinendum esse nobis insinuant. Sacerdos namque quasi sacrum dans dicitur : minister autem a ministrando. Qua ergo nefanda præsumptione sacrum corporis vel sanguinis Domini Jesu Christi conficere vel dare cæteris audet, qui semetipsum in hujusmodi spurcitiis permanere cognoscit ? Aut quomodo in talibus ministrare in ecclesia præsumat, qui libidini jugiter domi deservit ? Itaque sacerdotibus verbis simul et exemplis populum convenit regulare : et idea cavendum est, ne forte cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi inveniantur ; et audiant quod Dominus hypocrisim redarguens ait : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui* (*Luc.* VI, 42). Licet sint, quod pejus, qui nec trabem de suo ejiciunt, nec festucam fratris repellere præsumunt, sed confusi obmutescunt, dum seipsos reprobos cognoscunt. Hi dum suis peccatis aliena nutriunt, merito utrorumque portabunt. Ait enim Dominus : *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 18). Præterea quod dicere pudet, tacere autem periculum, quidam in tantum libidini mancipantur, ut obscenas meretriculas sua simul in domo secum habitare, una cibum sumere ac publice degere permittant. Quarum illecebris illecti, suæ domui, cunctæque familiæ ac supellectili eas præesse dijudicant, suumque post obitum scortum hæredem constituunt, et quidquid de facultatibus ecclesiæ, vel eleemosynis, seu undecunque acquirere possunt, hujusmodi manibus distrahendum relinquunt. Sicque fit, ut dum sanctæ Dei Ecclesiæ matri et sponsæ pellicem superinducunt, Deo Patri, et fideli viro animam subtrahant, et diabolo mœchandum contradant. Sunt etiam

qui nudi ad Eclesiam veniunt sed de ejus beneficiis accrescunt.Hi primum inopiæ causa continentiam fingunt, et postmodum ditati, meretrices asciscunt. Qui dum penuria laborarent ab eis despecti, sanctæ Ecclesiæ gremio sunt recepti. Inde quidquid postmodum subtrahere valent, ipsis non desinunt erogare. Et unde meretrices ornantur, ecclesiæ vastantur, pauperes tribulantur. Hac occasione publicani (63) clericorum domos irrumpunt, non ipsos, sed commamentes mulieres cum ipsis quos genuerant spuriis,quasi sibi commissos extrahere simulantes.Id trepidant miseri,et munera quæque promittunt, et qui adorari poterant, cunctos adorare coguntur. Et qui omnium viriliter vitia declamare debuerant de sui apud judicem quærunt licentiam. Sic sacræ ædes publicantur, et a vulgo deridentur, et nomen Domini blasphematur, sicut scriptum est : *Nos estis per quos nomen Domini blasphematur inter gentes* (*Rom.* II,24). Solent etiam tali pro scelere vicinorum vicinarumque odium incurrere.Quoties namque hujuscemodi mulieres vel earum spurii cum aliquibus litigant, ipsi abjecta omni sacerdotali reverentia sese opponunt;injurias et contumelias quas possunt, inferre (64), et deteriora minantur.Insuper ut talis dietur familia, ipsi cupidi, repaces, usurarii, avari. et invidi, ac fraudulenti efficiuntur.Unde non modicum Christi Ecclesia patitur detrimentum. Nam populus hoc considerans,decimas et primitias ipsis exigentibus reddere Deo contemnunt,nullumque obsequium sanctæ Dei Ecclesiæ persolvere volunt, unde ipsi sacerdotes aliquod consequi possint emolumentum. Et inde populus sacrilegus efficitur. Ipsi autem in tantam plerumque deveniunt paupertatem,ut vix sufficere possint. Rursus inveniuntur, qui cum ab episcopis suis tali pro crimine arguantur, paternam charitatem respuunt, et obedire contemnunt, ipsamque fidelitatem, quam jurejurando promiserant, temerare non metuunt,sed mundana adversus eum aggrediuntur defendi potentia,se quoque suamque simul familiam ejus adxersariis committunt,et sic demum his freti auxiliis ecclesiasticam regulam parvipendunt, atque ad dominorum imperium quolibet loco,vel tempore missas canere, baptismata celebrare, alligatos absolvere, solutos alligare contra jus canonum, sine aliqua discretione præsumunt, et qui capitalia membra sanctæ Ecclesiæ esse debuerant, arma hostium efficiuntur, seque in exitium, populum in errorem deducunt.Et inde sæpe maximum adversus sanctam Ecclesiam oritur scandalum ; quia quos vult habere filios, cernit inimicos, et quos consiliarios, duros adversarios.

Iterum sunt,qui de feminarum contubernio se excusare quærunt, dum suam quasi necessitatem exponunt. Aiunt enim, quia nisi ipsarum manibus sustentaremur,jam fame,vel nuditate deficeremus. Quod falsum esse cognoscimus,dum illarum naturas consideramus.Persecutionis igitur pressuras Dominus insinuans ait : *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* (*Matth.* XIII, 17). Qood ideo dixisse intendimus,quia ipsæ impeditæ et graviores præ cæteris necessitatibus suis minus poterant subvenire. Quomodo ergo alium poterit sublevare, qui semetipsum non valet erigere? Certe talibus nisi ab aliis ministretur,suis laboribus nec ipsæ subsistunt Sed facinus quod voluptate perpetratur, utilitate excusari quæritur; etilitas tamen non est servanda, quam ratio non commendat.Verum et si aliquis,ut asseritur,in hujusmodi commercio inveniretur quæstus,quia nostro ministerio contrarium videtur,omnimodis est aspernandus.Qui enim aliquando apostolorum,aut cæterorum Ecclesiæ doctorum cum mulieribus ad prædicandum profecti sunt ? Nempe ab ipsarum connubio, quas ante vocationem legitime duxere,posmodum se subtraxere.Quod etiam beatus Clemens in apostolicis Decretalibus præcipiens ait: « Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia qui ante ordinationem conjuges suas reliquerunt.» Item concilii (primi) Carthag. cap. 25 [2, *sive*, 4] : « Placuit quod et in diversis conciliis confirmatum est, ut subdiaconi,qui sacra mysteria contractant, diaconi et presbyteri, sed et episcopi secundum propria statuta etiam ab uxoribus se contineant. » Sic Innocentius et Leo Romani pontifices ; sic cæteri quoque protestantur auctores. Quanto magis etenim carnalibus concupiscentiis et mundanis negotiis subtrahimur,tanto expeditiores divini operis cultores efficimur, Boetio illustri viro testante, qui ait : Tu si in hanc mundi scenam nudus intrasses securus coram latrone cantares. Latrones quippe nostri, dæmones, eorumque ministri, qui nostra semper tentant diripere commoda. Et quidem si nudi, et expediti ab illicitis fuerimus, securi coram ipsis cantabimus, sive reprobis suas perversitates exponendo et futuras miserias libere prædicando, sive dæmonibus de canticulis David proclamando, *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII, 7).

Custodite ergo vos, fratres charissimi, a contubernio mulierum,*ne membra Christi membra facia-tis meretricum* (*I Cor.* VI,15) : unde difficile evadere potestis, nisi ab earnum consortio declinetis. Quem enim compti crines, venusta facies, nictatio palpebrarum, elisio oculorum, affabilitas sermonum, garrula modulatio, visus facilis, blanda suasio, præclara monilia, schemata vestium, olfactio unguentorum, mollis incessus, ac totius corporis luxus non resolveret ad flagitium ? Quod intuens beatus Paulus exclamat apostolus : *Fugite fornicationem* (*I Cor*, II, 18) : nam cum cætera vitia resistendo vitare possimus, huic pedibus succurren-

(63) *Publicani.* Vocem hanc Acherius non immerito monuit novo intellectu usurpatam esse ab Attone, eaque intelligi debere aut judices publicos aut potius eorum ministros.

(64) *Inferre.* Lego *inferunt.*

dum est, et ne deficiamus, divinum auxilium imploremus.

Sanctarum Scripturarum paginas, dilectissimi, perscrutate, et in his diligentius meditemini, unde hæc quæ a nobis dicta sunt non quasi nostra vilescent ; quia quæ a sanctis Patribus accepimus,hæc fratribus exposuimus.Quorum exempla, quia cuncta non possumus explicare, pauca de multis quædam proposuimus : quædam autem subscribenda prævidimus. In primis Nicæna synodus trecentorum decem et octo sanctorum Patrum, in qua divino Spiritu fides ortholica roborata, Arianorum est perfidia destructa, quæ ab hominibus quemadmodum evangelica verba servatur, cap. 4 (*Nicæn. cancil.* can. 2) : « Interdixit per omnia magna synodus non episcopo, non peresbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem aut sororem, aut amitam,vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. » Item ex Decretis Clementis papæ : « Nemo cum extranea habitet femina nioi soror aut proxima fuerit, et hoc cum magna sollicitudine fiat,Non enim ignoramus malitias Satanæ. » Item Siricii (*epist.* 1, c. 12) : « Feminas vero non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem synodus Nicæana permisit. » Hoc multa concilia, hoc multorum doctorum non tacuere sententiæ. In hoc ecclesiasticus honor in hoc clericorum dignitas perseverat : hinc crescit charitas, avaritiæ rubigo abstergitur. Sic sancta Ecclesia unitur, dissensionis, et invidiæ rima nulla conspicitur. Quod ut observare possitis, adjuvet trinus et unus Deus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA X.

AD EOSDEM.

Atto gratia Dei humilis episcopus, cunctis sacerdotibus eorumque ministris in nostra Vercellensi diœcesi commorantibus æternæ felicitatis coronam.

Quæ sæpius usurpantur, charissimi, sæpius detestando reprimenda sunt, donec exinanita et penitus abolita deficiant : si autem post interdictum neglecta fuerint, et silentio contecta permanserint, magis armari quam abdicari videntur. Væ enim nobis erit,qui hujus ministerii onus suscepimus, si veritatem prædicare neglexerimus, Væ nobis erit, si silentio oppresserimus, quæ erogare nummulariis jubemur.Quid in futuro dicturi sumus examine, si veritatem confundimur prædicare ? negligere enim qui potest deturbare perversos.nihil aliud est quam fovere.Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifeste facinori desinit obviare.

De castitatis etenim bono,fratres mei,jamdudum vobis aliqua verbis intimavimus ; quædam vero criptis suggerere non omisimus.In quibus quædam incentiva descripsimus, ejusque calamitates partim enumerare curavimus. A meretricibus vos cavere docuimus, et extraneārum penitus interdiximus contubernia feminarum; quæ etiam sanctorum Patrum confirmavimus testimoniis,ne impune transgredi putassetis ; sed quia aliquibus profecisse cognoscimus,Deo Patri devotas primum laudes persolvimus : vobis etiam immensas per eum grates referimus ; exorantes, ut de virtute in virtutem conscendere, et Deum deorum in Siou mereamini prospicere. Quapropter,charissimi, si aliqui adhuc tantæ nequitiæ cœno demersi involvuntur, lacrymosis gemitibus Dominum exorare non differant ; manus elevare non omittant, ut de tanta voragine citius liberari valeant ; scriptum est enim : *Omnis qui petit accipit et qui quærit invenit ; et pulsanti aperietur* (*Matth.* VII,2).Tanta ergo Domini promissione, fratres, nihil hæsitantes, castitatis tramitem incunctanter arripite. Dabit nempe perseverantiæ perfectum,qui continentiæ dedit mandatum.Si quis autem superbiæ stimulis elatus vel desperationis tabe profligatus assurgere neglexerit, non hoc absque sui periculo gradus omnino transibit, quod nullorum doctorum. . . . . malis actibus divino examini occurrant, quem infelicem propriæ nimium iniquitates gravant, sed potius de vestra bona conversatione nobiscum gratulari,et ab innumerabilibus delictis merear excusari, Jacobo dicente apostolo : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvavit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* v, 20). Vobis vero fratres. quos oculus Domini misericorditer jam respexit, et a talibus eruit, pro aliis jugiter Omnipotentem expedit exorare ipsosque salutaribus monitis ad metiora convenit exhortari, ut eos quoquo modo vobiscum pariter valeatis sublimare, dicente Domino : *Si frater fratrem adjuverit. ambo exaltabuntur*. Et Paulus Apostolus : *Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 2). Et Jacobus ait : *Orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* v. 16). Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre sanctoque Spiritu vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XI.

AD SUFFRAGANEOS SUOS.

Sanctissimis et dilectissimis confratribus illis venerabilibus episcopis, Atto gratia Dei humilis episcopus, fideles in Christo orationes cum devoto famulatu.

Novit charitas vestra, quia nostri principes et domini, gloriosissimi scilicet reges, dum hostilem se dicunt suspicari impetum, nostra, scilicet episcoporum contra hæc quærunt suffragia, nec nostris contenti pollicitationibus, nec de fidelitate juramento firmata confisis,obsides insuper a nobis pro eo accipere ut nuper audistis omnino laborant. Quid vestræ sanctitati super hoc visum fuerit, nobis exponere vestris sacris apicibus, quia simul nunc apte loqui non possumus, non dedi-

gaemini. Si præfati obsides a nobis dandi sunt,vel si denominati se pro nobis obligari noverint, quid agendum sit, aut si consenserint, quo pacto, aut cum qua securitate hoc fieri oporteat, Si scriptis hæc conventio adnotari conveniat, vel si verbis tantummodo credatur communibus, si terminus sit imponendus, vel in quantum, aut si subreptum in aliquo principibus de nobis fuerit, quod violaverimus propositam sponsionem, pro qua præfati obsides dari jubentur, qualiter convinci vel defendi debeat, aut quæ lex vigorem in talibus obtineat, utrum ecclesiastica, an etiam mundana, vel quibus testibus eadem conventio approbetur, si inter se diversæ partes dissenserint manifestissime propalari, si fieri potest, humiliter exposcimus. Plurimum etenim et nunc et in futuro valebit, si tam grandis seu inaudita causa in ipso exordio saluberrimis fuerit pertractata consiliis,ejusque definitio paginis commendata, nullam ulterius ambiguitatem admittat. Me quoque tam desidem et imperitum, confiteor hactenus non reperisse ab ecclesiasticis doctoribus tale quid auctoritate firmatum, vel exemplo propositum. Sed si quis studiosissimus hoc invenire potuerit perscrutator, ego quod a sanctis Patribus statutum est, inviolabiliter assero observandum.Fidelitatem quoque nostrorum dominorum et regum pleniter in omnibus judico observandam. Nullo modo enim ante oculos divinæ majestatis puri inveniri possumus, si eis infideles ullatenus existimus. Ait enim Dominus in Evangelio : *Si hominem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo potes diligere ?* (*I Joan.* IV, 7, 8.) Et ideo pro illorum fidelitate regnique statu et pace nobis satagere convenit, quemadmodum sanctissimos præsules, nostros siquidem prædecessores, pro religiosorum principum novimus laborasse salute. Alioquin nil ultra novum adjicere censeo, nisi maxima utilitate vel necessitate cogente, summi pontificis sententia, vel prudentium fuerit episcoporum deliberatum consilio. Novimus enim quia, ut ait Dominus per prophetam : *Quid est hoc, quod vertitis in proverbium dicentes : Patres comederunt uvas acerbas, et dentes filiorum obstupescunt. Vivo ego, dicit Dominus, quia non erit ultra hoc proverbium in Israel : ut anima patris, ita et anima filii mea est* (*Ezech.* XVIII, 2). *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris et pater non portabit iniquitatem filii* (*Ibid.*, 20). Quis ergo religiosus contra Dominicam sententiam dicere audeat, quod aliquis fidelis pro patris damnetur iniquitate, aut pro filii, cum audiat ipsum Dominum dicentem : *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii ?* Quamvis enim filii a parentibus noxam primi hominis trahant,sacri fontis baptismate expiandam, tamen aliquid postea peccati parentes admittunt, ubi filii participes non sunt, ad eos non pertinere quis ambigit ? Sed et si fieri etiam potest, ut patres comedant uvas acerbas, et dentes filiorum obtupescant,tamen non inter nos, non in Israel. Ait enim Dominus : *Vivo ego quia non erit ultra hoc proverbium in Israel* (*Ezech.* XVIII, 3): Fieri quippe potest, ut sit inter gentes, inter Ægyptios, sed etiam in Babylonios, sed non in Israel. Utique qui hanc postponit sententiam, et filium patris, vel pro alicujus parentis culpa damnaverit, reus erit, et non Israelitico populo computabitur.

Et fortasse dicit aliquis : Quiquid in hujusmodi hominem fecero, ad eum pertinet, qui eum mihi tradidit. Certe revera quia ad eum pertinet ; sed nec tu ideo excusaberis. Non enim suo peccato tuum evacuare poteris, sed si ille male dedit, et tu male accepisti, ambos tenebit iniquitas. Ille Christianum tuo supponit gladio, tibi Christiano non ideo eum ferire licebit. Quid ut percuteretur peccavit ? Quid male fecit ? Nempe si charitatis causa se objecit,ut alterum liberaret,honorandus est, non perimendus. Ait enim beatus Petrus apostolus : *Ante omnia mutuam in vosmetipsos charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8). Et Dominus in Evangelio : *Majorem charitatem nemo habet,quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV, 17). Moyses autem semetipsum pro populo Israel opponens,ait ad Dominum : *Aut dimitte illis, Domine, hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 31). Cui ait Dominus : *Qui peccaverit in me, delebo eum de libro tuo* (*Ibid.*, 33). Ac si diceret : Tu bene postulas ; quia pie postulas ; ego autem non ita faciam,sed rectum judicium judicabo.Si vero pro alterius gratia aliquis se taliter opposuerit, ut alter exinde lucrum acquirat, vel gloriam, hoc minime laudo. In isto jam si venerit, revera triplicabitur homicidium, nec alieni erunt a crimine tam ipse qui homicidium perpetraverit, quam ille qui hominem sub tali conventione tradidit, seu et ipse, qui hoc de se fieri permisit,si ad intelligibilem jam pervenit ætatem. Nam de parvulis quid aliud dicendum est,nisi quod innocentes pereunt, et insontes existunt ? Audi quid de ipso Domino actum sit. Vinctum illum Judæi Pilato obtulerunt, ut crucifigeretur, dicentes : *Crucifige eum. Nos legem habemus, et secundum legem debet mori* (*Joan.* XIX, 7). Et iterum : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 23). Sed quamvis ipse dixerit : *Mundus sum a sanguine hujus* (*Ibid.*, 24) ; ut quamvis manus laverit, tamen quia homicidium improbe perpetravit, nullatenus poterit a crimine excusari. Nam Dominici effusio sanguinis et illos maculavit, et hunc in perpetuum damnavit. Sed et hoc de omnibus innocentibus ad pœnam traditis sentiendum est. Quidam pro angustia, ut se ab aliquo liberare possint, alterum opponunt, vel etiam pro commodo ut pro tali adulatione ditari vitant videantur. Quidam vero nimium in se confidentes, ea quidem promittunt,quæ suæ non sunt potestatis,et pro tali pollicitatione obsides ponunt,quam illis vix adimplere permittitur. Quis enim de se præsumere audeat, vel quis de se poterit esse securus ? Quis promptior de alicujus unquam poterit esse fidelitate

beato Petro, qui ait ad Dominum : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*? (*Matth.* XXVI, 35.) Et tamen Domino prædicente, antequam gallus cantaret, ter eum negavit. Christus enim ut Deus cognovit Petri fragilitatem; Petrus autem considerat suæ fidei ardorem. Quod autem Dominus dicit prævidendo, iste denegat amando. Ubi moraliter instruimur, ut quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate,quia,si nostrum sit velle, Dei autem est perficere. Neque nos secundum beatum Augustinum (*in Joan.* tract. 66) cum ista dicimus, primum apostolorum accusare delectat, sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus confidat. Nam quid aliud pertinuit ad doctorem Salvatoremque nostrum,nisi ut nobis nequaquam de se quemquam debere præsumere in ipso primo apostolorum demonstraret exemplo? In anima itaque contigit Petri, quod offerebat in corpore. Ille enim mortem corporis offerebat, sed mortem animæ incurrit : quia sicut vivere est confiteri Christum, sic et mori est negare eum. Quid et beatus Thomas dixerit novimus: *Eamus et nos et moriamur cum eo; similiter autem et cæteri omnes dixerunt* (*Joan.* XI, 16) ; et tamen *omnes relicto eo fugerunt* (*Matth.* XXVII, 59).

Et certum est apostolos eo jam tempore plus eos diligere Dominum, quam vos omnes propinquos. Et ideo qui pro illius tunc non sunt retenti amore pro nullis utique starent obsidibus. Multos quoque audivimus et vidimus post datos obsides irritam fecisse sponsionem. Quosdam vero etiam absque datis obsidibus usque ab mortem fidem servasse. Verumtaman si talis expetenda est obligatio, a stolidis et perversis Deumque non curantibus tantummodo exigenda est. Vir autem prudens et catholicus,quæ pro Dei omnipotentis timore suæque animæ periculo non custodit, pro nullis poterit servare obsidibus. Cavendum est ergo hoc omnibus Christianis, sed pontificibus nullo modo æstimo præsumendum. Sicut enim apostatæ dicuntur, qui post baptismum Christi suceptum rursus ad paganorum ritus, et idolorum convertuntur culturam, sic etiam apostatæ dicuntur et sacerdotes, qui Ecclesiam deserentes censuram, ad militarem se conferunt actionem. Quomodo enim pro se alios objicere periculo poterunt, qui se pro illis opponere debent? Legimus namque de beato Paulino episcopo,quia cum se pro uno tantum viduæ filio captivitati, imo et servituti tradidisset, multos in hoc liberasse captivos. Quo etiam in facto tam a beato Gregorio, quam et a multis aliis sanctissimis laudatus est Patribus.

Unum tamen scio procul dubio, quod ubique dicetur, quia si illud fidei vinculum, quod olim inter principes nostrosque valuit prædecessores, minime apud nos servari creditur, aut principes deteriores, aut nos nequiores esse probamur. Quia aut illi sua sævitia adeo exosi videntur, ut ad popularem jam non possint redire amorem, aut nos adeo perfidi suspicamur, ut nullum in nobis fidei robur consistat, aut utrumque. Quæque tamen pars hoc meruisse convincitur, oporteret ei magis subsistere, quam ad tale diu protrahi dedecus, quod absit.

Quapropter, dilectissimi, oremus Dominum omnipotentem, ut nostros gloriosissimos reges ubique conservet, nosque illis commissos dignetur tueri,in omnibus nobis adversitatibus propitiari. Illis de nostra fidelitate donet fiduciam, et nobis in eorum obsequio perseverandi præstet constantiam.Tribuat illos nobis tranquillos, nosque eis faciat esse devotos. Et si fragilitatis causa, aut ipsi in nobis, aut nos contra illos aliquid iniquum commisimus, sic ejus clementia deleatur, ut nulla jam in posterum ultio exinde præparetur. Dimittamus debita, ut dimittantur, non vindicemus omnia, ne omnia vindicentur. Non vindicentur maxima pro minimis,sed servetur modestia et in magnis. Nullus quod alteri debetur, præsumat concupiscere, quia hinc solent jurgia semper crescere. Sufficiat unicuique quod suum est, nec invadere aliquem delectet quod non est. Qui enim injuste gaudet acquirere, solet etiam quod juste tenet amittere.Nam licet judicum poterit voces inficere, divinum non valebit judicium effugere. Det nobis Dominus ab exteris pacem, et inter nos suam conferat charitatem. Sit unum cor omnium, ut diligamus Deum et proximum. Digne semper laudemus Dominum, et benedicamus nomen ejus in sæculum. Amen.

ATTONIS

VERCELLENSIS EPISCOPI

EXPOSITIO

EPISTOLARUM S. PAULI.

ISTE LIBER PAULI RETINET DICTATA BEATI
TRACTATUSQUE SIMUL DISERTO SIRMATE COMPTOS.

EPISTOLA AD ROMANOS.

ARGUMENTUM.

Primo discutiendum est quare Epistola ad Romanos in principio ponatur, cum Apostolus non eam primum, sed post quasdam alias scripserit. Aiunt enim quod primam scripserit ad Hebræos. Hanc quæstionem nonnulli hoc modo solvunt: Roma pene totius caput erat imperii; quoniam Romani tunc pene omnibus gentibus imperabant; ideoque dignum fuit, ut, ob eorum reverentiam Epistola ad eos scripta prima poneretur. Alii vero, ut Origenes asserit, pertractantes fidem, et merita singularum gentium, quæ crediderunt, et ad quas Apostolus direxit epistolas, secundum earumdem fidem, et merita eas ordinare decreverunt.

Romani autem minoris erant fidei et meriti : nonnulli enim eorum adeo rudes erant, ut se crederent non Dei gratia, sed suis meritis esse salvatos; ideoque Epistolam, quæ ad eos scripta est, primam posuerunt. Deinde gradatim ascendentes secundum fidem, et merita gentilium, ut dictum est, ordinaverunt Epistolas.

Hinc est, quod Epistolam ad Hebræos scriptam ultimam posuerunt, quoniam illi majoris erant fidei, meriti et scientiæ, unde et ab Apostolo omni laude præferuntur. Sed, quia cum Epistola legitur, ita pronuntiari solet: Epistola beati Pauli apostoli: ipsa quoque pronuntiatio sollicite, et solerter discutienda est. *Epistola* Græce. Latine dicitur *supermissa*. Nam *Epi* Græce Latine dicitur *super*, *stola* autem *missa* : sic enim epistola dicitur, sicut epitaphium, et epithalamium : epitaphium namque carmen, quod super tumulos mortuorum scribitur; epithalamium vero, quod super nuptias ad thalamum canitur : quod primus cecinit Salomon rex Israel in laudem sponsi et sponsæ, id est, Christi et Ecclesiæ. Sed quærendum est quare tam hujus, quam cæterorum apostolorum scripta speciali quodam nomine epistolæ vocantur. Et apte quidem : quoniam super legem, et prophetas, nec non super gratiam ejus addita, et missa sunt ad resecanda vitia, quæ ex transgressione Evangelii noviter oriebantur. Nam qua intentione post acceptam legem prophetæ directi sunt; scilicet ut eorum vaticiniis resecarentur vitia ex legis transgressione orta : eadem, post acceptam Evangelii gratiam directæ sunt epistolæ, ut earum sententiis, atque præceptis expiarentur vitia, quæ ex legis transgressione nascebantur. Notandum autem, quia pulchre Apostolus decem tantum Ecclesiis direxit epistolas. Nam quatuor discipulis misit : ut sicut filii Israel liberati ab Ægyptiaca servitute transeuntes mare Rubrum, et suscepti ab eremo decem verba legis acceperunt, quibus ad salutem instruerentur; ita veri Israelitæ, id est, fideles liberati ab Ægyptiaca, id est dæmonum servitute, et transeuntes mare baptismi, quod ideo Rubrum dicitur, quia sanguine Domini est rubricatum, susceptique ab eremo præsentis Ecclesiæ decem Epistolarum sententiis informarentur ad vitam æternam, et salutem perpetuam. Apte etiam quatuordecim scripsit : nam sicut denario Decalogus, ita quaternario doctrina Evangelii designatur. Quatuordecim ergo Epistolas scripsit Apostolus, ut ipso numero concordiam legis, et gratiæ demonstraret, seque nihilominus ejusdem legis, et gratiæ impletorem, doctorem, et expositorem. Beatus dicitur, quasi bene aptus, vel bene auctus; et revera ille beatus est, qui caret omnibus malis, et abundat omnibus bonis. Apostolus itaque vere beatus erat, quoniam et si temporalibus afficiebatur adversis, tamen spiritua-

libus replebatur bonis(64*). Paulus Hebræo sermone, A Latine dicitur *admirabilis*, sive *electus*. Et apte quodam præsagio admirabilis dictus est, quoniam incipiens ab Jerosolymis per singulas circumquaque regiones usque ad Illyricum mirabiliter prædicavit Evangelium : sive quia multa miranda, id est signa, et prodigia fecit. Electus autem ideo dictus est, quoniam electus est a Domino ad prædicationis officium. Unde ipse alibi dicit : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4). Hinc et in Actibus apostolorum Spiritus sanctus loquitur, dicens : *Segregate mihi Barnabam et Paulum, in opus ad quod elegi eos* (*Act.* XIII, 2). Paulus vero in Latino sermone a modico dictus est : est enim sermo humilitatis; unde beatus Augustinus dicit : Usum Latinæ locutionis advertite; nam Paulus modicus dicitur : sic B enim solemus dicere : Paulo post videbo te, et paulum hic exspecta, id est, post modicum videbo te, et modicum hic exspecta. Pulchre itaque a modico dictus est, quoniam magnæ fuit humilitatis. Unde et ipse alibi dicit : *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* XV, 9). *Apostolus* Græce. Latine dicitur *missus*, Et pulchre missus dictus est, quia non suæ carnis instinctu venit, ut pseudoapostoli, nec a diabolo, vel ab homine, sed a Deo missus est, ut eum gentibus prædicaret. Unde Dominus in Actibus apostolorum dicit : *Ecce ego ad gentes longe positas mittam te* (65). Quod nomen per se positum semper in bono accipitur. Romanos Italos esse constat, quoniam Roma in quadam Italiæ parte sita est, quorum imperium, ut dicit beatus Augustinus, quanto C in primordio brevius fuit, et angustius, tanto postmodum majus et latius. Adeo enim excreverunt, ut pene totum sibi subderent orbem, partim gladiis interimendo, partim sub tributum redigendo. Unde et apte Romani dicti sunt, quod interpretantur sublimes, sive tonantes, quoniam sicut tonitru homines terret, ita eorum timor totum invaserit orbem. Præterea sciendum, quia Romanis non primum Apostolus Evangelium annuntiavit, aut fidei fundamentum posuit, sed, ut quidam dicunt, Petrus, alii vero Barnabas, aut aliquis septuaginta discipulorum. Et fieri quidem potuit, ut, prædicante Barnaba, aut aliquo discipulorum Domini, fidem Christi susceperint, et a Petro in eadem fide sint confirmati, sed magis a Paulo corroborati. Attamen quoquo D modo verbum Evangelii ad eos pervenit, et ipsi quidem susceperunt; sed postea corrupti sunt a pseudoapostolis, et inducti, ut legem et prophetas carnaliter intelligerent. Plurimi namque Judæorum, qui crediderunt, gentibus æque credulis asserebant nihil prodesse fidem Christi suscipere, atque ad Evangelii gratiam transire absque carnali circumcisione. Unde et instanter Apostolo detrahebant, quod gentes ad fidem Christi susceperit, absque carnalis legis observatione.

Et quia præfatam Urbem uterque populus habitabat, Judæi atque gentiles plurimum inter se dissidentes, et quasi pugnanter dimicantes, hæc sibi insultando et altercando objicere solebant. Dicebant enim Judæi : Nos genus electum, populus acquisitionis, plebs sancta ex stirpe patriarcharum orta, quos Dominus multis signis et prodigiis ab Ægyptiaca servitute liberavit; nos siccis pedibus mare transivimus; cum inimicos nostros gravissimi fluctus involverent; nobis in deserto legem dedit, et manna de cœlo pluit; aquam de petra emanare fecit; nobis terram lacte, et melle manantem promisit, et in eamdem, sicut promiserat, introduxit. Ex nobis prophetæ, ex nobis se ipsum in carne venturum promisit, et veniens ex nobis carnem sumpsit, atque inter nos commoratus multa signa et mirabilia fecit, nosque in Evangelio filios, vos potius canes appellavit, et ideo consortio nostro digni non estis, quia semper idola vana et muta coluistis. Ad hæc gentiles respondebant : Vera esse credimus quæ dicitis; attamen quanto majora erga vos Dei beneficia narraveritis, tanto vos deteriores ostendetis : ipsis enim pedibus, quibus mare per siccum transistis, ante idola saltando lusistis; ipso ore, quo manna comedistia, laudantes deos aureos dicebatis : Hi sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti; et, ut cætera prætermittamus, ipso per mysterium incarnationis apparente, non solum suscipere eum noluistis, sed, quod est deterius, morte turpissima condemnastis. Nos vero nulla ejus signa cernentes, sola fama nominis ejus audita, statim credidimus : unde nostro consortio digni non estis, nec nobis æquiparari potestis. Audiens igitur Apostolus inter eos hanc dissensionem, quasi pro lapide angulari Domino videlicet Jesu Christo legatione fungens, sicut ipse dicit : *Pro Christo enim legatione fungimur* (*II Cor.* V, 20); (*Ephes*, VI, 20) : se medium posuit, atque, ut eos ad pacis concordiam et fidei unitatem revocaret, hanc eis direxit epistolam, in qua ostendit eos omnes esse peccatores, et egere gratia Dei. Unde paulo inferius dicit ; *Non est distinctio Judæi et Græci* (*Rom.* X, 12). *Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei* (66). Ostendit nihilominus eos non suis meritis, sed Dei gratia salvatos; ideoque nullam debere esse dissensionem. Unde circa finem hujus Epistolæ in civitatibus exhortando dicit : *Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei* (*Rom.* XV, 7).

(CAP. I.) ***Paulus servus Christi Jesu** vocatus apostolus. segregatus in Evangelium Dei.* In fronte hujus Epistolæ oritur quæstio, quare qui prius Saulus, post conversionem dictus sit Paulus. Legitur quidem in Veteri Testamento quorumdam nominum facta mutatio, ut Abram postea dictus est Abraham, et Sarai Sara, Jacob quoque Israel. In Novo etiam Testamento hoc invenitur, nam qui prius Simon, postea dictus est Petrus; filii Zebedæi. Joannes et Jacobus Bea-

(64*) In margine autographi ibi legitur cap. I.

(65) Act. XXII, 24 : *Quoniam ego in nationes longe mittam te.* Ita Vulgata.

(66) *Rom.* III, 22, 23, *et egent gloria Dei.* Vulg.

nerges, id esst filii tonitrui (*Marc.* III, 17). Sed hæc A divino facta sunt præcepto, verumtamen nihil tale de Paulo legitur. Unde quidam aiunt, quod hoc nomen sortitus sit a victoria, quia vicit Paulum proconsulem Cypri ; quia eum prædicatione superavit, et fidei jugo subjecit (*Act.* XIII, 12), more regum, qui victis Parthis Parthici, et victis Gothis appellantur Gothici, et hic sensus non per omnia evacuandus est. Attamen quia non in divinis, sed in humanis litteris inveniuntur, profundius et convenientius discutienda est hujus quæstionis solutio. Quapropter sciendum, quia mos fuit in Veteri Testamento, ut unus idemque homo duobus aut tribus nominibus vocaretur. Nam Salomon vocatus est Jedidiab (67), et Ecclesiastes. Ozias ipse est, et Azarias ; Joachim ipse est Jechonias.

Hunc morem, Novum etiam Testamentum servat. Matthæus quippe ipse est et Levi, Judas idem est et Taddæus, sive ut quædam exemplaria habent, Lebeus. Sic ergo fieri potuit, ut Apostolus duobus nominibus nuncupatus sit, Saulus et Paulus. Sed quandiu suæ gentis administrator exstitit, dictus est Saulus ; postquam vero gentibus gratiam Evangelii ministrare cœpit, Paulus. Quod autem ita sit, manifestat liber Actuum apostolorum, ubi legitur : *Paulus, qui et Saulus* (*Act.* XIII, 9). Saulus autem, ut quidam volunt, dictus est a Saule rege, a cujus stirpe descendit. Rursus quærendum, quare se vocaverit servum. cum Dominus in Evangelio dilectoribus suis dicat : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV, 15). Ne ergo contrarium videatur, sciendum quia est servitus servilis timoris est et C casti. Aliter namque servit filius, aliter servus : iste per timorem, ille per amorem. Ipse nimirum Dominus, qui dilectores suos amicos vocat, alibi eis dicit : *Cum perfeceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII, 10). Servos ergo Dominus discipulos suos vocavit, non servilis, sed casti timoris, de quo Propheta dicit : *Timor Domini sanctus* (*Psal.* XVIII, 10). Ita et Apotulus servum se dixit, non servilis, sed casti timoris, ut nobis humilitatis exemplum relinqueret. Sic enim sancti, servi vocantur, sicut angeli, qui semper Domino serviunt non per timorem, sed per amorem. Cujus autem servus fuerit, evidenter ostendit, subjungens : *Christi Jesu ;* ac si diceret : Licet servus, non tamen peccati, non iniquitatis, sed Christi Jesu. *Christus* D Græce, Hebraice *Messias*, Latine dicitur *unctus*. Est autem generale nomen, quod convenit omnibus unctis : nam quicunque in Veteri Testamento oleo ungebantur, Christi vocabantur. Sed iste specialiter unctus est a Deo Patre præ consortibus suis (*Psal.* XLIV, 8 ; *Hebr.* I, 9), plenitudine Spiritus sancti. *Jesus* Hebraice, Græce *Sotir*, Latine *Salvator* dicitur. Et licet tunc multi in eadem regione hoc nomine vocarentur, huic tamen esse constat principale et essentiale. Christus ergo nomen est regiæ dignitatis, Jesus autem Salvatoris. Cujus nominis etymologiam in Evangelio angelus exponens, ait : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I, 21).

Item quærendum est quare se Apostolus nominaverit vocatum ; cum Dominus in Evangelio dicat : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX, 16). Et sciendum, quia Dominus illam voluit intelligi vocationem generalem, qua omnes vocantur ; Apostolus vero vocationem divinam, appellat prædestinationem, secundum quam soli vocantur electi : unde ipse alibi ait : *Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII, 28) ; et (68) item : *Quos præscivit, hos et prædestinavit ; quos autem prædestinavit, hos et vocavit* (*Ibid.*, 29). Discutiendum quoque quare segregatum se appellaverit, cum noverit unum se esse de illis servatis, pro quibus Filius Patri supplicat, dicens : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 11) ; et super quorum unitate rogat, *volo*, inquiens, *Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus :* præsertim maxime cum segregatus dicatur a grege separatus : an iste a grege sanctæ Ecclesiæ fuerat separatus ? Absit. Sed segregatum se dicit, quoniam ex multis electus est a Domino, ut dirigeretur ad prædicationis officium. Hinc in Actibus apostolorum legitur : *Segregate mihi Barnabam et Paulum* (*Act.* XIII, 2). Et Dominus Ananiæ : *Vade*, inquit, *quia vas electionis est iste mihi, ut portet nomen meum coram gentibus* (*Act.* IX, 15). Quo autem sit segregatus aperitur, cum subditur : *In Evangelium Dei.* In Evangelium Dei dicit, id est ac prædicandum Evangelium : *Dei* autem ad distinctionem sui : unde ipsis Corinthiis ait : *Per Evangelium meum ego vos genui* (*I Cor.* IV, 15). Et ut ostenderet quod esset illud Evangelium, adjecit : *Quod ante promiserat per prophetas suos.* His verbis ostendit Apostolus concordiam Novi et Veteris Testamenti. Ostendit plane ; quia quod prophetæ præviderunt, et prædixerunt, hoc apostoli prædicaverunt et viderunt. Non enim per apostolos exhiberetur Evangelium, nisi per prophetas promitteretur. Ac per hoc prophetæ in nullo contrarii sunt, sed consentiunt Evangelio. Hoc etiam dicto destruitur error Manichæorum, qui non recipiunt prophetas, nihilominus et eorum, qui asserunt alterum esse Deum Novi, et alterum Veteris Testamenti. *Suos* autem dicit ad distinctionem pseudoprophetarum. Plurimi namque fuerunt non solum in Judaico, sed etiam in gentili populo, qui falsa de eo prophetaverunt, ut Sybilla et Virgilius, qui ait :

Jam nova progenies cœlo dimittitur alto.

Quomodo autem falsa de ille prophetaverint, beatus Augustinus in libro de Civitate Dei manifeste demonstrat. Et ne poetæ (69) gentilium, prophetæ putaren-

(67) In autographo legitur *idiola* fortasse nimis compendiose pro Jedidiab, id est Deo amabilis, uti vocatus est Salomon per Nathan prophetam. *II Reg.* XII, 25.

(68) In autographo legitur *eite*.

(69) In autographo ita habetur *et neopere*.

tur,quia quædam de Deo prophetaverunt,mox confestim subdidit : *In Scripturis sanctis*. Scripturas sanctas illas dicit, quæ a sanctis viris Spiritu sancto influente redundante et dictante sunt editæ.Rursus ne figmenta gentilium Scripturæ sanctæ putarentur, adjecit, dicens : *De Filio suo*. Et quoniam omnes fideles filii Dei sunt,ut insinuaret de quo filio diceret, subjunxit : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*.Secundum carnem ex semine David eum factum dicit, quia beata virgo Maria ex David stirpe descendit, in cujus virgineo utero Dei Filius veritatem humanæ substantiæ suscepit. Et sciendum quia David, rex fuit illius populi, de quo Dominus carnem sumpsit(70); ideoque dignum fuit, ut de ejus stirpe prophetæ nascerentur, qui eum venturum prædicarent. Et idcirco Apostolus, David fecit mentionem. Et notandum quia Apostolus tam divinitate,quam humanitate Salvatoris instructi peritus (71);idcirco eum secundum carnem ex semine David factum dicit, ut locum daret divinitati. Non enim divinitas facta est,sed humanitas. Verbum namque Dei, id est unigenitus Filius non est factus, sed omnium factor. In eo enim, quod Dominus Jesus Christus Deus est,omnia per ipsum facta sunt; unde Joannes : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3), etc. Nisi enim esset Deus, nequaquam omnia per ipsum fierent, quin potius ipse inter ea, quæ facta sunt, computaretur.Ille ergo, qui erat, et factus est, quid erat, aut quid factus est ? Verbum erat : caro factus est. Dei erat Filius : factus est Filius hominis. Sequitur : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*.Notandum, quia quem superius dixerat factum ex semine David secundum carnem, eumdem dicit prædestinatum Filium Dei in virtute, ut ostenderet, quoniam qui futurus erat filius David secundum carnem,idem et non alter Dei erat Filius in virtute.*Secundum spiritum sanctificationis prædestinatus*.*Secundum spiritum sanctificationis* dicit, quia de Spiritu sancto, et virgine conceptus est,et natus. Hæc est illa singularis inenarrabilis (72), et ineffabiliter facta assumptio, qua Dei Filius verum hominem sibi in unitatem personæ copulavit, ut idem esset Deus, et homo, Deus propter assumentem Deum,et homo propter assumptum hominem ; ut non quaternitas, sed Trinitas esset Deus. Sed cur eum Apostolus prædestinatum vocat,cum omnes fideles prædestinati sint ? Si enim nos prædestinati, et ille prædestinatus ; ergo non proprius, sed adoptivus est filius. Absit. Attamen sciendum,quia qua gratia fit unusquisque ab initio suæ fidei Christianus,ea et ipse ab initio suæ incarnationis factus est Christus,et quo Spiritu hic quisque renascitur, eo ipse natus est de virgine. Nam quo Spiritu hic fit remissio peccatorum, eodem factum est ut ipse nullum haberet omnino peccatum.

Hæc omnia Dominus se facturum et præscivit, et prædestinavit. Sed quod ei qualecunque meritum præcessit, ut ad tantam excellentiam perveniret ? Nullis utique præcedentibus meritis,sed sola gratia Dei homo assumptus est in unitatem personæ Verbi Dei : unde recte dicitur prædestinatus.Prædestinavit ergo illum,prædestinavit et nos ; quia nec in illo,ut caput esset nostrum, nec in nobis, ut membra ei essemus, ulla præcesserunt merita, sed sola opera Dei. Et nota, quia apte Spiritus sanctus, spiritus sanctificationis dicitur ; quia omnis sanctificatio in ipso consistit, et ab ipso procedit, et ipse omnibus sanctificationem largitur.Sequitur : *Ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*. Quia dixerat Apostolus superius Dominum Jesum prædestinatum in virtute secundum spiritum sanctificationis, ut ostenderet,quia ex resurrectione etiam mortuorum prædestinatus esset, adjecit : *Ex resurrectione mortuorum* (73), etc. Quod dicit *mortuorum*,non illorum debemus intelligere, quos in judicio Dominus condemnabit ; sed quibus post judicium transiens ministrabit.Voluit igitur hoc dicto ostendere Dominum Jesum omnium mortuorum præcessisse resurrectionem.Unde et *Primogenitus mortuorum* dicitur(*Apoc.* I, 5), post, tantum electorum (*Rom.* VIII, 29), quia solus sua virtute a mortuis resurrexit.Pulchre ergo Apostolus non ait *Jesus Christus, sed Jesu Christi*, tanquam diceret,suorum. Nam si interrogaretur ex quorum resurrectione eum diceret prædestinatum, responderet utique, suorum. Et hoc est, quod dicit *Jesu Christi*. Potest et alter esse ordo verborum, ut quod dicit, *ex resurrectione mortuorum*, non ad hoc referatur quod ait, *Filius Dei in virtute*, sed ad hoc quod præmisit, *qui prædestinatus est*, et hæc verba sint in medio,*Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ;* quibus abstractis,iste erit ordo verborum : *Qui prædestinatus est ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri Filius Dei in virtute ;* et iste sit sensus : Prædestinatus est filius David(74)in carnis infirmitate ; prædestinatus filius Dei in virtute : ut, qui carnem suscepit, referatur ad David, propter quod et mortuus est, quod vero resurrexit, ad Filium Dei ; quia divinitatis virtute resurrexit.

Deinde ut ostenderet Apostolus quia non a se ipso venit, sed a Christo missus est, adjecit : *Per quem accepimus gratiam et apostolatum*. Ubi notandum, quia non ait tantum *gratiam*,ne acceptæ gratiæ videretur ingratus,dum eamdem acceptam non prædicaret : ideoque subdit : *Et apostolatum*. Nam gratiam generaliter cum omnibus accepit ; apostolatum vero quodam speciali modo quasi solus promeruit. Gratia autem est,qua peccata laxantur. Et ut aperiret cur hæc acceperit, illico adjunxit : *Ad obediendum fidei*, id est, ut ab omnibus obediatur

(70) Verba *de. . . sumpsit* in margine superiori autographi leguntur.

(71) In autographo ita : *Instructis peritus*.

(72) In autographo loco *inenarrabilis* ita habetur *inenarra*.

(73) Verba *prædestinatus . . . mortuorum* eodem charactere scripta in imo margine habentur.

(74) In autographo duplici *d* expressum est nomen David, sic etiam paulo infra.

fidei. Sed pro quo? *Pro nomine*, inquit, *ejus*, tanquam diceret : Idcirco gratiam et apostolatum accepi, ut omnes obediant fidei, et credant in eum : et quicunque prædestinati et salvandi sunt, signo nominis ejus signentur. Et ne forte hæc gratia solis Judæis concessa videretur, *in omnibus gentibus* : rursus ne Romani viderentur excepti, subjunxit (75): *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi*, quod est aperte dicere : Qui omnium gentium Salvator, ejus et vos estis vocati, quamvis non in Judæorum, sed in gentium numero inventi. Igitur, quia dixerat quis scriberet : *Paulus*, inquiens, *serus Christi Jesu*, etc., ut ostenderet quibus scriberet, addit : *Omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis* (76) ; et reliqua. His verbis divinam commendat misericordiam, et meritum humanum evacuat. Nam notandum, quia non ait, diligentibus Deum, sed dilectis Dei : non enim ideo dilecti sunt, quia dilexerunt, sed quia dilecti sunt, idcirco dilexerunt ; unde Joannes : *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV, 10). Sed quid est, quod ait *vocatis sanctis?* Nunquid sancti vocati sunt? Non utique ; sed vocati sunt sancti. Similis enim est hæc locutio illi Zachariæ, qui ait : *Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.* I, 48), non quæ sua fuerat, sed quam visitando fecerat suam. Joannes etiam dicit : *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (*Joan.* XI, 52) : neque enim dispersi adhuc filii Dei erant, sed congregando in unum fecerat eos filios Dei. Et Salomon : *Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov.* XXXI, 10.) Non enim mulier hæc, id est sancta Ecclesia, fortis a Domino inventa est, sed ipse inveniendo fecit eam fortem.

Ostensis denique quibus scriberet, nihil supererat, nisi ut salutem poneret, cujus loco posuit pacem et gratiam, subdens, *gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo*. Quod dicit *a Deo* ad gratiam et pacem respondet. Et apte quidem gratiam a Deo dicit, quoniam noverat esse ab hominibus; quemadmodum Judices personas considerantes, vel cupiditate astricti, illecti, vel timore perterriti gratias hominibus præstare solent. Similiter et pacem a Deo optat, quoniam noverat esse pacem ab hominibus, de qua Dominus in Evangelio : *Non qualem pacem mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* IV, 10). Et notandum, quia principali egregio ordine gratiam paci præposuit : gratia enim est, qua (77) peccata laxantur ; pax autem, qua reconciliamur Deo. Peccata enim nostra diviserunt nos a Deo (78), et aversi eramus ab eo. Quia ergo dum per gratiam fit remissio peccatorum, reconciliamur Deo, ipsa reconciliatio pax dicitur : ideoque pulchre gratia paci præfertur. Sed dicit fortasse aliquis : Cur Apostolus Patris tantum, et Filii mentionem fecit, et non Spiritus sancti? Cui respondendum : Quia gratia et pax dona Dei sunt ; donum autem Dei est Spiritus sanctus, quod Dominus manifestat, cum dicit ad mulierem Samaritanam : *Si scires donum Dei* (*Joan.* IV, 10), etc. Si, ergo gratia et pax dona sunt Dei, constat procul dubio quia Apostolus totius Trinitatis fecit mentionem.

Igitur finita salutatione pulchre Apostolus narrationis suæ exordium a gratiarum cœpit actione, dicens : *Primum quidem gratias ago Deo meo*, etc. Gratiæ sunt laudes, quas Deo offerimus. In eo itaque, quod Apostolus gratias agit Deo pro fide Romanorum, nos monemur ut de omnibus nostris tam prosperis quam adversis, et de aliorum, sed tantum prosperis, Deo gratias referre studeamus. Sed quare Apostolus non absolute, sed cum adjectione ait *Deo meo?* Scilicet, ut ostenderet, quia Deus natura omnium est, voluntate vero et merito, paucorum, id est solummodo electorum. Hæc ergo vox illorum tantum est, de quibus Dominus dicit : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* : nam in his tribus omnes comprehenduntur electi. Per quem gratias agat, ostendit : *Per Jesum Christum.* laudis namque suæ sacrificium Deo offerebat ; ideoque, ut gratum fieret, per manum summi pontificis offerre cupiens, aiebat : *Per Jesum Christum.* Unde nos monemur ut quoties orationis nostræ, vel actionis alicujus sacrificium Deo offerre volumus, per ejus manum offeramus.

(79) Hinc Ecclesiæ consuetudo descendit, ut sacerdotes singulis precibus adjungant : *Per Dominum nostrum Jesum Christum*. Pro quibus autem gratias agat, manifestat : *Pro omnibus vobis*. Ubi notandum, quia non ait, pro sapientibus, pro divitibus : ne videretur personarum acceptor sed generaliter, pro vobis ; ac si diceret, in unitate fidei constitutis. Cur autem gratias agat, aperitur cum subditur ; *Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Fides est Trinitatis confessio, et totius pietatis ac bonitatis fundamentum, atque religio. Fides illarum rerum est, quæ non videntur. Unde Apostolus : *Est autem fides sperandum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1). Fides dicitur, eo quod fit id quod dicitur aut promittitur. Quod autem dicit : *In universo mundo*, si simpliciter quidem intelligamus, universas mundi voluit intelligi partes. Et certe potuit fieri, quoniam Romani tunc pene omnibus gentibus imperabant, ut fama fidei eorum ad universas mundi pervolaverit partes. Possumus et

(75) In autographo post verbum *subjunxit*, quod compendiose scriptum est, additur, *ait*, quod per errorem forte amanuensis perperam additum est.

(76) Conferantur quæ sequuntur cum interpretatione, quæ inferius habetur, verborum : *his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, et sequentium ad cap. VIII. Exinde enim eruere erit, quænam illis temporibus fuerit doctorum et Ecclesiæ sententia de iis quæ hodie tantam litem movent.

(77) In autographo loco *qua* legitur *quia*. Mihi tamen menda visa est amanuensis, et melius auctoris sensum ita referri.

(78) Verba peccata... Deo in margine inferiori sita sunt.

(79) In marg. cap. II.

serviunt creaturæ (87). *Quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis.* Hic subaudiendum est, *esse*, ut sit sensus: Essentia et notitia Dei manifesta est illis. Cur autem sit manifesta ostendit : *Deus enim illis manifestavit.* Sed, quomodo manifestaverit, non evidenter ostendit. Subaudiendum ergo est : faciendo opus, per quod ipse possit agnosci Creator. Omnis quippe creatura prædicat se non esse Creatorem ; præsertim cum nihil creaturarum omnia in omnibus superet. Verbi gratia, cœlum præcellit magnitudine, sol, luna, et stellæ claritate, terra fertilitate : ac per hoc evidenter ostenditur, quod omnia habent Creatorem, qui ea condidit, regit et gubernat, et omnia præcedit. Sequitur : *Invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas* intellecta conspiciuntur a creatura mundi, per ea quæ facta sunt : a creatura quippe mundi, id est, ab ipso mundi exordio, per visibiles creaturas, invisibilis agnosci potuit Creator. Nam, cum Dominus tam pulchra condiderit elementa, ut ea homines, quasi deos adorarent, facile cognosci poterat, quia incomparabiliter pulchrior erat ille, qui ea condidit. Virtutem itaque vocat divinitatis potentiam, quæ omnia regit ; divinitatem vero, ipsam Dei majestatem, quæ replet universa. Hæc enim, id est virtus, et divinitas, per visibiles creaturas potuerunt agnosci : sed quia non sunt agnita, idcirco sunt inexcusabiles : unde et subditur : *Ita ut sint inexcusabiles.* Cur autem sint inexcusabiles, manifestat : *Quia dum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, etc. Virtutem quippe invisibilis essentiæ per visibiles, ut dictum est, potuerunt agnoscere creaturas. Nam, quamvis nomen Dei adhuc esset ignotum, virtus tamen erat manifesta : unde non ignorantia (88), sed de glorificatione reprehenduntur, cum dicitur : *Non sicut Deum glorificaverunt*, id est, debitum illi honorem non impederunt Cum enim Deus illis non solum utilissimarum disciplinarum peritiam tribuerit, sed etiam, ut de summo bono tractarent ; ipsi, bonum, quod habebant, non Deo, sed sibi tribuentes, nequaquam Dei gratuita bonitate, sed suis se meritis accepisse credebant, ideoque evanuerunt ; unde mox sequitur : *Sed evanuerunt in cogitationibus suis*, etc. Nullum quippe majus evanescere est, quam a Deo acceptum bonum sibi tribuere. *Et obscuratum est insipiens cor eorum.* Ecce, dicit Apostolus, cor eorum obscuratum. Sed unde obscuratum sit non ostendit. Intelligendum ergo est, quia obscuratum nube humanæ laudis : pro acceptis quippe bonis humanam laudem quærebant, et ideo factum est insipiens cor eorum. Insipiens enim cor illud recte dicitur, quod acceptum bonum sibi tribuit, et pro eo, non Dei, sed suam gloriam quærit.

Sequitur : *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*, etc. Pro peritia namque diversarum artium se sapientes esse jactabant, ideoque stulti facti sunt. Quomodo autem stulti facti sint, aperitur, cum subditur : *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* His verbis denotat Apostolus philosophos, et redarguit poetas gentium, Socratem, Platonem, Aristotelem, Zenonem, Virgilium, Catonem, Ovidium Nasonem, et cæteros, qui divinitatis honorem mortuis hominibus impendebant, putantes eos magis sibi prodesse posse post mortem, quam dum adhuc viverent : nam cum viverent, nullum eis divinitatis impendebant honorem. Et nota, quia non ait, in similitudinem hominis, sed, *in similitudinem imaginis hominum :* speciem quippe humani corporis formare non poterant, sed similitudinem imaginis, cui divinitatis honorem impendebant. Quod autem gentes similitudinem (89) humanæ imaginis pro Deo colerent, ostendit Daniel, qui dicit Babylonios adorasse similitudinem Belis (*Dan.* XIV, 2) : Bel namque pater fuit Nini regis Assyriorum. Rursus, quod serpentes colerent idem Daniel demonstrat, qui præfatos Babylonios dicit adorasse draconem, quem ipse interfecit. Colebant nihilominus similitudines quadrupedum, sicut Ægyptii Apem. Apis etenim rex fuit Argivorum, qui navibus de Græcia vectus in Ægyptum, ibi mortuus est et sepultus : et quia prius ei sacrificare cœperunt quam templum ipsius ædificaretur, dictus est Serapis : *Seros* enim Græce *sepulcrum* dicitur. Huic taurum sacrificare solebant : unde et ipse taurus, Apis dictum est, quem Ægyptii pro Deo colebant. Hinc est, quod filii Israel in deserto similitudinem vituli fecerunt. Adorabant et volucres, sicut Ægyptii coracem, qui Latine dicitur nycticorax, quasi noctis corvus, et Romani anserem. Non solum hæc, sed et alia multa colebant ; unde dicit Salomon : *Mortuus mortuum fingit manibus iniquis* (*Sap.* XV, 17) : et Psalmista : *Simulacra gentium argentum et aurum* (*Psal.* CXIII, 4). Præterea sciendum, quia nunc etiam homines idola colunt, diligendo magis creaturam quam Creatorem : verbi gratia, glutones magis diligunt ventrem quam Deum : glutonis ergo Deus venter est ; unde Apostolus : *Quorum Deus venter est et gloria in confusione* (90) *ipsorum.* Si ergo glutonis Deus venter, et avari aurum, ac per hoc impuri, et adulteri Deus est scortum.

Sequitur : *Propter quod tradidit eos* (91) *Deus in desideria cordis eorum*, etc. Quod dicit, *tradidit*, intelligendum est, *tradi permisit :* sicut dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, eo quod durum non mollificavit. Sed in hoc dicto animaduertendum est quanta sit divinæ pietatis miseratio : non enim tradidit eos

(87) In aut. marg. c. IV.

(88) Verisimiliter præponenda præpositio *de* ante verbum *ignorantia*, quæ tamen particula deest in autographo.

(89) Perperam in autographo præpositio *in* præcedit verbum *similitudinem*, unde expungenda mihi visa est.

(90) Philipp. III, 19. In autographo habetur *in confusionem* secus ac in Vulgata.

(91) In autographo *eos*, sed in Vulgata *illos*.

Deus in contraria, sed in suavia et delectabilia : et hoc est quod dicit, *in desideria cordis eorum.* Cur autem eos tradi permiserit, ostendit : *Ut contumeliis corpora sua afficiant* (92) *in semetipsis.* Contumeliæ sunt opprobria. Contumeliis ergo corpora sua afficiunt,qui peccata peccatis,et vitia vitiis accumulant. Omne enim peccatum, quod homo primo committit, nisi cito per pœnitentiam corrigatur, fit causa peccati ; quoniam ex eo nascitur alterum ;quod nisi rursus corrigatur, fit pœna peccati et causa peccati, pœna præcedentis et causa sequentis.

Sequitur : *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Veritatem vocat divinitatis potentiam. Veritatem ergo Dei in mendacium commutat, qui debitum Creatori honorem tribuit creaturæ. Et hoc est, quod sequitur : *Et coluerunt, et servierunt creaturæ, potius quam Creatori.* His verbis Apostolus non condemnat creaturam ; qui enim creaturam condemnat, Creatori injuriam facit, quia bonis illius male utitur : attamen ipse novit juste disponere, et ordinare militiam eorum, quos videt bonis suis injuste uti.

Sequitur : *Qui* (93) *est Deus* (94) *benedictus in sæcula. Amen.* Iisdem verbis,quibus nunc de Patre, alibi etiam de Filio utitur,dicens : *Quorum patres,et ex quibus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum.* (*Rom.* IX, 5). Ac per hoc Pater et Filius unus est Deus.

(95) Sequitur ; *Propterea tradidit eos* (96) *Deus in passiones ignominiæ.* Dixerat superius : *commutaverunt veritatem Dei in mendacium :* quibus verbis ostendit eos ideo derelictos, quia Dominum dereliquernnt ; ideoque dicit : *Propterea,* etc. *Tradidit* vero ita accipi debet,ut dictum est.Passiones ignominiæ vocat peccata, quæ inferius descripta sunt. Ignominia dicta est, eo quod sit sine nomine, sicut infamis sine fama, et ignobilis sine nobilitate : quicunque enim in stupro, fornicatione,et adulterio deprehenditur, recte dicitur ignobilis et ignominiosus ; quia caret nobilitate. Præterea omne peccatum ignominia dicitur, quia caret nomine naturæ ; quoniam non est a Deo creatum, sed a diabolo inventum. Quomodo autem traditi sunt in passiones ignominiæ, aperitur, cum subditur : *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam.* Hic Apostolus per periphrasim vitavit rem turpem. Sed sciendum,quia hic locus varie a doctoribus expositus est.Attamen,quomodo intelligendus sit Apostolus manifestat, cum subjungit : *Similiter autem et masculi relicto naturali usu,* etc. Dum enim dicit, *similiter*, evidenter ostendit, quia sicut masculi in masculos turpidinem operabantur, ita et feminæ turpi desiderio feminas appetebant. Notandum igitur,quia non ait,mutaverunt conjugalem usum, sed *naturalem ;* quicunque enim membra sua illis membris miscet, quæ Deus creavit ad procreandas scboles,etsi sint membra meretricis, naturalis est usus, quamvis illicitus concubitus ; qui vero illis conjungit,quæ Deus non creavit ad procreandas soboles, etsi membra sint uxoris, non tamen est naturalis usus.Et ideo dicit Apostolus : *Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis, invicem masculi in masculos turpitudinem operantes. Exarserunt,* inquit, id est incredibili ardore libidinis accensi sunt (97), juxta illud prophetæ : *Ambulate in lumine ignis vestri et in flammis, quas succendistis* (98). Et item : *Omnes adulterantes* (*Isa.* L, 11), *quasi clibanus corda eorum.*

Sequitur : *Et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Mercedem, quam oportuit,in semetipsis receperunt (99) ; quia derelinquentes Deum, derelicti sunt ab eo ; ad hoc enim dereliquerunt, ut derelinquerentur,et his, quæ sequuntur, criminibus irretiti, agnoscerent quem dereliquerunt.Nam quia peccatum, quod primo commiserunt, noluerunt digna satisfactione corrigere, ideo justo Dei judicio traditi sunt his vitiis, pro quibus atrocius punirentur.

Sequitur : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiam* (100), *tradidit eos* (101) *Deus in reprobum sensum.* Notandum hoc loco quia non ait, non cognoverunt Deum, sed, *non probaverunt Deum habere in notitiam.* Deum namque cognoscere, est per creaturas intelligere Creatorem ; Deum vero probare habere in notitia, oculis eum mentis semper præsentem habere, et timendo, vitia declinare. Reprobum autem sensum, dicit perversum, de quo mox subditur : *Ut faciant ea, quæ non conveniunt* : id est, quæ leges divinæ exsecrantur. Nam quamvis omnia peccata Deo exsecrabilia sunt, illa tamen præ omnibus exsecrabiliora sunt, quæ fiunt contra naturam. Propter hæc enim factus est cataclysmus, id est, diluvium. Propter hæc, quatuor civitates, Sodoma scilicet, et Gomorrha, Adama et Seboim, subversæ, igne et sulphure crematæ sunt.Propter hæc quotidie hominibus multæ pestilentiæ et clades eveniunt.

Sequitur : *Repletos omni iniquitate,* etc. Iniquitas est malitiosæ mentis votum atque voluptas. Dicta autem est iniquitas, quasi non æquitas : et quia caput et radix est omnium malorum, jure prima ponitur. Inter iniquitatem autem et peccatum diffe-

(92) In Vulgata postpositum est verbum *corpora* alteri *afficiant.*
(93) In autographo loco *qui* habetur *quis.*
(94) In Vulgata *Deus* non nominatur, seu ita habetur, *qui est benedictus.*
(95) In aut. marg. c. V.
(96) In Vulgata *illos.*
(97) In autographo legitur accensis, quod mihi errore lapsum visum est.
(98) Osæ VII, 4. Vulg. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.*
(99) Verba *mercedem. . . receperunt* in margine inferiori autographi leguntur indicata a nota, quæ interlinearis habetur inter verba *recipientes*, et *quia*
(100) Vulgata habet *in notitia.*
(101) Vulg. *illos.*

rentia est. Est enim iniquitas quod dictum est, peccatum vero corporis prolapsio.

Sequitur : *Malitia.* Malitia est perversæ mentis cogitatio : unde distat a malignitate, quæ est ejusdem perversæ cogitationis opus. *Fornicatione.* Fornicarius, sive fornicaria dicitur, cujus corpus publicum est. Dicti autem sunt a fornicibus arcuatis, id est, curvatis, in quibus apud antiquos lupanaria construebantur ad prostituendas meretrices. Est autem specialis fornicatio, est et generalis. Specialis, corruptio est animi et corporis ; generalis vero, est omnis corruptio mentis, et omne peccatum, quod separat (102) hominem a Deo. Unde Psalmista : *Perdes omnes fornicantes abs te* (103). *Avaritia.* Avaritia proprie est aliena rapere, et sua non largiri. Dicitur autem avaritia quasi auri cupiditas, et apte post fornicationem ponitur ; quia hæc duo ad idolorum pertinent culturam : unde idem Apostolus : *neque fornicator, neque immundus, neque avarus, quod est idolorum* (104) *servitus, habent hæreditatem in regno Christi, et Dei* (*Ephes.* v, 5). Nequitia est mentis calliditas, vel astutia. Astutia autem in nequitia non illa intelligenda est, de qua Salomon dicit : *Astutus omnia agit cum consilio* (*Prov.* XIII, 16), sed astutia deceptionis. Et dicitur nequitia, quasi non æquitas.

Sequitur : *Plenos invidia.* Invidia dicta est a contuendo alterius felicitatem. Habet autem sub se duas species, doloris et timoris. Omnis enim invidus videns alterius felicitatem, aut dolet, aut timet : dolet aliquem majorem se ; timet vero minorem sibi fieri æqualem. Omnis autem invidus parvulus est, et sui invidia moritur. Omnis etiam invidus rosor est sui : unde quidam poeta ait : Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum auctorem rodit, atque animam cruciat. *Homicidio.* Homicidium a cæde hominis dicitur. Est autem tam spirituale, quam corporale : sed incomparabiliter (105) majus est spirituale : nam corporali occiditur corpus quandoque moriturum ; spirituali vero anima in æternum victura. Hinc est quod Dominus in Evangelio de diabolo dicit : *Ille homicida erat ab initio* (*Joan.* VIII, 44). Diabolus quippe tantummodo verba protulit, et protaplastos interfecit. Ac per hoc datur intelligi, quia quicunque malo suo verbo vel exemplo aliquem perdit, recte dicitur homicida. Et apte post invidiam ponitur ; quia per invidiam pervenitur ad homicidium. Diabolus quippe per invidiam protoplastos interfecit : nihilominus et Cain fratrem suum. *Contentione.* Contentio est, cum non veritas quæritur, sed animositas fatigatur. *Dolo.* Dolus est simulatio, sive fraus animi. Hoc autem distat a dolore, quod dolor est incommoditas corporis, A distat autem inter insidias, fraudem et dolum. Insidiæ namque loci sunt, fraus vero, violatio fidei, dolus est simulatio animi. *Malignitate.* Quid sit malignitas, jam superius dictum est. Sequitur : *Susurrones.* Susurro est, qui non in facie, sed in aure detrahit : unde et a sono aurium nomen accepit, eo quod sub aure sonet. Hinc est, quod Dominus præcepit : *Ne sis criminator, aut susurro in populis* (*Levit.* XIX, 16). *Detractores.* Detractor est, qui, bonum alterius malum dicit, aut qui magnum alterius bonum dicit esse parvum. Quicunque autem de malo alterius falso malum loquitur, similis est detractori ; si vero de alterius malo veritatem dicat, non est detractor, sed veritatis assertor. Quicunque enim simplici intentione bonum laudat, et malum vituperat, voluntatem suam divinæ veritati conjungit. B *Deo odibiles.* Hic notandum, quia non ait absolute, *odibiles*, sed præmisit, *Deo*, ad dinstinctionem hominum. Plurimi namque sunt odibiles Deo, qui dilecti sunt mundo, et econtrario multi Deo dilecti sunt, et mundo odibiles. Qui autem hæc omnia vitia habent, recte Deo odibiles dicuntur. *Contumeliosos.* Contumeliosi sunt verborum injuriis proclivi : nam contumeliæ sunt opprobria et convicia. *Superbos.* Superbia et omnis illicitus et inordinatus appetitus. Hoc autem vitium tam grave est, ut, cum omnia vitia a contrariis virtutibus superentur, id solum contra omnia dimicet. Unde recte genitrix, et nutrix dicitur omnium vitiorum, et consumptrix bonorum. Itaque hoc vitium tunc nascitur, cum homines se plus quam Deum diligunt : qui ipsi sui volunt C videri principium. Sequitur : *Elatos.* Elatus dicitur quasi extra se delatus. Elatio enim est mentis erectio. Quod vitium tunc nascitur, cum mens per superbiam tumida credit se esse quod non est. Unde apte post superbiam (106) ponitur, de qua nascitur. *Inventores malorum.* Hoc dicto ostendit Apostolus, quia non omnia peccata diaboli instinctu peraguntur. Quædam enim homines sibi inveniunt ; unde monstratur pejores esse diabolo, qui se confitetur a Deo accepisse potestatem, dicens secundum Evangelium Lucæ : *Hæc omnia mihi tradicta sunt, et do ei cui volo. Hæc ego tibi dabo, si procidens adoraveris me* (*Luc.* IV, 6). Hinc est quod, ut Job tentaret, a Deo petiit potestatem, et a Domino expulsus ab hominibus, non nisi ejus jussu, ausus est se mittere D in porcos. *Parentibus non obedientes.* Nam qui superioribus vitiis irretiti sunt, justo Dei judicio, ad hoc usque perveniunt, ut etiam parentibus sint inobedientes. Unde deteriores sunt bestiis, quæ suos diligunt progenitores. *Insipientes.* Insipiens dicitur, eo quod sit sine sapore. Quicunque ergo a sapore spiritalis doctrinæ recedit, jure vocatur insi-

(102) In autographo *superat.*

(103) Psal LXIII, 27. Vulgata habet : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*

(104) Verba *pertinent . . . idolorum* adjecta sunt in margine inferiori, ejusdem tamen characteris.

(105) In autographo loco *incomparabiliter* legitur *incorporabiliter.* Videat lector quæ melior sit lectio.

(106) Verba *tumida.... superbiam*, in margine superiori paginæ habentur, ejusdem tamen characteris.

piens (109), *Incomposito*,id est,inordinatos.Quicunque enim his vitiis dediti sunt,recte vocantur inordinati et incompositi, quia earent compositione. *Sine affectione.*, id est, sine affabilitate, Inter . . . . (108) quod pietas proprie erga propinquos dicitur, affabilitas vero etiam circa extraneos. *Absque fœdere*, id est, absque pacto. Inter fœdus autem et pactum, hoc distat, quod fœdus dicitur præcedens pactum,id est, reconciliatio de inimicitiis : pactum (109) vero, societas, quæ sequitur post reconciliationem. *Sine misericordia.* Misericordia a cordis miseria dicta est. Ille autem vere misericors est, qui alterius miseriam velut suam deflet. Misericordia itaque in Deo, non proprie, sed translative dicitur ; quia in divinitatis naturam nulla passio cadit. Et pulchre hac clausula cuncta vitia concludit ; quoniam qui illis corrumpuntur,ad hoc usque perveniunt ut et sibi, et aliis sint immisericordes : nam quicunque ordinate miserentur. Unde Salomon : *Fili, miserere tibi placens Deo* (110).

Sequitur : *Qui cum justisiam Dei cognovissent, non intellexerunt*.etc.Cognoverunt quippe justitiam Dei per legem naturæ. Justitiam autem Dei illam dicit, qua juste punit malos, et remunerat bonos *non intellexerunt ;* scilicet suis peccatis cæcati. Quid autem non intellexerunt ostendit, subjungens : *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Non solum qui faciunt sed, etiam qui consentiunt facientibus.* His verbis ostendit Apostolus, quoniam et ille qui sponte, et illi qui coacte peccant, nihilominus patientur, et hi, qui agentibus favent æterna sunt morte plectendi. Sunt autem nonnulli qui nec agentibus favent, et in operto malum persequuntur, cum hoc peragunt in occulto. Ne ergo isti non condemnandi viderentur. idcirco subditur, (Cap. II.) *Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui judicas*(111). Ac si diceret : Tu, quicunque es qui malum in operto persequeris, sed in occulto agis ne te credas non esse condemnandum ; quia tanto atrocius punieris,quanto,cum sis malus ; per hypocrisin bonus videri cupis.Hinc in libro Job legitur : *Callidi et simulatores provocant iram Dei* (*Job* xxxvi, 13). Cur autem sit inexcusabilis, ostendit : *In quo enim judicas alium* (112), *te ipsum condemnas ; eadem enim agis quæ judicas.* Et ne forte aliquis sibi blandiretur de impunitate, dicens : Misericors est Deus, et non patietur creaturam suam perire in æternum ; ideo adjecit : *Scimus* (113) *autem, quia judicium Dei est secundum veritatem, in eos,qui talia agunt* ; tanquam diceret:Si tu injustus injuste judicas justum,multo magis Deus justus te justejudicabit injustum.Judicium,condemnationem dicit ; *secundum veritatem* autem addidit,ad distinctionem humanorum judiciorum,quæ sæpe falluntur, aut miseratione, aut cupiditate, aut timore. Dei vero judicia omnino vera et justa sunt ; quia sine personarum acceptione exhibentur, Sequitur : *Existimas autem, o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, et facis ea,quoniam* (114) *tu effugies judicium Dei ?* Ac si diceret : Non te ideo putes non esse puniendum, quia Deus differt judicium ; quoniam ipse quandoque quod promisit implebit. Exspectat per patientiam ut tu convertaris ad eum per pœnitentiam : ideo namque differt, quia non vult invenire quos damnet, sed quos coronet.

Sequitur : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ?* Divitias bonitatis Dei, et patientiæ,et longanimitatis,vocat bona temporalia, quæ Deus tam bonis,quam malis largitur.Hæc malus contemnit, quia non vult ad Deum converti per pœnitentiam. Bonus autem dicitur Deus, quia bona tribuit ; patiens et longanimis,quia mala suffert.Et sciendum,quia quædam exemplaria habent, *bonitatis et sustentationis*.Distat tamen inter patientiam et sustentationem : nam sustentatio Dei in illis est,qui infirmitate potius peccant,quam voluntate, patientia autem in illis qui potius voluntate (115).

Sequitur : *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* (116) ? Et est sensus : Deus tibi tempus pœnitentiæ concedit, sed tu eo male uteris.Hinc in libro Job legitur de impio : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ,et ille abutitur eo in superbia Job* xxiv, 23). Hinc et Salomon dicit : *Fili, ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem : subito enim veniet ira Dei, et tollet te* (117).

Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram Dei (118) *in die iræ et revelationis justi judicii Dei.* Dura mens dicitur, quæ, frigore suæ malitiæ durata,imaginem sui conditoris in se recipere non potest : sicuti et cera dura,quæ alicujus sigilli non suscipit formam. Cor

(107) Verba *insipientes... insipiens*, in margine inferiori paginæ habentur, ejusdem tamen characteris.

(108) Verba *quicunque... inter*, in margine inferiori paginæ leguntur,cumque pagina inferius inique secta adinveniatur, ideo lacuna, quæ tamen parva admodum a me suspicatur, tum ob sequentiam textus, tum ob loci seu chartæ defectum, qui nimius esse non debet. Legi autem meo judicio ita deberet : *Inter pietatem et affabilitatem hoc distat, quod*, etc.

(109) In autographo, loco *pactum* habetur *pax* Menda mihi visa est corrigenda.

(110) Non Salomon, sed Ecclesiasticus, c. 30, v. 24.

(111) In aut. margine : cap.VI. Hic incipit caput secundum Epistolæ, secundum divisionem Vulgatam.

(112) Vulg. *alterum.*

(113) Vulg. *scimus enim, quoniam.*

(114) Vulg. *quia.*

(115) Verba *patientia... voluntate* in margine laterali habentur.

(116) Post verbum *adducit*, nullum est punctum interrogantis.

(117) Non Salomon, sed Ecclesiasticus, cap. 5, v. 8.

(118) In Vulg. ibi, post verbum *iram*,non legitur *Dei*

autem impœnitens vocatur,quod emolliri ad pœnitentiam non potest,de quo per prophetam dicitur : *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XXXVI, 26). *Thesaurizare*, in bona et in mala significatione ponitur, hic vero in mala. Iram ergo thesaurizat, qui peccata peccatis accumulat.Ira autem,ut jam dictum est, pro vindicta accipitur. Dies iræ appellatur dies judicii, juxta illud prophetæ : *Dies illa,dies iræ,dies tribulationis et angustiæ* (*Soph.* I, 15). Ipse etiam dicitur dies revelationis ; quia quæ nunc latent, tunc manifesta erunt.Unde Dominus in Evangelio dicit : *Nihil opertum, quod non revelelur* (*Matth.* X, 26 ; *Luc.* XII, 2). Et ut aperiret cur dixerit,*justi judicii Dei*,continuo subdidit : *Qui reddet unicuique secuudum opera sua* (119).Ut autem ejusdem judicii ostenderet æquitatem, continuo subjunxit : *Iis quidem,qui secundum patientiam boni operis, gloriam,et honorem,et incorruptionem*, hic subaudiendum est, *vivunt*. Et apte quidem dicit : His, qui secundum patientiam boni operis vivunt ; quoniam boni operis merces secundum patientiam exspectatur;quæ in futoro tribuetur. Unde idem Apostolus alibi dicit : *Per fidem ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* V, 7). Gloriam vocat decorem æternæ beatitudinis,de quo Dominus in Evangelio dicit : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 43). *Honorem*, vero dignitatem, qua filii efficiuntur similes Patri: unde Joannes : *Cum apparuerit,similis ei erimus* (*I Joan.* III, 2). *Incorruptionem*, dicit immortalitatem : unde idem Apostolus: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem, et corruptibile, incorruptionem* (*I Cor.* XV, 53). Quibus autem hæc reddet demonstrat,subjungens : *Quærentibus* (120) *vitam æternam*,id est, quærentibus eum,qui est vita æterna.Quia dixerat quæ bona retribuenda sint his,qui secundum patientiam boni operis vivunt, ut ostenderet quæ mala malis retribuantur, continuo subdit : *Suis autem* (121), *qui ex contentione*, subauditur, sunt, *et qui non acquiescunt veritati* (subauditur, quam per Evangelii gratiam perceperunt) Domino scilicet Jesu Christo, vel ejus doctrinæ, *credunt autem iniquitati* (subauditur,quam semper dilexerunt)*ira et indignatio*.Ira, ut dictum est,pro vindicta (122) accipi debet,de qua dicit Psalmista : *Quis novit potestatem iræ tuæ*(*Psal.* LXXXIX, 11), etc. Et quia sæpe ira sine indignatione exhiberi solet : ut ostenderet atrociorem iram, adjecit : *Et indignatio*. Indignatio est vigor futuræ animadversionis et justæ pœnæ.

Tribulatio et augustia. Retribuetur tribulatio de conscientiæ reatu : angustia vero de sera pœnitentia;juxta et illud prophetæ: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa* LXVI, 24). Vermem namque appellat corroslonem propriæ conscientiæ. Super quem autem hæc tribuantur. aperitur, cum subditur : *In omnem animam hominis operantis malum*. Sed qui est, quod dicit, *in omnem animan hominis*? Nunquid sola anima patietur pœnam? Non : sed anima simul et corpus.Fuerunt enim nonnulli. qui ob hoc,quod Apostolus dicit, *in omnem animam*, intelligere voluerint, quod, sicut anima spiritalis est, ita et pœna futura,non corporea sit, sed spiritalis, quod omnino falsum est, Apostolus autem ideo dicit, *omnem auimam ;* quia anima rationalis et creatnra : et ipsa primo peccat ; ideoque prima punietur. Sive, tropice loquens, a parte,id estanima,totum intelligi voluit hominem ; ut est illud : *Descendit Jocob in Ægyptum in animabus septuaginta* (*Gen.* XLVI, 27). Quod vero dicit, *operante malum opus*. hic non ad aliquam actionem referendum est, sed ad perversam cogitationem, quia de infidelitate loquitur. Et ut ostenderet quia nulla est distinctio Judæi, et Græci, subjunxit : *Judæi primum, et Crœci*. Primum vero dicit, ut ostenderet, quia Judæi Græcis præferuntur : ipsi enim primi legem acceperunt, eamdem primi transgressi sunt ; ideoque Crœcis præferuntur,tam in bono, quam in malo, tam in pœna, quam in præmio. Igitur, quia tria ludlbria malis retribuenda dixerat, volens ostendere quia tria clara et honesta munera justis retribuenda sunt, confestim subdidit, dicens : *Gloria autem, honor, et pax omni operanti bonum*, quæ tria tam ad præsentem,quam ad futuram vitam possunt referri.Si autem ad præsentem referantur, ita debent intelligi : retribuitur gloria resurrectionis et renovationis animæ, quæ fit per fidem : tribuitur et gloria, et honor, id est dignitas, qua quisque, concessa venia peccatorum, transit, in adoptionem filiorum Dei : tribuitur etiam pax id est reconciliatio,qua de inimicis efficiuntur amici Dei. Si vero ad futuram, ita accipienda sunt; tribuetur justis gloria, id est, splendor æternæ beatitudinis : tribuetur honor, id est, dignitas, qua filii efficientur (123) similes Patri : nihilominus et pax, id est, perfecta securitas : ibi enim nullum vitiis certamen erit, sed erunt homines Deo et angelis sociati.*Judæo primum*,et *Crœco*. Si diligentius attendamus, Judæi Græcis, non solum dignitate, sed etiam tempore præferuntur, ipsi enim prius exstiterunt.Et quia poterant Judæi dicere,o Apostole, cur nobis æquiparas gentes, qui legem accepimus, et Christi notitiam habemus ? Ad hæc ipse respondet : *Non est enim personarum acceptio apud Deum*. Cujus loci sensum coapostolus ejus Petrus in Epistola sua evidenter exponit, dicens : *Non est personarum acceptor* (124) *Deus sed in omni gente*

(119) In Vulg. *ejus*.
(120) In Vulgata legitur, *quærunt*.
(121) In Vulgata ita habetur hic versus : *iis autem, qui sunt ex contentione*, ubi notandum verbum illud *sunt* non subaudiri, sed revera expressum legi.

(22) Scilicet, ut dictum est superius ad versum, *revelatur ira Dei* In autographo ibi menda ; nam loco *pro vindicta*, uti superius in citato versu, legitur *providentia*, quod mihi corrigere libuit.
(123) In autogr. *ejicientur*.
(124) Nescio quomodo citata sit hic Epistola divi

qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Ut autem Apostolus hoc apertius demonstra, ret. subjunxit: *Quicunque enim sine lege peccaverunt sine lege peribunt, et quicunque in lege peccaverunt per legem judicabuntur.* His verbis ostendit Apostolus, quia, nec Judæi excusabiles pro ignorantia, quia legem acceperunt, nec gentiles, quia per creaturam potuerunt agnoscere Creatorem. Hujus autem loci sensum Dominus in Evangelio manifestat, dicens: *Servus, qui cognoscit voluntatem Domini, et facit digna, plagis vapulabit multis; qui autem non cognoscit voluntatem Domini sui, et facit digna, plagis vapulabit paucis* (*Luc.* XII, 48). Sed ecce, sic videntur hæc Apostoli verba sonare, ac si atrocius puniendi sint gentiles, quam Judæi: de illis enim dicit, *peribunt*, de Judæis vero, *judicabuntur;* unde Origenes dicit: Non mihi videtur Apostolus ita sensisse; sed in eo quod dicit, judicabuntur, subaudiendum est, ut pereant; quoniam ipsa lex docet quomodo judicandi sunt. De gentibus vero ideo dicit, *peribunt*, quia *non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio* (125) *justorum.*

Sequitur: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Quid est, quod factores legis justificandos dicit, cum procul dubio justi sint? Itaque hoc loco *justificabuntur* ita intelligendum est, sicut in Evangelio, ubi de quodam Pharisæo legitur: *Ille autem volens justificare seipsum, id est, volens justus videri, vel putari* (*Luc.* X, 29). Similiter hoc loco Apostolus dicit, *justificabuntur*, id est creabuntur, factores legis, ut justi sint, vel justi habebuntur et putabuntur.

Sequitur: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt*, etc. His verbis ostendit, quia gentes, naturaliter præcepta legis faciendo, non privabuntur illa promissione, qua per prophetam Dominus loquitur, dicens: *Hoc est testamentum, quod statuam domui Jacob: post dies illos, dabo leges meas in corda eorum, et in visceribus eorum superscribam illas* (*Jer.* XXI, 33; *Hebr.* VIII, 10). Hinc et idem Apostolus alibi dicit: *Tu autem, cum esses oleaster, insertus es in bonam olivam* (*Rom.* XI, 17). Multum quippe conveniunt verba prophetæ dictis apostolicis. Illic enim dicitur: *In visceribus eorum superscribam eas:* et hic Apostolus: *Qui ostendunt*, inquit, *opus legis scriptum in cordibus suis.* Hic namque Apostolus de lege naturali loquitur, quam Deus unicuique digito suo scribit in corde. Hæc est lex, quæ scriptæ legis præcepta in se continet, scilicet, *non occides*, etc. Hæc est lex, quæ unius Dei habet notitiam, et quæ propinqua est gratiæ Evangelii. Scilicet, *quod tibi non vis, alii non facias.* Et Dominus in Evangelio dicit: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12). Ait ergo: *Cum gentes, quæ legem non habent*, videlicet scriptam, *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, id est præcepta naturalis legis custodiunt: *ejusmodi legem non habentes*, id est, qualem Deus dedit per Moysen, *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Hic quærendum est, de quibus cogitationibus dicat Apostolus: utrum de illis, quæ nunc sunt, aut de his, quæ futuræ sunt. Et revera de his, quæ nunc sunt, loquitur: quoniam non solum quæ agimus, sed etiam quæ cogitamus, sicut notæ et characteres in ceris, ita in tabulis cordis nostri scribuntur, et manent occulta usque ad diem judicii: tunc enim omnia manifesta erunt, et judicabuntur, unde mox subditur: *In die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Quomodo autem judicaturus sit, manifestat, *secundum Evangelium meum*, id est, secundum doctrinam et prædicationem meam. Per quem vero judicaturus sit, demonstrat: *Per Jesum Christum Dominum nostrum* (126). Sed cur per eum dicit celebrari judicium? Scilicet quia Dominus in Evangelio dicit: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22). Solerter igitur discutiendum est quomodo cogitationes accusabunt, aut defendent in die judicii. Et sciendum, quia quicunque divina inspiratione, aut sua cogitatione, sive alicujus prædicatione sollicitatus non crediderit, cogitationes suæ accusabunt eum, et (127) condemnabunt, non velut ignarum, sed ut rebellem: si quis autem his sollicitatus non fuerit, et non crediderit, cogitationes suæ non eum defendent, sed condemnabunt, quia per creaturam debuit agnoscere Creatorem. Alioquin qui crediderit et fidem suam operibus impleverit, salvus erit, quia cogitationes ejus defendent eum.

Igitur, quia multa dixerat de flagitiis gentium, nunc Judæos increpat de infidelitate, subjungens: *Si autem tu Judæus cognominaris*, etc. In eo quod dicit, *cognominaris*, ostendit quia *Judæus* non est nomen, sed cognomen (128), id est, commune nomen. Et nota, quia, sicut partes allocutus est gentium, ita nunc partes alloquitur Judæorum. Ostendit autem Apostolus his verbis, non esse magnum bonum, si Judæus credat, qui per legem instructus est, et voluntatis Dei habet notitiam. Et vult subintelligi magnum esse malum, si non credat. Sequitur: *Et requiescis in lege.* In lege Dei requiescebant, qui, le-

Petri, cum textus hic in Actibus apostolorum inveniatur c. x, v. 34 et 35, et divi Petri quidem sit, sed non in ejus Epistolis, in quarum prima solum c. I, v. 17, habetur textus huic consonus, scilicet: *et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat*, etc.

(125) Ps. I, 6, in autographo, *consilio.*

(126) Quæ verba *Dominum nostrum* in Vulgata minime inveniuntur.

(127) Ibi inter *et*, atque *condemnabunt*, jacet in autographo particula *non*, quæ num bene exstiterit, aut jure expuncta fuerit, videsis, lector.

(128) Notare hic lubet in qua acceptione cognomen sæculo decimo habitum sit. Non enim hic pro nomine agnatitio, sive familiæ distinctivo sumitur, sed pro communi nomine unius integræ nationis, seu gentis.

gem meditando, a curis terrenis vacabant. *Et gloriaris in Deo.* Judæi in Deo gloriabantur, quia suis se meritis salvatos, et legem accepisse putabant, et eamdem se suis viribus implere posse credebant, juxta illud : *Non fecit taliter omni genti* (129), *et judicia sua non demonstravit eis. Et nosti voluntatem Dei.* Voluntatem Dei agnoscebant per legis præcepta, in quibus ostenditur quid velit Deus. Sequitur : *Et probas utiliora, instructus per legem.* Hic notandum, quia non ait, utilia, sed utiliora; ut ostenderet, quia et in lege naturæ multa utilia continentur, quamvis infirma, quia sine gratia Evangelii impleri non possunt; in lege vero scripta utiliora sunt, sed perfectiora in gratia Evangelii.

Confidis te ipsum ducem esse cæcorum, etc. Hæc officia etiam veri legis cultoris sunt : sed (130) quia falso hæc se habere jactabant, ideo Apostolus increpabat eos, dicens : *Confidis te ipsum ducem cæcorum esse, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium*, etc. Ac si diceret : Si dux es cæcorum, ut falso jactas, cur non tu ipse rectum iter ambulas? Si lumen es eorum qui in tenebris sunt, cur tenebras infidelitatis sequeris? Si eruditor es insipientium, cur a timore Domini recedis, qui, juxta prophetam, initium est sapientiæ? Si magister es infantium, cur tu parvulus es intellectu? Et quia hæc sibi falso adesse jactabant, videbantur habere formam scientiæ et veritatis in lege; unde mox subditur : *Habentem formam scientiæ et veritatis in lege.*

Sequitur : *Qui ergo alium doces, teipsum non doces* (131)? Ac si diceret : Cur doctrinam et prædicationem tuam operibus destruis? Et, ut hoc evidentius aperiret, subjunxit : *Qui prædicas non furandum, furaris.* Furabantur Judæi; quia in lege et prophetis, Christi notitiam occultabant. Et hoc furto nullum majus esse potest. *Qui dicis non mœchandum mœcharis.* Mœchabantur Judæi, qai, male interpretando legem, verbum Dei corrumpebant; quia non sincere, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquebantur. Præterea quicunque hoc, quod specialiter Deo debetur, hominibus impendit, utique mœchatur. *Qui abominaris idola*, subaudis gentium, *sacrilegium facis.* Sacrilegium dicitur sacræ legis transgressio, sive, sacræ legis (132), vel rei furtum. Nam, ut beatus Augustinus dicit : *Legere, sive sublegere furari est.* Unde et sacrilegus dicitur sacræ legis fur, sive transgressor. Judæi igitur sacrilegi erant, quia, et legem corrumpebant, et furtum in ea, ut dictum est, faciebant.

Sequitur : *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.* Gloriabantur Judæi in lege, quia se eam suis meritis accepisse credebant, et suis viribus implere posse putabant : sed per ejusdem legis prævaricationem Deum inhonorabant, quia illum Deum esse credere nolebant, cui Pater perhibet testimonium, dicens : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* XVII, 5), et cui propheta dicit : *Tu eras Deus, et nesciebamus.* Quod utique non de Patre, sed de Filio intelligendum est; nomen enim Patris semper illis fuit cognitum; Filii vero, ignotum. Unde et illi, qui ante passionem credere noluerunt, agnita gloria resurrectionis ejus, credentes et gratias agentes, dicebant : *Tu eras Deus, et nesciebamus.*

Sequitur : *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.* Ecce dicit Apostolus scriptum esse; sed ubi non ostendit. Sed intelligendum tamen reliquit, in Isaia propheta (*Isai* LII, 5). Cum enim Dominus per prophetam Judæos increparet, ait inter cætera : *Et nomen sanctum meum polluistis inter gentes* (*Ezech.* XXXVI, 22). Sed quærendum est, quomodo tunc per Judæos pollutum, et blasphematum est nomen Dei inter gentes, aut quomodo tempore Apostoli. Sciendum est autem, quia Judæi multis vitiis irretiti, et variis plagis attriti, traditi sunt in captivitatem, in qua detenti dabant gentibus occasionem dicendi : Ecce gens sancta. Populus olim Deo peculiaris; multis signis ab Ægyptiaca servitute liberatus, in captivitate tenetur, et in servitutem redactus est. Vere dii nostri superaverunt Deum eorum; et ideo traditi sunt in manus nostras. Ignorabant enim, quia, si Deo semper servissent, et ejus præcepta servassent, cum ubique haberent protectorem. Blasphemabatur nomen Dei per eos, etiam Apostoli tempore, quia pleni zelo et invidia, semper apostolicæ doctrinæ resistebant. Quod manifestatur in libro Actuum apostolorum, ubi legitur : *Et repleti Judæi zelo in Synagoga, contradicebant his quæ a Paulo dicebantur* (*Act.* XIII, 45). Sive, quia minus credentibus dabant occasionem dicendi : Evacuata et annullata est promissio, quæ facta est Abrahæ; fallax Deus : quod promisit, implere non potuit.

Circumcisio quidem prodest, si legem custodias (133). Ac si diceret : Si legis præcepta custodias, circumcisio prodest; quia facit te manere sub lege. Tu autem, dum sub lege manes, consideras, quia cessare debet circumcisio carnalis, et succedere spiritalis, quæ fit per fidem Christi. Alioquin nihil tibi prodest. Sed quærendum est quomodo dicat Apostolus : *Circumcisio prodest*, cum alibi dicat : *Circumcisio nihil prodest, sed observatio mandatorum Dei.* Sed sciendum quia circumcisio prodest, si legem custodias, id est, si ea quæ in lege præcepta sunt, observes. Si autem legem transgrediaris, circumcisio tua præputium facta est. Quod ideo dicit, quia Judæi circumcisionem habebant, et legem non custodiebant. Unde et Paulus ait : *Circumcisio tua præputium facta est.* Quia circumcisio non prodest, si legem non custodias. Sequitur : *Si ergo incircumcisio justificationes legis custodiat, nonne circumcisio illius in circumcisionem reputabitur?* Ac si diceret : Si gentilis, qui incircumcisus est, legem custodiat, nonne ipse circumcisus erit? Quia circumcisio non prodest, si legem non custodias. Sequitur : *Et judicabit incircumcisio illius quæ ex natura est, legem consummans te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.* Ac si diceret : Gentilis, qui incircumcisus est, legem custodiens, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es, judicabit. Quia circumcisio non prodest, si legem non custodias.

(129) *Psal.* XLVII, 20. In Vulgata versiculus psalmi hujus, ita : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

(130) In autographo, loco adverbii *quia*, legitur *quasi;* quod cum sensum apprime auctoris mihi reddere non videretur, ideo emendandum censui potissimum ob adverbium *ideo*, quod sequitur, et cum superiori *quia* relationem habet grammaticalem.

(131) Punctum interrogantis in Vulgata non habetur hoc loco, sed duo puncta.

(132) In autographo loco, *sacræ legis*, legitur *sacrilegis*. Certe per errorem amanuensis ut paulo superius videre est.

(133) Vulgata, *observes*.

cumcisio nihil prodest; videtur quippe sibi contrarius. Sed ne contrarius videretur, fuerunt nonnulli, qui, allegorizando, dixerunt per circumcisionem debere intelligi semen Abrahæ, id est aliquem Judæum, et per præputium, gentilem; ut sit sensus : Si præcepta legis spiritaliter intelligas, et Christi notitiam in eis agnoscas, teque per ejus fidem salvari posse confidas : prodest tibi, quod semen es Abrahæ, id est, quod Judæus es. Alioquin nihil tibi prodest; quia degenerasti a nobilitate seminis Abrahæ, et transisti ad infidelitatem gentilis. Et hoc est, quod sequitur : *Si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.* Sequitur : *Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisione* (134) *reputabitur?* Præputium, sicut et superius, aliquis gentilis vocatur. Justum autem est, ut illa carnalia præcepta, spiritaliter intelligerentur implenda. Et est sensus : Si præputium, id est, aliquis gentilis spiritaliter legis præcepta intelligat, et in eis Christi notitiam agnoscat,seque per ejus fidem salvari posse confidat, præputium illius in circumcisione reputabitur; quia transiet ad nobilitatem generis Abrahæ; et ejus filius efficietur, juxta quod ipse Apostolus alibi dicit : *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem, hæredes* (*Gal.* III, 29). Sequitur : *Et judicabit,* (35) *quod ex natura est præputium, legem consummans te, qui per circumcisionem et litteram prævaricator legis es* (136). Sensus est hic : Præputium, quod ex natura est, id est, aliquis gentilis, qui per naturam habet præputium, te, qui per litteram, et circumcisionem prævaricator legis es, judicabit, id est, condemnabit, non potestate, sed comparatione melioris facti; juxta quod Dominus in Evangelio dicit : *Ideo ipsi judices vestri erunt* (*Matth.* XII, 27 : *Luc.* XI, 19). Et item : *Regina Austri surget in judicium cum generatione ista* (*Matth.* XLII; *Luc.* XXXI, etc. *Non enim, qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto, in carne, circumcisio* (137), etc. In manifesto Judæus est, qui de carnali circumcisione gloriatur, de qualibus dicit Apostolus : *Quorum Deus venter, et gloria in confusionem ipsorum* (*Philipp.* III, 19). Gloria namque eorum in confusione est, quia in pudendis membris gloriantur. Et ut ostenderet verum Judæum, et spiritalem circumcisionem, continuo subdidit : *Sed qui* (138) *in abscondito, Judæus, est, et circumcisio cordis in spiritu.* Hic quærendum est quid sit circumcisio. Circumcisio est carnis exspoliatio, quæ figuram gerebat veræ circumcisionis. Vera autem circumcisio est, omnium carnalium delectationum et voluptatum abolitio et expiatio (139). Et quicunque mentem suam ab his reddit alienam, ille se veraciter circumcidit. De hac circumcisione etiam Moyses locutus est, dicens : *Circumcidite duritiam cordis vestri.* Et item : *Circumcidimini Domino Deo vestro* (*Deut.* x, 16). Et Jeremias : *Circumcidite præputia cordium vestrorum* (*Jer.* IV, 4). Circumcisionis autem signum ideo datum est Judæis, ut illo secernerentur ab omnibus gentibus : quod pene in ipso mundi exordio præfiguratum est in Cain, cui Dominus dedit signum timoris. Et sicut ille in eo signo perseveravit usque ad mortem, ita isti in signo circumcisionis perseverabunt usque ad diem judicii, ut impleatur quod idem Apostolus dicit : *Donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat* (*Rom.* XI, 25). Quod ex eo maxime comprobatur, quia nullus principum, sive regum, sub quo deguerunt, conati sunt auferre ab eis signum circumcisionis. *Cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo :* ejus scilicet, qui de carnali circumcisione non gloriatur, et non suis meritis, sed Dei gratia se salvatum agnoscit. Superius allocutus est Judæos incredulos. Deinde dixerat illum esse verum Judæum, cujus bona opera non in manifesto sunt, sed in abscondito; et veram circumcisionem cordis, quæ est spiritu, non littera. Et quia dixerat non esse personarum acceptionem apud Deum, ne forte credentes Judæi, contemnendi putarentur, ideo subdidit, quæstionem sibi proponens : (CAP. III.) (140) *Quid ergo amplius est Judæo? Aut quæ utilitas est circumcisionis?* Et vel ex sua, vel ex aliorum persona,sibi respondit : *Multum per omnem modum.* Et ut ostenderet quomodo, subdidit : *Primum, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ubi notandum, quia primum dicit, sed secundum non ostendit, quod subintelligendum reliquit. Iis autem verbis ostendit Apostolus, quia, præ omnibus, quæ cœlitus Judæis collata sunt, illud fuit præcipuum et dignitate præcellens, quod non solum patriarchæ, sed et omnis Israeliticus populus Dei allocutione perfrui,et legem a Deo promulgatam suscipere meruerunt. Secundum vero est quod multis signis et prodigiis ab Ægyptiaca servitute liberati, mare Rubrum siccis pedibus transierunt. Deinde attendenda sunt cætera, quæ eis divinitus collata sunt, donec terram repromissionis intrarent.

Sed, quia poterant aliqui dicere : Quid illis profuerunt credita eloquia Dei, qui murmurando in deserto perierunt? ad hæc Apostolus respondet : *Quid enim,si quidam eorum non crediderunt,*subauditur, obest? *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei*

(134) Vulgata habet : *Circumcisionem.*
(135) Vulg. inter verba *judicabit* et *quod,* habet pronomen *id.*
(136) Post *es,* in Vulg. adest punctum interrogationis, quod in autographo nostro desideratur.
(137) Ibi desideratur verbum *est,* quod præcedit in Vulg. verbum *Circumcisionis.*
(138) In autographo, non *qui,* sed *quia* legitur; quod non solum contra lectionem Vulgatæ, sed contra sensum peccare videtur.
(139) Vide, num melius *exspoliatio.*
(140) In aut. marg.c. VII. Ab hisce verbis incipit caput tertium Epist. juxta Vulg.

evacuavit? Fidem appellat promissionem, qua credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Et est sensus : Non ita est, ut vos asseritis : quoniam promissio, quæ facta est Abrahæ, etsi evacuata est in incredulis,impleta tamen est in credentibus. Et hoc est, quod dicit : *Absit.* Unde mox subditur : *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Deus verax est, quia nec nascendo, nec vivendo (141), ullum contraxit peccatum : omnis autem homo mendax, quia homo. Deus verax est, quia promissa illius, etsi impleta non sunt in his qui murmurando in deserto pericrunt,impleta sunt in his, qui Deo et fide cooperante, terram repromissionis intrarunt. Deus verax est,quia promissio ejus, licet evacuata sit in incredulis,impleta tamen manet in credentibus; quia quicunque credunt in Christum, et per ejus fidem se salvari posse confidunt, in hac promissione computantur, et filii Abrahæ efficiuntur.Sic nimirum hæc promissio evacuata in infidelibus, impleta est in fidelibus:quemadmodum dignitas apostolatus, licet annullata sit in Juda proditore, impleta est in Petro credente et in fide permanente. Et ut suam narrationem prophetico testimonio comprobaret,adjecit: *Sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Sed quid hoc testimonium attinet superioribus? Si diligentius perpendamus, utique congruere probatur.Cui enim propheta dicebat? Deo utique, non tamen Patri, sed Filio ; quia ille ab iniquis, velut iniquus judicatus est. Illi enim orans dicebat : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* LVI, 6) : ac si diceret : Quia tu solus Justus, solus sine peccato; *ut justificeris in sermonibus tuis. et vincas cum judicaris.* Cum judicaretur a peccatoribus, vicit, quia justus est comprobatus. Quærendum est igitur, qua intentione propheta hoc articulo suo tempore usus est, vel qua Apostolus hunc sumpsit ad comprobationem suæ narrationis.Sciendum itaque,quia promiserat Deus se sine personarum acceptione vindicaturum in peccatores; David autem, quia peccavit, cum esset rex, aiebat : *Tibi soli peccaveri*,etc. Ac si diceret : Tu,Domine,promisisti te sine personarum acceptione vindicaturum in peccatores.Dum ergo mihi peccatum dimittis,homines tuam patientiam judicant(142)esse mendacium. Me tamen confitente et satisfaciente,ideo peccatum dimittis,ut justificeris et vincas eos qui te judicant esse mentitum,qui non judicas bis in idipsum.Tuæ quippe pietatis miseratio te ostendit non esse mentitum. Aliter : Erant nonnulli, sicut Epicurei, qui dicebant,Deum non habere curam hominum,quemadmodum et bestiarum; ideoque propheta dicebat : *Tibi soli peccavi*,etc.Ac si diceret : O Domine, ideo peccatum meum per prophetam tuum redarguis, ut justificeris, et vincas eos, qui te judicant non habere (143) curam hominum. Honestius vero ita potest intelligi : promiserat Deus, quod de semine David nasciturus esset Salvator mundi, et quia ipse adulterium pariter, et homicidium commiserat, idcirco pœnitus dicebat : *Tibi soli peccavi*, etc.Tanquam diceret : Tu, Domine, promisisti, quod de semine meo nasciturus esset Salvator mundi; sed quia populus tuus duplici me videt crimine fœdatum, blasphemare facis filios Israel. Dum enim in me adulterium simul et homicidium considerant, te judicant esse mentitum.Tu ergo preces satisfactionis suscipe, et quod ego condemno, tua pietate dimitte, ut,dum,percepta remissione peccatorum, me tua promissione dignum facis, et justificeris, et vincas eos qui te judicant esse mentitum. Hanc lineam, et hunc ordinem, et hanc intentionem secutus est Apostolus.Erant enim plurimi ipsius tempore,qui dicebant: Ecce gens sancta,populus acquisitionis, multis signis,et prodigiis ab Ægyptiaca servitute liberatus! Quomodo in infidelitate perma net,et diversis sceleribus implicatur! Evacuata promissio(144),quæ facta est Abrahæ.Hos refutat Apostolus,dicens:*Est Deus verax*,etc.Ac si diceret.Non est ita,ut dicitis;quia,si evacuata est incredulis,impleta est in credentibus.Et quia dixit : *Est Deus verax, et omnis homo mendax : sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis*, poterant perversi dicere : Si Deus justus, quia homo iniquus; et, si Deus verax, quia homo mendax; ergo nostra injustitia Dei justitiam, et nostrum mendacium ejus approbat veritatem. Quod si est, iniquus Deus, qui infert iram, id est, vindictam; id est, si in eos vindicat, qui propterea peccant, ut ipse justus et verax probetur. Unde coangustatur Apostolus, et cogitur duas in se suscipere personas : unam sub imperitia male interpretantis; et alteram sub apostolica doctrina refellentis. Sub voce enim adversæ partis (145) dicit (146). *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei condemnat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram?* Ac si pars adversa dicat : O(147)Apostole, magnam tuis verbis nostris peccatis dedisti consolationem; quia, si nostra iniquitate et mendacio Dei veritas,et justitia compro-

(141) In autogr. legitur *videndo;* mihi visum est legere *vivendo;* quia hoc modo *nec nascendo, nec vivendo contraxit peccatum*, ad originale et actuale peccatum respexisse videtur auctor. Sed fortasse etiam *videndo* bene lectum iri putarem, scilicet eo sensu, quo libro I Regum cap. 9. Prophetas refertur vocatos esse *videntes*, ibi, v. 9 : *Venite,et eamus ad videntem.* Qui enim propheta dicitur hodie,vocabatur olim *videns :* scilicet ut voluerit dicere : nec videndo, id est,promittendo quæ futura erant,peccatum, id est mendacii,contraxit Deus, id est,*verax Deus* in prophetiis suis et promissionibus.

(142) In autogr. loco *judicant*, legitur *judicantem;* quænam aptior sit lectio videant alii.

(143) Pro *non habere* in autogr. ita scriptum est *inherem.*

(144) Fortasse per oblivionem amanuensis omissum est verbum *est*, vel, sensum continuando, loco *promissio*, scribendum fuerat *promissione.*

(145) Ibi in autogr. *adversa patris* legitur.

(146) In autog. marg. C. VIII.

(147) Ibi in autogr. ita, *Opl̃e.*

batur non sicut peccatores condemnandi sumus; sed quanto amplius peccamus, tanto majora beneficia suscipere debemus. Et tamquam dicat aliquis: Si ergo mentior, non tanquam peccator judicandus sum; quia veritas Dei in meo mendacio abundat in gloria ipsius: unde paulo inferius dicit: *Si autem* (148) *veritas Dei in meo mendacio abundat in gloria* (149) *ipsius: quid adhuc et ego, tanquam peccator judicor?* Contra ergo hos dicit Apostolus: *secundum hominem dico: Absit.* Secundum hominem, id est, secundum rationem, intellectum. Quod ideo ait, ut ostenderet eos qui talia loquuntur, non esse homines. Ac si diceret: Non est ita, ut vos dicitis; non enim vestro mendacio et iniquitate Dei veritas, et justitia approbatur; quia Deum nostrum non mala opera, sed bona delectent; nec in malis, sed in bonis operibus gloriatur. Ipse quippe malos puniendo se justum probat. Unde mox subditur: *Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Ac si dicat: Nisi malos puniat, ut se justum probet, quomodo celebrabitur judicium, quod ipse venturum promisit? Erant præterea qui falso dicebant Apostolum prædicare: *Faciamus mala, ut veniant bona:* quod nihil aliud est quam dicere: Si iniquitas nostra justitiam Dei commendat, iniquus Deus, qui infert iram? Contra quos mox subdidit: *Et non sicut blasphemamur*, subauditur, ita est, *et sicut aiunt nos quidam dicere: faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est.* Et est sensus: Non prædicamus, ut dicitis; sed, quia vobis de impunitate blandimini, et Dei patientia abutimini, ille, qui venturus est judicare mundum, ut reddat unicuique secundum opera sua, juste vos condemnabit. Non ergo dicamus: Faciamus mala, ut veniant bona; sed: Quia fecimus mala, Dei gratuita bonitate nobis venerunt bona. Igitur, quia dixerat: *Quid amplius est Judæo;* et mox subdidit: *Multum per omnem modum*, ne forte Judæi inani superbia inflati se gentibus credentibus præferrent, adjecit: (150) *Quid igitur? Præcellimus eos?* Et sibi ipse respondet: *Nequaquam.* Tanquam diceret: Non invenio causam, qua nos qui natura Judæi sumus, credentibus gentibus præferamus: omnes enim peccatores sumus, et sola gratia Dei redempti. Unde mox subditur: *Causati enim sumus Judæos, atque Græcos omnes esse sub peccato.* Causati sumus, dicit, id est, manifestis causis ostendimus, et Judæos, et gentes, et sapientes, et insipientes, omnes sub peccato esse. Et ut id prophetæ testimonio probaret, adjunxit: *Sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam; non est intelligens: non est requirens Deum*, etc. Ut quidam sapiens dicit: *Corpus, quod rumpitur* (151), *aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Quicunque ergo se negotiis sæcularibus et terrenis implicat curis, A Deum sincere intelligere, sincere non potest inquirere. Hinc et Dominus in Evangelio dicit: *Nemo potest duobus dominis* (152) *servire: Omnes declinaverunt* (*Psal.* XIII, 3), id est, a Deo recesserunt. Quo dicto vult ostendere, quia veniens Dominus per Incarnationis mysterium, Judæos similes gentibus invenit: unde alibi dicit: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato* (*Gal.* III, 22). *Simul inutiles facti sunt*, id est, Judæi gentibus similes facti sunt. Inutilis, ut quidam volunt, ab idolo dicitur. Idolum vanitas est: ergo et inutilis vanus. *Non est, qui faciat bonum; non est usque ad unum.* Quod dicitur, *usque ad unum*, potest intelligi simul, et cum ipso uno, id est nullus: potest et, præter unum, ut referatur ad Christum. Eo genere locutionis, quo nos dicere solemus: Iste ager usque ad mare protenditur; ubi et mare non comprehendimus. Et revera præter Christum, et sine Christo nullus potest aliquod bonum operari. *Sepulcrum patens guttur eorum.* Notandum, quia non ait tantum, *sepulcrum*, sed addidit, *patens:* volens ostendere aliud esse sepulcrum clausum, et aliud patens: guttur namque malorum, id est, voracitas inhiantis gulæ, et desiderium mentis, tunc quasi clausum sepulcrum est, cum malum irreverenter (153) operantur; patens vero, cum malum agere non timent. Et notandum, quia sepulcrum patens mortuorum ossa ad suscipiendum exspectat; similiter et mali non suam tantum, sed et aliorum exspectant ruinam; quia alios sibi fieri similes desiderant. *Linguis suis dolose agebant. Suis*, id est, malis. Mali enim suis, id est, malis linguis dolose agunt; quia aliud corde machinantur, et aliud ore proferunt. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Venenum appellat dolum, fraudem, versutiam. Aspis autem a spargendo venenum dicitur. Et apte malorum fraus veneno aspidum comparatur, quia, sicut aspis, venenum aspergendo, corpus interficit, ita et illi, mala verba proferendo, et exempla præbendo, animas interimunt. Et sicut aspis, ne voces incantantium audiat, unam aurem ad terram, vel ad lapidem premit, et ad alteram caudam mittit, ita et mali obturant aures cordium suorum, ne legis præcepta audiant. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est*, hoc est, venenum aspidum sub labiis eorum. Illorum quippe os maledictione et amaritudine plenum est, qui faciles et proclivi sunt verborum injuriis et blasphemiis. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Hoc loco notandum quia, non ait, ad currendum; non enim pedes corporis, sed cordis vult intelligi, id est, iniqua malorum desideria. Hi pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem, qui tam monendo, quam suggerendo, alios ad peccatum trahunt. Sanguinem enim pro peccato vult accipi. *Contritio et infelicitas in viis eorum.* Vias appellat

(148) Vulg. *enim.*
(149) Vulg. *gloriam.*
(150) In margine autogr. c. IX.
(151) Sap. IX, 15. Vulg. *corrumpitur.*
(152) Verba *inquirere... dominis*, in autographi margine inferiori, ejusdem, quamvis minutioris, characteris, scripta adinveniuntur.
(153) Fortasse *reverenter*, id est, *cum timore;* judicet lector.

doctrinam, et exempla vivendi, in quibus viis quicunque ambulant, contriti et infelices redduntur. *Et viam pacis non cognoverunt.* Viam similiter vocat doctrinam ; pacem vero, Christum, de quo Apostolus : *Christus est pax nostra* (*Ephes.* II, 14). Et est sensus : Prædicationem Christi suscipere despexerunt. *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Apte tali clausula sumptum conclusit testimonium : idcirco enim omnibus prædictis vitiis irretiti sunt, quia timorem Dei non habuerunt. Nam, quando servus peccat præsente domino ? Quicunque igitur Dei timorem præ oculis habet, non peccat : imo peccare non potest, ejus gratia præveniente et subsequente, cujus habet timorem, sicut ille qui dicebat : *Quasi tumentes fluctus, sic sempèr Deum timui* (*Job.* XXXI, 23).

Poterant igitur Judæi dicere : Apostole, nihil ad nos attinet prolatum testimonium : non enim hoc propheta de Judæis, sed de gentibus dixit, quoniam nusquam legitur Judæus dixisse : Non est Deus. Idcirco mox subdidit : *Scimus autem, quia quæ* (154) *lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur.* Ac si diceret : Si propheta hoc de gentibus dixit, multo magis de vobis, qui in lege gloriamini. Vos etenim, etsi non dixistis hoc verbis, dixistis factis. Unde alibi dicit : *Confitentur se nosse Deum ; factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Cur autem hoc dixerit, ostendit, subjungens : *Ut omne os obstruatur*, etc. *Omne* dicit, id est, tam Judæorum, quam gentilium, etiam justorum, obstruatur, in laude sui, et non aperiatur, nisi in laude Dei ; quod tunc fit, cum nullus suis meritis, aut viribus, sed omnes Dei gratia se salvatos agnoscunt. Et *subditus fiat omnis mundus Deo.* Omnis mundus, id est, omnis homo habitans in mundo. Omnis autem mundus Deo subditus fit, cum omnes se peccatores confitentur, et sola gratia Dei salvatos. *Quia non justificabitur ex operibus legis omnis caro coram illo.* Omnis caro, id est, omnis homo. A parte totum, sive, omnis homo carnaliter vivens et sentiens. Bene autem dicitur : *non justificabitur ex operibus legis omnis caro coram illo ;* quia lex neminem ad perfectum (155) adduxit. Dum enim, quid vitandum sit, aliquis per legem agnoscit, nisi divina gratia adjuvetur, ut caveat, *lex iram*, id est, vindictam operatur : unde paulo inferius dicitur : *Lex iram operatur.* Ille itaque ex operibus legis non justificabitur, qui, opus legis implendo, non gratiæ miserantis Dei, sed sibi ascribit. Et quia potest aliquis videri justus apud homines, cum sit reprobus apud Deum, ideo ait : *Coram illo.* Hinc de Zacharia et Elisabeth dicitur : *Erant justi ambo ante Dominum* (*Luc.* I, 6). Sed quia poterat ad hæc aliquis dicere : Quomodo dicis, Apostole, non justificari hominem ex operibus legis, cum præcepta legis eadem sint, et Evangelii ? Idcirco subjunxit : *Per legem enim cognitio peccati*, subauditur, fit. Ubi notandum, quia non ait, consumptio, sed, cognitio. Non enim lex peccata consumit, id est, dimittit ; sed tantum ostendit. Jubere quidem potest, juvare non valet. Unde alibi dicit : *Peccatum non cognovi, nisi per legem : nesciebam enim concupiscentiæ* (156) *subesse peccatum, nisi lex diceret : Non concupisces.* Poterat autem aliquis Judæorum respondere : Bene dicit Apostolus, quoniam per legem cognitio tantum peccati, et quia non justificatur homo ex operibus legis. Quoniam lex peccata ostendit, sed non dimittit. Verumtamen, dum propria voluntas opus legis implet, homo justificatur coram Deo. Ideo subjunxit : *Nunc autem justitia Dei sine lege manifestata est.* Justitiam Dei vocat gratiam, non qua ipse justificatur, sed qua hominem induit, ut justificaretur. Lex enim jubet, cui succumbit infirmitas ; gratia adjuvat, per quam diffunditur charitas. Fides impetrat quod lex imperat. *Testificata a lege et prophetis.* Lex siquidem, et prophetiæ gratiæ perhibent testimonium. Lex enim, percipiendo (157), minando, et non justificando, ostendit non posse hominem justificari, nisi dono Dei per adjutorium Spiritus sancti. Perhibent et prophetæ, quoniam, quæ illi prædixerunt, ejus adventus implevit. Et quia lex et prophetæ gratiæ Evangelii perhibent testimonium : ideo Dominus in monte clarificatus dicitur sedisse inter Moysen et Eliam. Sed quid est, quod dicit, *testificata a lege*, cum præmiserit : *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est ?* Non ergo ita intelligendum est, sicut verba sonare videntur : neque enim sine lege justitia Dei manifestata est, cum a lege testificata sit ; sed manifestata est justitia, quæ erat sine lege, id est, quam Deus per suæ gratiæ auxilium hominibus contulit, sine ullo legis adjutorio. Notandum est igitur, quia Apostolus multarum legum facit mentionem, scilicet legis naturæ, scriptæ, gratiæ, mentis, membrorum, atque peccati. Ideoque solerter in unoquoque loco inspiciendum sollicite (158) est, de qua lege loquatur. De lege quippe dicit naturæ : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo ;* et item : *Per legem cognitio peccati ;* et rursum : *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est.* Præterea notandum, quia multa videtur Apostolus hoc loco dicere ad injuriam legis, Videtur etiam evacuare liberium arbitrium ; et idcirco hic locus caute legendus est. Nam sciendum, quia quatuor sunt gradus. Primus ante datam legem, in lege scilicet naturæ. Secundus post legem datam, in lege Moysi. Tertius sub gratia, videlicet in Evangelio. Quartus sub pace, quod erit in futuro. In primo trahimur carnali concupiscentia, et sequimur ; quia non modo peccamus, sed etiam peccatum approbamus : quoniam ignorantiæ tenebris cæcati, tantum carnaliter vivimus. In secundo autem trahimur quidem, et sequimur ; sed cognoscimus, quod tamen

(154) Vulg. *Quoniam quæcunque.*
(155) Id est *perfectionem,*
(156) In autogr. *concupiscentiam.*
(157) Menda verisimiliter est, *et precipiendo* legi magis congruit.
(158) Perperam hoc verbum repetitum videtur.

vitare non possumus ; quoniam, cum (159) secundum legem vivere volumus, infirmitate succumbimus (160). Et tanto magis dolemus, quanto, quod vitandum est, agnoscimus, quod vitare non possumus. In tertio vero, id est, in gratia Evangelii, nec trahimur, nec sequimur ; sed pugnantes concupiscentiis carnis resistimus : et, nisi sponte succumbamus, divina gratia adjuti superamus (161). In quarto vero nullum cum vitiis erit certamen, sed erunt homines Deo et angelis similes. Sub his gradibus populus Dei per intervalla temporum fuit. Notandum quoque, quia Apostolus non destruit liberum arbitrium, quod primo homini concessum est, ut, si vellet, non peccaret. Sed, quia semel infirmatum est, ad hoc usque pervenit, ut etiam nolens peccaret. Nunc autem Dei gratia ita redditum et solidatum est, ut non modo non peccemus sed etiam ejus gratia præveniente et subsequente, bonum, quod volumus, implere possimus.

Sequitur: *Justitia autem Dei per fidem Jusu Christi super omnes* (162) *qui credunt*. Justitia, ut dictum est, gratiam vocat ; quia, non ipse, sed nos justificamur. Similiter et fidem Christi, non qua Christus credit, sed qua homines credunt in Christum. Utrumque igitur nostrum est, id est, et justitia, et fides ; sed Dei esse dicuntur ; quia ejus largitate nobis donantur. Super omnes vero dicit, tam Judæos quam Græcos, tam sapientes, quam insipientes. Unde mox subditur : *Non enim est distinctio*, subintelligitur, Judæi et Græci. Cur non sit disctinctio, demonstrat. *Omnes enim peccaverunt*. Gratia quippe Salvatoris adveniens omnes prævaricantes invenit. Unde idem Apostolus alibi : *Conclusit Deus omnia sub peccato* (*Gal.* III, 12). *Et egent gloria Dei*. Gloria id est gratia, per quam glorificatur Deus. *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Gratis, id est, nullis præcedentibus meritis. *Per redemptionem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (163). In eo quod dicit, redemptionem, ostendit nos captivos fuisse : et revera sub captivitate diaboli tenebamur. Unde ipse dicit per prophetam : *In scelteribus vestris venundati estis : et in peccatis dimisi matrem vestram* (*Isa.* L, 1); et item : *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini*. In quibusdam exemplaribus invenitur *sine pretio*, ubi subaudiendum est *non vestro quia meo*. De hoc pretio idem Apostolus alibi dicit: *Empti estis pretio magno* (*I Cor.* VI, 10). Quod sit hoc pretium, coapostolus ejus Petrus ostendit, dicens : *Empti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis non corraptibili auro, vel argento, sed pretioso sanguine* (164) *Agni incontaminati et immaculati Jesus Christi Domini nostri*.

Sequitur : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Deus pater Filium propitiationem proposuit, cum eum ante sæcula pro redemptione humani generis in mundum mittere prædestinavit : quem propitiationem fecit, cum sibi pro redemptione hominum in ara crucis obtulit. Et apte dicit : *In sanguine ipsius*. Pro sanguinis quippe ejus effusione facta est remissio peccatorum : unde idem Apostolus, *sine sanguine*, inquit, *non fit remissio* (*Hebr.* XI, 22). Hinc est, quod omnium animalium sanguis, quæ immolabantur in templo, pro expiatione animæ offerri præcipitur. *Ad ostensionem justitiæ suæ. Justitiæ*, id est gratiæ, *Propter remissionem præcedentium delictorum*, id est, originalium peccatorum, quæ nobis per justitiam Dei simul cum amissis (165) laxantur, *in sustentatione Dei* ostensa est justitia (166) ejus; quia, quanto amplius sustentat infirmos, ut convertantur, tanto magis justus esse ostenditur. Inter sustentationem enim, et patientiam hoc distat, quod sustentatio in his proprie est qui infirmitate peccant, patientia autem in his qui potius voluntate, Et apte subdit : *In hoc tempore* quoniam hoc præsens tempus Deus pœnitudini concessit, futurum vero judicio deputavit. Alioquin injuste impios punire videretur, si eis nullum pœnitentiæ tempus concedet. *Ut sit ipse justus, et justificans*. Justus in se ; justificans alios per se : nisi enim esset justus, alios justificare non posset. Et, ut ostenderet, quia non omnes justificaret, adjunxit: *Eum, qui ex fide est Jesu Christi*. In quo dicto evidenter ostendit quia nullus potest, nisi per Christi fidem, jutificari.

Igitur, quia Judæi de legis operibus gloriabantur quæstionem proposuit eis, dicens : (167) *Ubi est gloriatio tua ?* Ac si diceret : Si gratia Dei omnes peccatores invenit, et gratis justificavit, non est unde gloriemini. Gloriationem autem non veram, et laudabilem dicit, sed detestabilem, et falsam, quæ descendit ex superbia. Et quia quæstionem Judæis proposuit, ex sua persona respondit dicens: *exclusa est*, id est, abjecta et ejecta. Et ne putarent (168) exclusam per legem Moysi, ideo subdit : *Per quam legem ? factorum ? Non. Sed per legem fidei*. Legem factorum dicit legem operum, id est, Moysi, in qua multa carnalia opera continentur, scilicet, circumcisionis, neomeniarum et sabbatorum cæterorumque carnalium rituum, quæ omnia sub figura agebantur. Lex operum illa est de qua

(159) In autog. legitur particula *non*, quæ tamen per errorem excidisse videtur : cum sensus particulam *cum* expetere potius videatur.

(160) In autog. *succumbimur*.

(161) In autog. *superamur*.

(162) Vulg. ante *super omnes* habet *in omnes, et.*

(163) *Domino nostro* in Vulg. non legitur.

(164) Vulg. ibi in Epistola I beati Petri apost. vers. 19, sic habet : *Sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi et incontaminati :* in aliis versionibus, loco *quasi* legitur *tanquam*.

(165) Forte *commissis*, seu *admissis*, id est actualibus culpis, vel etiam *amissis*, in sensu, quo Plautus usus est verbo amitteret, id est amittere culpam, seu ignoscere noxam.

(166) Autog. *Justitiam*.

(167) In autogr. marg. c. X.

(168) In autog. *putaret*.

superius ait : *Per legem peccati*,et alibi : *Lex enim subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v,20).Lex operum illa est quæ præcipit: *Non concupisces.* Sed nunquid non in lege fidei multa opera continentur ? Continentur plane,sed non carnalia, sicut in lege Moysi. An non lex fidei dicit : *Non concupisces ?* Dicit utique sicut multa Evangelii præcepta contestari et clamare non cessant.Quæ ergo est distantia ? magna utique, quoniam, quæ lex operum minando præcipit, lex fidei credendo impetrat. In lege enim operum Deus dicit : Fac quod jubeo. In lege fidei Deo dicitur ; Dona quod jubes : nam lex fidei est,et oramus nobis a Deo donari, ut faciamus quæ per nos implere non possumus. In lege namque operum, justitia est precipientis Dei ; in lege fidei, subvenientis misericordia. Et quia poterant Judæi dicere, quoniam justificatur homo sine operibus legis,ad hæc ipse respondet: *Arbitramur*(169) *justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Arbitramur hoc loco non dubitative dictum intelligendum est,sed affirmative. Ac si diceret : Firmissime credimus quia ex fide justificatur homo sine operibus legis. Magnum igitur est meritum fidei, nam præterita peccata relaxat, et præsentia absolvit et futura præcavere facit possessoremque suum ad futura bona peragenda fortiorem reddit. Sed quid est quod ait, justificari hominem sola fide, cum alibi dicat : *Fides est quæ per dilectionem operatur* ! (*Gal.*v, 6.) Et coapostolus ejus Jacobus : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20). Non igitur sibi hæ apostolicæ sententiæ contrariæ sunt. Quia Apostolus, non ideo ait hominem sola fide justificari, ut,si post acceptam fidem male vixerit,justus sit, sed, quia, si contigerit ut accepta fide statim moriatur, sola fide justificabitur, etiamsi non sit ei operandi tempus concessum. Non enim apostolus Paulus de illis loquitur operibus quæ fidem sequuntur,sed,ut Jacobus,quæ fidem præcedunt, per quæ nemo justificari potest, quia *sine fide impossibile Deo placere* (*Hebr.* x, 6). *An Judæorum Deus tantum !* Ac si diceret:Si Deus Judæorum tantum esset creator recte diceretis cum pro vestra tantum salute Filium suum misisse,sed qui omnium creator est pro omnium salute misit. Et hoc est quod sequitur ; *Nonne et gentium ? Imo et gentium. Imo,* cum soleat pro *etiam* accipi hoc loco *magis* significat. Sed quare magis gentium quam Judæorum Deum esse dicit ? Scilicet, quia plures ex gentibus credituros prævidit sive quia Deus pater fuit gentibus per fidem.Judæis autem per circumcisionem: liquet autem fidem majorem esse circumcisione. Et ne alter putaretur Deus Veteris Testamenti et alter Novi, adjecit : *Quoniam quidem unus Deus qui justificat circumcisionem ex fide et per fidem præputium*. Ac si diceret : Unus est Deus, qui justificat circumcisos Judæos et præputiatos gentiles. Quod autem dicit : *circumcisionem ex fide et præputium per fidem*, non propter aliquam differentiam dicit, quia alibi de gentibus dicit : *Providens Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus* (*Gal.* III, 8) : et loquens de Judæis, unde ipse erat,ait : *Nos natura Judæi et non ex gentibus peccatores scimus autem quoniam non justificaretur homo ex operibus legis,sed per fidem Jesu Christi, et nos in Christum Jesum credimus ut justificemur* (*Gal.* II, 15, 16). Sed *ex fide et per fidem* ait, propter varietatem locutionis.

Hactenus multa videtur Apostolus ad injuriam legis locutus : Et quia poterat aliquis Judæorum dicere : O Paule, destruis legem,et evacuas circumcisionem : ideo subjunxit : *Legem enim* (170) *destruimus per fidem !* Ac si diceret : Quia hominem dicimus justificari posse ex fide operibus legis, dicitis, quod legem destruamus. Non ita est. Juste quidem calumniaremur (171) legis esse destructores, si alia prædicaremus quam quæ lex docet.Ipsa quippe lex eamdem spiritualem docet circumcisionem,quam nos prædicamus fieri per fidem et gratiam Christi.Sic enim dicit : *Circumcidite duritiam cordis vestri :* Et propheta *: Circumcidite præputia cordium vestrorum.* Quia ergo non alia prædicamus quam ea quæ lex docet non legis sumus destructores, sed potius affirmatores.Et hoc est quod sequitur : *Absit ! Sed legem statuimus.* Non enim per fidem lex destruitur sed statuitur,quia fides impetrat gratiam, per quam lex possit impleri : gratia vero sanat voluntatem, ut libera justitia dirigatur. Lex enim dicit : *Non concupisces :* fides autem clamat : *Sana animam meam, Domine, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Gratia vero dicit : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne aliquid tibi deterius contingat* (*Joan.* v, 14).

(CAP.IV.)(172).Et tanquam diceret Judæus : Ergo nihil Abraham per carnalem circumcisionem consecutus est,continuo addidit : *Quid enim* (172)*dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem* ? Nihil quippe invenire potuit quod Abraham secundum carnem, id est, secundum carnalem circumcisionem diceret consecutum, quia nec tunc terræ Chanaam promissionem,nec seminis sui augmentationem, aut benedictionem accepit, quando circumcisus est. Sequitur : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est,habet gloriam sed non apud Deum.* Tamquam diceret: Si Abraham ex operibus justificatus est, habet quidem gloriam apud homines, sed non apud Deum, quia non habet eam gloriam qua glorificatur Deus,quia non Dei gratia,sed suis meritis est justificatus. Potest enim aliquis bona opera sine fide, vel per fidem sine bonis opedeberet auctor.

(169) Inter *arbitramur* et *justificari*, in Vulg. legitur *enim*.

(170) Vulg. loco *enim* habet *ergo*.

(171) Nescio quomodo verbum istud exciderit a calamo amanuensis,cum potius *accusaremur*,dicere

(172) Hic incipit cap. IV Ep., secundum divisionem Vulg.

(173) In vulg. *ergo*.

ribus apud homines videri bonus, sed non apud Deum. Quia, sicut bona opera sine fide, ita fides in processu temporis nihil valet, nisi bona opera sequantur. Et, ut suam narrationem Genesis testimonio comprobaret, adjecit : *Quid enim Scriptura dicit?* Hoc est : unde Scriptura dicit justificatum Abraham? Operibus, an fide? Fide utique : nam, *credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gal.* III, 6). Ubi notandum, quia non ait, circumcisus est ; sed, *credidit*, quia fide justificatus est. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et est sensus : Ei qui operatur, id est, qui de operibus præsumit, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, quia suis meritis justificatur. Nam more humano Apostolus loquitur ; dum enim aliquis alteri tribuit, unde vicissitudinem accipiat, merces ei non imputatur secundum gratiam, quia nihil gratis tribuit. In Deo vero non ita est, quia nihil ab homine accepit, pro quo ei vicissitudinem reddat. Unde ad Job loquitur, dicens : *Qui ante dedit mihi, ut ego reddam ei?* (*Job.* XLI, 2.) Hinc alibi idemApostolus: *Gratia salvi facti estis per fidem, et non ex vobis ; Dei donum est, ne quis glorietur* (*Eph.* II, 8). Unde et continuo subditur : *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Ei qui non operatur, id est, qui de operibus non præsumit, nec suis meritis se gratiam consecutum credit, reputatur fides ejus ad justitiam, sicut et Abrahæ. Sed, ne hoc videretur Apostolus sensisse, quod omnibus fides ad justitiam reputaretur, præmisit : *credenti in eum, qui justificat impium.* Ubi notandum, quia non ait : credenti ei : Deo namque credere est promissis illius fidem accommodare : in Deum vero credere est omnem spem in ipso collocare. Et, ut suam narrationem Psalmistæ testimonio confirmaret, adjunxit : *Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus*, id est, cui Deus gratis et sponte tribuit justificationem : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI, 1, 2). Ubi notandum, quia tria videtur Psalmista dicere : remissas iniquitates, peccata tecta, et non imputatum peccatum. Unde quidam dicunt iniquitates remitti per pœnitentiam, non imputari in martyrio. Sed notandum, quia non ait : in quibus non inveniuntur peccata, sed, *quorum tecta sunt.* Unde beatus Gregorius : Nos rei, quam tegere volumus, aliquid superimponimus, ne videatur; sic et peccatis nostris, non solum confessionem, sed etiam bona opera superponentes, tegimus, ut Deus non animadvertat, id est, puniat. Unde idem Psalmista : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Nos igitur incunctanter credere debemus hæc omnia fieri in baptismate. Nec ulla beatitudo major esse potest, quam sine ullo pœnitudinis labore, remissionem omnium consequi peccatorum. Sed ecce Judæo quæstionem proponit, subjungens : *beatitudo ergo hæc in circumcisione* (174) *manet, an etiam in præputio?* Quo manente suspenso, intulit : *Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.* Quasi diceret : certi (175) sumus de justificatione : sed de tempore quærimus. Et hoc est, quod sequitur : *Quomodo ergo reputata est? in circumcisione,* (176) *cum esset, an in præputio?* Et Judæo manente suspenso nec audente respondere, ne suis verbis caperetur, ipse sibi respondit, dicens : *Non in circumcisione, sed in præputio.* In quibus verbis, si diligenter animadvertamus, videtur Apostolus dicere eo tempore nominatum Abraham, quo, non Abraham, sed Abram vocabatur : quod ideo egit, quia noverat omnia a Deo prædestinata, fixa et immobilia permanere. Et, tanquam diceret aliquis Judæus : cur Abraham circumcisionem accepit, si nullam beatitudinem consecutus est? Illico subdidit : *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* Ac si diceret : Non pro beatitudine, aut justificatione circumcisionem accepit, sed pro signo. Ubi notandum, quia duo dicit : signum et signaculum, et fortasis unum sunt ; sed, si diligenter attendam, magna est distantia. Signum enim est quod aliud, quam est, significat : quemadmodum Dominus Judæis signa petentibus dicit : *Generatio hæc adultera est ; signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* (*Matth.* XII, 39). Ubi ostendit pene omnia, quæ circa Jonam gesta sunt, ad se pertinere. Hinc et Simeon de Domino dicit : *Ecce positus est hic in ruinam et in signum* (*Luc.* II, 34). Filius namque Dei recte signum dictus est ; quia aliud videbatur, id est, homo, et aliud credebatur, id est Deus. Carnalis itaque circumcisio recte signum dicta est, quia spiritalem significabat circumcisionem quæ fit per gratiam et fidem Christi. Ipsum quippe regenerationis auctorem, Dominum videlicet Jesum Christum significabat, per cujus gratiam corda mundantur, expiantur conscientiæ. Signaculum vero est, quod alicui servandæ rei pro tempore ponitur, ut non ab alio solvatur quam ab eo qui posuit. Illa ergo circumcisio recte signaculum dicta est, quia pro signaculo data est Judæis, ut non ab altero solveretur vel auferretur quam ab eo qui posuit. Unde idem Apostolus dicit : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Gal.* IV, 4) : quia non prius fiet quam illud impleatur quod alibi ait : *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* II, 25). Recte signaculum dicitur. Cur autem signaculum

(174) Vulg. *In circumcisione tantum manet, an etiam.*

(175) Autog. loco *certi sumus* habet *certissimus.*

(176) Verba *cum esset* in Vulg. lectione non habentur.

circumcisionis acceperit aperitur, cum subditur : *Ut sit pater omnium credentium propter* (177) *præputium, ut reputetur et illis ad justitiam ; et sit pater circumcisionis.* Apte quidem dicit *omnium credentium*, quia præputiatus Abraham, credendo factus est pater præputiatorum, circumcisus autem factus est pater Judæorum. Omnes enim qui in præputio credunt transcunt ad dignitatem seminis Abrahæ, et reputatur eis fides ad justitiam, sicut et Abrahæ. Et hoc est quod dicitur, ut reputetur et eis fides ad justitiam. Sed, si diligentius attendamus, videtur Apostolus his verbis ostendere unum esse præputium et circumisionem, quoniam quicunque vestigia fidei Abrahæ imitantur ejus filii efficiuntur, et corde, non corpore, circumciduntur, et reputatur præputium eorum in circumcisionem. Ac per hoc Abraham pater est circumcisionis, id est, omnium credentium. Unde continuo subditur : *Non his, qui ex circumcisione sunt tantum, sed his qui sectantur vestigia fidei, quod* (178) *est in præputio patris nostri Abrahæ.* Quærendum tamen est, quare Apostolus præputium prætulit circumcisioni. Scilicet, quia prævidebat prius et plures credituros ex gentibus quam ex Judæis. Unde Psalmigraphus : *Notum fecit Dominus Salutare suum ante conspectum gentium* (*Psal.* xcvii, 2). Et paulo post : *Memor fuit misericordiæ suæ Jacob* (*Ibid.*, 3). Hinc et Simeon dicit : *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* (*Luc.* ii, 32).

Nam dudum Apostolus loqui cœpit de lege adversus eos qui promissionem Abrahæ factam per legem putabant impletam. Et, cœpta intentione perseverans, ait : *Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei*, ac si diceret : non est ita, ut vos dicitis, quia lex, quæ post multa annorum curricula data est, non potuit implere promissionem sub jurejurando Abrahæ factam, quia promissio illa, nec per legem facta est nec per legem impleta. Unde ipse, loquens ad Galatas, ait inter cætera : *Quadragintos et triginta annos facta est lex, non facit irritum ad evacuandam* (179) *promissionem* (*Gal.* iii, 17).

Ut autem ostenderet per quem impleta sit, adjecit : *Sed per justitiam fidei*, id est, quia fide justificatus est Abraham, sicut et gentes. Sequitur : *Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.* Et est sensus : si vos soli estis hæredes, qui ex lege circumcisionem accepistis ; ergo fides Christi annullata est. Sed non ita est. Unde mox causam reddit, subjungens : *Lex enim iram operatur.* Iram, ut sæpe diximus, vindictam vocat. Lex ergo iram operatur, quia non prædicat pœnitentiam, dicens : *Pœnitentiam agite ; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* iii, 2) : sed si quis hoc, vel illud fecerit, morte moriatur. Et, quia poterant Judæi dicere : nunquid nobis tantum lex iram operatur ? Ideo subdidit : *Ubi non est lex, ibi nec prævaricatio.* Sed nunquid apud gentiles nulla est prævaricatio, qui legem Moysi non acceperunt ? Quis hoc dicere audeat, cum idem Apostolus alibi dicat : *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt ?* Quomodo ergo intelligendum est ? Ita ac sit diceret aliis verbi : subi non est præceptum, minor est transgressio. Unde apte subauditur *tanta ;* ut sit ordo verborum : Ubi non est lex, nec tanta prævaricatio. Et apte : quoniam quo quisque gnarus peccat, eo amplius (180) punietur. Unde, beatus Augustinus dicit : Omnis legem præteriens iniquus est : non tamen omnis iniquus legem præterit. Illi ergo, qui non accepta lege peccant, iniqui dici possunt ; transgressores non possunt. Sed attendendum est de qua lege hic loquatur Apostolus. Nunquid de lege scripta ? Potest quidem ita intelligi ; sed convenientius de lege naturæ. Homines enim, cum adhuc in parva ætate consistunt, quid agendum quidve non sit, minime agnoscunt : ideoque, quamvis sit aliqua parva (181), tamen est culpa. Cum autem perveniunt ad rationabilis ætatis annos, quanto amplius quid agere debeant intelligunt, tanto atrocius, si (182) deliquerint, punientur. Unde Psalmista : *Prævaricatores reputavi omnes peccatores terræ* (*Psal.* cxviii, 119) : omnes namque peccatores prævaricatores legis Mosaicæ non fuerunt, quia non omnes eam acceperunt, sed legis naturæ.

Ideo ex fide, subauditur, impleta est promissio, *ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*, id est, tam Judæo quam et gentili. Et notandum, quia non ait secundum meritum, aut legis observantiam, sed secundum gratiam. Quia sola gratia Dei justificatæ sunt gentes. *Non ei, qui ex lege est solum*, id est, qui ex Veteri Testamento transit ad gratiam Novi : *Sed et ei, qui ex fide est Abrahæ*, id est, qui imitator est fidei Abrahæ, *qui est pater omnium nostrum*, id est, tam Judæorum, quam gentilium. Et, ut hoc Genesis testimonio comprobaret, adjecit : *Sicut scriptum est : quia patrem multarum gentium posui te ante Deum.* Quod dicit multarum, non quarumdam, sed omnium debemus intelligere. Juxta quod in eodem libro scriptum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* xxii, 18). Quod autem subditur : *ante Deum, cui credidisti*, (183) in libro Genesis non habetur ; sed Apostolus, exponendo, de suo adjecit, volens ostendere Abraham fide justificatum. Et est sensus : ante Deum, cui credidisti, positum est ut sis pater

(177) Vulg. *per.*
(178) Vulg. loco *quod* habet *quæ ;* aliæ etiam lectiones loco *quæ est*, habent *quæ fuit.*
(179) Cap. iii, v, 17, in Vulg. ita : *quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.*
(180) In autog. *puniretur.*
(181) Autog. *prava.*
(182) Autog. *dereliquerint ;* fortasse recte, sed minus apte.
(183) In autog. *credidistis.*

multarum gentium. *Qui vivificat mortuos.* Mortuos hoc loco, non corpore, sed anima debemus intelligere, juxta illud : *Anima quæ peccaverit morte morietur.* Sicut enim corpus mortuum est, quod habet oculos, et cæteros sensus sine suis officiis, ideo mortua est anima, quæ his omnibus sensibus cum suis officiis caret, id est quæ non habet oculos, quibus possit videre Deum, aures audiendi, quibus possit audire præcepta Dei, nares, ut proferat bonæ opinionis odorem, juxta illud Apostoli : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15); os, ut valeat degustando quam suavis sit Dominus; manus, ut juxta vocem Joannis possit tractare de verbo vitæ; pedes, quibus sit verbum Dei lucernæ, quibus ambulet in lege Domini. Hos tales Dominus vivificat inspirando, ut mortui vitiis vivant virtutibus, et credendo in eum transeant ad dignitatem seminis Abrahæ, et reputetur illis fides ad justitiam.

Sequitur : *Et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Soli Deo proprium est esse, cui non est aliter, aut dissimiliter esse. Sed hoc est ei esse quod est : creaturæ vero non est proprium esse, quia potest et aliter, et dissimiliter esse. Quod idem Apostolus manifestat, cum Ephesiis (184) loquens, ait inter cætera : *Filius Dei Dominus Jesus Christus, qui per nos in vobis prædicatus est per me et Silvanum et Timotheum, non fuit* Est, *et* Non, *sed.* Est *in illo fuit.* Hinc Dominus ad Moysen dicit: *Ego sum qui sum, et dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Quicunque igitur Deo per fidem conjungi merentur, et ipsi quidem sunt quemadmodum illi de quibus Dominus testimonium perhibet, dicens : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Vocat ergo ea quæ non sunt ut sint, tanquam ea quæ sunt : quia eos, qui sibi per fidem conjuncti non sunt, prædestinando et inspirando vocat, ut in eum credant, et sint tanquam illi qui jam sibi per fidem juncti sunt.

Qui contra spem (scilicet humanæ naturæ) *in spe* (185) *credidit*, divinæ gratiæ; contra spem enim in spe credidit, quia firmissime tenuit ut, quod sacra adolescens et juvencula explere non potuit, jam anus adjuta divina gratia posset explere, hoc est ut filium pareret in quo benedicerentur omnes gentes. Et hoc est quod sequitur : *Ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum* (*Gen.* XV, 5). Ubi notandum quia compendiose Apostolus posuit quod in libro Genesis latissime scriptum est. Illic enim legitur quia eduxit Dominus Abraham foras, dicens : *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes : sic erit semen tuum. Multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et sicut arenam quæ est in littore maris.* Quod hyperbolice dictum est; nam a primo homine usque ad ultimum non erunt tot homines, ut stellis cœli aut arenæ maris possint comparari, præsertim cum nec tot fuerint ut cæteris gentibus numero possent æquari. Sed, quia innumerabiles fuerunt homines ut stellæ cœli et arena maris, idcirco eis comparati sunt. Deo tamen, quem nec herbarem nec arenæ numerus latet, utique numerabiles fuerunt.

Et non infirmatus est in fide, videlicet, ut Zacharias, qui promissis angelicis credere dubitavit : *Nec consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ;* id est, ut filium procreare non posset. *In repromissione etiam* (186) *non hæsitavit diffidentia.* Hoc loco notandum quia non ait in promissione (187), sed in repromissione. Primo enim hæsitavit, cum dixit : *Domine, quid dabis mihi? ecce enim filius procuratoris domus meæ Damascus iste, hic erit hæres meus* (*Gen.* XV, 3). Postquam vero ei Dominus dixit : *Non erit iste hæres tuus, sed filius tuus qui egredietur de utero tuo, hic erit hæres tuus*, non hæsitavit, sed firmissime tenuit ut, quod ei natura subtraxerat, divino beneficio posset expleri. Et hoc est quod sequitur : *Sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcunque promisit potens est et facere.* Ubi notandum quia non ait : quæcunque prescivit, potens promittere, aut quæcunque promisit, potens est præscire, sed, quæ promisit, potens est facere, ut ostenderet quia ipse facit perseverare in bono qui facit esse bonos. Et, quia firmissime credit in eo, *reputatum est illi ad justitiam;* id est, fide justificatus est. *Non est autem scriptum propter ipsum tantum, quia reputatum est illi.* Pulchre hoc dicit, quia multa fuerunt annorum curricula ab eo tempore, quo Abrahæ hæc promissio facta est, usque ad id quo scripta est lex; ideoque Abraham hoc legere non potuit. Et, ut ostenderet propter quos scripta sit, adjecit : *Sed* (188) *propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum*, quo dicto omnes credentes comprehendit, propter quos scriptum est, ut legendo credant, et reputetur eis fides ad justitiam. In eo vero quod subditur, *qui suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum a mortuis*, personam Patris vult intelligi. Nec tamen solus Pater eum suscitavit, sed et Filius et Spiritus sanctus, quia in una persona totius Trinitatis fit mentio. Similiter in eo quod sequitur : *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*, a Patre eum traditum dicit. Verumtamen et Filius se ipsum tradidit. Unde idem Apostolus : *Tradidit semetipsum*

(184) Verba hæc non in epist. ad Ephesios, sed in secund. ad Corinthios, c. I, versic. 19, leguntur.
(185) Vulg. *spem.*
(188) Vulg. inter *etiam*, et *non* habet *Dei.*

(187) Autogr. habet *repromissione*, sed emendandum visum est. Notandum tamen aliquot exemplaria Biblica habere hic, *promissione.*
(188) Vulg. *sed et propter.*

pro nobis oblationem, nihilominus et Spiritus sanctus, quia inseparabilis est totius Trinitatis operatio. In eo igitur quod se sponte tradidit, misericors; in eo vero quod propria virtute surrexit, omnipotens demonstratur. In quo facto nobis reliquit exemplum moriendi vitiis, et resurgendi virtutibus, sive ut in baptismo commoriamur et consepeliamur ei, et in novitate vitæ resurgamus. Unde idem Apostolus : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI, 4). Sequitur : (189) (190) (CAP. V.) *Justificati igitur ex fide pacem habeamus*. Quia Judæi gloriabantur de Dei sive legis notitia; gentiles autem de nova et recenti vocatione; propter quod et plurimum inter se dissidentes erant. Apostolus, ut ostenderet eos omnes esse peccatores, superius ait : *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*. Ostendit enim eos omnes declinasse et inutiles factos, nec esse qui faceret bonum,usque ad unum. Hac igitur intentione finita,nunc admonet eos quid agere debeant,hortaturque secum pacem habere, dicens : *Justificati igitur ex fide pacem habeamus*, ac si diceret, quia nullus meritis, aut legis observantia salvatur, sed omnes Dei gratia salvati sumus et fide justificati, non jam dissidentes esse debemus, sed pacem habeamus. Et,quia est pax malorum, ideo adjecit : *ad Deum*, hoc est, secundum Deum. Unde ipse in Evangelio dicit : *Non, qualem mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* XIV, 27). *Per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et accessum habemus* (191) *fidei*. Pulchre dicit accessum, quoniam, sicut aliquis per ostium intrat in domum vel in ecclesiam,ita et per Christum, unigenitum Dei Filium,aditum habemus veniendi ad Patrem. Unde ipse in Evangelio dicit : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Et item : *Ego sum ostium* (*Joan.* X, 9), et reliqua. Quo autem habeamus accessum aperitur,cum subditur : *In gratiam istam*.Gratiam vocat adoptionem filiorum, qua fideles, laxatis peccatis, adoptivi filii Dei efficiuntur. *In qua stamus* dicit, ut ostenderet quia prius in cæno peccatorum jacueramus. Ille enim in arce fidei et virtutum stabat, qui dicebat : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*IV Reg.* V, 16).

Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.Notandum. quia non ait, in gloria, sed, in spe gloriæ. Gloriam quippe filiorum Dei nunc quidem habemus, sed in spe,quam tamen quandoque habebimus in re.Unde idem Apostolus alibi : *Per fidem ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* V, 7). Et Joannes : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus* (*I Joan.* III, 2).

Non solum autem (subintelligitur, gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei)*sed et gloriamur in tribulationibus*. Cur sancti in tribulationibus gloriantur? Videlicet,quia per leves et momentaneas tribulationes intelligunt se pervenire ad gaudia sine fine mansura. Unde Jacobus dicit : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (*Jac* .I, 2). Et item : *Beatus vir qui suffert tentationem* (*Ibid.*, 12), et reliqua. Gloriantur et sancti in interioribus tribulationibus,quia luxuriam refrenant, moderantur gulam et reprimunt carnis illecebras.Cur autem sancti glorientur in tribulationibus, aperitur, cum subditur : *Scientes quod tribulatio patientiam operatur* (*Ibid.*, 3). Patientia a *patiendo* dicta est, vel, ut quidam volunt, a *pavendo;* utraque autem sibi arridet etymologia. Sancti enim, cum patiuntur, pavent quidem; sed patienter tolerant.*Patientia autem probationem*. Probatio est perfectus et nobiliis mentis status. Unde probus recte dicitur qui cœptam bonis operis actionem probe perducit ad calcem. *Probatio vero spem*. Spes est desiderium futurorum bonorum. Unde et spes dicitur, quasi *est pes;* sicut enim aliquis ad certum locum pedibus tendit, ita et sancti spei virtute ad gaudia sempiterna festinant. Unde contrario in malis dicitur desperatio ; qui enim desperat, eundi voluntatem non habet : *Spes autem non confundit*, quia non timet; non enim timorem incutit, sed potius repellit. Unde Joannes : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*Joan.* IV, 18). Cur autem non confundat, aperitur, cum subditur; *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*.Diffusam charitatem ideo dicit,ut ejus latitudinem insinuaret.Unde Psalmista: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.*CXVIII,96). Diffusa namque est charitas, quia non solum Deum, sed etiam proximum diligere jubemur; nec modo amicos in Deo, sed etiam inimicos propter Deum. Sed,ne quis putaret suis meritis aut legis observantia diffusam in se Dei charitatem, adjecit : *per Spiritum sanctum*. Rursum,ne eumdem Spiritum sanctum a se habere putaretur, subjunxit : *qui datus est nobis*. Ille namque Spiritum sanctum hominibus dedit,qui captivitatem nostram sua virtute captivavit,et dedit dona hominibus. Igitur, ut nimiam vim dilectionis otenderet, adjecit : (192) *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est?* (subintelligitur, nisi ut ostenderet quantum diligeret genus humanum ?) Nimiam namque charitatem,et abundantissimam pietatem Deus Pater erga genus humanum ostendit, cum pro eo Filium suum tradidit,et ipse Filius,cum pro impiis mori voluit. Cum enim subdit Apostolus : *Vix pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori;* et Christus pro impiis mortuus est, incredibilem et inauditam charitatem ostendit.Sed sciendum quia quod dicit justum et bonum,non ad aliquam personam referendum est, sicut quidam hæretici voluerunt, qui bonum Filium et justum Patrem intellexerunt, sed, ut dicit beatus Hieronymus, ad aliquam rem justam vel bonam. Fuerunt

(189) Vulg. cap. V.
(190) In autogr. marg. c. XI

(191) Vulg. *per fidem*.
(192) In autog. marg. : c. XII.

enim nonnulli,qui per justum intellexerunt Veteris Testamenei justitiam; per bonum vero gratiam Novi,ut sit sensus : vix pro justo quis moritur,quia perrarus inventus est qui pro justitia Veteris Testamenti mori voluerit; pro bono autem forsitan quis audeat mori dicit,quia facilius inveniri potuit qui pro gratia Evangelii se morti tradiderit.(193)Et notandum quia,cum vix aliquis pro justo moriatur, pro bono autem quis audeat mori, Dominus autem non solum pro impiis, sed etiam congruo tempore mori voluit. Et hoc est quod Apostolus dicit : *secundum tempus*, id est, secundum temporis congruentiam. Unde ipse propheta dicit : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* XLIX, 8). Quod exponens Apostolus ait : *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2).Eo namque tempore mori voluit quo omnes declinaverunt,simul inutiles facti sunt,nec erat qui faceret bonum usque ad unum. Denique sciendum quia dicendo Apostolus,pro bono forsitan quis audeat mori, quamvis pudenter suam voluit intelligi personam, ostendit se omnesque fideles paratos esse mori pro Christo.

Sequitur : *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis*. Suam charitatem Deus in nobis commendat, quia indebite nobis remissionem tribuit peccatorum, et quia Filium suum pro impiis tradit. Cum enim ille, qui non debebat, debitum mortis diabolo solvit, ut nos, qui debitæ mortis merito tenebamur, erueret, suam utique charitatem in nobis commendavit. Unde per Prophetam dicit : *Injuste, quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5). *Quoniam, si, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum*. Justificatos dicit a peccatorum nexibus liberatos. Et pulchre dicit, in sanguine ipsius; quoniam sine ejus sanguine nulla fieri potest justificatio. Hinc est quod in Veteri Testamento nulla expiatio fiebat sine sanguinis aspersione. Ab ira autem dicit a vindicta æternæ damnationis.

Si enim, cum inimici essemus.Inimici eramus Deo propter originale peccatum, illud quippe separavebat nos a Deo. *Sed reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*.Dicendo reconciliatos,ostendit quia captivi a diabolo tenebamur. Sed non ita intelligendum est ut, sicut homines prius inter se dissident et postea reconciliantur : ita et nos prius dissidentes fuerimus a Deo,et postea reconciliati ; quoniam, et priusquam reconciliaremur, diligebamur a Domino. Unde idem Apostolus:*Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4); et alibi : *Qui dilexit nos,et lavit nos a peccatis nostris* (*Apoc.* I, 5); et Joannes : *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV, 19). Sed orietur quæstio, quomodo nos dicat Apostolus ante reconciliationem electos et dilectos, cum Propheta dicat : *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem* (*Psal.* V, 7) : si enim peccatores eramus,iniquitatem operabamur; quomodo ergo diligebamur,si Deus operantes iniquitatem odit? Sed nulla est contrarietas, si diligenter animadvertamus.Deus enim amando odit, et odiendo amat.In unaquaque namque persona habet Deus quod amet, et quod odio habeat; amat enim quod ipse fecit ; odit quæ, diabolo suggerente, ipse homo fecit : in singulis enim peccatoribus amat miseratione beneficium,et damnatione judicium.Præterea notandum quia sic videntur hæc verba sonare,ac si Deum Patrem haberemus iratum, et Filium pacatum. Sed non ita Apostolus sentit,qui alibi dicit : *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32). Non ergo Deus Pater nolentem Filium tradidit, nec ipse Filius, nolente Patre, se tradidit, sed tradidit eum Pater, et Filius, et amborum Spiritus sanctus.

Illud autem notandum quia eosdem dicit peccatores, quos inimicos Dei,et ipsos justificatos in sanguine Christi, quos reconciliatos per mortem Filii ejus, et eos salvatos ab ira per ipsum, quos salvandos in vita ipsius.Et sciendum quia duo præmisit,impios et infirmos,et duobus nominibus nos vocavit, quorum alterum mitissimum, alterum atrocissimum est. Leve enim quiddam est infirmitas, sed infirmitatis genus est, quod impietatis nomine designatur, quoniam nisi esset necesse, medicum non haberet. Et, quia duo præmisit, idcirco duo reddidit, id est peccatores et inimicos Dei; eosdem enim vocat impios, quos inimicos Dei, et revera talibus peccatis dediti eramus ut inimici Dei merito diceremur. *Sed reconciliati Deo salvi erimus in vita ipsius*. Pulchre dicit, in vita ipsius, quoniam, si pro impiis et inimicis mortuus est, multo magis vitam suis dabit amicis.*Non solum autem* (subintelligitur, salvi erimus), *sed et gloriamur in Deo*. Pulchre dicit, in Deo, quia scriptum est : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* X, 17). Et quia nemo potest gloriari in Deo,nisi per Dominum Jesum Christum, adjecit : *Per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus*. Reconciliationem dicit justificationem, quæ facta est in sanguine ipsius.Nam sciendum quia quadam Dei justitia traditum est diabolo genus humanum ; non tamen ipse tradidit,sed tradi permisit. Mox enim ut Adam peccavit, deserente se Creatore, auctor peccati hominem invasit.Sed non eum Deus funditus deseruit, quia semper suis beneficiis sustentavit.Et quia justitia quadam traditus est,dignum erat ut diabolum non virtute, sed justitia vinceretur.Quod a Domino Redemptore nostro factum est.Venit enim in similitudine carnis peccati,nullum omnino habens peccatum.Unde diabolus purum hominem credens,innocentem occidit. Quia ergo innocentem occidit, dignum erat,ut credentes in Christum amitteret, quos

(193) Notandum hunc textum : *pro bono autem quis audeat mori?* qui interrogativus est in Vulgata, hic positive scriptum et expositum esse.

prius debito mortis et peccati tenebat obnoxios. Hanc igitur justificationem Apostolus vocat reconciliationem. *Propterea, sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, subauditur, ita et per unum hominem vita rediit. Mundum a primo homine vocat genus humanum, nam revera ita se res habebat, ut dicit Apostolus. Jacebat quippe genus humanum, et præcipitabatur de malo ad malum; quia enim peccantibus angelis erat junctum, idcirco suæ desertionis et damnationis pœnas luebat. Ac per hoc cogitur Apostolus duas in se suscipere personas : unam primi Adæ, per quem peccatum intravit in mundum, et alteram secundi Adæ, per quem vita rediit, et de his prolixe loquitur. Sciendum autem quia his verbis destruit Apostolus errorem Pelagianorum, qui dicere solent, homines, non nascendo, sed imitando, trahere ab Adamo originale peccatum, ideoque parvulis non oportere baptismatis sacramentum, quia non esset originale peccatum, quod deferetur. Sic enim dicunt : Homines, cum peccare volunt, exemplum a primo homine sumunt, cumque imitando ad multa perveniunt. Hos tales Apostolus redarguit, dicens : *propterea*, etc. (193*). Si enim homines, non nascendo, sed imitando, originale peccatum traherent, non diceret, per unum hominem, sed per diabolum, de quo scriptum est : *Ab initio diabolus peccat* (*I Joan.* III, 8), et de quo in libro Sapientiæ legitur : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24). Et, ut ostenderet Scriptura quia non sic a diabolo mors in homines venit, quasi ab eo propagati sint, sed quia eum imitantur, adjecit : *Imitantur autem eum qui sunt ex parte illius* (*Ibid.*, 25). Apostolus igitur, ut ostenderet Adam auctorem originalis peccati, ait : *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum* (scilicet originale) *et per peccatum mors*, quia mors pœna exstitit originalis peccati, *et ita in omnes homines pertransiit*, quia nullus vivit, qui non moriatur, *in quo omnes peccaverunt*. Quod dicit, *in quo*, si ad peccatum referatur, manifeste Pelagianorum hæresim destruit, quoniam in illo uno peccato omnia commissa sunt. Nam, si ad personam Adæ referatur, adhuc enucleatius destruit. In illo enim uno peccante omnes peccaverunt, quia, ut dicit beatus Augustinus, omnes homines ille unus homo fuerunt : cumque ille de paradiso pulsus est, et nos omnes, quia in lumbis ejus eramus. Sicut legitur de Levi, qui in lumbis Abrahæ erat, quando ipse obtulit decimas Melchisedech (*Hebr.* VII, 9 10). *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo*. Quid vult hoc dicto Apostolus ostendere? An post legem in mundo peccatum non fuit? Vult ergo ostendere hujuscemodi fuisse legem quæ peccatum abolere non posset. Hoc enim sensu dictum est : usque ad legem peccatum erat in mundo, ac si diceretur : Erat quidem, sed non agnoscebatur. Ostendit igitur quia per legem facta est peccati cognitio. Peccatum enim originale dicit, legem vero scriptam. Potest tamen referri et ad legem naturæ, homines enim, quandiu in parva ætate sunt, minime agnoscunt quid agendum, vel quid non sit, ideoque, quamvis sit eis peccatum, tamen quasi non est, quia nesciunt esse peccatum.

Sequitur : *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*. Non imputabatur, quia non putabatur esse peccatum. Notandum enim qui non ait, *non erat*, sed *non imputabatur*, erat quippe apud homines, sed (194) [non] agnoscebatur. Unde superius Apostolus : *Quicunque sine lege peccaverunt sine lege peribunt*.

Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen (195). Moyses hoc loco tropice legem significat ; nam per datorem legis ipsa lex designatur. Regnavit ergo mors ab Adam usque ad Moysen, id est, a primo homine usque ad legem. Quod vero dicit, usque ad legem, non debeamus intelligere usque ad legis initium, sed usque ad ejus finem. Sic enim dictum est, ac dicat aliquis : Regnaverunt Judæi usque ad echoniam ; ubi, non initium regni Jechoniæ, sed ejus finem debet intelligere, quando translati sunt in Babylonem. Et pulchre ait *regnavit*, quia mors cunctas mundi partes invaserat. Sed quid est quod usque ad Moysen mortem dicit regnasse? Nunquid non postea regnavit? Quotidie quippe homines moriuntur. Sciendum ergo quia Apostolus hoc loco regnum mortis vult intelligi, prius enim generaliter mors regnavit, quia omnibus regni cœlestis aditum interclusit. Regnavit igitur, sed usque ad legis finem, id est usque ad Christum. Nam, ut Apostolus dicit, *finis legis Christus est ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Est autem finis, non consumptionis, sed consummationis et impletionis. Postquam vero divina misericordia se de cœlis diffudit ad terras et pro nobis mori dignata est, morte sua mortis destruxit imperium, et resurgens nobis vitam reparavit ; deinde, cœlos conscendens, januam nobis regni cœlestis aperuit, ac per hoc mors jam in omnibus regnare non potest, quia electis aditum regni cœlestis intercludere non valet. Aliud namque est, pestem late et generaliter in omnibus, aliter in paucis regnare. Regnat ergo, sed usque ad baptismum ; ibi enim cum Christo morimur, et sepelimur, et cum ipso resurgimus, ut in novitate vitæ ambulemus. Sed, ne crederet aliquis se suis meritis

(193*) In autogr., loco *etc.* legitur clare, *et Isrl*, id est *et Israel*, quod cum non valuerim nequecitationis, neque sensui ullo modo accommodare, satius mihi visum est emendare. Num errarim, videat lector. Illud interim justificationi meæ, addam verba finalia hæc *et cætera* in autog. semper, aut fere semper compendiose scripta adinveniri, ita *et cæt.* Fortassis etiam, *et reliqua*, dicere voluit, quod fere semper ita scriptum invenitur *et r. l.* Tum scilicet perperam præmissa essent verba illa, seu potius litteræ *i s*, quod et alibi supra invenire contingit.

(194) Sensus manifestum facit partic. *non*, quæ in autog. per oblivionem fortasse scripta non invenitur, scribi debuisse.

(195) In autog. marg. c. XIII.

a morte liberatum (196), subjunxit : *Etiam* (197) *in eis qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, id est, qui non propria voluntate peccaverunt, ut Adam, sed carnis infirmitate, sicut patriarchæ, et prophetæ et quidam gentiles, in quibus adeo viguit ingenium sapientiæ, ut originali peccato nulla superadderent criminalia. *Qui est forma futuris* (198). Quædam exemplaria *futuri* habent, ut ad Christum referatur. Adam enim forma fuit futuri, quoniam, sicut per illum mors intravit, ita et per Christum vita rediit; unde paulo inferius Apostolus dicit : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Si autem legatur *futuris*, intelligendum est posteris. Adam ergo forma fuit futuris, quia exemplum fuit peccati et damnationis (199). *Sed non sicut delictum, ita et donum.* Hæc verba clausa videntur ; potest tamen subaudiri : non sicut delictum nos corrupit, ita et donum Dei nos reparavit. Horum autem verborum sensum sequentia manifestant, cum subditur : *Si enim* (200) *in unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Ac si diceret : illud originale peccatum adeo magnum fuit, ut omnes perdere sufficeret ; donum vero Dei non solum ab illo, sed etiam a cunctis absolvit, et donat. Sed quid est quod dicit : multo magis gratia Dei in plures abundavit, cum plures perdantur quam salventur? Ne ergo contrarium videatur, quod dicit, *multo magis*, non ad personas referendum est, id est, plures, sed ad verbum *abundavit.* Multo magis enim abundavit gratia Dei, quia non solum originale, sed etiam propriæ voluntatis admissa relaxat. Sive : *multo magis in plures* dicit, quia mali, etsi multi videantur, pauci sunt, quia nihil sunt. Boni vero, etsi pauci videantur, multi tamen sunt, quia magna est in eis gratia Dei. *Et non sicut per unum* (201) *peccantem, ita et donum.* Et hæc quidem verba clausa videntur ; potest tamen subaudiri : non sicut per unum peccantem perditi sumus, ita et donum Dei nos redimit. Quorum sensum Apostolus exponit, subjungens : *nam judicium quidem ex uno in condemnationem.* Quod dicit *ex uno*, subaudiendum est delicto ; quod ipse exponit, subjungens : *Gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Quibus verbis destruit errorem Pelagianorum. Ostendit enim quia non imitando, sed nascendo trahunt homines originale peccatum. Sed dicit Pelagius : quod dicit *ex uno*, ad Adam referendum est ; homines enim ex Adam sumunt exemplum peccandi, et eum imitando ad multa perveniunt. At, si hoc sentiret Apostolus, non diceret, *gratia ex multis delictis in justificationem ;* sed *ex uno.* Sciendum etiam quia solent Pelagiani dicere fidelibus : Unde trahunt homines originale peccatum, a nuptiis, an a parentibus, aut a voluntate? In quibus nihil eis respondendum. Audi Apostolum dicentem : *Judicium ex uno in condemnationem.* Sed quid est quod dicit, judicium ex uno in condemnationem? Nunquid judicium ex uno soli in originali peccato, et non ex reliquis ducit in condemnationem? Si enim gratia Dei non solum originale peccatum, sed etiam propriæ voluntatis peccata relaxat, sic et judicium, non ex originali tantum, sed etiam ex cæteris quæ superadduntur, ducit in condemnationem. Quid ergo vult ostendere his verbis? Scilicet, tam magnum fuisse illud originale peccatum ut sufficeret in condemnationem, etsi nulla superadderentur, quamvis gravior sit eorum pœna, qui propria superaddunt, et tanto gravior, quanto gravius quisque pecoavit. Ab uno ergo, id est ab Adam non omnia nostra peccata, sed solum originale trahimus ; ab uno vero Christo non tantum originalis, sed et omnium remissionem consequimur peccatorum. Cœperat Apostolus facere differentiam originalis peccati et gratiæ Dei, et cœpta intentione perseverans, ait : *Si enim* (202) *in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita, regnabunt per unum Jesum Christum.* Unius delictum, peccatum dicit originale, quod Adam in paradiso commisit. Sed quomodo in unius delicto mors regnavit per unum? Scilicet, quia omnes vinculo mortis erant ligati in illo solo, etiamsi nulla, propria voluntate, superadderent. Fideles igitur abundantiam gratiæ et donationis accipiunt, quia non illud originale solum, sed et cætera quæ superaddiderunt, eis peccata remittuntur. Accipiunt et abundantiam justitiæ, quia tanta illis justitia a Deo retribuitur, qua justificentur, ut, cum Adam in paradiso diabolo ad peccatum persuadenti consenserit, illi, non solum suadenti, sed nec cogenti cedant, aut consentiant. Sed quid est quod dicit, *multo magis regnabunt*, cum plures mortis regnum trahat ad pœnam, quam gratia ad vitam æternam? Non ergo ad personas vel pluritatem referendum est, sed ad augmentum gratiæ Dei. Multo magis enim regnabunt, quia quicunque ab Adam ad Christum, id est, a morte ad vitam transeunt, cum ipso sine fine regnabunt in vitam æternam. Sive, *multo magis* dicit ; quia quos mors temporaliter perdidit, hos Dei gratia æternaliter vivificavit. (203) *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justi-*

(196) Partic. *cum*, quæ perperam, me judice, in autog. ante verbum *subjunxit*, jacet, omittendam censui.
(197) Vulg. *in eos*.
(198) Vulg. *futuri*.
(199) In autogr. marg. c. XIV.
(200) Partic. *in* Vulg. non habet.
(201) Ita nonnullæ editiones : Vulg. attamen habet *peccatum*.
(202) Partic. *in* Vulg. non habet.
(203) In margine autog., hic invenitur signatum *D. V post Pentec.* fortasse *Dominica quinta post Pentecostem* legi solebant hæ in hanc partem epistolæ D. Pauli notæ, seu homiliæ.

tiam in omnes homines in justificationem vitæ. In his verbis, si imitationem attendamus, ut Pelagiani asserunt, unius delictum nullius alterius erit, quam diaboli. Sed, quia apte Apostolus de Adam loquitur, nulla hic imitatio intelligenda est ; sed propagatio peccati. Ait ergo : *sicut per unius delictum* (subintelligitur, mors regnavit) *in condemnationem*, ita *et per unius justitiam* (subintelligitur, gratia regnavit) *in justificationem vitæ*. Justitiam unius hominis, justitiam dicit Jesu Christi, qua justificat impios, quam nulli imitandam proposuit, sed ipse solus hanc potest, qui est *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6). Hanc non Petrus, non Paulus habuit ; quia impium justificare non potuit. Si ergo sola imitatio facit peccatores per Adam, cur non sola imitatio facit justos per Christum ? Sed, absit. Christus enim idcirco recte unus dicitur ; quia non sola ejus imitatio justos facit ; sed gratia regenerans per Spiritum sanctum. Similiter et Adam unus dicitur ; quia non sola ejus imitatio peccatores facit, sed et pœna peccati generans per mortem. Ideoque recte illic ait : *In omnes homines in condemnationem ;* hic autem *in omnes in justificationem*, neque enim omnes, qui generantur per Adam, iidem ipsi regenerantur per Christum. Sed idcirco, et illic *omnes* dicit, quia, sicut nullius carnalis generatio est, nisi per Adam, ita nullius spiritalis, nisi per Christum. Omnes itaque in condemnationem dicit eos, qui nascuntur per Adam pertinentes ad carnalem generationem ; omnes autem in justificationem, eos, qui nascuntur per Christum pertinentes ad spiritalem generationem. Et nota quia quos hic *omnes* dicit, eosdem paulo inferius *multos*. Nec mirum : nam multi dici possunt in aliqua re, etiam cum pauci sint. Verbi gratia, si dicamus : una est obstetrix in civitate, quæ omnes excipit, et unus litterarum magister, qui omnes docet. Non enim intelligere possumus quod omnes habitatores civitatis, vel illa excipiat, vel iste doceat. Sed ideo illa omnes dicitur excipere, quia nullus præter ejus manus nascitur ; et iste omnes docere, quia præter ejus magisterium nemo discit. Habet itaque multos illa carnalis generatio, habet et spiritalis ; sed plures habet carnalis quam spiritalis. Verum, sicut illa habet omnes homines, ita et hæc omnes justos homines, et sicut præter illam nullus homo (204). Unde mox subditur : *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi*. Multos autem non exceptis quibusdam dicit, sed omnes. Obedientia est, tam in hominibus quam in omni rationali creatura, totius justitiæ origo atque perfectio. Unde Apostolus, volens ostendere duorum hominum differentiam, id est, primi Adæ, qui est caput nostræ mortis, et secundi, qui est caput nostræ salutis, ait : *sicut per inobedientiam*, et reliqua. Quibus verbis gratiam qua salvati sumus, cum magna devotione ostendere voluit.

Sed quid est quod de peccatoribus loquens, ait : *constituti sunt :* de justis vero : *constituentur ?* Si enim nondum justi constituti sunt, quid de Patribus Veteris Testamenti dicendum est ? Si enim Deo placuerunt, justi utique fuerunt, eadem quippe ipsi fide salvati sunt qua et nos. Nam, quod nos jam factum credimus, illi credebant futurum. Unde Apostolus alibi : *Habentes eumdem spiritum fidei* (*II Cor.* IV, 13). Quod enucleatius ostendit beatus Petrus apostolus dicens : *Sed per gratiam Dei credimus salvari, quemadmodum et ipsi* (*Act.* XV, 12). Si ergo justi fuerunt, quare Apostolus verbo futuri temporis usus est, dicens, *constituentur ?* Scilicet, quia prævidit plures credituros in Novo Testamento quam in Veteri, sive, quia, licet sit in præsenti vita constitutio justorum, perfectior tamen erit in futura. Propter perfectam ergo justorum constitutionem futuri temporis, usus est verbo [futuri temporis] (205).

Et, ne Judæi pro lege gloriarentur, adjecit : *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*. Subintrare est alterius loco succedere, sive alterius locum præoccupare. Subintravit ergo lex scripta, quia loco legis naturæ successit ; ostendit enim Apostolus suis verbis annullatam jam esse legem naturæ, sed data lege scripta cœpisse vigere. Delictum vero, non originale dicit, sed quod homines post originale superaddiderunt. Quomodo ergo, subintrante lege, abundavit delictum ? Quia, data lege scripta, facta est originalis peccati cognitio, et augmentata pœna delicti. Lex ergo subintravit, ut abundaret delictum, id est cognitio et pœna delicti, propter hoc enim solum lex scripta data est, ut originalis peccati cognitio fieret.

Ubi autem abundavit peccatum (206) (id est cognitio et pœna peccati) *superabundavit gratia*. Quia, quos lex transgressores tantum ostendebat et condemnabat, hos divina gratia justificavit et vivificavit, ideoque dicitur superabundasse. Lex enim minabatur, sed non opitulabatur ; jubebat, sed non sanabat ; ostendebat languorem, sed non auferebat. Lex ergo data est, ut gratia quæreretur ; gratia data est, ut lex impleretur.

Ut, sicut regnavit peccatum in mortem. Illud sciendum quia sunt quædam peccata præter Adam. Unde Apostolus hoc loco non addidit, per unum aut per hominem quia, ut dictum est paulo superius, non de originali loquitur ; regnavit enim peccatum in mortem, quia illud peccatum, quod homines originali superaddiderunt, auxit mortem. Sed, quia nulla potest esse justificatio, nisi per Christum ; ideo cum dixisset : *Ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam*, adjecit : *per Jesum Christum Dominum no-*

(204) Hæc verba, vel similia desiderari videntur : *ita præter istam nullus justus homo*, ut sensus videlicet perfectionem acquirat.

(205) Verba *futuri.... temporis*, aliquas post lineas leguntur, et signo expunctionis, id est, linea subducta, perperam scripta fuisse innuitur. Nos autem propriæ sedi restituenda censuimus.

(206) Vulg. *delictum*. Nonnullæ autem editiones cum autog. consentiunt.

strum. Carne quippe generante, solum originale trahimus ; sed, Spiritu sancto regenerante, non illius tantum, sed et omnium peccatorum remissionem consequimur.

Igitur, quia dixerat Apostolus (207) (CAP. VI) : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia*, prævidit quia perversis perverse intelligenda erat hæc sententia, ac si diceret, propter abundantiam gratiæ prodest peccare, idcirco quæstionem sibi opposuit, dicens : *Quid ergo dicemus ? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet* ? Et, ut hoc dilueret et expurgaret, adjecit : *absit !* Ac si diceret : Non ita est ut vos putastis, neque enim, quia majora peccata committitis, majora beneficia consequemini. Nam, si remissionem vestrorum peccatorum consequimini, non hoc vestra merentur peccata, sed Dei gratia in vobis operatur. Rursumque quæstionem sibi objiciens, subjungit : *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo ?* Tanquam diceret : cum gratia Dei tantum nobis beneficium, præstiterit, ut peccato moreremur, quomodo peccato mortui, in illo id est in peccato vivemus ? Quod si peccato vivimus, nihil aliud facimus quam ut gratiæ Dei ingrati simus. Qui enim laudat medicinæ beneficium, non docet vulnera et morbos, a quibus illa sanat, sed, quanto majoribus medicina laudibus præfertur, tanto magis morbi et vulnera horrentur. Sic laus et prædicatio gratiæ Dei, vituperatio, et damnatio est delictorum. Gratia namque Dei vulneribus nostris adhibuit medicinam, qua sanaremur, et idcirco *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia*, non peccantis merito, sed subvenientis Dei auxilio.

Et, ut ostenderet quia medicina gratiæ Dei mystice in passione et resurrectione Domini consistit, adjecit : *An ignoratis, fratres* (208), *quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ?* Quibus verbis evidenter ostendit in passione et resurrectione Domini præfiguratum interitum, et occasum nostræ veteris vitæ et exordium novæ, abolitionem iniquitatis et justitiæ renovationem. Sed unde homini hoc beneficium collatum est ? Scilicet, per fidem Jesu Christi, quia apud ipsum est fons vitæ, et in lumine ejus videbimus lumen. In morte ergo ipsius baptizati sumus, quoniam sicut ille mortuus est, ita etinos, cum abrenuntiamus diabolo et operibus ejus, sæculo et pompis ejus, quodammodo morimur, dum aquis immergimur. Et, quia dixerat mortem ejus nostram significasse mortem, ut ostenderet quia sepultura illius nostram significabat sepulturam, adjecit : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Quasi enim Christo consepelimur, dum sub aquis latemus (209) : et velut cum ipso resurgimus, cum ex aquis renascimur, ut mortui vitiis, Deo virtutibus vivere incipiamus. Et sciendum quia sacramenta quamdam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta ; quod si non haberent, sacramenta non essent. Ex quadam ergo similitudine earum rerum, quarum sacramenta sunt, vocabula sumunt. Semel enim Christus in se ipso pro salute hominum oblatus est ; sed in mysterio, non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed etiam omni die fidelibus immolatur. Secundum quemdam ergo modum sacramentum corporis illius ipsum corpus ejus est ; sacramentum sanguinis est ipse sanguis, sic et sacramentum mortis ejus mors ipsa est, et sacramentum sepulturæ ipsa est sepultura, et sacramentum resurrectionis ipsa est resurrectio. Unde Apostolus non ait : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, mortem illius significavimus, aut sepulturam*, sed : *In morte ipsius baptizati sumus, et consepulti sumus cum illo. Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Per gloriam Patris* dicit propter gloriam, vel ad gloriam Patris. Resurrectio namque Filii glorificatio fuit Patris : quia, (210) dum propria virtute surrexit, Deum Patrem glorificavit, cujus se Filium ostendit. *Ita et nos in novitate vitæ ambulemus*, id est, quia vitiis mortui sumus nunc et innovati, nequaquam veteris vitæ sordibus coinquinari debemus, sed in novitate vitæ perseverare ; sicut enim resurrectio Filii glorificatio Patris est, ita et nostræ vitæ novitas. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Illud sciendum quia Christus Dei virtus, et Dei sapientia, miro quodam et ineffabili modo, nobis factus est arbor vitæ, cui complantaremur in morte, complantaremur et in vita, ideoque ait Apostslus : *Si complantati facti sumus*, et reliqua. Notandum autem quia non ait : *Complantati sumus morti*, sed, *simulitudini mortis ;* quoniam, non de morte corporis, sed de morte spiritus loquitur. Quod autem dicit, *simulitudini*, et ad mortem pertinet, et resurrectionem. Complantati enim sumus similitudini mortis ejus, quoniam, sicut ille mortuus est, ita et nos secundum quamdam similitudinem morimur, dum aquis immergimur ; sumus et resurrectionis, quoniam, sicut ille surrexit, ita et nos quodammodo resurgimus, cum ex aquis renascimur.

Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est. Veterem hominem dicit veteris hominis conversationem, sive, quod magis sentiendum est, mortalitatem nostræ carnis, quæ est ex pœna maledicti et peccati primi hominis, quam Dominus suscepit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Mors igitur maledictum est, quia ex male-

(207) Hic incipit Vulg. c. VI.

(208) *Fratres* in Vul. non legitur. In margine autogr., hic signatum invenitur *D. VII*, id est. *Dominica septima.*

(209) Nota hic de baptismo per immersionem, utpote illo, quo Ecclesia utebatur omnino et unice loqui.

(210) In autogr., inter partic. *quia*, et alteram *dum*, negativam partic. *non* quam peperam jacere existimavi, expungendam duxi. Argumentum expungendæ particulæ sunt verba immediate sequentia.

dicto descendit. In cruce ergo mors Domini pependit, ut mortem moriendo superet. Simili modo et peccatum maledictum est. Peccatum igitur veteris hominis in ligno pependit, quod Dominus in ipsa carnis mortalitate suscepit. Unde Apostolus nec erubuit, nec timuit illum peccatum vocare, cum, de Deo Patre loquens, ait : *Eum, qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit* (*II Cor.* v, 21), id est Filium suum similitudinem carnis peccati sumere fecit, et eum pro salute hominum sibi hostiam intulit. Unde mox causam reddit, subjungens : *Ut de peccato damnaret peccatum.* Hinc Moyses de eo multa ante prophetavit, dicens : *Maledictus omnis qui pependit in ligno* (*Deut.* xxi, 23). Filium namque Dei maledictum vocavit, quia maledictum, id est, mortalitatem nostræ carnis suscepit. Vetus ergo homo noster crucifixus est, quia mortalitas nostræ carnis quam Christus suscepit, in ipsa ejus morte, sub figura nostri peccati, pependit in ligno.

Cur autem crucifixus sit vetus homo noster aperitur cum subditur : *Ut destruatur corpus peccati.* Corpus namque peccati destruitur per baptismum illius, qui venit in similitudine carnis peccati ; sed non ita destruitur, ut adhuc in ipsa carne vivente funditus (211) assumatur concupiscentia, aut desit; sed ne obsit mortuo, quæ prius inerat vivo. Quandiu enim quisque vivit, semper habet concupiscentiam, cum qua pugnet, et tandem, Deo adjuvante, superabit nisi forte in vacuum gratiam Dei suscepit. Et nota quia non ait, ut destruatur membrum peccati, sed, *corpus.* Membrum enim peccati est unumquodque vitium, corpus autem peccati massam dicit vitiorum. Ostendit igitur hoc dicto, quia Dominus, non originale tantum, sed omnia peccata relaxat.

Ut ultra non serviamus peccato. Id est quia peccatis mortuis, sumus innovati, non jam peccato, sed Deo serviamus.

Sed quid est, quod sequitur ? *Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.* Si enim omnes qui mortui sunt justificati sunt, ergo omnes salvantur ; quomodo ergo verum est quod ipse alibi dicit : *Non est omnium fides ?* (*II Thess.* iii, 2.) Si enim non est omnium fides, nec omnes salvantur ; quia, ut idem dicit : *Sine fide impossibile est Deo placere* (*Hebr.* ii, 6). Constat igitur quia non de corporali, sed de spiritali morte Apostolus loquitur, quæ celebratur in baptismi sacramento, qua quisquis moritur, a peccatis justificatur, quoniam per Spiritum sanctum omnia ei peccata relaxantur. Et nota quod peccatum singulari numero pro plurali posuit. In baptismo enim non solum originale, sed etiam admissa laxantur.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Cum Christo mortui sumus in baptismate, quoniam ad mortis ejus similitudinem, aquis immersi, mortificati sumus peccatis ; et ideo credimus, quia simul etiam vivemus cum eo, quoniam, juxta ejusdem Apostoli vocem, *Si compatimur, et conregnabimus* (*II Tim.* ii, 12), et, *si socii passionis ejus fuerimus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* vi, 5).

Scientes quod Christus resurgens (212) *a mortuis, jam non moritur.* Christus resurgens jam non moritur, quia propriæ divinitatis virtute resurgens, mortis destruxit imperium et nobis vitam reparavit. Ad cujus mortis similitudinem, semel peccatis mortui, in eis amplius vivere non debemus. Aliter. Sicut Christus surgens a mortuis, jam non moritur, ita et nos semel baptizati, rebaptizari non debemus ; qui enim rebaptizantur, Christum sibimet ipsi crucifigunt, et ostentui habent. Unde ipse in epistola ad Hebræos : *Impossibile est* (213) *qui semel illuminati sunt, gustaverunt nihilominus donum cœleste, participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt etiam bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt; rursus innovari* (214) *ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi* (215) *Christum, et ostentui habentes* (*Hebr.* ii, 6). Ubi notandum quia, cum interdicit renovari, pœnitentiam non denegat, sed secundum baptismum prohibet.

Mors illi ultra non dominabitur. Hoc dicto illorum error destruitur, qui Dominum dicunt, non verum, sed phantasticum corpus habuisse ; neque enim illi vel semel mors dominaretur, nisi verum corpus sumpsisset.

Quid autem est, quod subditur ? *Quod mortuus est peccato, mortuus est semel :* cum Petrus apostolus de eo dicat, *Peccatum non fecit ?* (*I Petr.* ii, 22.) Ne ergo contrarium videatur, intelligendum est quia peccatum dicit carnis fragilitatem, quæ accidit propter peccatum. Quæcunque igitur Dominus gessit, non tam mystice exponenda, quam imitando sectanda sunt. Nam, quia crucifixus est, Apostolus docet : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v, 24), quia mortuus est idem alibi monet : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, id est, fornicationem, avaritiam*, etc. (*Col.* iii, 5). Quia sepultus nobis exemplum reliquit, ut consepeliamur ei in baptismo, unde supra ipse : *Consepulti enim enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, quia surrexit. Apostolus alibi dicit : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Ibid.*, 3), quia cœlos conscendit. Alibi docet : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite* (*Ibid.*, 1).

Quod autem vivit, vivit Deo. Filius Dei, in æqualitate Patris manens, exinanivit semetipsum formam servis suscipiens, in qua mortuus est et resurrexit, cœlosque ascendens sedet ad dexteram Patris. Et hoc est quod dicit Apostolus : *vivit Deo* : Deo enim vivit (quia in æqualitate Patris manet) (216).

Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu. His verbis

(211) Autogr. *asumatur.*
(212) In aut. *surgens*, sed per ea quæ sequuntur, liquet legendum *resurgens*, ut in Vulg.
(213) In Vulg. *eos* legitur inter verbum *est* et *qui*
(214) Vulg. *renovari.*
(215) Vulg. *sibimetipsis Filium Dei.*
(216) Verba hæc in infimo margine autog. eodem tamen charactere exarata leguntur.

admonet Apostolus ut, cum alicujus rei species, id est, mulieris, auri, vel argenti et cæterarum, aut inimici persuasio nobis irrepserit pestiferamque cogitationem genuerit, statim existimemus nos peccatis mortuos ; sic enim, favente Deo, venenosam cogitationem superare poterimus : fieri quippe nullatenus potest ut Deo et peccato vivamus. Ut ergo Deo vivere possimus, oportet peccatis moriamur. Et hoc est quod dicit, *viventes autem Deo in Christo Jesu. In Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, quia, sicut ipse dicit : *Nemo novit* (217) *Patrem nisi per me.* (218) *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Notandum quia non ait, non sit, sed non regnet. Quandiu enim in hac vita sumus, sine peccato esse non possumus. At in illis solummodo regnat, qui, dum concupiscunt, concupiscentiis præbent assensum ; unde mox subditur : *ut obediatis concupiscentiis ejus.* Mortale corpus, ut quibusdam placet, Apostolus, non propter hanc communem mortem appellavit, sed propter æternam damnationem ; sed de hac et de illa nihil obstat intelligi.

Igitur, ut ostenderet quid esset regnare peccatum, addidit : *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Sciendum quia singula sua habent officia ; quicunque ergo his perverse utitur, membra sua exhibet arma iniquitatis peccato, quia vires præbet diabolo, quo facilius occidatur.

Sed exhibete vos Deo (subauditur, vivos) *tanquam ex mortuis viventes*, id est, tanquam a mortuis resurgentes. Et est sensus : qui semel peccato mortui estis, ultra in eis velle vivere non debetis, instar eorum, qui resurrecturi sunt, quibus nec posse erit peccare.

Et membra vestra arma justitiæ Deo. Qui membrorum suorum officiis ordinate utitur, membra sua arma justitiæ Deo exhibet. Verbi gratia, si ad hoc versantur oculi nostri in capite ut concupiscant rapiantque aliena, arma sunt diabolo ; e contrario, si ad hoc versantur ut non concupescant, nec rapiant aliena, sed sua aliis distribuant, membra nostra gladium exhibemus Deo, quo et peccatum occidatur, et nos justificemur. Quod agentes peccati dominium vitamus. Unde mox subditur : *Peccatum enim vobis non dominabitur ; non enim sub lege estis, sed sub gratia*, id est, non estis parvuli, sed perfecti. Sub lege sunt qui legem carnaliter et implent et intelligunt ; sub gratia vero, qui eadem spiritaliter et intelligunt et implent. Ac per hoc datur intelligi quia multi sunt in lege qui sub gratia vivunt, et in gratia, qui sub lege vivunt. Sed poterant simplices et minus intelligentes ad hæc respondere : Si non sumus sub lege, sed sub gratia, quia non est lex quæ nos terreat et peccatum puniat' libere et secure peccare poterimus : ideoque Apostolus, quæstionem sibi proponens, ait : *Quid ergo?* (subauditur dicemus) *peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia?* Ac si diceret : Non ideo gratiæ subjecti estis, ut libere peccetis : gratia enim, quæ vos liberavit, qua ratione vos sinet libere peccare ? Et hoc est quod sequitur : *Absit.* Et, quoniam minus adhuc intelligentibus loquebatur, adjecit : *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ei cui obedistis* (219) ? Et est sensus : Vere scitis quia non alterius, sed ejus, cui servitis, servi eritis. Unde Dominus in Evangelio : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Quicunque ergo peccato serviunt peccati servi efficiuntur ; et qui justitiæ obediendo, servi obeditionis efficiuntur. Unde mox sequitur : *Sive peccati in mortem* (220), *sive obeditionis ad justitiam.* Et apte dicit : *sive peccati in mortem*, quoniam peccatum consummatum mergit in mortem. Pulchre etiam subdit : *Sive obeditionis ad justitiam*, quia quicunque divinis præceptis obediunt justitiam acquirunt, quoniam justificari merentur.

Sequitur : *Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde*, etc. Nota Apostolum non ideo gratias agere quod servi peccati fuerint, sed quia postea obedierint. Ex corde autem dicit, propter filiorum dignitatem ; aliter enim servus ; aliter mercenarius ; aliter filius ; servus timore, mercenarius studio mercedis, filius vero solo amore. Hi ergo ex corde obedierunt, quoniam filii Dei facti sunt. Sæpe etenim Deus, propter interioris hominis affectum ; suscipit munus exterioris ; quod manifestatur in libro Genesis, ubi legitur : *Respexit Deus Abel, et ad munera ejus* (*Gen.* IV, 4). Ad Abel dicit, id est, ad intentionem Abel.

Ad quid autem obedierint aperitur, cum subditur : *In eam formam doctrinæ, in qua* (221) *traditi estis* [subintelligitur, Deo]. Formam doctrinæ dicit exemplum Evangelii : quo dicto ostendit Romanos juxta ejus exemplum Domino obedisse in qua forma Deo traditi sunt, quia ejus filii effecti.

Liberati autem a peccato. Singularem pro plurali posuit ; unde subaudiendum est, omni. *Servi facti estis justitiæ.* Justitiæ dicit, id est, Domini Jesu Christi qui est justitia Patris, omniumque virtutum quæ in ipso interpretantur.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. (222) Hoc loco magnum suis auditoribus incussit pudorem. Quid vero sit hoc manifesta, subjungens : *Sicut exhibuistis membra vestra*, etc. Ac si diceret : Quid humanius, quid levius, quam ut, sicut fuistis prompti ad malum, ita sitis ad bonum ? Ego quidem multo majora a vobis exigere debui, et vos promptio-

(217) In autogr. sic legitur, *nemo novit ad Patrem.* Fortasse *nemo venit*, juxta illud Joan. cap. XIV, v. 6 : *Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

(218) In autog. marg. XVI ; cap. autem XV nullibi designatur.

(219) Vulg. *obeditis.*

(220) Vulg. *ad mortem.*

(221) Vulg. *in quam.*

(222) In autog. signatum invenitur *Dom. VIII post Pent.*

res ad bonum esse deberetis, quam ad malum fueritis ; sed propter infirmitatem vestræ caruis æqua requiro : id est, *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ* (223) *ad iniquitatem ; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Verbi gratia, sicut prompti fuerunt oculi vestri ad concupiscendum, ita sint ad miserandum. Sic et per cætera membra.

Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Liberos justitiæ dicit alienos a justitia. Unde datur intelligi quia sicut illa est laudabilis servitus, sic et detestanda libertas ; liberum namque justitiæ esse, detestanda libertas est, servum vero justitiæ, laudabilis est servitus quæ præcellit (224) omnem libertatem. Et notandum, quia liberum arbitrium, etiam in malis viget : unde mox ut suis voluptatibus satisfaciunt, liberi justitiæ fiunt. Alioquin non eos diceret Apostolus liberos justitiæ. Nam sciendum quia ita Deus primum hominem rectum condidit, ut in ejus voluntate et suæ rectitudinis statu sine ejus adjutorio permanere non posset ; suo tamen cadere posset conatu. Unde mox, ut suis desideriis satisfecit, corruit. Voluntas ergo Dei, etsi non fit ab illo, quotidie tamen fit de illo. Ille enim qui eum condidit, de illo, id est, de massa iniquitatis illius quotidie format alia vasa in honorem, alia vero in contumeliam ; vasa autem in honorem facit gratuita sua bonitate ; vasa in contumeliam, justo suo judicio et nobis occulto.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ? Hæc illis dicebat Apostolus, qui in præteritorum suorum malorum actuum recordatione confundebantur. Ac si diceret : Si nullum fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis, quare jactantiæ vitæ vestræ fluctus in altum erigitis, cum in vobismetipsis frangamur ? Quanto enim vos eadem superbos et elatos erigit, tanto humiles dejectosque reddit. Et notandum quia fructus in bono et malo ponitur. Unde Dominus in Evangelio : *Non potest arbor bona fructus malos facere*, etc. (*Matth.* VII, 18).

Nam finis illorum mors est. Finem dicit mercedem et retributionem ; finis itaque malorum operum mors est, quia peccata consummata generant mortem. Aliter : finis malorum operum, id est, terminus mors est sed, in baptismate : quicunque enim in baptismate aquis immersi moriuntur et ex aquis renascuntur, peccatorum suorum remissionem consequuntur. Et, quamvis hic sensus congruus sit, præcedens tamen congruentior est ; nam mox subditur : *Nunc autem* (225) *liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem ; finem vero vitam æternam*. Paulo superius ait : *libere fuistis justitiæ*, nunc vero *liberati a peccato*. Scilicet, ut cautelam servaret in verbis suis. Illic enim liberos alienos : hic autem liberatos ereptos dicit. Et apte dicit, *servi facti Deo*, quia qui peccatis moriuntur, servi utique Dei efficiuntur. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem ;* id est, in castimoniam quam Apostolus aliquando specialiter, aliquando cum cæteris virtutibus generaliter commendat. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem*. Et apte dicit (226) : *habetis fructum vestrum in sanctificationem*, quoniam, qui Dei servi efficiuntur, sanctificari merentur. *Finem vero vitam æternam*. Paulo superius ait finem, id est, mercedem malorum operum esse mortem ; hic vero retributionem bonorum dicit esse *vitam* : et, ne quis crederet temporalem, adjecit *æternam*. Quæ sit vita æterna, Dominus in Evangelio manifestat, dicens : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum*, etc. (*Joan.* XVII, 3).

Stipendium (227) *enim peccati mors*. Stipendium a stipite dicitur. Apud antiquos enim pecunia non enumerabatur, sed in stipite appendebatur ; milites ergo erant, qui stipendium accipiebant ; quibus non tam dabatur pecunia, quam merces reddebatur. Quicunque igitur peccato militant, quasi stipendium illis mors datur.

Gratia autem Dei vita æterna. Quia dixerat, *stipendium peccati, mors ;* consequens erat ut diceret, stipendium justitiæ, vita æterna. Noluit tamen, ne occasionem daret reprehendendi. Cur ergo ait, *gratia Dei, vita æterna ?* scilicet ut ostenderet quia bona sanctorum, non ipsorum sunt, sed Dei a quo dantur. Quotiescunque enim Deus electos remunerat, sua in eis dona remunerat, quia ipse eis dedit bona, pro quibus remunerentur. *In Christo Jesu Domino nostro*. Notandum quia frequenter Apostolus hanc clausulam suæ narrationi, et maxime in hac Epistola subjungit, volens ostendere, quia per Christum et Patris cognitio datur, et humano generi salus administratur.

(CAP. VII.) (228) Igitur, quia dixerat se suosque adjutores non esse sub lege propter quod et plurimum disputavit, ut hoc apertius ostenderet, subjunxit : *An ignoratis, fratres ?* Tanquam diceret : non ignoratis. (229) Cur autem non ignorarent ostendit, cum subdit : *scientibus enim legem loquor*. Ubi quærendum est, quomodo se scientibus legem loqui dixerit, cum Romanis loqueretur ; non enim Romani, sed Judæi a Deo legem acceperunt. Non tamen contrarium est, quia Romani jam Græci erant et ab Atheniensibus legem acceperant. Quid autem eis loqueretur ostendit, subjungens : *Quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit*. In quo notandum quia, cum dixit, *vivit*, subintelligi voluit, *peccato*. Lex enim in homine

(223) Vulg. *Immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem*.

(224) In autog. verbum istud compendiose scriptum est, ita *pcellit*. Sensus quidem tam unum quam aliud, id est, tam *præcellit*, quam *percellit* indicare potest, atque utroque contentus esse ; nisi quod, cum regat verbum *libertatem* in quarto casu, alicui *forte probabilius* videbitur, et satius intelligere *percellit*, quod quartum semper casum exposcit, quam *præcellit*, quod tertium.

(225) Vulg. *vero*.

(226) In autog., post verbum *dicit*, compendio ita scriptus est textus iste h. f. u. i. s.

(227) Vulg. *stipendia*.

(228) Vulg. c. VII.

(229) Autog. in marg. c. XVII.

dominatur, quanto tempore peccato vivti,quia tandiu ei dominatur,quo usque invenit quid in eo puniat aut plectatur.

Nam, quæ sub viro est mulier,vivente viro,alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Apostolus suæ narrationi similitudinem adjecit,ut facilius intelligatur.Sicut enim per creaturam Creator agnoscitur,sic aliqua res occulta per similitudinem manifestatur.Ait ergo,*nam, quæ sub viro est mulier*, etc. Quantum ad historiam manifestus est sensus,allegorice,virum dicit legis mandatum ; mulierem vero uniuscujusque animam,vel plebem. Sicut ergo, vivente viro suo, mulier subjecta est legi viri,sic et cuique lex vivit, id est, qui eam carnaliter intelligit et implet,vel qui sub peccato degit,astrictus est vinculo legis.Alioquin,solutus est a jugo legis,sicut mulier, mortuo viro,a lege ipsius *Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro ; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri,ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Sicut mulier, vivente viro, adultera vocatur, si fuerit cum alio viro, ita et cuicunque lex vivit, si transeat ad gratiam Evangelii, adulter est, non solum legis, sed etiam gratiæ ; legis,quia transivit ad gratiam ; gratiæ, quia, in ea manendo, legem carnaliter intelligit et implet.

*Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi.*Notandum, quia multum distare videtur hæc expositio ab illa similitudine quam præmisit ; illic enim virum dixit mori debere mulieri, ut soluta sit, hic vero mulierem dicit mortuam viro, id est, Romanos mortificatos legi.Sciendum autem quia Romanis occulta, imo intractabilis erat hæc similitudo, sed, ut aperiretur, idcirco noluit dicere legem exstinctam Romanis, sed Romanos legi. Quod tamen, etsi non dixerit, subintelligendum reliquit, quemadmodum superius,ubi ait:*Primum quidem,quia credita sunt illis eloquia Dei ;* secundum non dixit,sed subaudiendum reliquit.Quomodo mortificati sunt legi,manifestat: *per corpus Christi,*sed quomodo per corpus Christi ? Scilicet, quia in passione crucis ejus, omnes qui in eum credunt, simul cum eo crucifixi sunt.Unde superius: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.*Nam sciendum quia multum se offendit diabolus et fefellit,dum Christum innocentem occidit ; dum enim eum qui nihil morti debebat indebitæ morti tradidit,omnes quos debito mortis tenebat amisit.

Ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit. Sicut mulier, mortuo viro, absque fornicationis crimine transit ad alterum, ita, cui lex exstinguitur, liber transit ad gratiam Evangelii,ut sit alterius,Domini scilicet Jesu Christi, qui ex mortuis resurrexit.

*Ut fructificemus Deo.*Deo fructificat qui non solum fructus boni operis, (230) exemplo præbendo alios ædificat.*Cum enim essemus in carne,*etc.Quærendum est quare Apostolus se suosque successores dicit fuisse in carne, nunc autem non esse. An in carne non erat, cum hæc Romanis loqueretur ? Erat utique, et non erat. In carne erat, quoniam in carnis adhuc fragilitate manebat ; in carne non erat, quia in ipsa carnalium rerum non confidebat.Unde beatus Augustinus dixit : *Cum essemus in carne,id est,cum carnalibus desideriis teneremur astricti, passiones peccatorum, quæ per legem erant,* etc. Passiones peccatorum desideria carnis vocantur,quia continue nos,quandiu in hac vita sumus,affligunt et incitant ad peccandum.Sed quare per legem esse dicuntur, cum in lege prohibeantur ? Scilicet, quia quo in lege prohibentur, eo ardentiores et delectabiliores redduntur.

Operabantur in membris nostris, id est, ad peccatum pertrahebant, *ut fructificarent morti.*Morti fructificant, quia malæ locutionis vel operis exemplo alios destruunt.

*Non autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur.*Quid sibi vult quod lex mortis dicitur,cum mortem non gignat ? Si enim mortem gignit, mala est. Sed idem Apostolus alibi dicit (*Rom.* VII, 12) ; *Lex sancta et mandatum,* etc. Non ergo lex mortis ideo dicitur,quia gignit mortem, sed quia mortem ostendit. Non enim omnis res ipsum est quod demonstrat ; sicut medicina mortifera dicitur,non quia mortem ferat, sed quia venena mortifera demonstrat. Hinc beatus Augustinus dicit : « Lex peccati et mortis dicitur,quia peccantibus et morientibus proposita est. » Unde idem Apostolus alibi (*I Tim.* I, 9) : *Lex non est proposita justo, seu injusto.*

Ita ut serviamus in novitate Spiritus, et non in vetustate litteræ. In vetustate litteræ serviunt, qui legem carnaliter intelligunt et implent ; in novitate spiritus ambulant, qui præcepta divina spiritaliter tractant.Vel : illi,non in vetustate litteræ,sed in novitate spiritus ambulant qui exuunt veterem hominem cum actibus suis, et induunt novum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Igitur, quia dixerat,legem mortis,et multa videbatur loqui ad injuriam legis,imo ad destructionem, poterat aliquis dicere : ergo lex peccatum est.Ideoque sibi quæstionem proposuit, dicens ; *Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ?* Ac si diceret : Non est ita, ut dicitis. Non enim propterea lex mala, quia malum, id est peccatum demonstrat,quia non omnis res id ipsum est quod osteudit.Et hoc est quod dicit, *absit.* Ut autem ostenderet legis vigorem et quare data sit,adjecit : *sed peccatum non cognovi, nisi per legem.*Hic quærendum est utrum de lege scripta loquatur,an de lege naturæ.Quod autem de lege naturæ loquatur,nullus dubitat. Potest etiam de lege (231) scripta intelligi, nam unum sunt ; quod enim prohibet hæc et illa,id est,quod tibi non vis alii ne feceris.Si autem idem sunt, quare lex (232) scripta data est ? Scilicet,quia lex naturæ jam defecerat,et

(230) Ibi partic., *sed etiam*, vel æquipollentem addendam putarem, ne ita imperfectus sensus evadat.

(231) In autog. loco *scripta*, legitur *scriptura*.

(232) In autog., ibi pariter legitur *lex scriptura*.

liberum arbitrium pene fuerat annullatum(233).Homines ergo, quandiu in parva ætate sunt, et quid agendum quidve (234) non sit, ignorant, quasi deest illis lex ; et ideo peccatum quasi deest illis.Hanc igitur legem nescit infantia, ignorat pueritia. Hinc est quod puer maledicit patri et matri ; percutit parentes,nec tamen ei imputatur, quia deest lex.Sed quis hoc invenit ? Sapientia.Nunquid ergo mala est sapientia, quæ hoc invenit ? Absit. Verum ipsa sapientia sæpe per cognitionem vitiorum atque virtutum sibi invenit malum, dum sequitur malum.

Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Nota quia non ait, concupiscebam. sed *concupiscentiam nesciebam*, tanquam diceret : Erat quidem concupiscentia,et ego concupiscebam, sed naturale bonum esse putabam ; mox autem ut lex mihi cœpit dicere : *Non concupisces*, intellexi non esse naturale bonum, sed accidens malum. Magnum ergo bonum lex, quæ præcepit non esse concupiscendum ; sed hoc ejus viribus implere non possum.

Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. De qua occasione dicit ? Scilicet rationalis ætatis. Homines enim quandiu in parva ætate sunt,et quid agendum quidve non sit nesciunt ; deest illis peccatum,cumque veniunt ad rationabilis ætatis annos,quo scientes peccant eo atrocius punientur.Ideoque ait Apostolus ; occasione accepta, rationabilis scilicet ætatis, quasi diceret: cumque veni ad rationabilis ætatis annos,cœpi concupiscere,sed non omnia ; ut autem lex mihi dixit : *Non concupisces*,peccatum concupiscentiæ quod prius in me erat,quamvis nescirem,per mandatum legis quod concupiscentiam(235)prohibebat, operatum est in me omnem concupiscentiam, quia fecit me prævaricatorem legis : unde inventus fui in omnium rerum concupiscentia.Hinc beatus Augustinus dixit :« Minor erat concupiscentia,quando ante legem securus peccabas ; nunc autem,oppositis tibi obicibus legis, fluvius concupiscentiæ frenatus est, non siccatus : quæ te ducebat obicibus nullis,obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat quando tuam movebat libidinem ; omnis est,quando transcendit legem. Vis nosse quam magna sit? Vide quid rupit.Non concupisces ; non homo dixit,Deus dixit,etc.»

Sine lege enim peccatum mortuum erat. Quid est, mortuum erat ? Latebat,non apparebat ; quasi ignorantiæ tenebris sepultum jacebat.

Ego autem vivebam sine lege aliquando. Quid est quod se aliquando sine lege vixisse dicit ? cum alibi dicat : Quasi Israelita eram, Hebræus ex Hebræis, ex semine Abrahæ et tribu Benjamin, octava die circumcisus(236),non est contrarium ; quandiu enim in (237) parva ætate fuit, et quid agendum quidve non esset ignoravit, quasi deerat si lex naturæ ; ideoque peccatum nesciebat. Potest intelligi et de lege scripta. Nam, quamvis octava die circumcisus sit,et quædam alia legis sacramenta susceperit,quid tamen illa significarent ignorabat. Unde quasi sine lege vivebat.Congruentius tamen ita intelligitur(238): Ego autem vivebam sine lege aliquando, id est, in variis concupiscentiis constitutus ; sive me vivere putabam.

Sed cum (239) *venit mandatum, peccatum revixit.* Quid est,revixit ? Apparere,sentiri,rebellare cœpit. Et, quia (240) non ait, vixit, sed revixit ; in primo enim homine per transgressionem legis naturæ vixit peccatum,et eumdem primum captivavit,deinde in cunctis prævaricatoribus revixit.

*Ego autem mortuus sum.*Quare se mortuum dicit ? An non in carne erat ? Erat utique,quoniam in carnis fragilitate manebat ; sed mortuum se dicit,quia manifestus prævaricator factus est. Mortuus sum, dicit, id est,mortuum me esse cognovi,quia sciens peccavi. Quanto enim quisque sciens peccat, tanto atrocius punietur.

Et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Notandum quia non ait, datum est,quia secundum mandatum,non ad mortem,sed ad vitam datum est. Ait itaque, *inventum*, ac si dicat : Mandatum quod custoditum poterat esse ad vitam,non custoditum inventum est mihi ad mortem : ejus quippe transgressio gignit mortem.Unde consequenter adjecit : *Nam peccatum,occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit.* Qua occasione ? Rationabilis utique ætatis. Et apte ait, seduxit tanquam diceret : peccatum, accepta occasione rationabilis ætatis,suscipiens pretium carnalis delectationis fefellit me, et per illud occidit, dum mandatum legis me transgredi fecit.Et,quia poterat aliquis dicere : Ergo mala est lex quæ suo mandato hominem occidit,extemplo in laudem ejus exsilivit, dicens : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum,et justum,et bonum.*Lex sancta est,quia observatores suos sanctos efficit.Similiter et mandatum, quod sua sanctitate,justitia et bonitate suos observatores sanctos, justos et bonos reddit, et præcipit non esse concupiscendum.Rursus aliquis dicere poterat : bonum ergo legis mandatum tibi factum est malum ? Hunc præveniens,subjungit : *Quod ergo bonum, mihi factum est mors ?* Quasi diceret : Non ita est, ut asseris ; non enim boni mandati, sed meo vitio morior,dum mandatum legis transgredior.Lex quippe non est mors, sed legis transgressio gignit mortem, et hoc est quod infert : *absit.*

Sequitur : *Sed peccatum, ut appareat peccatum,*

(233) Scilicet propter ignorantiam eorum quæ licerent, vel non.

(234) Autog. *Quid vero.*

(235) Autog. *concupiscentia.*

(236) *Ad Philip.* III, 5. *Circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus.*

(237) Ut veritati usque ad scrupulum serviam, *obiter hic dictum sit, quotiescunque* usque adhuc epitethon hoc *parva* in autog. reperire fuit, semper *prava* scriptum adinventum fuisse.

(238) Textus hic hac vice,hocque loco ita scriptus invenitur : *Ego aus. l. a.*

(239) Vulg. *venisset.*

(240) Fortasse *quare* cum puncto interrogationis post verbum *revixit*.Vel ita more indicativo, *et ecce quia*,etc.,Alioquin minus absolutus sensus videtur.

per bonum mihi operatum est mortem. Hic animadvertendum, quia non ait, ut sit, sed ut appareat tanquam. diceret. Erat peccatum, sed non apparebat, ut autem appareat peccatum, per bonum legis mandatum operatum est mihi mortem : dum enim mandatum transgredior mortem incurro,et peccatum magis manifestatur. *Ut fiat supra modum peccatum* (241) *peccans per mandatum*. Quomodo fit peccatum supra modum peccans per mandatum Quia, quo aliquid in lege prohibetur,eo ardentius amatur et mandatum minus custoditur.Beatus vero Augustinus dicit,peccatum fieri supra modum peccans per mandatum,quia non solum peccatum est, sed prævaricatio (242) ; minus enim est peccatum dum sine mandato quis peccat ; cum vero secundum (243) mandatum, modo excedit. (244) *Scimus enim quia lex spiritalis est*. Lex spiritalis est spiritalibus carnalibus vero carnalis. Illis enim spiritalis est qui eam, spiritaliter tractant et custodiunt ; carnalis vero illis qui eam carnaliter intelligunt et implent. Quod autem eis carnalis est, non ejus, sed illorum est culpa qui ea carnaliter utuntur.

Ego autem carnalis sum. Quid est,quod se carnalem dicit,cum superius se suosque adjutores non esse in carne, sed in spiritu dixerit ? Quapropter sciendum quia in carne non erat,quoniam in spe carnalium rerum non confidebat,sed,carnalis sum, dicit, id est, mortalis. Quod utique si diceret, recte omnino diceret. Sive, carnalem se dicit, quia in spe futuræ resurrectionis carnalis absque ambiguitate confidebat. *Venundatus sub peccato*. Quid est, quod dicit se venundatum sub peccato cum jam redemptus esset ? Venundatum sub peccato dicit quia in carnis fragilitate manebat, quam primus homo incurrit Dei transgrediendo præceptum. Accepto enim pretio carnalium voluptatum,se diabolo subdidit ; et venundatus sub peccato,omnes venundatos genuit : in qua venundatione omnes manent etiam post Christi baptisma. In baptismate enim, licet peccata laxentur carnis tamen fragilitas manet usque ad diem resurrectionis. Christus igitur ab utraque venundatione redemit, animæ scilicet et corporis. Unde pulchre Redemptor dicitur ; a venundatione namque animæ liberat, cum in baptismate peccata relaxat ; a corporis vero redimet cum nos a mortuis resurgere faciet.De hac redemptione alibit dicit:*Adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri* (*Rom.* VIII, 23).

(241) In Vulg. non *peccatum peccans*, sed *peccans peccatum* inverso ordine legitur.

(242) In Propositt. huj. ep. ibi : *ubi non est lex, nec prævaricatio.*

(243) Partic. *per*, quæ perperam,imo contra sensum jacere videbatur,quæque inter verba *secundum* et *mandatum* jacebat, expungendam putavi.

(244) In Autog. marg., cap. XVIII.

(245) In Autog. textus hic,ut et alii supra, compendiose scriptus ita legitur: *ego autem c.s.u.s.p.r.* litteras scilicet primas quinque, utpote initiales verborum citati textus facile mihi fuit interpretari ; ultimam vero *r.*, cui bono scriptam dixerim. nescio.

(246) Textus hic, æque ac supra. opo initialum

A Beatus vero Augustinus ita exponit : *Ego autem* (245) *carnalis sum venundatus sub peccato*,id est, peccans pretio carnalium voluptatum.

Quod enim operor non intelligo.Quomodo non intelligit, si operatur ? Aut, quis operari potest, quod non intelligat ? Ita ergo accipiendum est: *quod enim* (246) *operor, non intelligo*, id est non approbo, non desidero non laudo, non mihi placet ; sic enim dictum est,sicut Dominus in Evangelio dicit: *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12), id est, non approbo. Aliter. *Quod operor, non intelligo* : id est, legis præcepto parere cupio sed meis viribus implere noc possum.

Non (247) *enim quod volo, hoc ago*. Id est, nolo concupiscere,sed concupisco. Et hoc est qaod sequitur : (248) *Sed quod odi, illud facio*. Id est, nolens concupisco. Aliter. *Non quod volo, hoc ago,sed quod* B *odi, illud facio ;* id est,in malo, quod abesse cupio, vocatus (249) invenior.Poterant itaque aliqui suspicari et dicere Apostolum usque ad peccatum venisse et peccasse.Ideoque subjungit : *Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona*. Sed, quomodo legi consentiebat,si quod nolebat agebat ? Videlicet, quia lex bona, et voluntas ejus bona.Et est sensus : cum lex præcipit : Non concupisces.et ego nolo concupiscere ; dum hoc volo quod lex vult,mea, et legis una monstratur esse voluntas. Aliter : Lex præcepit non concupiscere, ego autem concupisco; sed quia rursum lex dicit : post concupiscentias tuas non eas, et a voluptatibus tuis avertere ; dum concupiscentiis resisto, et voluptates meas non sequor, mea et legis una probatur esse voluntas.

C *Nunc autem jam non ego operor illud*. Notandum quia non ait : *Ego autem non operor illud*, sed,*nunc autem jom non ego operor illud*, quod dicto ostendit quia,quandiu sub lege erat,libenter concupiscebat; postquam vero redemptus est,divina gratia adjutus, etsi concupiscebat, tamen fortiter resistebat. Ait ergo ; *nunc autem*, id est, divina gratia liberatus, *non ego operor illud ;* id est, nolens pecco. Poterat ad hæc aliquis dicere : quis ergo operatur ? Unde confestim adjecit : *sed,quod habitat in me,peccatum*. Peccatum dicit carnis fragilitatem in quam primus homo incidit propter peccatum.Rursus objici poterat : unde scis quod non tu opereris,sed peccatum quod in te habitat ? Unde confestim subjunxit:*Scio enim,quia non habitat bonum in me ;* et,ne dubium D esset quod ait, *in me*, exposuit : *hoc est, in carne mea. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum*

litterarum scriptus est, ita : *quod enim o. n. o.*

(247) Vulg. ita habet : *non enim quod volo bonum hoc facio.*

(248) Vulg. ita : *sed quod nolo malum,hoc ago.*

(249) Verbum istud *vocatus* in Autog.,non omnino clarum ; primæ enim duæ litteræ aliquantisper, et meo judicio, data opera, obliteratæ sunt,inter duas vero sequentes litteras *c,a*,aliquanto altius littera *o* inspicitur, ita : Voc$^{o}_{a}$tus. Forsitan non *vocatus*, sed *coactus* legendum, quod majorem lucem ex his quæ legentur ad repetitionem hujusce textus paulo inferius positam desumet, cum scilicet *coactus concupisco* clarissime scriptum habebitur.

non invenio. Notandum quia non ait, facere, sed perficere quasi diceret : adjacet velle, id est,nolle concupiscere; adjacet facere, id est,concupiscentiis resistere,sed non adjacet perficere,id est, sine concupiscentiis esse. Cur ergo hoc mandatum est datum, si perfici non potest ? Quia, etsi in hac vita sine concupiscentia vivere non possumus: *Quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam,et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 14), perficietur tamen in futuro, cum erimus Deo et angelis sociati. Ut autem ostenderet quomodo perficere non inveniret, adjecit : *Non enim quod volo bonum, hoc ago sed quod nolo malum hoc facio*.Sed,quod est malum quod nolens agebat? Concupiscere. Sicut et bonum, quod volens agere non poterat,est sine concupiscentia esse.Unde beatus Augustinus : Quod nolo malum, hoc ago,id est, concupisco ; sed non vincor, quia malæ concupistiæ non assentio. Idem vero B: Augustinus dicit, quia malum quod agere nolebat et agebat, libido erat.Do quo malo alibi dicit : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet* (*II Cor.* XII, 7). Libidinem quippe suis viribus vincere volebat; sed quia non potuit,idcirco exclamavit : *non enim quod volo bonum*, etc.

Si autem quod noto illud facio id est coactus (250) *concupisco* ; *jam non ego operor illud*. Quod dicit *jam* superius accipiendum est.Et quia poterat dici: quis ergo operatur ? subjunxit : *sed,quod habitat in me, peccatum*, id est, carnis fragilitas ; hanc enim voluit peccati nomine designari.

Quid vero est quod Apostolus nunc se non operari, nunc se operari dicit, nisi quia operabatur concupiscentiis resistendo ? Operabatur fragilitate non operabatur voluntate ; operabatur carne, non operabatur mente.

Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet. Et est sensus : mihi volenti facere bonum, invenio legem bonum. Lex enim bonum est, quia bona prædicat. Sed hoc bonum meis viribus implere non possum, quoniam malum mihi adjacet, id est, carnis fragilitas ad malam concupiscentiam cogit. Et quia obscura erant quæ dixerat,quasi exponens,subjunxit ; *Condelector enim legi Dei*, etc. In quibus verbis notandum quia quatuor legum facit Apostolus mentionem : Dei, mentis, peccati et membrorum. Hæ autem quatuor duæ sunt ; nam lex Dei et mentis una est ; membrorum et peccati similiter una.

Sed quando ortæ sunt hæ leges ? Scilicet, cum primus homo in paradiso legem Dei transgressus est ; *Ut de omni ligno paradisi comederet ; de ligno autem scientiæ boni et mali non comederet* (*Gen.* II, 16, 17) ; tunc enim cœpit esse iste conflictus. Cur autem illa mala, id est, membrorum et peccati lex dicitur ? Quia legitime factum est ut, homini qui noluit obedire Deo suo,non obediret caro ipsius.Ex pœna quippe peccati descendit.Et est sensus : *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem* (251) Condelector legi Dei secundum hominem, id est, nolo concupiscere. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, id est, *coactus* (252) concupisco. Captivantem dicit, captivare volentem, vel certe ad exteriorem hominem refertur, qui quotidie corrumpitur. In eo sane quod homo secundum interiorem hominem legi Dei condelectatur, magna Dei miseratio ostenditur ; exterior enim homo quotidie corrumpitur ; interior vero divina miseratione inspiratus proficit et innovatur de die in diem.

Infelix ego homo ! Quia viderat Apostolus hoc bellum sibi inesse, quærens refugium,nullum in se reperire potuit ; ideoque exclamavit : *Infelix ego homo !* Infelicem se dicit, propter carnis fragilitatem, in qua manens, etiam nolens concupiscebat. Sed,cum omnes moriantur, tam boni quam et mali, pii et impii,quod manifestat extremus dies illorum; quid sibi vult quod Apostolus subdit: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* ? Et hoc pro magno (253) gratiæ Dei tribuit. Sed notandum quia non ait tantum, *de corpore mortis* verum addidit, *hujus*. Mali enim,etsi liberentur de corpore mortis hujus, tamen revertentur ad corpus mortis hujus, quoniam mortui ad supplicium deducentur; cumque resurrexerint, etsi immortalia corpora recipient, tamen corruptibilia,cum quibus sine fine cruciantur. Soli ergo electi de corpore mortis hujus liberantur, quoniam,dum moriuntur, ab hoc conflictu liberati, ad gaudium transeunt,et resurgentes,corpora incorruptibilia et immortalia recipient, cum quibus sine fine lætentur.Igitur unum solum gratiæ Dei (254) refugium invenit, ideoque subjunxit:*gratia Dei* , ac si diceret : Non meis viribus, non meo conatu, sed Dei miseratione liberabor. Et pulchre subjungit : *per Jesum Christum Dominum nostrum*, quoniam, sicut per unum mors, ita et per unum resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.Igitur, quasi diceret aliquis : quæ est hæc mors, (pro qua tantum a corpore liberari desideras ? Continuo addit : *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem, legi peccati*, hæc est mors) (255). Quod dicif, *ego ipse*,intelligendum est,ego et non alius : prævi-

(250) *Coactus* fortasse legendum etiam in superiori nota, ubi ad hunc eumdem textum non omnino clare *vocatus* legitur.

(251) In autog. quatuor verba hæc post notam ita scripta sunt compendiose. *e. l. d. s. h.*

(252) En iterum repetita eadem verba, per quæ confirmatur intelligentia expositionis unius ex notis paulo superioribus ad verba *vocatus invenior*.

(253) Epitethon *magno* truncum sensum sinere videtur. Ex his igitur quæ sequuntur arguere est addendum substantivum nomen fortasse *beneficio*, vel potius *refugio*, juxta id quod inferius habetur : *igitur unum solum gratiæ Dei refugium invenit*.

(254) Confer verba hæc cum nota superiori.

(255) Hæc verba, in margine inferiori autog. leguntur.

dit enim per Spiritum sanctum, futuros hæreticos, qui dicerent naturam animæ esse a Deo, carnis vero a principe tenebrarum; ideoque ait, *ego ipse*, tanquam diceret : non est ut asseritis; non enim duæ et contrariæ in me sunt naturæ, una a Deo, altera a tenebrarum principe, sed ego ipse, unus idemque homo carne servio legi peccati, scilicet concupiscendo; mente vero, legi Dei, id est, concupiscentiis resistendo. A

Poterat ad hæc aliquis dicere : quia carne legi peccati servis, propter hanc servitutem aliquid damnationis acquiris, an non? Ideoque subjunxit : (256) (Cap. VIII.) *Nihil ergo* (257) *nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, etc. Ac si diceret : (258) nihil mihi damnationis est : nec solum mihi, sed et omnibus qui sunt in Christo Jesu, *qui non secundum carnem ambulant*. Illi secundum carnem non ambulant, qui, etsi concupiscunt, concupiscentiis tamen fortiter resistunt, et idcirco in Christo Jesu sunt; quique, etsi ante baptismum, concupiscentiæ præbuerunt consensum, aut aliquod flagitium commiserunt, per sacramentum tamen baptismi et lavacrum regenerationis totum in eis deletum est, ideoque nihil est eis damnationis. Et tanquam quæreret aliquis quomodo a damnatione liberatus sit, addidit : *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis*. Ecce Apostolus tertiæ legis mentionem facit. Sed quæ est hæc lex spiritus et vitæ? Hæc est lex fidei et misericordiæ; lex hæc est gratiæ Evangelii, quæ ideo *lex vitæ* dicitur, qui a morte liberat; *lex spiritus*, quia vivificat. Quomodo autem hæc lex a lege peccati et mortis liberat? Scilicet per baptismum remissionem omnium tribuendo peccatorum; liberat etiam a lege corporeæ mortis, quoniam sancti, etsi in corpore maneant, per spem a morte carnis jam liberati sunt, quia quandoque resurrecturi sunt. Et, quia lex Evangelicæ gratiæ neminem liberat, nisi per Christum Jesum, ideo ait : *Spiritus vitæ in Christo Jesu*. B C

Ut autem ostenderet quomodo id factum sit, adjecit : *nam quod impossibile erat legi*, etc. Ecce Apostolus jam quartæ legis mentionem facit. Sed quæ est hæc? Nunquid lex mentis aut membrorum atque peccati? Non utique, sed lex factorum et operum; lex hæc est quæ populo Dei per Moysen data est in monte Sina, de qua superius : *lex quidem sancta*. Quid ergo erat huic legi impossibile? ut suum auditorem obedientem et perfectum faceret, quoniam lex hæc neminem ad perfectum adducit. Hinc beatus Augustinus dicit, quia huic legi impossibile erat liberare a lege peccati et mortis. D

Quare autem impossibile esset, ostendit cum subditur : *in quo infirmabatur per carnem*. Jubebat enim, sed non adjuvabat; infirma præcepta dabat, sed non sanabat. Per carnem vero dicit, per carnis intelligentiam; nam lex spiritaliter intellecta eadem est et gratia Evangelii.

Deus Filium suum mittens in similitudine (259) *carnis peccati*. Dicendo *suum*, ostendit quia et priusquam mitteretur Filius erat. Et nota quia non ait : *In carne peccati, sed in similitudine carnis peccati :* Filius enim Dei veniens, non carnem peccati de Virgine, sed similitudinem carnis peccati suscepit. In carne quippe peccati, mors simul est et peccatum; in similitudine vero carnis peccati, sola mors quam Dominus pro nobis pertulit, nullum omnino habens peccatum; unde Petrus apostolus : *Peccatum non fecit* (*I Petr.* II, 22), etc.

Et de peccato damnavit peccatum in carne. Quid sibi vult quod ait, *de peccato*, cum Petrus dicat, quia peccatum non fecit? Sed sciendum quia mos fuit in Veteri Testamento ut omne sacrificium pro peccato peccatum diceretur. Tale sacrificium factus est Dominus, cum seipsum pro nobis in ara crucis obtulit. Unde idem Apostolus alibi dicit : *Eum, qui* [*non*] (260) *noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit* (*II Cor.* v, 22), id est hostiam pro peccato. De carne ergo, quam de Virgine sine peccato sumpsit, nunquam peccando, omne in nobis peccatum damnavit, cum eam (261) pro peccato Patris sacrificium fecit.

Ad quid peccatum damnaverit, aperitur cum subditur : *Ut justificatio legis impleretur in nobis*. Justificationem legis dicit spiritalem in lege intelligentiam. Justificatio ergo legis in nobis impleta est, cum legem spiritaliter intelligentes, per lavacrum baptismi et gratiam sancti Spiritus justificati sumus. Et ne dicendo, *in nobis* omnes comprehendisse videretur, addidit : *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*, de quibus paulo superius dictum est.

Qui enim secundum carnem sunt quæ carnis sunt sapiunt. Secundum carnem sunt qui inimico vicem reddunt, aliena rapiunt, et sua non largiuntur et alia his similia agunt; ideoque quæ carnis sunt sentiunt; e contrario, illi secundum spiritum sunt qui ista non agunt, sed, Spiritu sancto adjuvante, terrena despiciunt, et cœlestia appetunt, de quibus subditur : *Qui vero secundum spiritum quæ sunt spiritus sentiunt*. Caro enim de terra facta est; spiritus de cœlo datus est, et idcirco singula sua loca requirunt. Unde si contingat ut caro a spiritu superetur, totus homo dicitur spiritalis; at si spiritus a carne, totus vocatur carnalis. *Nam prudentia*

(256) Hic incipit Vulg. c. VIII.

(257) In Autog. verbum *ergo* hujusce textus signatum est eo signo, quod expungendis verbis subesse solet. Supra ipsum autem scriptum legitur verbum *nunc*. Post verbum vero *est*, ante alterum quod subsequitur *iis*, legitur *nec;* quod similiter subsignatum est eodem signo, quo verbum *ergo* expungendum denotatur. Illud tamen notandum, scilicet verbum *ergo* etiam in Vulg. aliisque textibus legi; verbum vero *nec* nuspiam.

(258) In Autog. marg. *D. VII. II, p. P.*

(259) Vulg. *similitudinem*.

(260) Deficit partic. *non* autog.

(261) In autog. legitur *ea;* sed *eam*, id est carnem legendum putavi.

carnis, mors est (262). Prudentia carnis propria est terrena diligere et cœlestia despicere; et ideo mors esse dicitur, quoniam mortem ingerit. *Prudentia vero spiritus, vita et pax.* Prudentia spiritus est temporalia contemnere et æterna appetere. Hæc prudentia vita dicitur, quia vitam confert; pax vero, quia in pace quiescere facit. Nam, quamvis multa temporalia damna sanctis ingerantur, tamen, dum temporalia cuncta despiciunt, in pace quiescunt. Vel, pax dicitur, quia ad cognitionem veræ pacis, quæ Christus est, perducit.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Sapientia carnis eadem est et prudentia ejus quæ, quia Dei præceptis non obedit, sed ejus mandatis contradicit, inimica Deo dicitur, quoniam, sicut ipse in Evangelio dicit, *si quis diligit me,* mandata mea (263) *servabit* (*Joan.* XIV), 23); ideoque *legi Dei non subjicitur* (264). Charitas quidem legi Dei subjicitur, quia lex Dei esse probatur; cupiditas vero, quæ est sapientia carnis, non subjicitur, quoniam, si ex altera parte videat justitiam et æquitatem, ex altera commodum terrenum; magis hoc adipisci desiderat quam justitiam et æquitatem servare.

Sed quid est quod subditur : *nec enim potest?* Nunquid non potest homo subjici legi Dei? Potest utique; sed prudentia carnis non potest : est enim mentis corruptio et vitium, non a Deo creatum, sed a diabolo inventum; homo vero sanari vitio potest. Verum quid est quod subditur : *qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt?* Annon et Apostolus et Romani in carne erant? An non omnes sancti martyres in carne positi Deo placuerunt? Sed sciendum quia illi carnem portabant; non portabantur a carne. In carne vero illi sunt, qui opera carnis faciunt,qui carnalibus voluptatibus oblectantur, et idcirco Deo placere non possunt. Ne ergo scandalizarentur Romani, putantes Apostolum dixisse illos solum Deo placere, qui jam occubuerant, idcirco subjecit, volens eos ad meliora incitare : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* In spiritu sunt qui opera bona, non suo, sed sancti Spiritus adjutorio implere posse confidunt. Ideoque subjunxit : *Si tamen* (265) *Spiritus Dei habitat in vobis;* id est, si Spiritu Dei agitamini, si Spiritu Dei docemini.

Igitur, ne Romani pro parvo ducerent Spiritum Dei habere, subjunxit : *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus;* ac si diceret : non contemnatis, neque pro parvo ducatis Spiritum Christi habere,quoniam aliter ejus esse non potestis. Spiritus Christi idem est et Spiritus Dei, quoniam Patris, et Filii unus est Spiritus. Illi ergo Spiritum Christi habent, qui Christum diligunt, et ejus præcepta custodiunt; ideoque Christi sunt, quoniam Christus in eis manet. Ipse enim dicit : *Qui diligit me* (266), *mandata mea servabit, et Pater meus diliget* (267) *eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Ibid.*). Ubi autem manet Pater, et Filius, ibi et amborum Spiritus sanctus. Qui vero male resistunt, maledicenti maledicunt et cuncta hujusmodi agunt, Spiritum Dei non habent, ideoque non sunt ejus. Unde restat ut sint alterius, id est diaboli, quia cujus opera quis facit ejus filius appellatur.

Et ut ostenderet Apostolus quantum munus sit Christum habere, subjecit : *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum,* etc. Ubi notandum quia non ait, propter terrenam fragilitatem; primus enim homo non ideo mortuus est, quia de terræ pulvere factus est, sed quia peccavit. Talis namque a Deo plasmatus est ut, si non peccaret, ad angelorum dignitatem, etiam sine morte, transiret. Liberum quippe arbitrium illi concessum est ut, si vellet, non peccaret, imo peccare non posset. Quoniam, cum prædestinatorum numerus esset impletus, ipse cum omnibus qui ex eo crearentur, ad angelorum soliditatem (268) transiret : sed, quia magis elegit peccare (269), mortuus est, et omnes, quos genuit, mortuos genuit; ideoque ait Apostolus : *Corpus mortuum est propter peccatum* (270). Notandum est etiam quia non ait *moriturum*, sed *mortuum*, quoniam, etsi corpus uniuscujusque vivere videatur, jam tamen mortuum est, quoniam in eo necdum innovato per resurrectionem, peccati meritum, id est mortis necessitas manet.

Spiritus vero vita (271) *propter justificationem.* Justificationem illam dicit quæ in baptismo celebratur. Anima enim alicujus fidelis in baptismo relaxatis peccatis, per gratiam sancti Spiritus vivificatur, ideoque vita est. Sed poterant Romani ad hæc dicere : Ecce Spiritum Christi habemus, quod manifestatur ex integra et catholica fide quæ in nobis est, et ex dilectione justitiæ, quid erit de (272) illa carne mortali, et de lege quæ est in membris nostris

(262) In autog. marg. c. XIX.

(263) Vulg. non *mandata mea*, sed *sermones meos.*

(264) Vulg. *non est subjecta.*

(265) Sunt et alii textus qui, loco *si tamen*, habent *si quidem;* quæ certe lectio magnam differentiam parere posset. Adverbium enim *tamen* conditionem indicat, sine qua in spiritu non esse posse Romanos assereret; adverbium vero *si quidem*, si separatim, id est diviso *si* a *quidem* sumatur, idem etsi minus arcte, significare posset; non ita vero, imo diversum omnino sensum sortiretur textus; si unitim *siquidem* legeretur, quod absolutum sensum faceret, id est Romanos in spiritu vere positos esse, siquidem, id est quia Spiritus Dei habitaret in eis.

(266) Vulg. *sermonem meum.*

(267) In autog. *diligit.*

(268) Soliditatem, id est vitam æternam, immarcescibilem, et hoc sensu solidam, nisi *felicitatem*, vel *soliditatem* scribi debuisse alii judicent, ubi tamen *sodalitatem* clarissime legitur.

(269) In Autog. *peccare, ruere* legitur.

(270) Ibi perperam repetitæ leguntur initiales litteræ hujusce textus ita : *m. c. p. p.*

(271) Vulg., loco *vita*, legit *vivit;* sunt tamen et alii textus, in quibus legitur *vita est.*

(272) In autogr., loco *de* legitur *die*, quod sane optime legi posset, si præpositio *de*, quæ deest ante verbum *carne* adderetur.

repugnans legi mentis nostræ? Ut ergo ostendat Apostolus magnum donum redempto homini esse collatum, respondit ad hæc : *Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Tanquam diceret : magnum utique munus redempto homini collatum (273) est, quoniam non solum anima relaxatis peccatis in præsenti vivit, sed etiam corpus vivificabitur et ad immortalitatis gloriam transibit. In eo sane quod dicit qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, Deum Patrem vult intelligi; non tamen ipse solus eum suscitavit, sed et Filius, et Spiritus sanctus, quia totius Trinitatis una est operatio. Et nota quia non ait mortua corpora, sed *mortalia*. Adam enim in paradiso mortalis erat ante peccatum, quia mori poterat, si peccaret; sicut et mortuus est, cum peccavit. Sic enim mortalis dicebatur priusquam peccaverat, sicut corpus infirmitate carens ægrotabile dicitur, non ægrotum. Quod si contigerit ut absque infirmitate occumbat, ægrotabile recte dici potest, et non ægrotum. Sic itaque sancti, etsi mortalia agerent corpora, propter mortis necessitatem, in spe tamen immortalia habent, quale habuit Adam ante peccatum, quia spem acceperunt a Deo, et firmissime credunt quia resurrecturi quandoque ad angelorum dignitatem transibunt, ad quam primus homo, nisi peccaret, sine morte veniret. Tunc jam, nec mortua, nec mortalia corpora habebunt, quia, nec mortis necessitas illis inerit, nec posse peccare; quod tunc fiet, cum impletum fuerit illud quod propheta dicit : *Absorpta est mors in victoria* (*Ose.* XIII, 14); id est, *cum mortale hoc induerit immortalitatem et corruptibile incorruptionem* (*II Cor.* XV, 53, 54)' Igitur, quia magnum munus homini collatum (274) ostendit : idcirco subdidit : (275) *Ergo, fratres, debitores sumus*, etc., quia absolute ait *debitores*, ne quis putaret carni, addidit *non carni, ut secundum carnem vivamus*. Carni debitores sunt qui ejus concupiscentias sequuntur; quod quantum sit malum ipse ostendit, subjungens : *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini;* id est, si secundum vos ipsos vixeritis. Primus enim angelus, quia secundum se vixit, ideo corruit. Quod dicit *moriemini*, non de morte corporis, sed potius animæ, vel æternæ damnationis est accipiendum.

Poterat ad hæc aliquis dicere : si non carni, cui ergo rei debitores sumus? Ad hæc quasi respondet Apostolus : *Spiritui*, quoniam non illi rei debitores sumus, secundum quam morimur, sed secundum quam vivimus. Hoc enim vult quod subjungit : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Facta carnis, dicit opera carnis, de quibus alibi : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, id est fornicationem*, etc. (*Col.* III, 5). Illi spiritu facta carnis mortificant, qui, Spiritu sancto operante, vitia et peccata in semetipsis exstinguunt, et corpora sua castigant, et in servitutem redigunt (*I Cor.* IX, 27), ideoque vivent, non tam vita corporis quam vita animæ et æternæ beatitudinis. Et quasi dicerent : unde probabimus Spiritum Dei in nobis esse? Subjungit : *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei.* Et est sensus : hæc est vera probatio filiorum Dei, si spiritu Dei aguntur. Spiritu Dei illi aguntur, id est, ducuntur, qui Spiritus sancti gratia ad suæ mentis compunctionem ad lacrymas et cætera his similia excitantur, et ideo filii sunt Dei.

Magna autem dignitas hominibus collata est, quoniam qui non erant digni ut vocarentur servi Dei, tantam potestatem acceperunt ut sint et vocentur filii Dei (*I Joan.* III, 1). Itaque qui Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur : quoniam idem Apostolus ait : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum* (*supra*, V, 3). Unde mox subjungit : *non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem* (276). Nam, ut Joannes dicit : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18).

Sed quid est quod ait *iterum?* id est, sicut in monte Sina, quo dicto ostendit eos fuisse sub lege. Dicit aliquis : alter fuit spiritus in Veteri Testamento datus populo Dei, et alter in Novo : quod si esset, nequaquam Apostolus *iterum* diceret. Idem ergo est spiritus servitutis et libertatis; sed spiritus timoris et servitutis in tabulis lapideis; spiritus amoris et libertatis in tabulis cordis.

Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum; id est, Spiritum sanctum, per cujus gratiam fideles, dimissis in baptismate peccatis, adoptivi filii Dei efficiuntur. *In quo clamamus: Abba* (*Pater*). Quædam exemplaria *clamantem* habent, quod est, clamare facientem. Expositio est ergo quod in nostris exemplaribus invenitur. Clamor autem iste, non oris aut faucium est, sed cordis. *Abba* Syrum est et Hebræum; *pater*, Græcum et Latinum. Clamamus ergo in spiritu : *Abba, Pater*, cum orantes dicimus : *Pater noster*, etc. Sed quare utrumque posuit, cum unum sint? Scilicet, quia prævidit multos ex utroque populo ad unam Christi fidem venturos. Propter lapidem ergo angularem utrumque posuit, ut quæque gens haberet quomodo in sua lingua Deum glorificaret.

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Nota, quia non ait tantum *Spiritus*, sed præmisit *ipse*, id est, in quo clamamus : *Abba, Pater*. Spiritus quippe sanctus arrha nostra est, quia pignus nobis suæ gratiæ contulit pro re quam sumus accepturi. Ideo dicit : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro;* in eo enim testimo-

(273) Autog. *collocatum*.
(274) Iterum in Autog. *collocatum*.
(275) Hic in Autog. marg. legitur Dom. X. post Pent.
(276) Vulg. *timore*. Alii vero textui nostro consentiunt.

nium reddit spiritui nostro quod filii Dei simus, quia pignus nobis suæ gratiæ contulit; quod utique non conferret, nisi filii Dei essemus.

Igitur, quia filiis debetur hæreditas patris, addidit : *Si autem filii, et hæredes*. Filiis quippe patris hæreditas debetur. Sed non sicut filiis hominum, ita filiis Dei. Homo namque filiis suis hæreditatem relinquit, quam cum illis possidere non potest: Deus autem filiis suis hæreditatem donat, quam cum illis in æternum possidebit; imo ipse est eorum hæreditas, sicut Psalmista dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV, 5).

Sed, ne putaret quis parvum esse hæredes Christi, subjunxit, quod magis gaudeamus : *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Cohæredes Christi sumus,quoniam corpora nostra configurabuntur corpori claritatis ipsius (*Philipp.* III, 21). Nam, cum resurrexerint, ad immortalitatis gloriam deducentur, ad quam Christi corpus pervenit post resurrectionem. Hæredes Dei sumus. Cohæredes autem Christi erimus, cum apparuerit quod sumus. Unde Joannes : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Cum autem apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III, 2). Unde vero similes ei simus, ipse ostendit, subdens : *videbimus eum sicuti est* (*Ibid.*). Igitur, ut ostenderet qualiter ad hanc dignitatem perveniendum sit, addidit : *Si tamen* (277) *compatimur* (278), *ut et conglorificemur*. Compatimur dicit, sicut commorimur : unde alibi : *Si compatimur, et conregnabimus; si commorimur, et convivemus* (279). Oportet enim ut qualia Christus pertulit pro nostra salute, talia nos perferamus pro ejus amore; quod facientes, ad hoc usque perveniemus ut et simul glorificemur, quoniam ad illam immortalitatis gloriam deducemur, ad quam Christus pervenit post resurrectionem.

Sed dicit aliquis : quomodo talia pro Christo pati possumus,qualia Christus pro nobis passus est cum desint corporales persecutores, et tormenta exterius? Attamen, licet corporales desint, adsunt spiritales et persecutores et persecutiones, adversus quæ nos semper dimicare oportet, quandiu in carne sumus. Nemo enim incontinentiam continentia, et cætera (280) vitia virtutibus oppositis, nisi cum magno labore, poterit superare.

Et, ne cui (281) durum et asperum videretur pati pro Christo, ideo levigare curavit, subjungens : *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis*, etc. Quod dicit *existimo* (282), non dubitative, sed affirmative prolatum est. Sic alibi : *Puto autem* (283), *quod et ego Spiritum Dei habeo* (*I Cor.* VII, 40) (284). Et item : *puto quod novissimos apostolos nos Deus elegerit, tanquam morti destinatos* (*I Cor.* IV, 9). Dicendo autem *hujus temporis*, ostendit leves et momentaneas præsentis vitæ persecutiones, unde et præmisit, *non sunt condignæ;* nullo enim pacto terrena cœlestibus, temporalia æternis æquiparari possunt. Hinc Origenes : Si omni, inquit, tempore vitæ meæ talia passus fuero, qualia passus est Job, non me dignum æternæ vitæ beatitudine arbitror.

Ad futuram gloriam. Dicendo *futuram*, perpetuam ostendit; quæ quia verbis explicari non potest, ideo ipse alibi dicit : *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9).

In eo vero quod subdit : *quæ revelabitur in nobis*, ostendit nunc esse occultam. Unde Joannes : *nondum apparuit quod sumus*. Cum autem dicit *in nobis*, ostendit quia multum distabit apostolorum dignitas a reliquorum filiorum dignitate; quippe multo major in illis hæc gloria revelabitur. Sed,quid est quod subditur : *Exspectatio* (285) *creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat?* Quæ est enim hæc creatura? Aut qui filii Dei? Creatura sunt angeli, sublimes potestates et virtutes cœlestes, cœlum, terra et omnia quæ Deus Pater per Filium condidit. Unde constat quia ipse solus, non creatura, sed Creator est, a quo et perfecta sunt omnia. Non igitur aliud creaturam, et aliud filios Dei intelligere debemus, quoniam unum sunt. *Exspectatio vero exspectat* sic dictum est, sicut in Joanne : *Amicus sponsi gaudio gaudet* (*Joan.* III, 29). Exspectat itaque exspectatio creaturæ, non alterius naturæ quæ non sit creatura, sed suam ipsius revelationem. Sic enim dixit *exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat;* quasi diceret : exspectatio nostra exepectat revelationem, quæ erit in nobis qui sumus filii Dei; exspectat ut appareat quod promissum est, quoniam, juxta Joannis vocem, adhuc latet : exspectat, ut in nobis qui jam sumus, manifestetur quod erimus (*I Joan.* III, 2); exspectat qualis nunc est creatura, quanto sit talis qualis futura est. Sic nimirum hoc dictum est, ac si pictori (286) præparato, et multos colores habenti dicatur : exspectatio colorum tuorum manifestationem imaginis exspectat : non quod non erunt colores, vel alii erunt, sed quia majorem habebunt dignitatem; id

(277) In aliis textibus, loco *si tamen*, legitur *si quidem*.
(278) Vulg. *sustinemus*. II *ad Tim. c.* II, 12.
(279) Vulg. *si commortui sumus, et convivemus*, ibid., 11.
(280) Loco *cætera*, in Autog. legitur *contra*. Num bene legerim, lector, judex esto.
(281) Hic legitur, Dom. XI, post Pent.
(282) In Autog. marg. c. XX.
(283) Verba *puto autem*, quæ in Ep. leguntur et in Autog. desunt, quæve similitudinem phrasis et momentum rationis faciunt, addenda censui.
(284) Vulg. *habeam*.
(285) Vulg. *nam exspectatio*.
(286) Nota perpulchram similitudinem. Occasione arrepta observatum a lectore velim vix speratum iri posse ab auctore hujusmodi sæculi majorem elegantiam styli, et troporum et schematum, omnino vero sententiarum prudentiorem, pulchrioremve delectum. Nugæ etiam, et puerilia verborum similiter desinentium, vel sonantium tunc temporis frequentissimo usu tam commendata joca ; quam ab hinc longe !

est pulchritudinem imaginis. Sequitur : *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit in spe* (287). Hæc sententia varie a doctoribus exposita est : unde solerter investigandum est, quæ sit hæc vanitas ; aut quæ creatura vanitati subjecta. Ut quidam volunt, per vanitatem homo intelligitur ; unde Salomon : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : omnia vanitas* (*Eccles.* I, 2). Item : *Universa sub sole, vanitas* (*Ibid.*, 14.) Item Psalmista : *Universa vanitas, omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII, 6) ; si ergo universa vanitas omnis homo, et universa sub sole vanitas, nihilominus vanitas vanitatum est homo. Et revera nihil plus homine vanum, in receptione ciborum, in digestionis fœtore, in rubore et sordibus procreandæ sobolis, et reliquis hujusmodi. Creaturam vero intellexerunt solem, lunam et cætera, quæ in eo vanitati subjecta dicuntur quoniam propter homines facta sunt. Propter homines quippe sol oritur et occidit, similiter et cætera astra. Cur ergo sequitur *non volens*, cum hæc omnia inanimata sint ? Nisi forte secundum philosophorum opinionem accipiamus, qui hæc omnia animata asserunt, et idcirco dictum intelligamus, *propter eum qui subjecit in spe*, quod spem habeant ut ab hac servitute liberentur. Sed iste sensus, quia errori vicinus est, funditus est repudiandus. Alii autem, ut Origenes (288), *creatura* (289) Angelos accipiunt, quos bellis legimus præfuisse. Et revera nihil vanius bello (290), in quo homo ad hoc laborat ut non sit. Si autem Angeli bellis præfuisse leguntur ut Origenes multis Prophetarum et maxime Danielis testimoniis nititur approbare ; hominibus subjecti sunt ; unde et subdi non (291) volunt : *Non volens sed propter eum qui subjecit in spe* ; quoniam coacti, a sui Creatoris contemplatione discedunt, ut hominibus famulentur et spem habeant, ut ab hominum servitute liberentur. Restat ergo, ut homines beatiores Angelis intelligamus ; præsertim eos, qui jam requiescunt, ut Lazarus in sinu Abrahæ, ut ille venerabilis latro, qui, eo die, quo credidit, cum Deo constitutus est in Paradiso. Sed, et hic refutantus est sensus. Longe ergo aliter hæc sententia intelligenda est. Unusquisque enim doctorum, quod habuit, hoc in donaria Dei contulit : Alius aurum, alius argentum, alius ferrum, etc. Non solum autem hoc, sed etiam in omni sacræ Scripturæ loco, ille sensus est requirendus, qui catholicæ fidei non obsit, et unitatem Ecclesiæ non scindat. Quapropter sciendum quia beatus Augustinus hanc quæstionem profundissime investigavit et enodavit. Dicit enim per creaturam hominem significari ; nec solum per creaturam, sed etiam per omnem creaturam ; unde Dominus in Evangelio : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15.) Et idem Apostolus : *Cum cui, credidistis in universa creatura, quæ sub cælo est* (*Coloss.* I, 23) ; id est in homine, qui omnis creatura dicitur, non quod omnem creaturam in se contineat, sed quia partim est corporalis, partim animalis, partim spiritalis : corporalis quippe per loca tenditur, animalis corporalem vivificat ; spiritalis animalem regit, et tunc bene, cum se Deo regendum subjicit. Homo igitur spiritu sentit, anima vivificatur, localiter corpore movetur. Beatus vero Gregorius dicit quod ideo homo omnis creatura dicitur, quia habet aliquid omnis creaturæ ; habet enim essentiam cum lapidibus, vivere cum arboribus, et herbis, sentire cum brutis animalibus, discernere cum Angelis. Hæc igitur creatura vanitati subjecta est, id est morti, et infirmitati vel alicui miseriæ, cui homo propter peccatum subditus est ; unde pulchre subjungit, *non volens*. Homo etenim, quia sponte peccavit, non sponte vanitati subditus est. Vel ideo *nolens* dicit, quia sancti viri cupiunt dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23), sed coacti et nolentes his miseriis subditi sunt. *Sed propter eum qui subjecit in spe*. Propter eum dicit, id est, propter justitiam et clementiam illius qui, nec peccatum impunitum reliquit, nec insanabile fore permisit. Vel propter eum qui subjecit in spe dixit, quia in spe habent electi ut a servitute corruptionis liberentur.

Igitur quia spem dixerat, ut quæ esset ostenderet, subjunxit : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*. Ubi notandum quia non ait tantum ipsa, sed *et ipsa*, propter eos qui crediturі erant, et liberandi. *Ipsa creatura* dicit, id est ipse homo. Ipsa creatura, quia necdum est perfecta forma filiorum Dei, sed vocatur tantum creatura. Nam cum ait, *et ipsa*, subaudiri voluit, quemadmodum nos, ut sit sensus : nec de his desperandum qui necdum crediderunt, necdum filii Dei vocantur, quoniam et ipsi credent, et ab hac servitute liberabuntur, sicut nos, qui jam filii Dei sumus, quamvis nondum apparuerit quid erimus.

Quo autem liberati transibunt ? *In libertatem*, inquit, *gloriæ filiorum Dei*. Et est sensus : ipsi etiam ex servis liberi, ex mortuis erunt gloriosi in vita æterna, quam habebunt filii Dei.

Scimus enim quod omnis creatura, etc. Superius ait *æstimo* ; nunc autem *scimus*. Sicut ergo hoc et illud confirmative dictum intelligi debet. Omnis autem creatura, ut dictum est, in homine numeratur. *Ingemiscit, et parturit usque adhuc* ; quædam exemplaria habent *ingemiscit, et dolet*. Sic ergo dictum est, quasi diceretur : ingemiscit, et quasi parturiens dolet. Ingemiscit autem creatura in illis qui nondum sunt liberati. Ingemiscunt autem pro variis difficultatibus, et ærumnis, quas patiuntur in vita præsenti. Et recte ait *usque adhuc*, quoniam etsi sunt qui jam requiescunt, multi tamen adhuc sunt qui has miserias patiuntur.

(287) Vulg. *subjecit eam in spe*.
(288) In Autog. semper legitur *Origenis*.
(289) Fortasse, *pro creatura*.
(290) En præclaram sententiam hujusce auctoris dignam, et temporibus suis accomodatissimam.
(291) In Autog., loco *non*, legitur *tum*.

Non solum autem illa, id est omnis creatura, *sed* (292) *nos ipsi*, ac si aperte diceret : illi corpore ingemiscunt, quoniam spiritus in eis, anima simul (293) et corpus dolet. Nos autem, qui corporis molestias superavimus, carnis concupiscentias vicimus, solo spiritu dolemus, exceptis molestiis corporum. Et ut ostenderet qui sint, adjecit : *primitias spiritus habentes*, id est, qui sacrificium spiritus nostros Deo obtulimus, et in quibus spiritus igne charitatis accensi et comprehensi sunt, nos animæ, quæ mentes nostras primitias Deo obtulimus : jam enim sacrificium sui spiritus Deo obtulerat, qui dicebat : *Mente servio legi Dei ; carne autem legi peccati* (*Rom.* I, 9) ; item : *Cui servio in spiritu meo* (*Rom.* VII, 25). Sive ideo dicit : *Primitias spiritus habentes ;* quia ipsis primo manifeste datus est Spiritus sanctus.

Et ipsi intra nos ingemiscimus ; id est, illi quidem, exterius in corpore, nos autem exterius præter corpus. Unde autem sit iste gemitus, ostendit, subjungens : *Adoptionem filiorum* (294) *exspectantes, redemptionem corporis nostri*. Sed nunquid non jam erat redemptus ? Nunquid non Dei filius ? Erat plane : quoniam jam Christus pro eo sanguinem suum fuderat, jam laxatis in baptismate peccatis, per gratiam sancti Spiritus in adoptionem filiorum transierat. Quomodo ergo exspectabat ? Scilicet, quia redemptio hæc, et adoptio necdum perfecta est ; perficietur autem, cum mortale hoc absorbebitur in vitam. Ait itaque : *Adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis nostri ;* ac si patenter diceret : Exspectantes, ut corpus beneficium adoptionis accipiat, qua vocati sumus filii Dei, ut nos totos liberatos ostendat, et ex omni parte Dei filios manifestet.

Verumtamen poterat aliquis dicere : O Apostole, quid gemis ? Quid doles ? Quid tibi profuit Christus ? Quomodo te salvavit Salvator tuus, si adhuc gemis ? Qui enim gemit, infirmatur. (295) Ad hæc quasi respondet : *Spe enim salvi facti sumus*. Ubi notandum, quia non ait, *spe salvi sumus*, sed *salvi facti*. Salvos namque nos fecit Christus per lavacrum regenerationis, et renovationis ; sed nondum perfecta est hæc salus, quoniam nondum habemus in re : quippe nondum apparuit quid erimus. Nunc ergo tempus est fidei, quoniam per fidem credentes in Christum salvamur. Nam, sicut idem Apostolus dicit. *Per fidem ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* V, 7). Fidei autem merces est salus animarum nostrarum, sed hæc animarum salus, et corporum redemptio necdum perfecta est ; quia in spe tantum habemus, et non in re. Corpus enim quod corrumpitur (*Sap.* IX, 15), aggravat animam. Præcessit autem hæc salus et redemptio in capite nostro, Domino scilicet Jesu Christo, quoniam caro, quam ex nobis sumpsit, resurrexit, et cœlos conscendit ; unde et salva facta est. Hinc ergo et nos in spe salvi facti sumus, quoniam spe certissime tenemus, ut quandoque ad ipsam immortalitatis gloriam perveniamus.

Volens denique Apostolus ostendere spem in illis rebus esse, quæ non videntur, adjecit : *Spes autem, quæ videtur non est spes*. Rursus, ut ostenderet differentiam inter spem et rem, subjunxit : *Quid enim videt quis, quid sperat* (206) ? Nemo quod videt, sperat : quia, aut oculis, aut manibus tenet. *Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus*. Et est sensus : Si, quod non videmus, patienter exspectamus, ut quandoque obtinere possimus. Evidenter itaque Apostolus hoc dicto ostendere voluit quia virtus spei in nobis patientiam generat. Patientia autem non est in prosperis rebus, quibus fruimur, sed in adversis, quibus afflicimur.

Igitur, quia dixerat superius : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro ;* idcirco nunc subjunxit : Similiter autem, et spiritus adjuvat infirmitatem nostram, id est, sicut testimonium reddit ita et infirmitatem nostram adjuvat. Ac per hoc Spiritus, non noster, sed Spiritus sanctus intelligendus est. Infirmitatem, non corporum, sed mentium dicit. Infirmitatem plane vocat insipientiam : mens etenim nostra gravatur insipientia, sed Spiritus sanctus adjuvat infirmitatem nostram ; quia, dum charitatem et pium spiritualis gratiæ affectum infundit, ea, quæ ignoramus, revelat. Unde Apostolus, ut ostenderet quam infirmitatem dixerit, adjecit : *Nam quid oremus, sicut oportet nescimus*. Oratio, quæ impetrat quod petit, domum Dei se esse evidenter ostendit. Apostolus itaque ut ostenderet etiam orationem inter munera Dei computari, ait : *Nam quid oremus sicut oportet nescimus :* quia enim non videmus quæ promittuntur (297), nescimus orare, sicut oportet ; id est, ea petere quæ nobis prosunt, et respuere quæ obsunt. Nemo quippe recte sapit ; nemo recte intelligit ; nemo recto consilio et fortitudine aliquid operatur ; nemo scienter est pius, neque pie sciens ; nemo casto timore Deum diligit, nisi accipiat spiritum sapientiæ, et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ, et pietatis, et timoris Domini. Similiter nemo habet virtutem veram, charitatem sinceram, continentiam religiosam, nisi acceperit spiritum virtutis, et charitatis, et continentiæ. Simili modo nemo recte credit, nisi habeat spiritum fidei. Sic etiam nemo recte orat, nisi accipiat spiritum orationis : non quod tot sint spiritus, Spiritus enim sanctus unus est, sed quia hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, *divi-*

(292) Vulg. *sed et nos.*
(293) Nota hic, et paulo superius distinctionem fieri inter spiritum, et animam.
(294) Vulg. *filiorum Dei.*
(295) In Autog. marg. c. XXI.

(296) Vulg. *nam quod videt quis, quid sperat.* Ex his etiam, quæ sequuntur, satis arguitur ; loco *quid* prima vice legendum *quod videt.*
(297) Autog. *quæ promittitur.*

dens singulis prout vult (*I Cor.* XIII, 11). Ideoque Apostolus ait : *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*, nisi Spiritus sancti gratia hoc tribuat. In temporalibus ergo rebus, ut dicit beatus Augustinus, nihil fixum petendum est(298): quoniam quid expediat,vel quid non,ignoramus : unde frequenter ea petimus,quæ nobis prodesse putamus, et tamen obsunt; econtrario ea petere nolumus, quæ nobis obesse credimus,et tamen prosunt.Et quid mirum: cum ipse Apostolus ter Dominum rogaverit,ut discederet ab eo angelus Satanæ,qui eum colaphizabat? Nec tamen exauditus est, sed responsum est illi : *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII,8,9). Nihil itaque, ut jam dictum est, in temporalibus rebus fixum petere debemus, sed Deo dicere : Domine, jube quod vis, et tu ipse, quod jubes, da, quia sine te nihil possumus (299).

Sed ipse Spiritus interpellat (300) *pro nobis gemitibus.* Quod dicit, interpellat, non ita intelligendum est, quasi Spiritus sanctus aliquo (301] indigeat,aut aliquas molestias,vel angustias patiatur; nam æqualis Patri et Filio (302), quippe cum una sit in Trinitate persona.Sed sic accipiendum est,sicut illud : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3); id est, ut scire vos faciat; et sicut de eodem Spiritu alibi idem Apostolus loquitur, dicens : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater* (*Gal.* IV, 6). Similiter hoc loco, *interpellat*, dicit, interpellare facit sanctos : dum enim nos movet, dum ad cordis compunctionem, ad lacrymas, ad orationem excitat, ut cum gemitibus petamus; quod, ipso movente, agimus, ipse agere dicitur : eo videlicet tropo,quo solemus dicere lætum diem, qui nos lætos facit. Et quia Spiritus sanctus idem invisibiliter ait, nec verbis explicari potest: ideo Apostolus subjunxit,*inenarrabilibus*. Poterat autem aliquis dicere : Unde hoc nostri? Quis hoc comprehendere potest? Ad hæc Apostolus : *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus*, ac si diceret : Qui omnium secreta intuetur,ille scit quid desideret Spiritus ejus; id est, salutem et redemptionem humani generis. Dum enim charitas spiritalis gratiæ pium infundit affectum,postulat pro sanctis; id est, postulare eos facit suam salutem et redemptionem. Et hoc est, quod sequitur : *Quia secundum Deum postulat pro sanctis*; id est, secundum id, quod Deo placet, postulare eos facit. Poterat ad hæc aliquis fidelium dicere : Si Spiritus sanctus postulat pro sanctis, cur ergo tot adversa patiuntur? Aut quid de illis dicendum, qui ad tempus deviant? His respondet Apostolus : *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ubi notandum quia non ait, diligentibus mundum, sed *Deum*. Omnia autem dicit, tam adversa, quam prospera. Et est sensus : His, qui Deum diligunt, omnia in bonum cooperantur, quoniam, etsi ad tempus devient, omnia tamen Deus in illorum bonum convertit.

Et,quia sunt aliqui,qui ad tempus Deum diligunt nec in bono,quod cœperunt, perseverant, ut ostenderet de quibus diceret subdit : *His qui secundum propositum vocati sunt sancti :* ubi propositum, non hominis dicit, sed Dei; id est, divinam prædestinationem. His ergo,qui secundum propositum vocati sunt sancti, omnia cooperantur in bonum; quia, etsi ad tempus exorbitent, humiles revertuntur, et doctiores : discunt namque in ipsis suis ruinis cum timore et tremore suam potius operari salutem.

Quod dicit, *vocati sunt sancti*, non intelligendum est, quod sancti essent, cum vocati sunt : sed vocati facti sunt sancti (303).

Et quia dixit,*secundum propositum* : ut hoc apertius ostenderet, adjecit : *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes*, etc.Sicut Fulgentius dicit : Præscientia hoc distat a prædestinatione : quod præscientia tam in bonis est quam in malis; prædestinatio autem tantum in bonis.Præsciuntur enim, tam boni, quam mali; prædestinantur autem tantummodo boni,quoniam Deus neminem prædestinat ad malum. Prædestinatio itaque sine præscientia esse non potest quoniam Deus ea tantum prædestinatione præscivit,quæ ipse erat facturus; præscientia vero potest esse sine prædestinatione, quoniam ea etiam Deus præscivit quæ facturus non erat, ut peccata.

Est autem prædestinatio, præparatio gratiæ Dei (304). Gratia vero, prædestinationis effectus (305). Quos ergo præscivit se facturum bonos, et in bono perseveraturos, illos prædestinavit,id est, præparavit *conformes fieri imaginis Filii sui. Conformes* dicit, uniformes : sic enim dicuntur conformes imaginis Filii Dei, sicut conformes sæculi : unde Apostolus alibi : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII, 2). Quod ergo nos dicit conformes fieri imaginis Filii ejus,secundum interiorem hominem intelligendum est : dum enim in novitate mentis nostræ reformamur, exuentes nos veterem hominem, cum actibus

(298)Utinam sententia hæc divi Augustini a Christianis serio perpenderetur,cordique alte figeretur, et in usum prudenter deduceretur.Dignior enim et acceptior ei,quem oramus,nobisque,et rebus nostris multo utilior oratio evaderet, si sæpius ea orationis parte,quam Dominus noster Jesus Christus nos docuit, uteremur : *Fiat voluntas tua;* sicut et alibi : *Attamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

(299) En præclarissimum orandi modum.

(300) Vulg. *postulat.*

(301) In autog. loco *aliquo* vel *alicujus*, uti verbum *indigere* expostulare videtur, legitur *aliquid.*

(302) Subintelligitur *est.*

(303)Jungatur præclarissima isthæc interpretatio cum ea,quæ initio hujusce Epistolæ fit verbis : *Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis :* et cum his,quæ dicuntur inferius ad interpretationem versiculorum 11, 12 et 13, et maxime eorum verborum, *ut secundum electionem propositum Dei maneret.*

(304) En definitionem prædestinationis.

(305) En gratuitæ gratiæ naturam.

suis, et induentes novum (*Coloss.* III, 9, 10), tunc conformamur imagini Filii Dei. Potest et sic intelligi : Quoniam,sicut ipse nobis factus est particeps mortalitate,ita nos conformes imagini ejus efficimur immortalitate, dum ad illam immortalitatis gloriam transimus,ad quam ipse post resurrectionem transivit. Fideles itaque conformes illi efficiuntur actione simul et imitatione,quia præcepta ejus servant, et vestigia imitantur. Unde ipse in Evangelio : *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus* (*Joan.* XII, 26).

Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.In quibus verbis notandum,quia caute Apostolus de Filio Dei locutus est : nam de humanitate ejus loquens, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (306). Voluit quippe ostendere (307), quia natura unigenitus erat Dei Filius; humanitate autem factus est primogenitus. Nam,cum unicus esset,noluit solus manere, sed descendit, et factus est primogenitus, ut multos sibi acquireret fratres, quibus Patris sui divideret regnum.Primogenitus ergo in multis fratribus dicitur, quia ipse primus vulvam matris Ecclesiæ aperuit,ad procreandos Deo filios. Primogenitur dicitur; quoniam, sicut Joannes dicit : *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Et notandum, quia, sicut secundum carnem primogenitus dicitur in multis fratribus; ita et *primogenitus* mortuorum (*Apoc.* I, 5; *Coloss.*I, 18), quoniam ipse primus sua virtute surrexit a mortuis.

Igitur, quia præmisit *quos præscivit, et prædestinavit*, ideo subjungit : *quos autem prædestinavit,hos et vocavit :* ubi subaudiendum est, *secundum,propositum;* quoniam est et altera vocatio, de quo Dominus in Evangelio : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXIII, 14).

Quos autem vocavit(scilicet secundum propositum) *hos et justificavit*, per lavacrum baptismi et gratiam sancti Spiritus.

Quos autem justificavit, illos et glorificabit (308). Sciendum itaque quia (309) prædestinatio non in nobis facta est,sed in occulto apud Deum in ejus præscientia; quæ vero sequuntur : id est, vocatio, et justificatio, et glorificatio in nobis fiunt. Vocamur enim prædicatione pœnitentiæ, juxta illud : *Pœnitentiam agite*, etc. (*Matth.* III, 2). Justificamur in novitate misericordiæ, et timore judicii : unde Psalmista orat : *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera* (310) *me :* non enim timet judicium, qui prius impetraverit, ut liberetur.Glorificabimur, cum ad vitam æternam transibimus. Hæc igitur apostolica verba summo studio distinguenda sunt, et solerter animadvertendum est quid accepimus, aut quid accepturi simus; ut, dum intelligimus quid acceperimus, ipsi,a quo accepimus, gratias referamus. Rursum, dum quid accepturi simus agnoscimus,Deum nobis debitorem intelligamus; non autem sicut hominem : homo enim illi debitor est, a quo beneficium accepit; at Deus gratuita bonitate sua nobis dona contulit, et collaturus est : unde ipse ad Job : *Quis mihi ante dedit, ut et ego ei reddam* (*Job* XLI, 2)?

Quapropter sciendum,quia quatuor,quæ præmisit Apostolus, jam impleta sunt; omnes enim sancti jam præsciti, et prædestinati sunt : et multi eorum jam vocati, et justificati sunt; unum autem adhuc non est impletum, quod in fine posuit, dicens : *Illos,glorificabit*; ubi gloria nulla, nisi ea, intelligenda est, de qua idem Apostolus alibi ait : *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 4). Attamen illa duo, id est, vocatio, et justificatio, nondum in omnibus impleta sunt,de quibus dicta sunt: Quoniam usque ad finem sæculi non deerunt, qui vocandi et justificandi sint. Apostolus ergo verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris; ut ostenderet, quia apud Deum omnia facta sunt, quæ ipse ab ætèrno se facturum disposuit : unde Isaias de eo (311) : Fecit quæ futura sunt. Quicunque igitur in illa providentissima Dei dispositione præsciti, et prædestinati sunt, vocati et justificati, hi sunt filii Dei; non solum illi (312), qui nondum sunt renati (313), et perire omnino non possunt.

Denique præscivit,et prædestinavit nos Deus non natos, vocavit adversos, et inimicos; justificavit peccatores; glorificabit resuscitatos : per quæ omnipotentissimus esse demonstratur. Unde continuo subjunxit (314) : *Quid ergo dicemus ad hæc* (subintelligitur,nisi quia potentissimus est Deus,qui dum nos sua potentia tuetur.nullus lædere potest)? Unde statim addidit : *Si Deus pro nobis,quis contra nos?* Id est, si sua nos omnipotentia tuetur, quis lædere poterit? Quicunque enim nos lædere nititur, contra eum rebellare conatur; sed quis Omnipotentem vincere potest? Quicunque enim contra stimulum calces mittit, in semetipsum sævit. Hæc ergo vox omnium bonorum est, maxime martyrum. Quomodo verum est gloriosi martyres, quod dicitis : *Si Deus pro no-*

(306) Ibi fortasse subintelligitur verbum *ait, inquit*, vel similia; vel expungendam jure merito dixeris particulam *nam;* ita ut sic legatur : *quia caute Apostolus de Filio Dei locutus est de humanitate ejus loquens.*

(307) Loco *ostendere quia* in autogr.legitur *ostenderet*, etc.

(308) Vulg. *glorificavit.*

(309) In autog. *quæ.*

(310) Psalm. LIII, 3. Vulg. *judica.*

(311) Vide Isa. c. 41, ubi tamen præcisa verba non inveniuntur.

(312) Sensus ibi legendum suadere videtur; *Non solum illi, qui jam nati sunt, sed et illi qui nondum sunt*, etc.

(313) In autog. legitur *sunt nati*, et immediate supra, et inter verba *sunt nati* legitur eodem charactere, sed non eodem, quia minus nigro, et imo aliquantisper rubriori atramento scriptum verbum *re*.Videsis lector num *renati, nati*, aut *re nati* legendum sit : ita ut vel de proprie dicta nativitate, vel de ea, qua per baptismum homo renascitur, intelligendum sit.

(314) In autog. ibi legitur cap. XXII.

bis, quis contra nos? Ecce mundus totus contra vos fremit; excogitantur pœnæ; diversis cruciatibus corpora vestra afficiuntur. Ut ergo vera esse, quæ dixerat, evidentissimo documento probaret, adjecit in ipsorum martyrum voce: *Qui etiam proprio Filio non perpecit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?* Ac si dicant: Hinc vera esse probamus, quæ dicimus, quoniam Deus adeo nos dilexit, ut proprio Filio non parceret, sed pro nobis illum traderet: unde, licet corpora nostra in præsenti crucientur, Dominus liberator et susceptor noster, et animas ad requiem inducit, et quandoque corpora resuscitata glorificabit.

Igitur, quia omnes fideles adoptivi sunt filii Dei, præmisit, ad eorum differentiam, *proprio*: quo dicto ostendit, quoniam aliter est ille Filius, aliter illi. Ecce autem dicit Apostolus, quia Deus Pater Filium tradidit; non autem ipse solus, sed et Filius et Spiritus sanctus; quoniam totius Trinitatis una est operatio. Tradidit eum etiam Judas: quid ergo peccavit, si hoc egit, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus? Peccavit: quoniam bonum, quod nobis per ejus passionem collatum est, non hoc Judas voluit, non desideravit; imo avaritiæ causa tradidit. Ac per hoc Pater, et Filius, et Spiritus sanctus suæ gratiæ laudem merentur; Judas vero suæ avaritiæ mercedem recepit.

Sequitur: *Quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?* Et est sensus: Si, quod majus est, fecit, quomodo non etiam quod minus est? Majus quippe fuit, quod pro nobis Filium suum tradidit; omnia autem donavit, quod minus est, cum ipsum nobis dedit, in quo sunt omnia. Sed quæ sunt hæc omnia? Nunquid donavit nobis angelos, ut eis dominemur? Non, quoniam sicut ipse in Evangelio dicit: *Erunt homines angelis æquales* (*Luc.* xx, 36; *Matth.* xxii, 30); sed omnia donavit jam, et donabit quoniam remissionem peccatorum tribuit, et vires resistendi adversis; et beatitudinem dabit regni cœlestis; quam cum perceperimus, omnia in ipso possidebimus. Siquidem nostra erunt superiora, ad intuendum; æqualia, ad convidendum; inferiora, ad dominandum: hæc autem singula erunt omnium, et omnia singulorum.

Sequitur: *Quis accusabit* (315) *electos Dei?* Ac si diceret: Cum Deus electos prædestinaverit, vocaverit, et justificaverit, quis eos poterit accusare? Et, quia poterat responderi: Homo, angelus, Deus, adjecit: *Deus, qui justificat* (316); tanquam diceret: Liquet, quia angelus, aut homo non potest. Sed nunquid Deus, qui justificat? Non: nam, qui venit justificare, nullo modo accusabit. Unde et subdit: *Quis est qui condemnet?* Rursus, quia responderi potuit: Angelus, homo, Christus, addidit: *Christus Jesus*, etc. Ac si diceret: Homo et angelus, non; sed nec Christus: nam quos adeo dilexit, ut pro eis talia pateretur, non condemnat, nec accusat. Quippe non condemnat qui venit salvum facere quod perierat (*Luc.* xix, 10). Sane veteres inter percontationem et interrogationem hoc esse voluerunt, quod ad percontationem multa possunt responderi, ad interrogationem vero, unum: aut est, aut non. Sub percontatione ergo dictum est: Accusabit electos: *Quis accusabit adversus electos Dei* (317); sub interrogatione vero, *Deus qui justificat*, (subintelligitur, *non*). Item percontando: *Quis est qui condemnet?* Interrogando autem: *Christus Jesus, qui mortuus est? Imo qui et resurrexit? Qui est ad dexteram Dei Patris? Qui etiam interpellat pro nobis* (318)? Ubi per omnia subaudiendum est *non*. Christus igitur sedens ad dexteram Patris, id est in æqualitate ejus manens, duobus modis pro electis interpellat: vel quia fragilitatem nostræ carnis assumpsit in suæ personæ unitatem vel quia genus suæ passionis Patri ostendit. Dum enim cicatrices vulnerum, quæ in cruce suscepit, Deo Patri ostendit, quantum nos dilexerit, pro quibus hæc pertulit, manifestat. Beatus vero Augustinus dicit, quoniam caput nostrum pro nobis interpellat, dum alia membra sua recipit, alia flagellat, alia mundat, alia vocat, alia revocat, alia creat, alia corrigit, alia redintegrat.

Quis ergo nos separabit a charitate Dei (319)? id est, cum Deus adeo nos dilexerit, ut etiam proprio Filio non parceret, sed pro nobis omnibus traderet illum, et in ipso nobis omnia donaret; in tantum, ut nec accusari, aut condemnare possimus: quare (320) non ab ejus charitate poterit separare? Quod utique percontando dictum est. Quod vero sequitur: *Tribulatio? An angustia*, etc. Interrogantis sono legenda sunt. Tribulatio itaque electos a charitate Christi separare non potest; quia sapientiæ (321) in eis virtutem operantur. Unde superius: *Tribulatio patientiam operatur*: quanto magis enim tribulantur, tanto magis dilatantur: unde Psalmista: *In*

(315) In Vulg. *quis accusabit adversus electos*, etc. In autog. cap. XXIII.

(316) In autog. post hæc verba textus, *Deus qui justificat*, adest punctum interrogationis. Scilicet quæ sequuntur, demonstrant interrogative accepta fuisse hæc verba ab interprete nostro.

(317) Hic textus videtur æque ac in Vulg. adverbium *adversus* recipere: ita enim scriptus compendiose est: *qs. a. a. e. di*, quarum initialium litterarum secunda littera *a* nonnisi *adversus* significare potest.

(318) Omnia hæc puncta interrogationis in Vulg. non habentur. Et post verbum *Dei* non legitur *Patris*.

(319) Vulg. *Christi*.

(320) Fortasse, imo verosimilius, loco *quare* legendum *quæ res*; uti ex his, quæ sequuntur, eruitur.

(321) Ex his, quæ sequuntur, mendam esse reor: et loco *sapientiæ*, *patientiæ* potius legendum. Verumtamen etiam *patientiæ* optima lectio dici posset per argumentationem, si conferatur cum his quæ paulo superius dicta sunt: nam tribulationes, ut supra optime observatum est, doctos nos faciunt ad magis magisque æquo animo tolerandum, et nos in Christi imitatione perficiendum, ejusque gloriæ dignos participes fieri efficiendum.

tribulatione dilatasti me (*Psal.* IV, 2) ; item : *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine* (*Psal.* CXVII, 5). *Angustia* non potest ; quia, quanto magis augustiantur, tanto amplius gaudent. Unde in Actibus apostolorum legitur, quia: *Ibant a conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelias pati* (*Act.* V, 41). Hinc Jacobus : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (*Jac.* I, 2). *Persecutio* non potest ; quia dum persecutiones patiuntur, beatiores efficiuntur. Unde ipse Dominus in Evangelio : *Beati eritis, cum persecuti vos fuerint homines, et maledixerint vobis* (*Matth.* V, 11 ; *Luc.* VI, 22), etc. *Fames* corporea non potest ; quia, etsi corpus inediam sentiat exterius, intus tamen illo cœlesti pane reficitur, qui de se ipso ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* LI, 52). *Nuditas* non valet ; quia, licet frigoris torporem sentiant, igne charitatis incalescunt, de quo Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49), et spe jam stola immortalitatis vestiti sunt. *Periculum* non potest ; quia firmati super solidissimam fidei petram, quidquid periculi patiuntur, contemplatione illius boni, quod accepturi sunt. Unde Psalmista : *Statuit supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX, 3). *Gladius* materialis non potest ; quoniam habent gladium verbi Dei, quo superant omnia tela nequissimi ignea. Unde Apostolus alibi : *Gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17) (subintelligitur, *suscipite*).

Ut autem hoc prophetæ testimonio comprobaret, subjunxit : *Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis.* Cum Apostolus in gentium persecutione laboraret, martyrum omnium vocem sumens, ait : *Quia propter te*, etc. Ubi notandum, quia non ait tantum, *mortificamur*, sed addidit, *tota die :* quoniam, sicut Origenes dicit, non sufficit, ut momento, hora, mense, vel anno mortificemur, nisi etiam tota die, id est, omni tempore vitæ præsentis.

Ut oves occisionis æstimati sunt sancti, quoniam velut oves mactabantur. Et pulchre ovi assimilantur (322), propter innocentiam, et simplicitatem, sive, quia illi conjuncti sunt, de quo Isaias ait : *Sicut ovis ad occisionem ducetur* (*Isa.* LVII, 7).

Quid autem in his agant (323), non dejicimur, non perimus, *sed superamus in omnibus.* Ubi notandum, quia non ait tantum, *in his*, sed addidit, *omnibus*. Potest enim aliquis tribulationem et angustiam superare : verum, nisi etiam famem, nuditatem et cætera vincat, non sufficit ad perfectionem.

Et pulchre dicit, *superamus :* qui enim vincit, superior est. Superaverunt ergo sancti, quoniam, non vivendo victi sunt, sed moriendo gloriose vicerunt. Quod, non eorum meritis, non viribus, sed Dei gratia tribuendum est (324). Unde Apostolus addidit : *Propter eum qui dilexit nos.* Igitur, quia superius dixit : *Quis nos separabit a charitate Dei ?* Ut hoc potius affirmaret, adjecit : *Certus sum enim quod neque mors, neque vita*, etc. Ac si diceret : In nullo dubito, quia nec mors, nec vita, nec aliud aliquid *nos separare poterit a charitate Dei. Mors* enim ab hac sanctos separare non potest, quoniam nullus mortem minando ; quippe cum mori non possit, quem diligunt, nullus etiam vitam promittendo, quoniam ipse est vera vita, quem diligunt, qui de se ipso ait : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). *Angeli* hoc loco, boni intelligendi sunt. Similiter hic (325) enim dictum est, quod alibi ait : *Quod si angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præter quam evangelizatum est, anathema sit* (*Gal.* I, 8). *Angelus* itaque separare non potest (326) ; quia nec mente nostra potentior est, dum Deo inhæremus. *Principatus* malos angelos vocat, de quibus alibi : *Exspolians principatus et potestates, transduxit vehementer* (327), *palam triumphans eos in semetipso.* Hi separare non valent, quoniam nihil tale promittere vel dare possunt, quale promittit et dat Deus.

Neque instantia, neque futura ; hoc est, præsentium donatio, nec futurorum promissio ; quoniam, et caduca sunt quæ sub certitudine dantur, et incerta, quæ promittuntur. Nihil autem magis æternum, et certius, quod dat Deus.

Neque fortitudo : hoc loco malorum spirituum accipiendum est, de qua Dominus in Evangelio. *Cum fortis armatus custodit atrium suum* (*Luc.* XI, 21), etc. Horum fortitudo separare non potest, quoniam incomparabiliter illis fortior est Deus.

Altitudinem cœli, et *profundum* terræ dicit : unde Isaias loquitur ad Achaz : *Pete tibi signum a Domino Deo, sive in excelso supra, sive in terra deorsum* (328). Et est sensus : Pete tibi cœli reserationem, et terræ apertionem, ut, dum videris quæ nunc vidisti, credas Domino Deo Israel.

Hæc itaque separare non possunt, quoniam, etsi cœli occultum, et terræ secretum appareat, nihil tamen in iis melius ipso Deo (329), qui se nobis daturum promisit.

Sequitur : *Neque creatura alia nos poterit separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Hoc per exaggerationem adjecit ; ac si diceret : etsi est aliqua alia creatura, non nos poterit separare a charitate Dei. *Quæ est in Christo Jesu* dicit, quoniam in ipso ex natura est ; quia ipse est charitas, et operatio est, quoniam exinanivit semetipsum, et pro nostra

(322) In autog. *assimulantur ;* quod etiam eo sensu recte legi potest, quod ficte oves dicantur, sive per comparationem, martyres sancti.

(323) Subintellige *subditur*.

(324) En constantem gravissimi hujusce viri sententiam.

(325) Duo verba *similiter hic* ita leguntur *si. h.*

(326) Si per impossibile id tentet.

(327) *Coloss.* II, 15. Vulg. *confidenter.*

(328) Vulg. *pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.*

(329) Hoc est, *quod æquiparari possit Deo.*

salute tradidit, in sanctis vero sola operatione per gratiam Dei (330).

Quam ut sibi etiam inesse ostenderet, intulit : *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*, etc. Ut autem sibi arctius crederetur, præmisit jusjurandum, dicens : *Veritatem dico* (CAP. IX) : et, ut magis etiam sibi fides accommodaretur, addidit : *In Christo non mentior*. Et pulchre ait, *in Christo :* quicunque enim veritatem loquuntur, in Christo loquuntur, quoniam ipse est veritas.

Cur autem hæc præmiserit, ostendit : *Quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo.* Ubi quærendum est, quare sibi inesse tristitiam asserit, cum Salomon dicat : *Quidquid acciderit justo, non contristabit eum* (*Prov.* XII, 21). An is justus non erat? Quia ergo de ejus justitia nullus dubitat, ipse hanc quæstionem solvat. Dicit autem alibi : *Tristitia sæculi ejus mortem operatur ; tristitia vero, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem* (*II Cor.* VII, 10). Tristabatur ergo. sed illa tristitia, quæ secundum Deum est, quippe pro suorum fratrum salute. Unde sibi dolorem etiam inesse dicit, et non quemcunque, sed continuum : *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Incredibilis est hæc charitas. Sed notandum, quia ait, *optabam*, non, *opto :* potest enim subaudiri : Optabam tunc, cum essem paternarum mearum traditionum æmulator, supra multos coætaneos in genere meo (*Gal.* I, 14). Et est sensus : Optabam tunc separari a Christo pro fratrum meorum salute : Aliter : Qua intentione Moyses orabat, dicens : *Domine, aut dimitte hanc noxam populo, aut dele me de libro, quem scripsit manus tua* (*Exod.* XXXII, 31) ; et Michæas : *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer* (*Mich.* II, 11) ; et Apostolus optabat a Christo fieri anathema, ut fratres sui ad fidem confluerent : Moyses enim charitatis igne accensus, ut facilius veniam pro populo obtinere posset, hoc orabat ; similiter et Michæas, ut excidia, et plagæ, quas prævideral venturas, populo Dei non evenirent. Sed sciendum quia *anathema* Græce, Latine *alienatio* dicitur : aliquando autem mortem significat sicut in Veteri Testamento : Si quis hoc, aut illud fecerit, anathema sit ; id est, condemnetur ad mortem. Similiter ergo hoc loco, pro morte potest accipi. Optabat enim corpore mori, ut fratres sui anima salvarentur ; ac si diceret : optabam sanguinem meum pro eis fundere, at ipsi spiritu viverent.

Fratres suos Judæos dicit ; unde mox addidit : *Qui sunt cognati mei secundum carnem ;* quo dicto ostendit eos spiritu non sibi esse cognatos, de quibus adhuc subdit : *Qui sunt Israelitæ.* His verbis se Israelitam ostendit ex semine Abrahæ : *Quorum adoptio est* (331) *filiorum.* Judæorum est filiorum adoptio, quoniam ipsi primo vocati sunt, ut essent adoptivi filii Dei, juxta illud : *Primogenitus meus Israel* (*Exod.* IV, 22). Et Dominus per Isaiam : *Filios genui, et enutrivi ; ipsi autem contemnentes spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Sive adoptivi filii Dei dicuntur : quoniam, veniente Domino, multi eorum crediderunt, et facti sunt adoptivi filii Dei. Unde alibi dicit : *Misit Deus Filium suum in hunc mundum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus* (*Gal.* IV, 4).

Et gloria. Gloria illa hic intelligenda est, qua Judæi specialiter assumpti sunt ex omnibus gentibus in peculiarem populum Dei : unde superius ait : *Quid amplius est Judæo?* Et mox : *Multum per omnem modum*, etc.

Et testamenta (332). Vetus et Novum accipere debemus ; dum enim illis Vetus datum est, in eo præfigurabatur Novum.

Et legislatio. Legislatio, id est legis constitutio, illorum est ; quoniam illis constituta est lex, quemadmodum viverent, et ejus mandatis obedirent.

Et obsequium. Obsequium dicit illius Veteris Testamenti cultum, quo Judæi obsequebantur Deo, in offerendis sacrificiis et servandis ejus præceptis.

Et promissa. Promissa vocat promissiones, quæ factæ sunt per prophetas et patriarchas de Deo, ut illud : *Sic erit semen tuum* (*Gen.* XV, 5) : item : *Multiplicans multiplicabo semen tuum* (*Gen.* XVI, 10), etc. Et item : *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII, 18). Unde etiam dolet Apostolus quod promissa quæ facta sunt patribus, non secuti sunt filii.

Quorum patres, patriarchæ scilicet et prophetæ, *ex quibus Christus secundum carnem.* Bene addit, *secundum carnem*, quoniam secundum divinitatem ante omnia sæcula genitus est a Deo Patre ; secundum carnem vero ex Judæis est, quoniam beata Virgo Maria, de qua carnem sumpsit, ex Judæorum stirpe descendit. Et, ut ostenderet quia in divinitatis natura non ex Virgine sumpsit initium, adjecit : *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* Christus igitur super omnia Deus benedictus ; non tamen ex eo quod carnem sumpsit ex Virgine, sed quia ante omnia sæcula fuit genitus a Patre.

Præterea, quia sibi continuum dolorem inesse dixerat pro fratrum suorum perditione, ne quis putaret evacuatum promissionem, quæ facta est Abrahæ, volens ostendere Apostolus quia Deus potens est facere quæ promisit, ad commendandam ejus gratiam, addidit : *Non autem* (subintelligitur : hoc ideo dico) *quod exciderit verbum Dei* (333) ; id est, quod promissio Abrahæ facta, evacuata sit,

(330) Nota perpulchram hanc distinctionem. Hinc incipit Vulg. cap. IX. In marg. vero aut. legitur cap. XXIII.

(331) In autog. non *adoptio est*, sed *adoptionem* legitur, quod juxta Vulg. emendandum censui.

(332) Vulg. *testamentum ;* alia autem lectiones nostro autog. consentiunt.

(333) In autog. marg. c. XXV, caput vero XXIV nullibi signatur.

quoniam etsi verbum Dei in incredulis excidit, impletum tamen est in credentibus. Quod ut aperiat, quasi exponens, subjunxit : *Non enim omnes, qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ ;* id est, non omnes qui secundum carnem ex Jacob stirpe descendunt sunt viri videntes Deum, quoniam non omnes credunt in Christo. Quicunque ergo ex omni gente credent in eum, hi sunt viri Israelitæ. *Nec, quia* (334) *semen sunt Abrahæ, omnes filii ;* id est, non omnes illi qui per carnem ab eo descendunt, sed quicunque ex omni gente ejus vestigia imitantur, hi filii sunt Abrahæ.

Et hoc vult, quod sequitur : *Sed in Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI, 12). Quibus verbis illius loci meminit, ubi legitur quia præcepit Dominus Abrahæ ut obediret voci Saræ uxoris suæ, et ejiceret ancillam, et filium ejus (*Ibid.*, 10), quoniam non esset hæres filius ancillæ cum filio liberæ, sed in Isaac vocabitur ei semen.

Abraham ergo, sicut alibi idem Apostolus dicit: *Duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est* (*Gal.* IV, 22 ; *Gen.* XVI, 15) ; id est, secundum carnalem consuetudinem ; *qui vero de libera, secundum promissionem* (335) ; quoniam, priusquam conciperetur aut nasceretur, ei promissus est. Per hos ergo duos homines designantur tam credentes quam increduli : per Isaac scilicet fideles, per Ismaelem vero infideles.

Itaque, ut ostenderet quid esset *in Isaac vocabitur tibi semen*, exponens, subjecit : *Id est, non qui filii carnis, hi sunt filii Dei ; sed qui filii promissionis, æstimantur* (336) *in semine*. Quod est aperte dicere : hi solummodo in semine æstimantur, qui in Isaac promissionis filio significantur. Æstimantur autem in semine, quia, divina gratia vocante, in Christum congregant.

Ut autem ostenderet quæ esset hæc promissio, subdidit : *Promissionis enim verbum hoc est : secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius.* Quo dicto illius loci meminit, ubi legiturquia meridie sedenti Abrahæ sub quercu Mambre (*Gen.* XVIII, 1) apparuerunt tres angeli, in figura Trinitatis, quos ille hospitio suscepit, eorum pedes lavit ; post comestionem autem vocata Sara, dixit Dominus : Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius (337).

Sed ne crederet aliquis omnes, qui ex Isaac orti sunt æstimari in semine, quia dixerat : *In Isaac vocabitur tibi semen*, ideo subjungit : *Non solum autem* (338) *sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri ;* ac si diceret : non solum in filiis duobus Abrahæ hæc distinctio facta est, sed etiam Rebecca hanc distinctionem fecit, habens geminos ex uno concubitu patris nostri Isaac. Quibus verbis illius meminit loci quo legitur quia cum colliderentur gemini in utero Rebeccæ (*Gen.* XXV, 22), abiit consule Dominum, cui Dominus respondit : *Duæ gentes et duo populi in utero tuo sunt et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23) Per quos etiam duos Rebeccæ filios credentes et increduli designantur, per majorem Esau, increduli, per minorem vero Jacob credentes.

Sed quare addidit Apostolus *ex uno concubitu ?* Scilicet, ne diceretur quod Jacob suis vel parentum aut aliquorum propinquorum meritis electus sit, et quod excellentioris meriti et melioribus moribus fuerit pater ejus cum hunc quam cum fratrem seminavit, et mater alterius voluntatis cum eum quam cum fratrem concepit. Ostendit enim hoc dicto quia unum fuit patris meritum ad seminandum, et unum matris ad concipiendum utrosque. Nam etsi postea voluntatem variare potuit, utrosque inclusos utero habens, non uni (339) tantum, sed æque ambobus variavit.

Ad commendandam igitur gratiam Dei hoc dixit, volens ostendere quia ex uno patre et ex una matre, et uno concubitu, ambo nati sunt : sed alter indebita miseratione electus est, alter vero justo Dei judicio reprobatus. Ut nullus in se gloriari præsumat, sed qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* I, 31).

Igitur, ne forte aliquis diceret : prævidebat Deus bona opera in Jacob, ideoque elegit eum, similiter mala in Esau, propterea reprobavit eum ; subjunxit : *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, aut mali* (*aut secundum electionem propositum Dei maneret*) *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet minori.* In nondum natis nulla fides aut opera præcedere potuerunt, quibus alter eorum eligeretur, alter eorum reprobaretur. His autem verbis aperte ostenditur quia non electio pendet ex proposito, sed propositum ex electione. Non enim propositum electionem, sed electio præcedit propositum ; sicut ne justificatio gratiam, sed gratia justificationem ; ita non vocatio præcedit electionem, sed electio vocationem (340). Non tamen omnes qui vocantur eliguntur, quoniam, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX, 16). Manifeste itaque ostendit Apostolus quia sicut nullis suis meritis præcedentibus reprobatus est Esau, ita nullis meritis præcedentibus electus est Jacob. Si enim præcederent aliqua merita quibus Jacob eligeretur, præcederent utique quibus reprobaretur Esau. Sed mansit propositum Dei secundum electionem, quoniam sicut electio nullis præcedentibus meritis celebratur, eo-

(334) Vulg. *qui ;* sed et aliæ lectiones cum hac nostra consentiunt.

(335) Vulg. *per repromissionem.*

(336) Vulg. *promissionis sunt, æstimantur*, etc.

(337) Gen. XVIII, 10, Vulg. *revertens veniam ad te tempore isto.*

(338) Vulg. *autem illa.*

(339) Autog. *non unitati tantum.* Menda mihi visa est ex eo quod sequitur : *sed æque ambobus.*

(340) Jugantur hæc his quæ dicta sunt initio hujusce Epistolæ ad verba : *omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Et cum his quæ dicta sunt ad cap. VIII, ad ea verba : *his qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

dem Apostolo testante, qui alibi dicit : *Sic* (341) *et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, ita et prædestinatio, quam propositum vocat.

Non ergo ex operibus, quæ nulla præcesserunt, sed ex vocante gratia Dei dictum est ei *quia major serviet minori*.Quo dicto illius loci meminit ubi legitur quia,cum colliderentur gemini in utero Rebeccæ, et illa isset consulere Dominum, respondit ei Dominus : Duæ gentes (*Gen.* XXV, 22, 23) et duo populi in utero sunt,et populus populum superabit, et major serviet minori. Majorem Esau dicit, qui alio nomine dictus est *Edom*, a quo orta est gens Idumæorum ; minorem vero Jacob.

Hæc ergo prophetia juxta historiam tunc impleta est, qhando populus Judæorum,qui de minore fratre, id est Jacob, ortus est, per David regem superavit (342)populum Idumæorum,et eum sibi tributarium fecit,usque ad regem sub quo rebellaverunt, et ejecerunt jugum servitutis de collo suo. Aliter : Per majorem fratrem populus Judaicus designatur, qui prius venit ad Christi cognitionem ; per minorem vero, ecclesiasticus. Hæc ergo prophetia impleta est, quoniam populus Judæorum toto orbe terrarum dispersus servit ecclesiastico. Aliter : Per majorem carnalis populus, per minorem spiritalis designatur. Sicut enim illi duo in utero, ita et hi uno matris Ecclesiæ sinu clauduntur, et inter se invicem dimicant ; verum carnalis servit spiritali, quoniam spiritalis omnia adjudicat,ipse vero a nemine dijudicatur (*I Cor.* II, 14, 15.)

Ut autem suam narrationem prophetico testimonio comprobaret, subjunxit testimonium prophetæ longe posterioris, dicens : *Sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I, 2, 3). Ostendit enim quia quod in præsentia Dei ex antiquo consilio manebat per gratiam,apertum est per prophetam.

Sed quærendum est quid Dominus in Jacob dilexerit, aut quid in Esau odio habuerit.In Jacob, qui nondum natus nihil agere potuit,nihil aliud dilexit, nisi gratuitum suæ misericordiæ donum ; similiter in Esau nihil aliud odio habuit, nisi originale peccatum,cujus merito universa humani generis massa damnata est.

(343)Genus namque humanum adeo in ipsa radice damnatum est, ut, si nullus hominum salvaretur, nemo justam apud Deum posset invenire querelam, sed potius aliis pereuntibus disceret quia et ipse periret, nisi divina gratia erueretur.

Poterat aliquis ad hæc dicere : si verum est quod dicis ; ergo iniquus Deus, qui ex perdita humani generis massa alterum elegit ; alterum, nullis suis præcedentibus meritis, reprobavit.Ideoque Apostolus quæstionem sibi opposuit,subjungens:*quid ergo dicemus* ? (344) *Nunquid iniquitas apud Deum* ? Ac si diceret : Nulla hoc iniquitate Dei factum est,sed justitia et miseratione ; alterum enim per indebitam gratiam elegit ; alterum justissimo judicio reprobavit.

Et hoc vult quod ait : *absit*.Volens autem ratione probare quod dixerat, adjecit : *Moysi enim dicit : Miserebor cujus misertus fuero* (345), *et misericordiam præstabo cujus miserebor*. Sed nunquid solvit his verbis hanc quæstionem ? Utique magis eam ligare videtur.Quod tamen ita potest intelligi : cujus misertus fuero, eligendo et prædestinando, ejus miserebor, per gratiam vocando ; et cujus miserebor,per gratiam vocando,et misericordiam præstabo, ad fidem perducendo et justificando.

Et quia dixerat Jacob per indebitam gratiam Dei electum, mox generalem sententiam, ad eamdem gratiam commendandam,intulit,dicens : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Sane sciendum quia sicut nullus credit, nisi divina vocante gratia, ita nullus credit, nisi volens. Cur ergo dicit Apostolus : *Non volentis, neque currentis est* ? Scilicet, quia utrumque, id est,voluntatem et cursum ad divinam gratiam referre voluit. Non est enim volentis hominis,quia bonum velle a se ipso habere non potest ; non est currentis, quia per se currere, id est bonis operibus proficere non potest ; sed miserentis Dei, cujus gratia præventus (346) bonum velle accipit, et cujus misericordia adjutus bene currere sufficit.

Verumtamen sicut voluntas nostra et cursus nihil boni operari potest, nisi divina gratia præveniat, ita et gratia Dei nihil in nobis boni operatur, nisi voluntatem nostram divinæ voluntati jungamus.

Sicut ergo dicimus : *Non voluntis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, itane dicere possumus : Non miserentis Dei, sed volentis, et currentis est hominis ?Sed quis hoc dicere audeat ?Nunquid hoc sensit Apostolus ?Absit.Imo totum ad illum referri voluit, de quo scriptum est : *Voluntas autem a Domino præparatur ;* ipse quippe præparat, et præparatam juvat.

Sequitur : *Dicit enim Scriptura Pharaoni*, etc. Dixerat superius : *Jacob dilexi* ; propterea testimonium posuit Scripturæ dicentis : *Miserebor cujus misertus fuero, et misericordiam præstabo, cujus miserebor ;* unde et generalem intulit sententiam, dicens : *Igitur non volentis*, etc., quod utique propter eos ait qui divina gratia liberati justificantur.

Rursum, quia dixerat : *Esau odio habui*, propterea hoc testimonium intulit : *Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te*, etc., quod utique propter eos dictum est, super quos ira ma-

(341) *Rom.* XI, 5. In autog. legitur *sicut* loco *sic*.
(342) In autog. *separavit*.
(343) Quæ immediate præcedunt,et quæ sequuntur notatu valde digna.
(344) In autog. marg. hic legitur cap. XXVI.
(345) Exod. XXXIII, 19. Vulg. *cujus misereor*.
(346) En gratiam prævenientem. Junge hæc cum iis quæ inferius habentur ad cap. XI interpretationem,et ad ea verba : *Palam apparui his qui me non interrogabant*.

net, et qui justissimo ejus judicio condemnantur.

Sciendum itaque quia consummatio peccatorum finem et modum peccantibus imponit : quod non solum mortuis,sed etiam viventibus accidit,quemadmodum Sodomitis, Jebusæis, et Pherezæis, cunctisque gentibus Chananæorum. Hujus igitur Pharaonis peccatum jam consummatum erat,et tempus instabat ut puniretur ; ideoque excitavit illum Deus ; patratis namque miraculis in Ægypto, filios Israel liberavit, ut crederent in Deum Israel, et discerent non timere suos adversarios, eosque redderet cautiores. Hic autem, quamvis occultum (347), malus erat ; sed ut qualis esset manifestaretur et puniretur, idcirco excitavit illum Deus. Et nota quia non ait : creavi te, aut feci te, sed *excitavi te*. Omnis enim creatura Dei bona ; sed hic sua malitia factus est malus.

Non antem quod originale peccatum destruamus, sed originali peccato simul et sua malitia factus est malus.

Sic ergo a Domino dictum est *excitavi te*, ac si (348) teneat quis duo vascula in manibus, alterum balsamo,alterum fetore plenum ; quæ si concusserit, nemo ei recte dicere potest : fecisti odorem, aut fetorem,sed : excitasti hoc fetoribus plenum.Dominus ergo, factis miraculis, excitavit Pharaonem, ut, dum non crederet, puniretur ; nam filios Israel siccis pedibus mare transire fecit,illum cum exercitu suo in mare demersit.Unde subditur:*Ut ostendam in te virtutem meam*.Quo facto nomen illius in universa terra annuntiatum est. Et ob hoc sequitur : *Ut annuntietur nomen meum in universa terra.*

Denique, quia ostendit quoniam Jacob Deus per indebitam gratiam elegit, Esau et Pharaonem justissimo judicio reprobavit, mox generalem intulit sententiam, dicens : *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (349). Cujus vult miseretur, secundum gratiam, quæ gratis tribuitur ; quem vult obdurat, secundum justissimum judicium, quod meritis redditur. Obdurat autem, non quia molle cor durum faciat, sed quia durum non mollificat, dicitur obdurare. Obdurare enim dicitur, non quia peccatores cogit aut impellit ut peccent,ipse quippe neminem cogit peccare, sed quia justificationem suæ gratiæ peccatoribus non largitur, eos dicitur obdurare, quorum non vult misereri. Obdurat,non irrogando unde fiat homo deterior,sed non irrogando unde fiat melior. Obdurat, non impertiendo malitiam,sed non impertiendo justitiam.Obdurare ergo Dei nihil est aliud, nisi nolle misereri.

Sed poterat aliquis dicere : si Deus quos vult obdurat,quid ergo peccamus,si (350) bonum non agimus,aut malum aliquod operamur,præsertim cum humana fragilitas divinæ voluntati resistere nequaquam possit ?

Videns ergo hanc quæstionem oriri posse ex verbis suis, ipse eam sibi opposuit dicens : *Dicis itaque mihi : Quid adhuc quæritur* ? Id est, si Deus quos vult obdurat,quam homo querelam deponere potest adversus Deum, dum malum operatur ? Et quasi causam infert : *Voluntati enim ejus quis resistet* ?

Sed hujus quæstionis imprudentiam vehementer repressit, subjungens : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* ? (351) Quod non de inopia, sed copia suæ scientiæ protulit ; nec cum levitate,sed magna gravitate legendum est,ut sit sensus : O homo,cum sis fragilis, pulvis et cinis, quis es, ut querelam Deo objicias,cur aliorum misereatur,alios obduret?

Unde et congruentissimam intulit similitudinem, dicens:*Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit:Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* ? Et est sensus : Cum scias te esse figmentum,et ex massa perdita ortum,et intelligas quia figmentum non dicit fictori suo : Quid me fecisti sic? et figulus potestatem habet ex eadem massa facere aliud vas in honorem,aliud in contumeliam ; quam querelam Deo objicere justam poteris,si alios salvat, alios obdurat ? Omnipotens quippe est, et quod vult facit ; sed vas in honorem facere manifesta est clementia,in contumeliam vero,justissimum ejus judicium. Oportet ergo ut perpetuo silentio quiescas.

Sed poterat aliquis dicere: Quare Deus ex massa perdita alia vasa in honorem facit,alia in contumeliam ? Cur non omnia in honorem facit ?

Ad hæc quasi respondet Apostolus,quia omnipotens est, et quod vult facit ; et hoc est quod infert (352): *Quod si volens Deus ostendere iram,et notam facere potentiam suam,sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*.Subintelligitur:O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ?

Iram non animi perturbationem dicit quæ solet esse in hominibus, sed justam et fixam Dei vindictam, quam exercet in peccatores : *Potentiam* vero qua etiam malis bene utitur. *Vasa iræ* reprobos,in quos Deus justo judicio vindicat : vas enim illius rei vas esse dicitur,cujus plenum est.*Apta* autem dicit præparata, non a Deo, sed originalis peccati suisque meritis.

Pulchre itaque dicit : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum* ; quoniam Deus multa patientia exspectat reprobos, ut convertantur : quibus non conversis,omnipotentia sua facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.

Quare hoc ? Volens scilicet ostendere iram,id est, qua peccatores non conversos juste condemnat, et potentiam suam, qua malis bene utitur, dum eis multa bona temporalia tribuit, dans tempora serena et fructifera, implens corda eorum cibo et lætitia.

Cur autem totum hoc faciat, ostendit sanctus

(347) Legendum fortasse *occulte*, vel *occultim*.
(348) Nota pulcherrimum exemplum.
(349) Vulg. *indurat*.
(350) In autog. *nisi*.
(251) Hic in autog. legitur cap. XXVII.
(352) In autog. hic legitur cap. XXVIII.

Apostolus, subjungens : *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. Idcirco enim diu peccatores exspectat, ut, dum non convertuntur, juste puniantur; ac per hoc sancti intelligant quoniam nullis suis meritis, sed sola gratia Dei justificantur; nec de bonis operibus, quasi propriis, se extollant, sed illis pereuntibus agnoscant quia et ipsi cum eis perirent, nisi divina gratia liberarentur.

Vasa misericordiæ vocat electos, quos Deus sola misericordia fecit vasa in honorem, quæ et præparavit in gloriam : quoniam ex massa perdita illos elegit, et justificavit, quibus et ipse glorificetur, et quos introducat ad gloriam.

Unde et præmisit : *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ :* divitias quippe gloriæ suæ ostendit, ex massa perdita, vasa in honorem; bonitas namque ejus adeo omnipotens est, ut vasa iræ et dissensionis commutare valeat in vasa misericordiæ et pacis.

Et ut ostenderet quæ dixerit vasa misericordiæ, subjunxit : *Quos et vocavit nos;* id est nos, quos et vocavit; ac si diceret : in nos, quos præparavit, id est prædestinavit in gloriam, et vocavit per gratiam.

Sed ne putaretur Judæos solum intelligere voluisse, quoniam ex Judæis ortus erat, addidit : *Non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus*. Quibus verbis ostendit quia non illi tantum filii sunt Abrahæ, qui ex ejus stirpe descendunt, sed quicunque ex omnibus gentibus vestigia fidei Abrahæ imitantur, computantur in filiis Abrahæ. Ostendit etiam quia per duos filios Rebeccæ, non Judaicum et gentilem populum, sed credentem et incredulum intelligere voluit; per Rebeccam namque sancta designatur Ecclesia. Quod autem de ea legitur, quia abiit consulere Dominum, non intelligendum est quod uxor tanti patriarchæ Deum localem crediderit, et eum incessu pedum abierit consulere; sed abiit, dicit Scriptura, hoc est, in virtutibus profecit. Moraliter per Rebeccam fidelis quæque anima designatur; per duos ejus filios, exercitus vitiorum atque virtutum. Unde apte dicitur : *Major serviet minori*, quoniam etsi major sit vitiorum exercitus, sæpe tamen illum superat exercitus virtutum. *Sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam* (*Osee* II, 24; *I Petr.* II, 10). Hoc testimonium sancti apostoli de vocatione gentium intellexerunt. Gentilis enim populus non erat plebs Dei, quoniam idolis serviebat; sed factus est plebs Dei dilecta, et misericordiam consecuta, quoniam per Christi fidem justificari meruit, et tantam accepit potestatem, ut filius Dei fieret, juxta Joannis vocem dicentis : *Quotquot autem receperunt eum* (*Joan.* I, 12), etc. Unde et mox subditur a propheta : *Et erit, in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi* (*Ose.* I, 10). *In loco* dicit in toto mundo, ubi gentiles habitabant, quibus dictum est : *Non plebs mea vos*, quia idola colebant; sed ipsi postea filii Dei vocati sunt, quia ex omnibus gentibus credentes, filii Dei facti sunt. *Vivi* autem *Dei* dicit, a distinctionem mortuorum.

Hujus loci sensum Dominus exponit secundum alterum prophetam dicens : *Ponam Jerusalem in toto orbe terrarum;* Jerusalem namque in toto orbe posita est sancta Ecclesia per totum mundum diffusa.

Et quia dixerat : *Non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus*, volens ostendere quia pauci crediturі erant ex Judæis, addidit : *Isaias autem clamabat* (353) *pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Prævidit quippe propheta paucos ex Judæis credituros, idcirco reliquias tantum dixit salvandas.

Unde Apostolus, ut prophetici cordis dolorem ostenderet, præmisit : *Isaias clamabat.*

Per arenam ergo increduli, per reliquias credentes designantur. Utrumque enim Abrahæ promissum est, dicente Domino : *Multiplicans multiplicabo semen tuam sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris* (*Gen.* XXVI, 4). Qui enim illic per stellas, hic per reliquias ostenduntur.

Sed quomodo reliquiæ salvæ factæ sunt, aperitur, cum subditur : *Verbum enim consummans et brevians in æquitate* (subintelligitur : salvas faciet Dominus reliquias). Verbum *Dominus consummmavit*, quia omnia legis præcepta perfecit. Unde idem Apostolus : *Finis legis est Christus* (*Rom.* X, 4). Verbum breviavit in æquitate, quia quæ longe lateque in lege diffusa sunt, Dominus paucis verbis comprehendit, dicens : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (*Matth.* XI, 29, 30).

Quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Per verbum breviatum Evangelii doctrina aptissime intelligitur, quoniam quæ per innumerabiles observationes populo Dei præcepta sunt, Dominus in duobus præceptis contineri ostendit, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in omni mente tua, et ex omnibus viribus tuis et proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII, 37). Unde et continuo subdit : *In his duobus mandatis tota lex pendet, et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Sive breviatum verbum dicit dominicæ fidei symbolum, in quo constitit totius Ecclesiæ salus atque perfectio. Est enim quasi signum Ecclesiæ; nam sicut exercitus aliquo signo ab invicem discernuntur, ita hoc signo discernuntur fideles ab infidelibus. Aliter, verbum breviatum dicit dominicam orationem, quam Dominus ideo tam brevem docuit, quia novit Deus quoniam humana fragilitas diu in eadem intentione manere non potest, quatenus unusquisque orationis tempore colligat mentem suam, et repulsis omnium terrenorum negotiorum curis, id solum cogitet quod orat.

Igitur, quia ostenderat prophetæ testimonio pau-

(353) Vulg. *Clamat.*

cos ex Judæis credituros, ut arctius hoc approbaret, ejusdem prophetæ testimonium subdidit, dicens : *Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* (*Isa*; I, 9).

Sabaoth Hebræa lingua, Latine dicitur *omnipotens*, vel *exercituum*. Et est sensus : nisi Dominus Omnipotens, aut exercituum, reliquisset nobis semen, hoc est, sua gratia non paucos salvasset, sicut Sodomitæ et Gomorrhitæ ita et nos omnes periremus. Et nota quia pulchre dicit *semen*, hoc enim seminatum est in toto orbe terrarum.

Poterat ad hæc fortasse aliquis dicere : Qua justitia Dei factum est ut pauci ex Judæis et plures eligerentur ex gentibus, cum illi Dei cognitione habuerint, legemque a Deo acceperint, isti vero semper idola coluerint? Ob hoc se Apostolus interrogat. inferens : (354) *Quid ergo dicemus? Quia gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectans legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit;* ac si diceret : Nunquid iniquitate Dei hoc factum est? Absit. Quid ergo dicemus? Nisi : O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Clamemus igitur cum Psalmista : *Justitia Domini abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Item : *Quam terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 5). Terribilis enim est in consiliis super filios hominum, quoniam quid in Dei consilio de se dispositum sit nullus sufficit intelligere.

Gentes igitur, quæ non sectabantur justitiam, quoniam idola colebant, propter quod justificari non merebantur, apprehenderunt justitiam, quoniam dum non suis meritis aut viribus se salvari posse cognoverunt, per fidem Christi justificatæ sunt : ideoque dicit Apostolus : *Justitiam autem quæ ex fide est.*

Israel vero sectans legem justitiæ, id est legem Veteris Testamenti, in qua præceptum est quemadmodum populus Dei hostiarum oblationibus purificaretur, dum ejus operibus se salvari posse credidit, in legem justitiæ non pervenit. Sciendum quia per legem justitiæ gratiam Evangelii dicit, per quam homo justificatur.

Et quia poterat aliquis interrogare quare hoc factum sit, idcirco ipse interrogat, dicens : *Quare?* Et respondet : *Quia non ex fide, sed ex operibus* (355) *legis* (subintelligitur, se salvari posse crediderunt). Nam quia suis meritis legem se accepisse, et suis viribus implere posse, ejusque operibus salvari crediderunt, idcirco justificari non meruerunt.

Offenderunt enim in lapidem offensionis. Lapis offensionis est Christus, qui lapis dicitur propter humanæ fragilitatis humilitatem. Dum enim humilis homo inter homines apparuit, quasi lapis jacuit; sed Christus tantum lapis est videntibus, lapis offensionis cæcis, id est incredulis, nam cæci offendunt ad lapidem. Lapis iste prius parvus, juxta Danielis prophetiam, crevit, et factus est mons magnus, quoniam Christus factus humilis homo agnitus est Deus, et adoratur a cunctis gentibus. Hunc lapidem offenderunt Judæi, quoniam purum hominem putantes, in eum credere noluerunt. *Sicut scriptum est : Ecce ponam* (356) *in Sion lapidem offensionis, et petram scandali.* Hæc verba Dei Patris sunt ad prophetam. Sion mons est Jerusalem. Dominum ergo in Sion lapidem offensionis posuit, quoniam Filium suum ex Judæis carnem sumere fecit. Petra autem Christus dicitur, propter fidei soliditatem. Ipse enim est fidei fundamentum, sive quia inexpugnabile et singulare præsidium est omnibus ad se confugientibus. Sed petra scandali factus est Judæis, quoniam mortuum hominem videntes, scandalizati sunt, et in eum credere despexerunt. Unde idem Apostolus alibi : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I, 23).

Et omnis qui crediderit in eum non confundetur. Credulitas illa accipienda est hoc loco, quæ operibus adimpletur; confusio vero quam soli mali habebunt in die judicii, cum eorum peccata omnibus manifesta erunt. Unde alibi idem Apostolus : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum* (*I Cor.* IV, 5), etc. Et Dominus in Evangelio : *Nihil est opertum quod non reveletur* (*Matth.* X, 26). Quicunque igitur crediderit, et fidem suam operibus adimpleverit, non confundetur quia in peccatis, unde ei confusio sit, non invenietur, quæ solis erit reprobis, quibus dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41), etc.

Quia gentiles laudibus prætulit, (357) dicens eos apprehendisse justitiam, Judæos vero offendisse in lapidem offensionis, ne ob hoc gentiles extollerentur, adjecit (358) : (CAP. X) *Fratres voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* Ac si diceret : Nequaquam propter hoc extollamini, quoniam non vestris meritis, sed sola gratia Dei salvi facti estis; et quamvis Judæi in Christum offenderint, tamen voluntas cordis mei, et obsecratio ad Deum pro illis fit, ut convertantur, et credant, aliter enim salvari non possunt.

Oratio ergo Apostoli, et fides credentium, qui pro Judæis incedulis orabant, etsi gratiam Dei præcesserit, numquid fides eorum qui nondum credebant gratiam Dei præcessit? Minime. Quoniam Apostolus pro illis orabat qui nondum credebant, ut eis fides daretur a Deo. Parum quippe putabat quod eis in-

(354) In autog. marg. hic c. XXX.
(355) Vulg. *sed quasi ex operibus.*
(356) Isaiæ VIII, 14, et XXVIII, 16, Vulg. *pono.*
(357) Hic incipit Vulg. cap. X.
(358) In autog. marg. hic legitur cap. XXXI.

stanter Evangelium prædicabat,nisi pro eorum fide etiam Deum rogaret.

Fratres autem dicit gentiles, quoniam credendo facti sunt filii Dei, ac per hoc fratres erant Apostoli.

Igitur volens ostendere quoniam Judæi ignoranter peccabant, dum præcones gratiæ persequerentur, adjecit: *Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam;* acsi diceret: Novi, et scio; apud illos talis et ipse fui, cum persequebar Ecclesiam Dei. Hujus autem loci sensum Dominus secundum Joannis Evangelium exponit,dicens: *Venit hora,ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo*; item: *Hoc faciunt, quia non noverunt Patrem, neque me* (*Joan.* XVI, 2).

Sed quærendum de qua scientia hic dicat Apostolus. Nunquid de illa quæ sine charitate inflat (*I Cor.* VIII, 1)? Non. Imo de illa quæ charitatis comes et magistra humilitatis est. Vere namque, et tota scientia homini est scire; quia nihil per se potest, et quia quidquid est, ex Deo et per Deum est. Hanc scientiam Judæi non habebant, quoniam in lege gloriabantur; ideo persequebantur præcones gratiæ.

Et tanquam diceret aliquis: Ostende, Apostole, quæ sit hæc scientia, quam tanquam utilem commendas, et quam in Judæis doles non esse: idcirco, exponendo, subjunxit: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quærentes statuere justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Justitia Dei est,non qua ipse, sed qua homo justificatur, et quæ homini a Deo datur.

Justitia ergo Dei est Christus, sive fides Christi, per quam justificatur qui credit in eum, qui justificat impium. Hanc justitiam Dei ignorabant, quoniam ægroti medicum non quærebant, et de legis operibus gloriantes, peccatores se confiteri dedignabantur. Gloriantes autem in legis operibus,gratiam Dei a se repellebant.

Justitiam illorum dicit,qui ea se justificari posse putabat, æstimantes se legem suis meritis accepisse,et suis viribus implere posse. Hanc justitiam statuere volebant; id est,gratiæ Dei præferre, *ideoque justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Hinc alibi idem Apostolus dicit: *Quod si ex lege est justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Gal.* II, XXI). Si autem Christus non gratis mortuus est, (359) in illo solo impius justificatur.

Volens autem Apostolus ostendere,quæ esset hæc justitia Dei, addidit: *Finis enim legis Christus est, ad justitiam omni credenti.* Finis legis Christus, non consumptionis, sed consummationis, quoniam non legem consumit, sed perficit, juxta quod in Evangelio loquitur: *Non veni solvere legem, sed implere* (360).

Finis est Christus. Qui in ipso credimus,quando bonam viam ingredi incipimus, et ipsum solum videbimus, cum ad illum perveniemus. Finis Christus dicitur, quoniam ad illum referimus quidquid agimus; et cum ad ipsum perveniemus,nihil ultra quod quæramus, habebimus.

Finis itaque noster, perfectio nostra esse debet. Perfectio autem nostra Christus est, quoniam in ipso perficimur (361), cujus capitis membra sumus. Recte igitur finis Christus dicitur, quoniam nemo sine ipso perficit legem.

Finis autem legis Christus est omni credenti ad justitiam; quoniam quicunque per finem Christi justificatur, in ipso perficitur.

Igitur, ut aperiret, quam dixerit justitiam Judæorum, subjunxit: *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo vivet in eis* (362). Ubi notandum, quia non ait *in ea*, sed *in eis*, id est legis præceptis, sive operibus. lege est. pro operibus legis posuit. Qui, ergo fe- Unde apparet, quoniam Moyses justitiam, quæ ex lege est pro operibus legis posuit. Qui ergo fecerit, quæ ex lege est, justitiam, id est opera legis, vivet in eis, quoniam præmium accipiet vitæ præsentis. Timet enim ne, si (363) opera legis non faciat, crucifigatur, aut lapidetur, vel aliquid hujusmodi patiatur. Vivit itaque, quia præmium accipit, ne corporis morte puniatur. Impletores autem gratiæ,non præsentis vitæ præmium accipiunt, sed æternæ, juxta illud: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal.* CXXVI, 3): Cum enim somnum mortis electi capiunt, tunc ad hæreditatem æternæ vitæ perveniunt.

Sed poterat aliquis dicere: Si Moyses dicit: *Justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo: vivet in ea* (364): (365) quæ ex fide est justitia, quid dicit? Idcirco subjunxit Apostolus: *Quæ autem ex fide est justitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo quis ascendit in cœlum* (366)? *Id est Christum deducere*, etc. Præcedens testimonium Apostolus de Levitico sumpsit; hoc autem Deuteronomio, quod

(359) Nota pulcherrimam sententiam.

(360) Matth. v, 17., Vulg. *sed adimplere.*

(361) Autog. *perficimus*, vel etiam recte legeris *perficimus*, si *legem* subintelligas.

(362) *Levit.* XVIII, 5; *Ezech.* XX, 11., Vulg. loco *in eis* habet *in ea*, cum tamen idem Apostolus ad Galat. c. III, v. 12, in eadem fere sententia et occasione ita habeat: *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea vivet in illis;* id est, *operibus*, quæ superius nominata sunt, et ad quæ refertur pronomen *illis*. Levitici autem et Ezechielis paulo superius citati textus, e quibus hanc sententiam haurire videtur Apostolus, habent *vivet in eis*, id est, *præceptis*, de quibus paulo superius in citatis textibus mentio habetur. Revera alia etiam exemplaria hujus Epistolæ habent *in eis.*

(363) In autog. loco *ne si* legitur *nisi.*

(364) Ibi habet autog. *in ea.*

(365) Subintellige *de ea quæ fide, etc.*

(366) *Deut.* XXX, 12. Punctum interrogationis in autog. nullibi.

interpretatur recapitulatio legis (367). Unde et apte gratiam Evangelii designat.

Quærendum est autem qua intentione Moyses hoc dixit, vel qua Apostolus in testimonium sumpserit. Moyses hoc dixit, docere volens filios Israel, quia non eis necesse erat, extra, id est a cœlo, vel abysso, divinum petere præceptum, quippe cum legem Domini præ oculis haberent, dummodo vellent implere.

Ait ergo : *Ne dixeris*, etc., ac si diceret : Tu, quicunque es, Israelita, ne dixeris in corde tuo : Quis ascendit in cœlum, ut inde nobis afferat divinum præceptum, ut audiamus, et intelligamus, et impleamus ? *Aut quis descendit in abyssum*, ut nobis referat quid in inferno agatum, et sciamus quid nos agere oporteat? Quoniam præ oculis habes Dei præcepta ; esto tantum impletor. Unde et mox subditur : *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo.*

Verbum præceptum Dei vocat ; ac si diceret : Prope est verbum in ore tuo, quia legis, et in corde tuo, quia meditaris.

Apostolus autem hoc testimonium sumpsit, volens ostendere Christum verum Deum, et verum hominem, et non localem ; nec in cœlo tantum, sed ubique eum regnare cum Patre ; non tamen corpore diffusum, sed potestate dilatatum, ut sit sensus : (368) Tu, quicunque es, fidelis, ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum ? id est, ne credas Christum solum Deum esse, et non hominem factum, et eum tantum in cœlo habitare, et abyssum ejus præsentia vacare. Unde et exponendo, de suo addidit : *Hoc est Christum deducere* : nam libro Deuteronomii non habetur.

Sequitur : *Aut quis descendet in abyssum ?* Id est, ne credas purum hominem fuisse passum, mortuumque ad Inferna descendisse, it ibi eum detineri, cœlumque ejus præsentia vacare. Unde et exponendo subjunxit : *Id est Christum a mortuis revocare.* Ipse enim verus Deus, et homo est, ubique totus. Igitur, quasi dicere vellet aliquis : Si lex fidei dicere prohibet, quis ascendet in cœlum, etc. ? Quid ergo dicendum, subjungit Apostolus, volens ostendere, quomodo ubique sit totus ? *sed quid dicit Scriptura ? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo* (*Deut* xxx, 14) ; tanquam diceret : Quia Christus Verbum Dei Patris ubique totus est ; idcirco et in ore tuo, et in corde tuo : ipse enim et bene cogitandi, et bene loquendi gratiam tribuit. Christus namque non solum Verbum est Dei Patris, sed etiam charitas, et veritas, et sapientia. Igitur sicut hæc omnia, ita et Christus, non loco, sed meritis continetur (369).

Ut autem ostenderet de quo dixerit verbo, subjecit ; *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Verbum fidei* dicit, quia per ejus fidem impius justificatur.

Rursus, ut aperiret quæ esset ejus prædicatio, adjunxit : *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.*

Prævidit Apostolus, quoniam futuri erant qui Christum ore confiterentur, sed credere nollent ; item, qui eum corde crederent, sed propter tormenta, et supplicia confiteri vererentur ; ideoque utrumque simul posuit, id est, credulitatem, cordis et oris confessionem, volens ostendere quia neutrum sine altero sufficit ad perfectionem. Hinc Dominus in Evangelio dicit : *Si quis confessus fuerit me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* x, 32). Et nota, quia non ait : Credideris, quia natus est, passus et mortuus, sed *quia Deus illum suscitavit a mortuis.*

Nam et pagani illum mortuum credunt, et nobis hoc pro crimine objiciunt : non ergo nostra laus in hoc est, si eum tantum mortuum credimus, nisi credamus, et resurrexisse, et nos ad ejus exemplum resurrecturos esse.

Mortuum autem, et nos credimus, quoniam aliter eum resurrexisse credere non valemus.

Ut autem arctius commendaret, quia, nec cordis credulitas sine oris confessione, nec hæc sine illa, ad salutem satis est, addidit : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem.* Quibus verbis ostendit, quoniam qui Christum verum Deum, et verum hominem corde credit justificari meretur, quia, suorum peccatorum remissionem consequitur. Sed ad perfectam salutem non sufficit, nisi et ore confiteatur : quoniam Dominus in Evangelio dicit : *Qui me negaverit coram hominibus negabo et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* x, 33).

Scriptura enim dicit : Omnis, qui credit in eum, non confundetur (*Isa.* xxviii. 16). Quæ sententia paulo superius est exposita. Quæ ne forte de solis Judæis dicta videretur, propterea subditur : *Non enim distinctio Judæi et Græci.* Cujus loci sensum coapostolus ejus Petrus exponit, dicens : *Quoniam in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* x, 36).

Quare autem distinctio non sit Judæi et Græci, superius Apostolus ostendit, cum præmissa hac sententiola intulit : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* iii, 23). Unde hic quoque subjungitur : *Nam idem Dominus omnium*, Christus scilicet, qui omnium dominatur, quoniam per ipsum facta sunt omnia. *Dives in omnes qui invocant illum*, quoniam omnibus se invocantibus suæ gratiæ donum largitur. Nam etsi a primo homine, usque ad eum qui ultimus nasciturus est, omnes crederent,

(367) Levit. xviii, 5., A Græco δευτερος secunda, νομος lex.

(368) In autog. marg. hic legitur cap. XXXII.

(369) Potestate scilicet, non humanitate, uti paulo superius.

omnibus haberet quod tribueret : nam quo amplius tribuit tanto magis abundat.

Volens autem prophetico testimonio (*Joel.* II, 32; *Act.* II, 21) comprobare quod dixerat, addidit : *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Omnis, dicit, id est, tam Judæus, quam gentilis. Invocatio autem, non illa accipienda est, quæ verbis tantum, et non operibus tenetur, quoniam Dominus in Evangelio dicit : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Omnis ergo quicunque invocaverit verbis simul, et operibus nomen Domini, salvus erit.

Genus quippe humanum originalis peccati magna miseria premebatur, et divina misericordia indigebat, ac per hoc propheta tempus gratiæ prævidens, dicebat : *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel.* II, 32).

Apostolus autem hoc testimonium ad commendationem gratiæ Dei posuit, volens ostendere hoc non solum de Judæis, sed etiam de gentibus dictum. Propter igitur oratio Dominica facta est, ut homines invocando, et orando salventur.

Illud autem sciendum, quia multi erant, qui dicebant Evangelium solis Judæis esse prædicandum, quorum errorem ut destrueret Apostolus subjunxit : *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* (370) Quibus verbis evidenter ostendit prædicatores etiam ad gentes directos ; aliter enim non crederent, et invocando non salvarentur (371). Propter hoc itaque factum est symbolum, ut homines, credendo, et invocando salvarentur. In his enim duobus illa tria continentur, fides, spes, et charitas : fides credit, spes, et charitas orant verum, quia illæ sine fide esse non possunt, et hæc cum illis orat.

Ut autem arctius probaret etiam ad gentes destinatos apostolos, postquam intulit : *Quomodo autem credent ei, quem non audierunt?* Adjecit : *Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Si enim ad gentes missi non essent prædicatores, non eis prædicarent ; illis non prædicantibus, gentes non audirent ; non audientes, nequaquam crederent, non credentes autem, nullatenus invocarent, et salvarentur. Non ergo gentium, sed ejus esset culpa, qui non destinaverit prædicatores.

Sed, volens ostendere quia et directi sunt, et gentes credendo invocaverunt, et salvæ factæ sunt addidit testimonium Isaiæ dicentis : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem!* (*Isa.* LII, 7 ; *Nahum.* I, 15.)

Quam particula plerumque pro admiratione ponitur, ut est illud. *Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine!* (*Psal.* LXXXIII, 2.) Item : *O Israel, quam magna est domus Domini!* (*Baruch.* III, 24.) Sic et hoc loco : prævidit enim sanctus Isaias spiritalibus oculis prædicatores in gentibus discurrentes, et admirando dicebat : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem!* Pedes autem non corporales, sed spiritales intelligere debemus : habet enim interior homo suos pedes, sicut et nares et oculos. Pedes ergo justi, sunt spiritales affectus, et sancta desideria, quibus prædicatores gentium salutem desiderabant. Sed hi pedes, quem viam ambulant? Illam scilicet, quæ de se dicit : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Pacem illam dicit, de qua scriptum est : *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14).

Igitur, ut ostenderet quid sit Evangelium, subjunxit : *Evangelizantium bona.* Evangelium (372) quippe Latino sermone *bonum nuntium* dicitur : nam bona nuntiat ; vitam scilicet post mortem, requiem post laborem, patriam post exsilium.

Verum, quia non omnium est fides, propterea subditur : *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Videlicet, quia non omnes credunt. *Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro?* (*Isai.* LIII, 1 ; *Joan.* XII, 38.)

Quis aliquando pro difficultate ponitur, ut illud : *Quis in nubibus æquabitur Domino?* (*Psal,* LXXXVIII, 7.) Item : *Quis similis Deo inter filios Dei?* (*Exodi* XV, 11.) (subauditur enim, nullus.) Aliquando vero pro raritate, ut hoc loco ; item, *Quis ascendet in montem Domini?* (*Psal.* XXIII, 3.) etc.

Præviderat nempe sanctus propheta paucos ad prædicationem apostolorum credituros ; ideoque in voce ipsorum dicebat : *Domine, quis credidit auditui nostro?* (ac si diceret, perrarus.)

Et, quia dixerat : *Auditui credidit,* propterea subjungit : *Ergo fides ex auditu.* Nullus enim credit, nisi audiat. Igitur, quia auditus non est ex nihilo, sed alicujus rei est sonus, propterea subditur : *Auditus autem, per verbum Dei* (373), id est, per doctrinam et prædicationem Dei.

Diceret forte ad hæc aliquis : Qui non credunt, quia non audierunt, propterea non credunt. Ob id subjungit Apostolus : *Sed dico : Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Ac si aperte diceretur : Si in omnem terram exivit sonus eorum, et verba illorum usque in fines orbis devenerunt, illi, qui in medio fuerunt, utique audierunt.

Et nota quia sicut hic, et in sequentibus invenimus, prophetæ verbis præteriti temporis utuntur in rebus futuris, quoniam fixum immutabile esse prævidebant, quod futurum esse prædicabant.

Igitur, ne quis diceret propter hoc Judæos non credidisse, quoniam, licet audierint, non cognoverunt, propterea subjungit Apostolus : *Sed dico : Nunquid Israel non cognovit?* Volens autem ostendere,

(370) Hic in marg. autog. legitur cap. XXXIII.
(371) In autog. *sanarentur :* sed *salvarentur* legi debere certum fiet ex his, quæ immediate sequuntur.
(372) In autog. *evangelizantium.*
(373) Vulg. *Christi :* sed aliæ lectiones cum autog. nostro consentiunt.

quia et audierunt, et cognoverunt ; sed propter gentilium invidentiam credere noluerunt, addidit : *Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem ; in gentem insipientem, in iram vos mittam* (*Deut.* XXXII, 21 ; *Rom.* X, 19).

Æmulatio aliquando pro imitatione ponitur, sicut est : *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII, 31). Aliquando pro zelo invidiæ, ut hoc loco, *non gentem*, populum vocat gentilem, qui recedens a Deo colendo, nomen gentis amisit, et insipiens factus est.

Moyses ergo prævidens gentiles ad fidem venturos; Judæos autem invidentes in infidelitate permansuros, ait in voce Domini : *Ego ad æmulationem vos adducam*, etc. Et est sensus : Cum videritis populum illum, qui recedens a Deo, idolisque immolans, factus est insipiens, ut nomen gentis amiserit (374), in me credere, irascemini, et indignabimini (375) ; et invidia tabescetis, ac per hoc in infidelitate manebitis. Aliter : Populus gentium prius populus erat Dei, sed recedens a Deo, et dæmonibus serviens, miserum nomen gentis accepit : non gentem ergo, populum gentilem dicit, eo quod idola deserendo, et credendo in Christum, factus sit populus Dei, et miserum nomen gentis amiserit.

Præterea volens ostendere gentiles gratia Dei præventos, ut crederent, subjunxit testimonium Isaiæ dicentis in persona Domini : *Inventus sum non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Isaias enim omnes minas, et persecutiones Judæorum contemnens, et pretiosius habens Evangelium Christi quam se, audacter eis prædicebat gentes Dei gratia præveniendas, ut crederent ideoque præmisit Apostolus : *Isaias, audet, et dicit.*

Sed quod ait : *Inventus sum*, non intelligendum est, quod eum prius gentes invenerint : sed quia quæsitæ, et inventæ sunt, ideo quærere, et invenire meruerunt. Nam, quomodo inventus sit, ipse manifestat, cum dicit : *Palam apparui his, qui me non interrogabant* (376). Palam namque his, qui se non interrogabant, apparuit ; quia, sua gratia illos præveniens, multa signa, et prodigia ostendit, quibus crederent (577).

Sed, ne diceret aliquis Judæos propterea non credidisse, quia signa, et miracula non viderint, subdidit : *Ad Israel autem dicit* (subintellige, Isaias) : *Tota die expandi manus meas*, etc. (*Isai.* LXV, 2.) Ubi notandum, quia non ait, mense, vel anno, sed, *tota die*, id est, omni tempore. *Manus* autem, vocat opera. Omni tempore manus suas extendit Judæis, non solum prædicando, sed etiam multa signa, et prodigia faciendo : primo per patriarchas, dehinc per legislatorem, deinde per prophetas, ad extremum per semetipsum, deinde per apostolos : sed illi nunquam crediderunt. Unde continuo subditur : *Ad populum non credentem.* Et quia non solum non crediderunt, sed etiam præcones gratiæ persecuti sunt, mox additur : *Et contradicentem mihi.* Magnum quippe malum, est non credere, sed incomparabiliter majus, præcones gratiæ persequi, quibus quicunque resistunt, ipsi Domino contradicunt.

(CAP. XI). Sed, ne forte gentiles extollerentur, et crederent totum illum populum crimine infidelitatis, et contradictionis damnatum, adjecit Apostolus : *Dico ergo : nunquid repulit Deus populum suum ?* Ac si aperte dicat : nolite gentes extolli, neque putetis omnem illam plebem repulsam, quoniam, etsi non omnes, multi tamen ex eis crediderunt. Et hoc est, quod ait : *Absit.* Unde volens hoc arctius comprobare, semetipsum exemplum posuit, dicens : *Nam et ego Israelita sum ex semine Abrahæ, tribu Benjamin.* Et est sensus : In hoc comprobatur, quoniam non repulit Dominus populum suum (378) ; quia et ego ex ipsa plebe sum doctor gentium in fide, et veritate : ubi subaudiendum est : Nec ego solus, sed et cæteri ministri, et coapostoli mei ex illo populo, Joseph justus, et Maria virgo, quæ peperit Christum, ex illo Joannes Domini præcursor, et parentes ejus Simeon, et Anna, alter Joseph, et Nathanael ille, in quo dolus non erat (*Joan.* I, 47), turba etiam, quæ præcedebat, et sequebatur ejus jumentum : ex illo nihilominus fuerunt tria millia, et quinque millia, quæ post ejus resurrectionem crediderunt.

Ut autem evidentius probaretur quod dixerat, addidit : *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Ubi notandum quia non ait tantum *plebem ;* sed addidit *suam.* Et est sensus : Plebem, quam se suam facturum præscivit, non repulit.

Sed quærendum est, quare dixerit, *præscivit :* cum præscientia tam in bono, quam in malo poni soleat. Sed sciendum, quia præscientia aliquando pro prædestinatione ponitur. Sic ergo hoc loco, *præscivit*, inquit, id est prædestinavit. Hinc superius Apostolus ait : *Quos præscivit, et prædestinavit* (379). Hanc præscientiam, sive prædestinationem alibi vocat electionem dicens : *Sicut elegit nos in ipso* (*Ephes.* I, 4).

Denique volens ostendere gratia Dei reliquias salvatas, adjunxit : *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura ?* Quasi diceret : Scitis utique, quoniam legistis. Aut, quasi diceret aliquis : Quid dicit ? Subjecit : *Quomodo* (380) *interpellat Deus adversus Israel ? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam.* Et, quasi in alterius persona, inter-

(374) In autog. *amisit.*
(375) *Indignamini.*
(376) Hic in marg. autog. legitur cap. XXXIV.
(377) Jungatur cum his quæ dicuntur superius ad ea verba : *non volentis, nec currentis sed miserentis est Dei*, cap. X.

(378) Verba *quoniam...suum*, in marg. superiora autog. sita sunt.
(379) *Rom.* VIII, 29. Videantur, attenteque perpendantur quæ in hunc textum, aliosve huic similes ab auctore nostro adnotata sunt.
(380) Vulg. *quemadmodum.*

rogat se ipsum, subjungens : *Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia* (381), *qui non curvaverunt genua ante Baal.*

Hoc exemplum manifeste patet in libro Regum (*III Reg.* XVIII, 40). Legitur enim, quia, cum occidisset propria manu Elias propheta quadragintos prophetos Baal, facta est vehemens persecutio adversus prophetas Domini, adeo ut Elias fugiens, in jugis montium, et cavernis petrarum latitaret, seque solum ex servis Domini crederet remansisse. Ubi factus est sermo Domini ad eum dicens : *Quid hic agis, Elia? Cui ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo Israel, quoniam filii Israel prophetas tuos occiderunt, et alteria tua suffoderunt, et relictus sum ego solus, et quærunt animam meam. Cui Dominus : Reliqui* (382) *mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal :* ac si diceret : Ne putes te solum esse servum fidelem, et bene laborantem, quoniam sunt mihi et alii, nec pauci : ibi enim, ubi te solum putas, ibi habeo septem millia, quæ non curvaverunt genua ante Baal. Ubi notandum, quia non ait : Relicta sunt, aut reliquerunt se mihi, sed, ego *reliqui*. Tanquam aperte diceret : Ego eos salvavi ; ego custodivi ; ego feci ut non curvarent genua ante Baal ; ideoque ne glorieris te solum esse in servitio, quia habeo et alios conservos tuos, quorum mentes inveni (383), non de se, non de Baal, sed de me præsumentes. Et tu, qui dicis : Relictus sum solus, nisi gratia mea plenus esses, ubi esses? Et tu quidem genua ante Baal flecteres. Per curvationem genuum, quædam mentis subjectio designatur, de qua alibi idem Apostolus : *In nomine Jesu omne genu flectatur* (*Philipp.* II, 10) : ubi per genuum flexionem humiliatio mentis ostenditur, qua omnes creaturæ Deo subduntur (384). Illi ergo ante Baal genua curvant, qui quadam mentis subjectione, id est consensu, diabolo se subdunt.

Baal, ipse est et Beel, idem et Beelphegor, et Belbrit ; sed Baal dictus est, quia in excelso colebatur ; Beelphegor vero, quia in monte Phegor.

Cur autem sumpserit hoc testimonium, aperitur, cum subditur : *Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Ac si diceret : Idem Dominus Christus est modo, qui et tunc, et qua gratia illos salvavit, eadem salvavit reliquias.

Et hoc est, quod dicit (385) : *Secundum electionem gratiæ*, id est prædestinationem. Prædestinatio namque, et electio, gratia Dei est. Gratia autem, est ipsum donum, quo quisque justificatur, nullis præcedentibus meritis. Unde mox subditur : *Si autem gratia, jam non ex operibus*, quo dicto contra Judæos (386), qui legis operibus se salvari posse credebant.

Gratia autem dicta est, eo quod gratis detur ; ideoque subjungit : *Alioquin gratia jam non est gratia.* Id est : Si ulla merita præcesserunt, non ergo gratia Dei salvati estis, quoniam merces, non gratis sed secundum meritum impenditur.

Igitur, quasi quæreret aliquis, cur Deus, non omnes, sed reliquias tantum salvas fecerit gratia sua, quæstionem sibi opposuit Apostolus, et quærendo subjecit : *quid ergo?* (subauditur, dicemus.) Nihil utique, nisi quia, *quod quærebat Israel, non est consecutus.* Israel dicit populum illum Judæorum, qui suis meritis legem accepisse, et eam suis viribus implere, ejusque operibus justificari posse credebat, ideoque salutem, quam quærebat, consequi non promeruit. Spiritalis vero Israel de sola gratia Dei præsumens, salutem consecutus est.

Unde mox sequitur : *Electio autem consecuta est.* Electionem namque, reliquias vocat per electionem salvatas. De carnali autem Israel subditur : *Cæteri vero excæcati* (387) *sunt, sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis* 388). Compunctio, tam in bona sanctificatione, quam in mala ponitur : compunguntur enim homines ad bonum, cum Spiritu Dei compuncti aliquid bonum operantur ; compunguntur et ad malum, cum diaboli instinctu aliquod malum peragunt.

Sed, si Deus illis spiritum compunctionis dedit, ut non crederent, quæ illorum culpa fuit, quia non crediderunt? Imo ejus, qui dedit, esse videtur. Sed absit. Nam quod justo Deus judicio fieri permittit, consueto more Scripturarum, ipse facere dicitur. Dedit ergo : quia dari permisit, *oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant.* Oculos hoc loco, vel aures non corporales debemus accipere, sed spiritales, mentis scilicet. Dedit ergo Deus illis oculos, ut non videant, id est non intelligant spiritalia. Dedit aures, ut non audiant, id est divinis præceptis non obediant. Et nota, quia non ait, usque in æternum, sed, *usque in hodiernum diem*, ne spem salutis eorum adimere videretur. Firmiter enim credit Ecclesia, quia reliquiæ salvæ fient, juxta testimonium quod superius posuit Apostolus Isaiæ dicentis : *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* x, 22).

Sequitur : *Et David dicit : Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in captionem* (*Psal.* LXVIII, 23). Hoc propheta, non optantis voto, sed futura prædicentis locutus est. Nec ideo factum est, quia

(381) *III Reg.* XIX, 18. Vulg. tum hic, tum in cit. fonte Regum post *millia* habet *virorum*.

(382) *III Reg.* XIX, 9. Vulg. *relinquam*.

(383) Autog. habet *invidi*, sed menda meo judicio ita emendanda visa est.

(384) In marg. autog. hic legitur cap. XXXV.

(385) Notatu dignum capitulum ; et quod cum his conferatur, quæ alibi hac de materia ab auctore nostro sæpius in hac epistola observata sunt.

(386) Post *Judæos* in autog. legitur *aut*, fortasse *ait*.

(387) Autog. *excusati*.

(388) Nota duas hasce species compunctionis, ad malum scilicet, et ad bonum.

propheta dixit; sed, quia futurum erat ut fieret, ideo hoc propheta prædixit.

Cur ergo maledicitur mensa? Scilicet, quia multa mala patrantur ad mensam. Ad mensam innocentes vocantur, ut decipiantur; ad mensam Absalon occidit Amnon; Holophernes Judith ad mensam vocavit, ut deciperet; ad mensam Herodis, convivæ ejus caput obtinuere Joannis. Spiritaliter autem per mensam Scriptura sancta designatur, quæ spiritalibus cibis, et potibus onerata est, quibus animæ reficiuntur, et bene mensa hæc Judæorum esse dicitur, quoniam suis meritis eam accepisse putabant. De hac mensa in psalmo Ecclesia loquitur: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me* (*Psal.* XXII, 5); scilicet adversus hæreticos. Hæc itaque mensa Judæis facta est in laqueum, et captionem, quoniam solam litteram sequentes illaqueati sunt, et decepti carnali intellectu, ut non crederent, et in laqueum, quem gentibus parabant, ipsi inciderunt. Et bene ait, *coram ipsis*, quoniam iniquitatem suam vident, et declinare nolunt.

Quod autem sequitur: *Et in retributionem, et in scandalum*, unum est ac si diceret: In retributionem scandali: nam quia credere noluerunt, hoc illis a Deo retributum est, ut sacra Scriptura esset illis in scandalum: quotiescunque enim spiritaliter aliquid in ea interpretari vident, scandalizantur, ac per hoc ipsi sibi sunt scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum ipsorum semper incurva. Hoc etiam, non optando. sed prophetando Psalmista dixit: Obscurati itaque sunt oculi eorum nube carnalis intelligentiæ, ut spiritalia non viderent, et prophetias de Christo præmissas, impletas esse non crederent (389). Dorsum vero Judæi in faciem Christo dederunt, quia in eum credere dedignati sunt. Si ergo dictum est: *Dorsum ipsorum semper incurva*, ac si diceretur: Ut nunquam in melius, sed semper in pejus convertantur. Incurvatur itaque dorsum illorum, quia non cœlestia, sed terrena semper acquirunt. Dorsum quippe incurvare, est semper inferiora respicere. Volens igitur ostendere casum infidelium Judæorum nequaquam vacare, adjecit (390): *Dico ergo: Nunquid sic offenderunt, ut caderent?* Ubi subaudiendum est, *solummodo*. Et est sensus: Nolite gentiles adversus Judæos (391) quoniam, etsi offenderunt, ut caderent, casus tamen illorum non vacat: illis cadentibus, vobis data est occasio resurgendi. Unde et subditur: *Sed illorum delicto salus gentibus, ut illos æmulentur*. Delicto namque infidelitatis Judæorum, salus facta est gentibus, quoniam illorum infidelitate, gentibus occasio credendi data est, et salvatæ sunt.

Quod autem dicit: *ut illos æmutentur*, non accipiendum est, quod Judæos in infidelitate permanentes gentiles imitati sunt, sed quia exemplum acceperunt ab eis: quod si non crederent, sicut illi perierunt, et ipsi perirent.

Propter quod subditur: *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum?* Delictum illorum mundi divitiæ sunt, quoniam in infidelitate permanentes, vastati sunt a Romanis, et captivi ducti per singulas longe lateque provincias, ferentes secum libros legis, et prophetarum, quibus mundus, id est, mundi habitatores ditati sunt. Ubique enim sancta Ecclesia ab illis accepit libros legis, et prophetarum, per quos ostendit prophetias de Christo præmissas jam essse impletas.

Diminutio quoque eorum divitiæ sunt mundi, quoniam, cum pauci ex Judæis crediderint, et ab infidelibus expulsi sint, ad ipsorum prædicationem gentes fide, cunctisque virtutibus ditatæ sunt. Est ergo sensus: Si ad paucorum credentium Judæorum prædicationem gentes crediderunt, et salvatæ sunt, quanto magis salvarentur, si aut omnes, aut multi ex Judæis crederent?

Sed poterant gentiles dicere: cum gentium sis Apostolus, qui ad te Judæis Evangelium prædicare? Propterea subditur: *Vobis enim dico gentibus* (392) (subintelligitur, quæ hæc loquimini) *quandiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.*

Ministerium suum, prædicationis officium dicit, quod specialiter suscepit in gentibus, juxta quod in Actibus apostolorum Spiritus sanctus loquitur: *Segregate mihi Barnabam, et Paulum* (393) *in opus, quod elegi eos.* Et Dominus Ananiæ: *Vade, quia vas electionis est mihi, ut portet nomen meum in gentibus* (*Act.* IX, 15).

Quomodo ergo hoc suum ministerium honorificabat? Scilicet, quia non illorum tantum curam gerebat, in quibus specialiter prædicationis officium acceperat, sed et Judæis instanter Evangelium prædicabat.

Cur autem hoc faceret ipse manifestat, cum subjungit: *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam.* Carnem suam, id est, plebem Judaicam, ex qua carnis originem sumpsit, ad æmulandum se, id est, imitandum provocare volebat: ut, sicut ipse, ita et illa crederet, et salvaretur. Et hoc est, quod sequitur: *Ut salvos faciam aliquos ex illis.*

Et, ut tamen probaret non vacare casum illorum, adjecit: *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Amissionem Judæorum perditionem vocat, quæ facta est per infidelitatem, quæ reconciliatio mundi fuit, quoniam illis in infidelitate permanentibus, mundus, id est, habitatores mundi, ad prædicationem apostolorum, qui expulsi sunt, credendo reconciliati sunt,

(389) Verba *et... crearent*, in margine laterali sita sunt.
(390) In autog. marg. legitur hic cap. XXXVI.
(391) Fortasse *extolli*, vel *irasci*.
(392) In autog. marg. hic habetur cap. XXXVII.
(393) Vulg. *Saulum*.

et revocati ad pacem Dei,et facti filii promissionis, et gratiæ. Assumptionem illam dicit, qua Judæi ad fidem assumentur, quod juxta hæc Apostoli verba tunc fiet, cum jam instabit ut resurrectio celebretur, id est, cum mortuis dabitur vita, et caducis perpetuitas.

Potest et assumptio ad gentiles referri, ut vitam Christum accipiamus,qui de se ipso dicit: *Ego sum vita* (*Joan.* XI, 2). Assumptio ergo gentilium vita fuit ex mortuis, quia cum Christus a mortuis resurrexit, tunc gentes assumptæ ad fidem, et vivificatæ sunt.

Vel certe vitam apostolos vocat. Ipsi enim ex mortuis, id est, infidelibus parentibus orti, vitam gentibus prædicando ministraverunt ; Ac per hoc causa fuerunt assumptionis illorum in fidem.

Poterat autem aliquis dicere:Cum ex patriarchis Judæi orti sint, quare in fidelitate pertimuerunt ? Idcirco subjungit Apostolus: *Quod si delibatio sancta est, et massa.* Delibatio illud proprie dicitur, unde massa conficitur, et adunatur. Delibationem ergo patriarchas vocat ex quibus massa, id est, multitudo Judæorum processit. *Si ergo delibatio sancta est, et massa ;* quia, sicut patriarchæ per fidem sanctificati sunt, ita et multi Judæorum.

Ut autem ostenderet quid dixerit delibationem, quidve massam, adjecit : *Et si radix sancta est. et rami.* Delibatio enim ad radicem, massa refertur ad ramos. Radix autem sancta,non in Adam intelligenda est, quoniam ex Adam, non sanctitas, sed peccatum mortem omnibus inferens profluxit,juxta quod superius ait Apostolus : *Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, et per peccatum mors* (*Rom.* v, 12), etc.

Sanctam ergo radicem patriarchas vocat Abraham Isaac et Jacob, ex quibus sanctitas fidei in ramos processit. Sed notandum, quia non ait : Omnes rami,sed absolute. Illos enim tantum Judæoos vult intelligi, qui crediderunt. Et,ne quis totam gentem periisee putaret, adjunxit: *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaeter esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis oleæ factus es.*Aliquos ramos fractos Judæos vocat incredulos. Et sciendum, quia tota silva humani generis amaris oleastris plena erat,quoniam bonorum operum fructus non ferebat, sed ex hac silva oleaster excisus est,et insertus in bonam olivam.Oleastrum ergo Ecclesiam vocat de gentibus congregatam, quæ quasi in bona olea inserta est,id est,per fidem primitivæ Ecclesiæ sociata. Populus namque gentilis, imitando vestigia fidei Abrahæ,factus est filius promissionis, et gratiæ Dei, et socius radicis, et pinguedinis oleæ, quoniam fidem, et devotionem,quæ in patriarchis fuit accipere meruit, et bonorum operum fructus reddere.

Sed quare hanc similitudinem Apostolus ponere voluit,quæ est contra naturam? Nullus quippe oleastri surculum trunco oleæ inserit: nam si fit,absqne utilitate : non enim truncus jam, sed surculus fructum reddet. Voluit ergo Apostolus ostendere quia quæ apud homines impossibilia sunt,possibilia sunt Deo. Omnipotentia quippe sua quod vult facit, quæ etiam oleastrum amarum, id est gentilem populum ex silva humani generis abscidit, et bonæ olivæ, id est primitivæ Ecclesiæ sociavit, ut non jam amaras sed dulces baccas; id est, bononorum operum fructus ferat.

Sequitur : *Noli gloriari adversus ramos* (subintelligitur fractos).Cur autem non esset gloriandum,aperitur, cum subditur : *Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Per radicem quidam Abraham, quidam Christum intellexerunt. Et apte Abraham radix vocatur,quoniam ab ipso est initium fidei. Christus autem radix dicitur, quoniam ipse est initium et fundamentum omnium bonorum. Unde et primogenitus omnis creaturæ dicitur.Hinc alibi idem Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positam est, qui est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Et apte Christus radix dicitur,quoniam modo radicis arboreæ sibi inhærentibus ramis succum suæ dulcedinis,id est,bonorum operum suavitatem tribuit,et ut perficiant ipse quidem adjuvat. Si ergo ad Abraham referatur, talis est sensus : *Non tu radicem portas,sed radix te*,quia non tibi initium fidei es, sed Abraham sumpsisti exemplum ; si vero ad Christum, ita rccipiendum est : *Non tu radicem portas, sed radix te* (394) ; id est, non tuis meritis sed gratia Dei salvatus es. *Dicis ergo:fracti sunt rami, ut ego bene inserar* (395) Gentibus Aportolus loquebatur ; et quia prævidit quod extollerentur,putantes se suis meritis salvatas, Judæosque corruisse:idcirco quod sibi objiciendum prævidit, ipse objecit,. dicens : *Dicis*, etc. Et est sensus : Noli putare, o pppule gentilis, quod tuis meritis, aut tu salvatus sis, aut Judæi corruerint ; non enim tuum meritum, sed Dei fuit beneficium: nam illi per infidelitatem corruerunt, tu vero sola gratia Dei salvatus es. Et hoc est. quod sequitur : *Propter incredulitatem fracti sunt : tu vero fide stas;* id est, divina gratia adjutus in fide perseveras.

Denique,ne superbiendo caderet, quemadmodum Judæi superbia simul et infidelitate ceciderunt, idcirco et præcepto monuit, et exenplo terruit, subjungens : *Noli altum sapere, sed time.*Altum sapere est superbire : unde alibi idem Apostolus : *Non alta sapientes sed humilibus consentientes* (*Rom.* XII, 16).

Sed quærendum est quare Romanis præoeperit timere,cum superius dicat : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timorem* (*Rom.* VIII, 15). Qua-

(394) Verba *si vero. . . radix te* in imo marg. leguntur.

(395) Vulg. ita habet, et diverse valde hunc textum, id est, *dices ergo : fracti sunt rami, ut ego inserar*. Scilicet in versic. 19. Deinde post absolutionem sensus,et puncto interjecto versic.20.incip. *Bene.*

proter sciendum,quia sanctum,et castum timorem illos habere admonet ; scilicet,ut,timendo declinare a Christo magis in fide solidentur. Propter quod et terruit, subdens : *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Naturales ramos Judæos vocat,qui carnis originem a patriarchis sumpsere. Est ego sensus : Si Deus Judæis, qui carnis natura ex Abraham orti sunt,in infidelitate permanentibus non pepercit,multo minus tibi parcet, qui, cum oleaster amarus esses natura, excisus es, et in dulci oliva insertus. Sed, quia incerta et incomprehensibilia sunt judicia Dei,idcirco præmisit : *Ne forte*. Sequitur : *Vide ergo bonitutem Dei, et severitatem.*

Beatus Paulus,doctor gentium,in fide,et veritate cohortans Judæos firmos,et stabiles in fide manere. et præcepto eos monuit,et exemplo terruit,dicens : *Noli*, etc. Propter quod et subdit : *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei*. Bonitatem Dei dicit gratuitam misericordiam, qua justificat credentes inse ; severitatem vero, justitiam recti judicii, qua condemnat reprobos.

In quibus autem severitatem considerare debeant, aperit, subjungens : *In eos quidem, qui ceciderunt, severitatem*. Hoc utique de Judæis dictum est, qui velut rami ex illa olea,quæ in radice patriarcharum fructificat, fracti, et amputati sunt.*In te autem bonitatem Dei ;* id est,quia nullis exigentibus meritis, sola Dei bonitate salvatus es.

At, ne forte aut superbia, aut otio perirent, adjecit: *Si permanseris in bonitate*.Aliter enim salvari non poterant. Ideoque subjungitur : *Alioquin et tu excideris*. Hinc Dominus in Evangelio dicit : *Quis pvrmanserit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13).

Præterea sciendum,quia his verbis Apostolus liberum arbitrium homnibus concessum ostendit : nam, sicut nihil boni homines, nisi præveniente gratia Dei operari possunt, ita et hæc, nisi ipsi suum velle adjungant (396), nihil in eis poterit operari. Et quia crediturі erant aliqui ex Judæis, adjecit : *Sed et illi, qui non* (397) *permanserint in infidelitate, inserentur*. Verum, ne eorum meritis hoc fieri putaretur, volens ostendere, quia omnipotentia sua facit quod vult, adjunxit:*Potens est enim Deus iterum inserere illos*. Et est sensus : Qua potentia vos convertit,et salvavit, ea et illos convertere ad fidem, et salvare potest. Dicendo autem : *iterum*, ostendit quia jam inserti sunt : videlicet, quia permittente Deo, ex semine patriarcharum orti, et vestigia fidei illorum sunt imitati. Et nota, quia magna in his verbis miseratio demonstratur. Ostendit quippe Apostolus, quia Deus tam magnæ miserationis est, ut etiam hi, qui post baptismum criminali aliquo labuntur,per pœnitentiam converti valeant. Sic enim dicit : Potens est Deus iterum inserere illos ; id est, ad pristinum gradum restituere. *Nom, si tu ex naturali excisus est oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam quanto magis hi secundum naturam inserentur suæ olivæ* ? Sensus hic est : Si tu o populе gentilis,ex agresti, et amaro oleastro generis humani, excisus es, id est, gratia Dei separatus, et bonæ oleæ, id est, primitivæ Ecclesiæ, contra naturam insertus ; multo magis hi, ex olea, id est, patriarchis, secundum carnis naturam orti, si conversi ad fidem fuerint, inserentur suæ olivæ ; id est, patriarchis,et primitivæ Ecclesiæ sociabuntur.Sed quid est quod dicit: Contra naturam ? Nunquid Deus totius creator naturæ aliquid agit contra naturam ? Absit. Contra naturam ergo dicit,contra usum et consuetudinem naturæ. Nemo quippe oleastrum inserit in olivam. Deus ergo nihil agit contra naturam,sed quidquid ipse agit,id naturale est omnibus,quoniam ab ipso est omnis modus, numerus,et ordo naturæ. Denique quia poterant gentiles dicere : cui nobis hanc similitudinem scribis? Adjunxit:(398) *Nolo enim vos ignorare mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsi sapientes*. Ac si diceret : Ne superbiatis ne extollamini idcirco volo vos scire hoc mysterium. Mysterium est aliqua divina et sacrata, tamen occulta, Sapientes autem sibi sunt,qui suam stultitiam sapientiam putant,et qui se sapientes jactant,quique de aliorum abjectione, vel contemptu gloriantur. Quod autem dixerit mysterium ostendit,subjungens *Qnia cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo*, etc. Et hoc dicit, quamvis cæcitas in Israel contigerit, non tamen ex toto, sed ex parte. Nec ita cecidit, ut semper maneat,sed donec *plenitudo gentium introeat. Et sic omnis Israel salvus fiet*. Quibus verbis evidenter ostendit Apostolus, quoniam qui judicaturus mundum adveniet,jam in judicium venit in mundum, sicut in Evangelio dicit : *Judicium in hunc mundum venit, ut qui non vident videant, et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). In judicium quippe discretionis venit, ut qui non viderent. id est peccatis cæcatos se confiterentur,illuminarentur et qui viderent, hoc est, videre se putantes. peccatores confiteri dedignarentur, crudelius obdurarentur et cæciores fierent.Hæc ergo cæcitas contigit in Israel.Plenitudinem gentium, non omnes gentes dicit quippe cum non omnes crediderint, sed quotquot ex gentibus crediderunt, aut crediturі sunt : hic est enim verus Israel. Similiter omnem Israel Judæos dicit, qui ad prædicationem apostolorum crediderunt, et deinceps vel crediturі sunt, maxime circa diem judicii. Beatus vero Augustinus in libro supra Genesim ad litteram ita exponit:Omnis Israel id est,ex reliquiis Israel,secundum carnem,et plenitudinem gentium,quoniam in fide Christi secundum

(396) En quænam fuerit auctoris nostri circa liberum arbitrium et gratiam opinio.

(397) Vulg. loco *qui non*, habet *si non*.

(398) In marg. autog. hic legitur cap. XXXVIII.

Spiritum sanctum, Israel (399). *Sicut scriptum est : veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem ab Jacob* (*Isai.* LIX, 20). Sion mons est Jerusalem, qui aliquando pre ipsa civitate ponitur. De hac Sion Michæas, vel Isaias propheta dicit : *De Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isai.* II, 3 ; *Mich.* IV, 2). Cujus egressionis modum ostendit Isaias,dicens : *Ecce virgo in utero concipiet,et pariet filium* (*Isai.* VII, 14).Exivit ergo Verbum Domini ex Jerusalem,et venit lex de Sion ; quia Christus Verbum Dei Patris ex populo Judæorum carnem assumpsit, et doctrinam evangelicam prædicando,ac miracula faciendo, Jacob eripuit,et impietatem ab eo avertit, id est, infidelitatem. Et licet multos sua doctrina converterit ad fidem,plures tamen apostolorum suorum prædicatione. Sed hujus impietatis aversio tunc perficietur,cum jam plenitudo gentium introiret (400), id est, circo sæculi finem. In Jacob ergo, licet juxta Apostoli intentionem credentes Judæi intelligantur,generaliter tamen omnes fideles accipi possunt.

Et hoc illis a me testamentum (subintelligitur,dabitur),*cum abstulero peccata eorum ;* id est cum moriendo eos a peccatis justificaro : hoc illis a me dabitur testamentum,quo salvari possunt.Testamentum vocat pactum illud, de quo propheta ait : *Feriam domui Jacob,et domui Juda pactum novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum ; sed hoc est testamentum, quod statuam ad illos,' dicit Dominus : post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum*, etc. (*Jer.* XXXI, 31). Novum scilicet Testamentum, id est, gratiam Evangelii : quod Novum dicitur ad Veteris distinctionem, et quia innovat homines.

Igitur, quia poterant Judæi dicere : Si aversa est ab eis impietas, cur ergo tibi inimici sunt ? Idcirco subjungit Apostolus : *Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos.* Et apte dicit Evangelium, nobis sunt inimici, quoniam, dum Judæi ex Evangelio prædicari audiunt,quia ipsi Christum occiderunt, et mortuus resurrexit, cœlosque conscendit, scandalizantur, et inimici prædicatoribus efficiuntur ; maxime propter gentiles, quibus invident, quoniam credunt.Et hoc est,quod dicit Apostolus : *Propter vos.*

Sed quid est quod sequitur : *Secundum electionem autem charissimi propter patres :* nunquid idem sunt inimici, et charissimi ? Absit. Sed in utroque populo sunt pertinentes ad claudicationem Jacob, sunt ad benedictionem.Cum enim audimus : *Quod quærebat Israel,hoc non est consecutus ; electio autem consecuta est* ; *cæteri* (401) *vero excæcati sunt :* intelligimus profecto, quia sunt inimici, obcæcati scilicet ; sunt et charissimi, id est, electi, qui vocati sunt non illa vocatione de qua in Evangelio dicitur : *Mulli sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX, 16) : sed illa, quæ est secundum propositum Dei, quod Apostolus electionem vocat. Propter patres dicit, propter patriarchas, quibus factæ sunt promissiones ; maxime autem Abraham. Charissimi ergo sunt propter patres, id est, quia secuti sunt vestigia fidei patriarcharum.

Sine pœnitentia,ut super omnes Dei misericordia declaretur, *et sunt dona* (402), *et vocatio Dei*. Sine pœnitentia sunt,quoniam immutabilia ; unde Psalmista : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Juravit, et non pœnitebit eum ; id est, hoc Novi Testamenti sacerdotium, quod in Filio ejus sanctificatum est,nequaquam mutabitur. Ubicunque enim legitur Deus pœnituisse, intelligendum est illum mutasse sententiam,sicut illud : *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI, 7). Item : *Pœnitet me Saulem constituisse regem super Israel* (*Reg.* XV, 11). Non tamen quod mutabilitas in Deo sit, cum Jacobus dicat : *Apud quem non est transmutatio* (*Jac.* I, 17), sed juxta merita hominum mutatur sententia Dei. Aliter : In pœnitentia ergo sunt dona, et vocatio Dei, quoniam gratia Dei præveniente, absque ullo corporis labore, et molestia, homines ad fidem vocantur, et per baptismi lavacrum remissionem peccatorum consequuntur. Vocationem vero dicit, quæ est secundum propositum.

Sequitur : *Sicut et vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem*, etc., et est sensus : Et vos aliquando infideles eratis, sed conversi ad fidem, misericordiam consecuti estis, id est, peccatorum vestrorum remissionem : et,propter illorum incredulitatem,a qua exemplum salutis sumpsistis, ne sicut illi periretis. *Ita et isti,* scilicet, qui quondam crediderunt, *nunc non crediderunt in vestram misericordiam*,id est, Christum, cujus misericordia salvati estis ; *ut* (403)*misericordiam consequantur*,id est, peccatorum suorum remissionem : quod si crederent, utique consequerentur.

Volens itaque ostendere, quia nec Judæus, neque gentilis de suis meritis gloriari potest, subjecit : *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate.* Deus quidem ab æterno disposuit per Filii sui passionem genus humanum redimere : verumtamen elegit tempus,quo eumdem dirigeret ; illud videlicet,quo et gentilis,et Judaicus populus unus esset. Gentilis enim ab ipso mundi exordio, colendo idola a Deo recesserat ; Judaicus autem paulatim a cognitione Dei,et mandatis legis discedens,pene gentilis factus

(399) B. August., Ep. ad Paulin. 149, § 19, duplici sensu ait posse intelligi *Israel :* scilicet vel secundum carnem, id est, plenitudinem gentium, vel secundum spiritum, id est, vocationem electorum.

(400) Ita in autog., sed melius, *introierit*.

(401) *Rom.* XI, 7. Loco *cæteri* in autog. legitur *cuncti*, quod ex superiori lectione hujusce textus, uti mendam, corrigendum censui.

(402) Vulg. *enim sunt dona.*

(403) Vulg. *ut et ipsi.*

erat, ideoque Apostolus dicit : (404) *Conclusit Deus in incredulitate.* Sed quod dicit,*conclusit*, non accipiendum est quod Deus aliquem ad peccandum coegerit,aut impulerit ; sed,quod justo judicio fieri permittit, consueto more Scripturarum, ipse facere dicitur. Conclusit ergo,quia concludi permisit. Sed quæ omnia ? Omnia scilicet hominum genera : illos enim vult intelligi,quibus loquebatur ; ac si diceret Vos, et Judæos. Cur autem omnia concluserit in incredulitatem, ostendit, subjungens : *Ut omnium misereatur ;* id est, nullus jam de suis meritis, sed omnes in Domino glorientur.

Sed quid est, quod dicit : *Omnium ?* Si enim omnium miserebitur, ergo neminem, veniens ad judicium condemnabit.Igitur omnium dicitur vasorum misericordiæ, id est,omnium, quos tam ex Judæis, quam ex gentibus elegit.Itaque non omnium hominum,sed horum omnium neminem est damnaturus.

Igitur,quia magnæ profunditatis sententiam protulit, ejus horrore perfusus, quia occultam dispensationem Dei comprehendere non potuit cur alios indebita gratia salvet, alios autem justo judicio reprobet, maximeque de adjectione Judæorum, et gentium electione pavefactus, in admiratione prorupit, subjungens : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei* ? Altitudo non solum ad divitias, sed etiam ad sapientiam,et scientiam pertinet.Altitudo quippe divitiarum Dei est,quia mente comprehendi non possunt : ex quibus divitiis sunt illæ,quas ostendit in vasa misericordiæ. Est et altitudo sapientiæ, et scientiæ Dei, quia tanta est ejus sapientia, et scientia, ut nec humana, nec angelica natura valeat penetrare. Unde et subditur : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles* (405) *viæ ejus !* Judicia hæc sunt, de quibus Psalmista dicit : *Judicia Domini abyssus multa* (*Psal.*xxxv, 7). Hujus namque abyssi altitudinem expavescens,clamabat : *Quam*, etc. *Viæ* autem Domini sunt, ut dicit idem Psalmista, *veritas, et misericordia* (*Psal.* xxiv, 10). Investigabiles vero, quia quorum vult miseretur, non in justitia, sed suæ misericordiæ gratia, et quos vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Et quia non solum verbis explicari, sed nec mente comprehendi possunt,addidit: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarus ejus fuit* ? Subauditur, nullus. Rursus, quia nemo potest prævenire gratiam Dei, ut Deo dicere possit : Debitor mihi es, adjunxit : *Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei* ? Hinc ipse ad Job dicit: *Quis mihi ante dedit, et ego ei reddam* ? (*Job.*xli, 2.) Volens autem aperte ostendere, quia omnia a Deo sunt, subjecit : *Quoniam ex ipso, et per ipsum,et in ipso.* Unum est, quoniam unus est Deus,ex quo, et per quem,et in quo *sunt omnia.* Et sciendum, quia quæ ex ipso sunt, omnia per ipsum sunt, et quod de ipso est, ex ipso est : non tamen omnia, quæ sunt ex ipso, sunt et de ipso : ex ipso quippe sunt cœlum,et terra, etc., sed non de ipso ; quia non de substantia ejus : solus quippe Filius de ipso est, qui est per omnia æqualis Deo Patri genitus.Omnia igitur, quæ sunt ex Deo,per ipsum sunt, quia ipse condidit, et in ipso reguntur, et gubernantur. Omnia vero illa dicit,quæ subsistunt, ac per hoc creaturæ sunt, et bonæ (406), quia a bono Deo creatæ ; peccatum vero non subsistit,quoniam non est creatura, sed vitium creaturæ. Alii vero differentiam personarum, quæ sunt in Trinitate, intelligunt,ut, cum dicimus *ex ipso*, subaudiatur, Patre ; *per ipsum*, subaudiatur, Filium ; *in ipso*, subaudiatur, Spiritu sancto, quoniam omnia, quæ sunt ex Deo, per Filium facta sunt, et in Spiritu sancto reguntur. Sed melius est,ut unitatem divinæ substantiæ exprimere voluisse accipiamus, juxta beati Augustini auctoritatem. Unde et singulari numero subdidit : *Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.*Ipsi videlicet Deo,ex quo,et per quem,et in quo sunt omnia.Præterea his verbis monet Apostolus, ut debitum Deo honorem ad nullum alium transferamus.

Sequitur : (407) (Cap. XII.) *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei.* Hactenus Apostolus pene per totius textum Epistolæ suos adjutores monuit a carnalibus recedere sacrificiis : nunc autem aggreditur immortalitatis eos docere præcepta, et quibus sacrificiis instandum : nam,quia a carnalibus eos prohibuit, consequens erat, ut quibus instare deberent, apertissime doceret. Verum igitur sacrificium est bonum aliquod, si propter hoc agitur, ut Deo sancta intentione inhæreamus. Sacrificium quippe est res divina : unde et ipse homo,qui in nomine Dei consecratus est, et Deo devotus, in quantum mundo, et vitiis moritur, sacrificium est ; et, dum corpora nostra per continentiam, et abstinentiam afficimus (408) si propter Deum id agitur, sacrificium est. Ad hoc nimirum sacrificium suos auditores Apostolus cohortans, dicebat : *obsecro vos*, etc. Ubi notandum,quia non ait : Præcipio,jubeo sicut lex, sed *obsecro*. Legis enim est jubere ; gratiæ vero juvare, vel obsecrare. Et nota,quia non ait tantum *vos*,sed adjecit : *Per misericordium Dei ;* ac si diceret: Per illam misericordiam vos obsecro, qua nullis meritis exigentibus salvi facti estis, *ut exhibeatis corpora vestra. Vestra* ait ad Veteris Testamenti distinctionem:illic enim animalium corpora Deo offerebantur : *Hostiam viventem*. Hostia, sacrificium dicitur, quod fit ad devincendos hostes.Monet ergo Apostolus, ut corpora nostra Deo hostiam offeramus ; quatenus hostes nostros dæmones superare possimus. *Viventem* dicit, ad distinctionem Veteris Testamenti, in quo animalium corpora mactabantur, deinde Deo offerebantur. *Sanctum*, id est, a peccatis separatam. *Deo placentem :* subauditur,per inhabitantem Spiritum ejus. Unde alibi:

(404) Ibi in autog. marg. legitur cap. XXXIX.
(405) Autog. loco *et investigabiles*, habet *evestigabiles.*
(406) Id est, *subsistunt, et sunt bonæ.*
(407) Hic in autog. marg. legitur cap. XL.
(408) Fortasse *affligimus.*

Vos estis templum Dei vivi (*II Cor.* VI, 16). Item : *An nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (*I Cor.* III, 16)?

Rationabile obsequium vestrum. Hoc similiter ad distinctionem illius Testamenti dixit, in quo irrationabilium animalium corpora Deo offerebantur. *Rationabile obsequium* dicit, cultum Novi Testamenti. Consequens enim non erat, ut sapienti, et rationabili Deo irrationabilium animalium corpora, et non nosmetipsos potius offerremus. Igitur, quia non corporis solum; sed etiam mentis est saorificium, adjecit : *Et nolite huic sæculo conformari* Conformes sunt uniformes. Sæculum autem dicit, homines in sæculo commorantes, et sæculum diligentes. Monet ergo ne hominibus sæculum diligentibus conformemur, id est consociemur, et similes illis efficiamur, eorum imitando vestigia.

Cui autem conformari (409) debeamus, ostendit, subjungens : *Sed reformamini in novitate sensus vestri.* Illi in novitate sensus reformantur, qui in sapientia Dei proficiunt. Unde Origenes ait : Quot passibus in sapientia Dei proficimus, toties in novitate sensus reformamur. Anima igitur, quæ igne charitatis accensa omnes sæculares concupiscentias, et mundi desideria a se repellit, utique sacrificium est. Hujusmodi nos Apostolus monet offerre. Nam sciendum, quia non tantum in homine periit: si enim aut totum, aut nihil periisset, non esset quod reformaretur. Quia ergo imago Dei corrupta est vitiis, monet nos Apostolus, ut in novitate sensus nostri reformemur : quod tunc facimus, cum, repulsis vitiis, imaginem Dei in nobis renovamus, exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum (*Ephes.* IV, 22-24).

Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Illi nimirum, quæ sit voluntas Dei, probare possunt, qui in divina sapientia proficiunt; et quanto quisque proficit, tanto magis, quæ sit voluntas agnoscit. Voluntas igitur Dei bona fuit in Saule; beneplacens, et perfecta in David. Distinguendi enim sunt hi tres gradus. Est igitur voluntas Dei bona in fructu tricesimo; beneplacens in sexagesimo; perfecta in centesimo (*Matth.* XIII, 8); id est, bona est in conjugatis, beneplacens in continentibus, perfecta in virginibus, sive in martyribus. Aliter : Bona est in sancta cogitatione, beneplacens in sancta locutione, perfecta in operatione.

Sequitur : (410) *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi.* Superius se dixit obsecrare per misericordiam, volens ostendere, quia nullis suis meritis, sed sola gratia Dei salvati sunt : nunc autem se asserit dicere per gratiam, ut ostendat, quia non suum donum erat, quod dicebat, sed gratiæ Dei. Data autem illi est gratia, quoniam Spiritus sancti gratia electus est, ut Evangelium gentibus prædicaret. Quibus autem dicat ostendit : *Omnibus, qui sunt inter vos.* Ubi notandum, quia non ait, omnibus vobis, sed, omnibus, qui sunt inter vos. Sic enim verba sonare videntur, ac si non illis diceret, quibus loquebatur, aut scribebat, sed qui inter eos erant. Quod ideo fecit, ut illos tantum notaret, qui reprehensibiles erant, id est, qui de suis meritis, et Judæorum abjectione gloriabantur. Quid autem diceret eis, aperitur, cum subditur : *Non plus sapere.* Illi plus sapiunt, quam sapere oportet, qui non recte sapiunt; qui de suis operibus præsumunt, et aliorum contemptu gloriantur. Fuerunt itaque nonnulli, qui plus in conjugio sapuerunt, quam sapere oportuerit; qui adeo dilexerunt conjugium, ut continentiam condemnarent; item, qui adeo continentiam dilexerunt, ut damnarent conjugium. Sic et in reliquis. Sed quomodo sapiendum sit, Apostolus ostendit. subjungens : *Sed sapere ad sobrietatem*, id est, secundum sobrietatem, secundum temperantiam. Hæc enim est una ex quatuor virtutibus, de quibus in libro Sapientiæ legitur : *Illa docet* (sapientia scilicet) *prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, quibus nihil est utilius in vita hominibus* (*Sap.* VIII, 7). Temperantia est, quæ et molestia dicitur, eo quod in omnibus modum teneat. Quicunque ergo in singulis quibuscunque rebus modum servat, ille revera est sobrius, et modestus, et temperans; ac per hoc, prudens, justus, et fortis, quoniam hæ quatuor virtutes ita sibi connexæ sunt, ut una sine aliis esse non possit.

Et unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei. Hic ordo est; unicuique dico : *Non plus sapere, quam oportet sapere*, sed sapere, sicut Deus divisit mensuram fidei. Quibus verbis ostendit, quoniam fides est omnium donorum mensura, quoniam juxta merita fidei tribuuntur dona Spiritus sancti. Unde alibi : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor.* XII, 7), etc. Quod autem dicit, *sicut Deus divisit,* non accipiendum est quod Spiritus sanctus divisibilis sit, quippe cum Deus sit, sed quia diversa sunt dona illius, ideo hoc dictum est. Neque enim Spiritus sanctus dividitur, sed dona ejus. Propter quod et subditur (*I Cor.* VIII, 12) : (411) *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent* (*I Cor.* XIII, 14), etc. Ubi notandum, quia pulchre dicit, *in uno corpore,* quoniam unum corpus est, et diversa habet membra. Non enim totum corpus oculus (*I Cor.* XIV, 17), aut totum auris. Omnia autem membra non habent eumdem actum, quoniam oculus videt, auris audit, pes ambulat.

Unum actum dicit idem officium. *Ita ergo multi unum corpus sumus in Christo.* Unum corpus vocat Ecclesiæ; unde et apte subjecit, *in Christo;* quoniam hujus corporis caput Christus est. Si ergo caput Christus, et corpus Ecclesia, hujus corporis membra

(409) Autog. *informari.*
(410) Hic in autog. legitur cap. XLI.
(411) Hic in autog. marg. legitur cap. XLII.

sunt omnes fideles. Unde et subditur: *Singuli autem alter alterius membra.* In hoc enim corpore sunt oculi, recte scilicet discernentes; sunt aures, videlicet recte audientes; sunt nares bonorum operum odorem accipientes,et aliis in exemplum reddentes: sunt pedes qui in via mandatorum Dei ambulant, et aliis ambulandi iter ostendunt; sunt manus,quæ aliis sua distribuendo recte ministrant,et bene tractant de verbo vitæ. Igitur, sicut nullum corporis membrorum, alterius sibi usurpat officium, verbi gratia, oculo clauso auris non videt,obturatis auribus oculus non audit (412); ita unusquisque in Ecclesia alterius donum sibi usurpare non debet.Et sciendum,quia unumquodque membrorumofficium, quod accipit,non sibi tantum, sed omnibus accipit; oculus enim non sibi tantum videt, sed omnibus membris; ita ergo unusquisque fidelium sibi concessum donum omnibus impertire debet. Nam sciendum, quia unusquisque in Ecclesia alterius donum per charitatem suum efficit. Igitur, ut ostenderet differentiam donorum Dei, subjunxit : *Habentes autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* Donationes dicit dona Spiritus sancti. Volens autem ostendere,quia nullis exigentibus meritis, sed sola Dei gratia,fideles sancti Spiritus dona accipiunt, adjecit : *Secundum gratiam.* Gratiam fidem dicit : hæc enim gratia nobis data est, quoniam nullis exigentibus meritis vocati credidimus.*Differentes* dicit distantes : differunt enim a se dona Spiritus sancti. Non tamen credendum est, quod Spiritus sanctus divisibilis sit, quippe cum Deus dividi non possit; sed quia varia sunt ejus dona, quæ fidelibus dividuntur.Quam differentiam volens ostendere subjecit : *Sive prophetiam. Secundum rationem fidei* dicit; quia, prout ratio fidei est, ita et dona sancti Spiritus tribuntur. Pulchre autem prophetiam primam posuit, quoniam, sicut oculus in corpore, ita hoc donum præcellentius omnibus est in Ecclesia. Et pulcbre oculo attribuitur, quoniam sicut oculus longe posita cernit,ita et prophetia longe post futura prospicit. Quod vero dicit : *Secundum rationem fidei,* in omnibus, quæ dicuntur inferius, subaudiendum est, *Sive ministerium* (subauditur, habentes *secundum rationem fidei*). *In ministrando* (subauditur, dico non plus sapere, quam oportet sapere). Ministerium autem dicit eleemosynarum largitionem,quod officium manuum est,sive ministerium vocat prædicationis officium. Ut aperiret quod ministerium diceret,adjecit : *Sive qui docet in doctrina* (subauditur dico : Non plus sapere, quam oportet sapere). Quod officium ori attribuitur.Sed quærendum est quare subjunxit Apostolus : *Qui exhortatur in exhortando,* cum præmiserit : *Qui docet in doctrina :* videtur enim unum esse. Attamen sciendum, quia sunt nonnulli,qui docent, et polite multa in unum conferre possunt, sed vim exhortationis non habent.Sunt e contrario qui minus loqui possunt, sed vim exhortationis habent : qui collatis. Scripturarum testimoniis, mœrentibus, et damna temporalia, vel propinquorum mortes dolentibus magnam possunt adhibere consolationem. Qui exhortatur ergo in exhortando, subauditur, non plus sapiat, quam oportet sæpere.

Qui tribuit in simplicitate (subauditur, tribuat, et non plus sapere, quam oportet sapere). Sunt igitur nonnulli, qui in simplicitate non tribuunt, id est, qui sua distribuendo, laudem humanam,et lucrum terrenum quærunt.In simplicitate vero illi tribuunt, qui pro terrenis cœlestia,pro caducis mansura, pro temporalibus æterna desiderant. *Qui præest in sollicitudine* (subauditur, præsit, et non plus sapere, quam oportet sapere).Sed quam sollicitudinem prælatos Apostolus admonet(413)? Nunquid carnalem, a qua quisque esse debet alienus? Non,sed spiritalem illam, scilicet qua omnis prælatus debet esse sollicitus, ne aliquam ex ovibus sibi commissis per negligentiam perdat. Rursus quid est quod subdit: *Qui miseretur in hilaritate?* cum paulo superius dixerit : *Qui tribuit in simplicitate;* videtur enim idem esse.Sed sciendum,quia sunt qui sua tribuunt, nec tamen miserentur : illi scilicet qui fenerantur, eadem aut paria accepturi. Unde in Evangelio Dominus : *Volenti mutuari a te ne avertaris*(*Matth.*v, 42). Illi autem miserentur, qui sua indigentibus distribuunt,nec eadem,nec æqualia ab eis recepturi. Quod Apostolus non cum tædio mentis, aut angustia,sed in sinceritate cordis admonet faciendum. Unde alibi : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX,7). *Dilectio sine simulatione* (subauditur, sit). Illi ergo sine simulatione diligunt, qui Deum ex toto corde, tota mente,tota virtute, et proximos suos sicut se ipsos diligunt.

Odientes malum, adhærentes bono. Cur Apostolus tantopere odium commendat? Scilicet quia est malum odium,quo fratres aliquis odit; est et bonum, quo odimus malum. Idcirco ergo commendat hoc odium, ut mala odientes bono inhærere possimus. Ille autem bono adhæret, qui bonum opus propter id solummodo agit, ut vitæ æternæ mercedem recipiat.

Charitate fraterna invicem benigni (414). Charitas est dilectio Dei, et proximi. Ad distinctionem ergo divinæ charitatis adjecit Apostolus : *Fraternitatis.*Et sciendum, quia sicut in generalitate charitas excellentior est omni virtute, ita et hæc specialis charitas omnibus,quæ ad fraternitatem pertinent,præfertur: et sicut ex illa omnes virtutes procedunt, ita ex hac omnia, quæ ad fraternam pertinent honestatem. *Benignos* autem dicit, humanos, largos.Ut vero ostenderet quid ex hac oriatur, adjunxit : *Honore invicem*

(412) Autog. *obturatæ aures.*

(413) Verba quæ sequuntur, hominem, sapiunt, qui gregis curam sibi demandatam habet, quique omnia, quæ ad hanc curam divus Paulus in Epist. ad Titum potissimum in pontifice exposcit, optime novit; Attonem scilicet nostrum.

(414) Vulg. : *Charitate fraternitatis invicem diligentes.*

prævenientes (subintelligitur enim hic, sicut et in- A superiori, estote). Monet ergo nos Apostolus invicem prævenire dilectionis honore, ut fraternitatis charitas in nobis magis confirmetur.

Sed quid sibi vult, quod subditur : *Sollicitudine non pigri*, cum superius dixerit : *Qui præest, in sollicitudine præsit ?* Videtur enim bis id esse dictum. Verumtamen sciendum, quia superius specialem præcepit sollicitudinem, quam soli debent habere prælati ; hic vero generalem, quam omnes fideles oportet habere scilicet, ut solliciti diaboli insidias vitent (415). Fidelis enim quisque animal Dei est : animal autem Dei oculatum esse decet, ut circumquaque prospiciat, ne diabolo capiatur. Hanc sollicitudinem beatus Petrus apostolus docet, inquiens : *Solliciti estote, et vigilate* (416), etc.

Spiritu ferventes, Domino servientes (subauditur, estote). Spiritu ferventes esse monetur, ut igne charitatis accensi, ea agere studeamus, quæ Deo placeant, ne forte dicatur nobis, quod Dominus in Apocalypsi Laodiciæ (417) Ecclesiæ angelo dicit : *Utinam esses calidus, aut frigidus ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 15, 16).

Sed quid sibi vult, quod nos hic specialiter admonet esse *Deo servientes ?* Sic enim verba sonare videntur, quasi qui ea facit, quæ superius dixerat, non serviat Deo. Attamen sciendum quia licet qui præcedentia faciunt Deo serviant, hoc specialiter Apostolus commendare voluit, hoc admonere, quidquid agimus, propter nullum terrenum commodum, sed propter Dei tantum servitutem faciendum, id C est, ut illi placere possimus.

Spe gaudentes. Illi spe gaudent, qui gaudium æternæ beatitudinis ita habent in spe, quasi jam habeant in re. Et ideo quidquid adversi patiuntur in hoc sæculo, patienter ferunt. Et ob hoc subjunxit Apostolus : *In tribulatione patientis.* Hinc Jacobus : *Omne gaudium exstimate, fratres cum in tentationes varias incideritis* (*Jac.* I, 2).

Igitur, quia hæc nemo consequi potest, nisi continua oratione, subjunxit ; *Orationi instantes* (subauditur, estote). Et nota. quia non ait tantum, orantes (418), sed, *orationi instantes.* Non enim sufficit ad tempus solum orare, nisi et continue oremus. Unde in Evangelio Dominus dicit : *Orantes omni tempore, ut digni habeamini* (*Luc.* XXI, 36), etc. Hinc alibi D idem Apostolus : *Sine intermissione orate* (I *Thess.* V, 17).

Necessitatibus sanctorum communicantes. Quærendum est cur hoc Apostolus præceperit, cum superius dixerit : Qui tribuit, in simplicitate tribuat ; videtur enim unum esse. At sciendum, quia superius generale opus misericordiæ commendavit : hic vero speciale commendat, quod præcipuis Christ membris est exhibendum.

Animadvertandum vero est, quo verbo utatur Apostolus ; ait enim : *Necessitatibus sanctorum communicantes*, id est, participantes ; ac si aperte diceret : Ea, quæ vestra sunt, non tanquam vestra et propria, sed tanquam aliena et communia Conditoris dona membris Christi præcipuis impertire (419).

Hospitalitatem sectantes. Nota quia non præcepit hospitales esse, sed hospitalitatem sectari. Hospitalis quippe est, qui venientes ad se hospites suscipit ; hospitalitatem sectatur, qui villas, et plateas civitatis circuit, ne forte aliquis pauperum sine tecto maneat, vel ullam molestiam patiatur.

B *Benedicite persequentibus vos.* Et est sensus : Jam innovati estis, jam novi hominis gustum percepistiis, ideoque maledici esse non debetis : nam ex ore, quo procedit benedictio, maledictio procedere non debet, sicut enim Jacobus dicit (*Jac.* III, 11) ; Ex uno fonte dulcis, et amara aqua procedere non potest.

Benedicite et nolite maledicere. Sed quærendum quare subjungat Apostolus : *Gundere cum gaudentibus !* Nunquid gaudendum est cum his, qui de bonis temporalibus, et de morte suorum inimicorum lætantur ? Absit. Sed sciendum, quia est gaudium carnale, de quo Dominus dicit : *Væ vobis, qui ridetis* (*Luc.* VI, 25) : est et spiritale, de quo alibi idem Apostolus : *Gaudete in Domino semper* (*Philipp.* III, 1). Cum illis ergo gaudendum est, qui de bonis spiritalibus gaudent, et ad hoc laborant, ut nomina ipsorum scribantur in cœlo, quibus et Dominus dicit ; *Gaudete, et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Lucx*, 20).

Flere cum flentibus (subauditur, oportet). Sed nunquid cum his flendum est, qui damna temporalia, aut mortem propinquorum deflent ? Non ; sed cura his qui, vel sua, vel aliorum deflent peccata, et moras Conditoris differuntur : qualis erat ille, qui dicebat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7).

Id ipsum invicem sentientes (subauditur, estote). Ac si aperte diceret : Nolite dissidentes esse, sed quæ de vobis, eadem sentite de fratribus. *Non alta sapientes* (subauditur, sitis). Altum sapere est superbire : hæc enim sententia illos spiritaliter respicit, qui de suis meritis, et Judæorum abjectione gloriabantur.

Sed humilibus consentientes. Humiles illos vocat, de quibus Dominus in Evangelio dicit : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3), id est, humiles corde. His nos Apostolus consentientes esse admonet, id

prudentes.

(415) In autog. marg. laterali leguntur hic verba hæc : *ille et Vercellinus diacon pi :* quæ verba in parte, scilicet, quod Vercellinum attinet, interpretationem sortientur in fine Epistolarum divi Pauli.

(416) *I Petr.* IV, 7. Ibi Vulg. loco *solliciti* habet

(417) In autog. *Laodociæ.*

(418) In autog. *orationes.*

(419) Subauditur, *debetis*, vel, loco *impertire*, legi fortasse debet, *impertimini.*

est, ut in colloquio, affabilitate, et consensu, et in omnibus, quibus indigent, subveniendo consentiamus.

Igitur, ut ostenderet quid esset alta sapere, et quomodo humilibus consentire debeamus, subjunxit : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos :* quo dicto ostendit esse prudentes apud semetipsos, qui alta sapiunt. Et nota, quia non ait tantum : *Nolite esse prudentes*, ne contrarium videretur Domini sententiæ, qui ait : *Estote prudentes ;* sed abjecit : *Apud vosmetipsos* (*Matth.* x, 16). Apud seipsos prudentes sunt, qui se pro sua prudentia jactant, qui suam imprudentiam, quasi summam prudentiam deputant ; qui de meritis præsumunt, aliorumque abjectione gloriantur : illi videlicet, qui carnis sequuntur prudentiam, de qua superius ait Apostolus : *Prudentia carnis mors est* (*Rom.* VIII, 6), id est, qui inimico vicem reddunt, maledicenti se maledicunt ; ideoque subjunxit : *Nulli' malum pro malo reddentes.* Si enim malum est malum alicui inferre, incomparabiliter majus est malum pro malo reddere : illud enim frequenter ignorantia fit, hoc vero semper studio. His ergo verbis hoc docet Apostolus, quod Dominus in Evangelio : *Si quis te percusserit in una maxilla, præbe ei et alteram* (*Matth.* v, 39 ; *Luc.* VI, 29), Quo in genere, ut beatus Augustinus dicit, sex sunt differentiæ : bona pro malis reddere ; non reddere mala pro malis ; bona pro nobis reddere ; mala pro malis ; non reddere bona pro bonis ; sed mala pro bonis. Quorum duo prima justorum sunt, et prius melius : duo vero ultima reproborum, sed posterius est deterius : illa vero media mediocria sunt, et prius bonis propinquum, posterius malis. Mediocriter enim boni, bona pro bonis reddunt, et mediocriter mali, mala pro malis. Nam et lex hoc eis præcipit, dicens : *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum Levit* : XIX, 18 ; *Matth.* v. 43). Jubet quippe talionem pro talione reddere, et cætera hujusmodi (420). Dominus igitur nolens discipulos suos in his manere, ut eos ad altiora provocaret, præcepit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt* (*Matth.* v, 44 ; *Luc.* VI, 26). Ut autem ostenderet qui sunt qui malum pro malo non reddunt, subjunxit : *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram* (421) *hominibus.* Quicunque mores suos, et actiones ita componunt, ordinant, ut a nemine reprehendi possint, hi coram Deo bona providentes ; qui vero ita, ut etiam imitabiles ostendant, hi bona providentes etiam coram hominibus : quales fuerunt parentes præcursoris Domini nostri Zacharias, et Elisabeth, de quibus legitur : *Quia erant justi ambo anteDeum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* I, 6).

Sequitur : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Pax duos conjungit, Ideoque pax, nisi inter duos, esse non potest. Unde idem Apostolus : *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Prævidens ergo, quia pax inconvulsa servari non potest ex parte inimicorum, eorum videlicet, qui a bonis reprehenduntur, temperavit suam locutionem, dicens : *Si fieri potest*, Prævidebat enim quod fieri non posset, ideoque subjunxit ; *Quod ex vobis est* ; ac si aperte diceret : Quia ex inimicorum parte inconvulsa servari non potest, quod ex vobis est, id est, quantum ad vos est, ex vestra scilicet parte inconvulsa servetur, ut semper illorum desideretis salutem. Quibus verbis nequaquam ecclesiasticam disciplinam interdicit ; id est, ut cum videmus aliquem fratrem lapsum, non eum corrigamus : oportet enim hoc agere, si forsitan illum emendare possimus. Sed quemadmodum cum omnibus hominibus pacem habere possimus, ipse manifestat, cum subjungit : *Non vos metipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* Ira in hoc loco, quamvis hominis possit intelligi, congruentius tamen accipimus iram Dei, id est, vindictam. Cum ergo nosmetipsos non defendimus, duobus modis locum iræ damus ; vel quia ira inimici sedatur, dum sibi ultionem reddi non videt, vel quia pro amore Dei patienter adversa sustinentes, locum Deo relinquimus, ut ipse pro nobis ulciscatur. Attamen non ea intentione malum non facere (422) debemus, ut Deus puniat inimicum, sed instare, ut ad pacem convertatur, et salvetur.

Sed oritur quæstio, cum Dominus dicat : *Diligite inimicos vestros*, et Apostolus. *Non vos defendentes, charissimi*, sed *date locum iræ :* cur, sicut in Apocalypsi legitur : *Sancti sub ara Dei clamant : Usquequo. Domine sanctus et verax, non judicas et vindicas sanguinem nostrum* (*Apoc.* VI, 10) ? Ne ergo contrarium videatur, sciendum est, quia sancti non vindictam suorum inimicorum desiderant ad damnationem, sed ad conversionem ; hæc est enim vindicta sanguinis illorum, vel certe optant diem judicii, quo eorum numerus impleatur, et mali puniantur, ut non eis liceat amplius peccare.

Igitur volens suam narrationem exemplo probare, subjecit : *Sicut scriptum est*, in libro scilicet cujusdam sapientis ; *Mihi vindictam ; ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* XXXII, 35). Hæc verba Domini sunt, ideoque subaudiendum est : Mihi vindictam relinquite ; ego retribuam, id est, vestram patientiam remunerabo, vel pro vobis ultionem reddam : utroque enim modo intelligi potest.

Sed, quia dixerat : *Mihi vindictam*, etc., ut ostenderet quid agere deberemus, adjecit : *Si esurierit*

(420) Exod. XXI, 23. 24 et seqq. ; Levit. XXIV, 20. ; Deut. XIX, 21 ; Matth. v, 38. V. B. August. lib. cont. Faust. c. 25. Pœnam talionis non privatus quicunque, sed judex infligebat. Hæc lex odiis vitandis potius quam vindictæ exercendæ consulebat. Nam odium inimicorum Dei lex jubebat, non privatorum, quos e contrario diligere præcipiebat. Levit. XIX, 17, 18 ; Exod. XXIII, 4, 5 ; Deut. XXII, 1-4.

(421) Vulg., *coram omnibus homimibus.*

(422) In autog. *facere*, absque particula *non ;* fortasse *sustinere pati*, et similia.

inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Ubi potum, aut cibum, non tantum corporalem, sed et spiritalem intelligere debemus, id est, verbum prædicationis : sicut enim corpus visibili cibo, et potu sustentatur, sic et anima illo spiritali saginatur.

Qui autem hoc agit, qua mercede remuneretur, aperit, subdens : *Hoc enim faciens, carbones ignis congeris super caput ejus.* Omnis præceptiva locutio, si flagitium, et facinus vetat, et utilitatem, ac beneficentiam jubet, figurata non est : si flagitium, et facinus jubere, et utilitatem, ac beneficentiam interdicere videtur, utique figurata est. Nullus itaque dubitat, quia in his verbis, quibus ait Apostolus : *Si esurierit inimicus*, etc., benevolentiæ beneficium commendat, ideoque figurata non est : in eo vero, quod subdit : *Hoc enim faciens, carbones ignis congeris super caput ejus*, malevolentiæ facinus commendare videtur, ideoque figurata est locutio, et spiritaliter intelligenda. Per caput ergo mens designatur, quæ est præcipua in ulteriori homine, sicut in corpore caput; et, sicut cuncta membra geruntur a capite, ita et interius omnia disponuntur a mente; per ignem vero charitas designatur; per carbones ignis, idem charitatis ardor (423), velut beatus Augustinus dicit : *Urentes pœnitentiæ gemitus.* Qui ergo inimico suo esurienti cibum, sitienti potum, id est, omnia necessaria subministrat, hujusmodi carbones supra mentem ejus congerit : dum enim videt sibi ab eo, quem odit, necessaria ministrari, uritur gemitibus compunctionis, cur ei inimicus sit, qui suæ miseriæ subvenit, et dicit : Ego eum persequor; ille me diligit : ego sua rapio; ille, quæ sua sunt, mihi benigne tribuit : quid restat, nisi ut diligentem me diligam? Ac per hoc sic ad dilectionem provocatur inimicus. De his carbonibus Dominus per prophetam ad Jerusalem dicit : *Habes carbones, sede super eos : ipsi erunt tibi in adjutorium.* Quidam vero per carbones intellexerunt supplicia æternæ damnationis. Sed qui cum hac intentione inimico necessaria ministrat, ut supplicia illi æternæ damnationis accumulet, non illum diligit, sed potius odit. Omnino ergo sciendum est non fuisse hanc Apostoli intentionem, qui hæc idcirco jubebat, ut inimicus ad pacem converteretur. Unde et subjunxit : *Noli vinci a malo*, scilicet impatientiæ. Ille a malo vincitur, qui impatientiæ furore vexatus, inimico ultionem aut reddit, aut reddi desiderat. *Sed vince in bono malum*, patientiæ vocat : in bono ergo malum vincit, qui per patientiæ virtutem omnia adversa patienter, et æquanimiter tolerat.

Præterea, ne diceret aliquis : Transivi ad gratiam Evangelii; liber sum : nulli subditus esse debeo; propterea Apostolus, ut nihil suis auditoribus deesset, propter bonum pacis, et concordiæ, subjecit : (424) (CAP. XIII.) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (425). Ab excellentiori parte, id est anima, totus homo designatur; sublimiores autem potestates dicit imperatores, reges et principes hujus sæculi, quibus non subditos esse admonet propter bonum pacis, et concordiæ, ne nomen Dei, aut doctrina Christi blasphemetur. Unde et coapostolus ejus Petrus : *Subditi estote omni creaturæ propter Deum, sive regi, tanquam præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis* (*I Petr.* II, 13). Quod enim ille aperte posuit, propter Deum, hoc iste subintelligi voluit (426). Cur autem subditi esse debeamus, ostendit, subjungens : *Non est enim potestas nisi a Deo.* Sed cum in libro cujusdam sapientis scriptum sit : *Reges regnaverunt, sed non per me; principes exstiterunt, et non cognovi* (*Ose.* VIII, 4) : quomodo non est potestas, nisi a Deo? Sciendum est ergo, quia sunt quæ Deus propitius ordinat, et disponit; sunt quæ iratus fieri permittit. De his ergo, quæ iratus fieri permittit dicitur : *Reges regnaverunt, et non per me*, etc. Et in libro Job : *Permittit Deus regnare hypocritam propter peccata populi* (427); de his vero, quæ ipse ordinat, in libro Proverbiorum scriptum est : *Per me reges regnant* (*Prov.* VIII, 15), etc. Ac per hoc omnis potestas a Deo est, vel ordinate propitio, vel concedente irato. Notandum etiam, quia non ait : Cupiditas non est, nisi a Deo, sed *potestas*, quoniam mali cupiditatem nocendi aliis a se habent; potestatem vero nisi a Deo habere non possunt. Neque enim diabolus unam oviculam Job contingere posset, nisi Domino permittente; ideoque dicebat : *Extende paululum manum tuam* (*Job* I, 11), id est, concede mihi ut tentem. Et pulchre subjungitur : *Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt*; a bono quippe ordinatore nihil inordinatum relinquitur. Ostendit ergo his verbis Apostolus manifeste, quoniam omnis potestas, tam apud paganos quam apud Christianos, a Deo ordinata est, sive propitio, sive irato. Deerat enim timor Dei hominibus, ideoque ne more piscium ab invicem consumerentur, datæ sunt potestates etiam malis, ut

(423) Autog. *Eumdem charitatis ardorem.*

(424) In autog. marg. legitur cap. XLIII.

(425) Ex hoc quod sequitur capite intelligat lector quænam fuerit gravissimi hujusce viri de obedientia, et subjectione principibus debita, quibus a Deo in omnes subditos potestas est, sententia. Vere evangelicæ doctrinæ sectator, quam longe est, ut principibus resistere, et auctoritatem auctoritati opponere, in eos invehere, vel quod non sine horrore ab aliquot novatoribus auditum est, vitæ, vel regno eorum insidias moliri, vel etiam manus sacrilegas, et impias inferre, quocunque prætextu doceat. Apparebit imo in quo jurisdictionem ecclesiasticam pretio habuerit, et quam spiritali animarum lucro postponendam judicaverit evangelicus vere auctor noster. Scilicet nunquam judicaturus fuisset pro tuenda jurisdictione, si de animarum, vel ecclesiarum lucro, vel amissione ex una, et de ea tuitione ex altera parte ageretur. Confer hæc, et sequentia cum his quæ Atto ipse habet in epistola sua ad Waldonem episcopum, incipiente : *Multas vestræ charitati.*

(426) Autog. *posuit.*

(427) Job XXXIV, 30. Vulg. : *qui regnare facit hominem hypocritam.*

boni patientiæ virtute probarentur, et mali legibus mundanis coercerentur, et punirentur. Cur autem potestati resistere non debeamus, ostendit, subjungens : *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ac si aperte diceret : Deo rebellare nititur, qui a se ordinatæ potestati contradicit (428).

Verum, quia erant nonnulli dicentes : In sæcularibus negotiis nos subditos esse oportet; in fide autem, et in his, quæ ad Deum pertinent, nullo modo; idcirco volens Apostolus ostendere, quia in omnibus subditos esse oportet propter Deum, adjecit : *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ac si aperte diceret : Dum ipsi persequendi occasionem tribuunt, suos persecutores excusabiles, et se improbabiles reddunt; ideoque dignam causam mortis habeant, sed dignum mortis præmium accipiunt (429). Cur autem principes dati sint, manifestat, subjungens : *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali*; non enim ideo principes dati sunt, ut eos terreant qui bona operantur, sed qui mala.

Igitur, ut ostenderet vim potestatis, et quare potestas data sit, adjunxit : *Vis ergo non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Sed forte aliquis dicet : Nunquid sancti apostoli potestatibus subditi fuerunt, qui principibus usque ad mortem restiterunt, ne Christi fidem amitterent? Vere subditi fuerunt, quoniam non propter mala opera, sed propter bona persequendi occasionem dederunt (430).

Sed quomodo dicitur : *Habebis laudem ex illa?* Nunquid sancti apostoli laudem a principibus habuerunt, a quibus interempti sunt? Quapropter sciendum quia non ait per illam, sed *ex illa.* Circumspexit enim, et temperavit locutionem suam, ac si diceret : Ex ipsa justa, vel sæviente. Si enim juxta fuerit potestas, habebis laudem ex ipsa etiam laudante; si vero impia, dum propter finem Christi, et veritatem (431) persecutionem pateris, laudem habebis, ipsa occasionem laudis præbente etiam sæviendo; nam pervenies ad coronam martyrii, unde laudem consequaris. Ideo subjungitur : *Dei enim minister est tibi in bonum.* Dei quippe minister est princeps hujus mundi sanctis in bonum, quoniam hac ratione, sive justa, sive iniqua potestas fuerit, sanctis in bonum laudis ministrat.

Denique, quia præmisit : *Principes non sunt timoris boni operis, sed mali*, ut hoc apertius demonstraret, subjecit : *Si autem malum feceris, time*; scilicet, quia princeps ad hoc potestatem accepit, ut eos puniat, qui malum operantur. Unde et subditur : *Non enim sine causa gladium portat*, id est, non sine causa utitur potestate : gladium quippe vocat potestatem. Et ut apertius ostenderet cur timendum esset ei qui malum operatur, adjecit : *Dei enim minister est, vindex in ira ei qui malum agit.* Ministrum principem vocat, qui a Deo potestatem accepit, ut in eos vindicet qui malum operantur.

Sed quærendum quare Apostolus toties mentionem facit potestatis, et ministrorum Dei, iræ, atque vindictæ. Scilicet, ut ostendat quia Deus non vult hæc per suos exhiberi pontifices, sed per sæculares potestates (432) : alia quippe est causa Ecclesiæ, alia provinciæ (433). Nam provinciæ administratio terribiliter est agenda, Ecclesiæ vero mansuetudo clementer commendanda (434). Hujus autem loci sensum verba Irænæi (435) manifeste demonstrant. Refert enim quia cum venisset Dominus Capharnaum, interrogavit Petrum : *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filii suis, an ab alienis? Qui cum dixisset, ab alienis, inquit Dominus : Ne ergo scandalizemus eos ; vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens da eis pro me et pro te* (*Matth.* XVII, 24, 25). Nam qua intentione Dominus præcepit censum Petro reddere (436), ea Apostolus monuit suos adjutores omnibus sublimioribus potestatibus subditos esse; propter pacis scilicet, et concordiæ bonum. Unde hic quoque subjungit : *Ideoque necessitate subditi estote*, etc. In fide namque Christi non est distinctio Judæi aut Græci domini aut servi, masculi et feminæ, sed in quantum fideles sunt, omnes unum sunt. Attamen, quia oportet ut fideles per viam præsentis vitæ ad patriam æternæ hæreditatis perveniant, necesse est ut in ordine hujus vitæ subditi sint sublimioribus potestatibus, ne occasionem persequendi demus, et nomen Dei et doctrina blasphemetur. Et hoc est quod dicit Apostolus, *necessitate*. Igitur, quia erant qui propter hoc solum subditos se esse oportere dicebant, ne occasionem persequendi darent, et punirentur, ideo subjungit : *Non solum propter iram*, id est vindictam, *sed etiam* unicam voluit habere causam, religionem nempe dogmatum et morum. Vel legendum fortasse : *ideo quia dignam causam mortis non habent, nec dignum mortis præmium accipiunt :* id est martyrii palmam.

(428) Quæ sequuntur valde notatu digna, utpote quæ doctorum Ecclesiæ illius temporis sententiam produnt, omnemque subtilibus interpretationibus locum tollunt, evangelicamque doctrinam a divo Paulo ejusque coapostolo Petro in epistola potissimum prima cap. II, v. 13, 14, 15, et seqq. prædicatione, et sanguine promulgatam pandunt, iisque temporibus a doctis viris agnitam, et secutam, sequendam nobis suadent.

(429) Sensus hic aliquanto obscurior evadit. Fortasse loco *ideoque* scribendum erat : *ideo quia dignam causam mortis habeant, et dignum mortis præmium accipiunt :* nam *ideoque* compendiose scriptum est ita *ideoque*; adverbium vero *quia* semper, aut fere semper, compendiose scriptum legitur eo modo, quo finalis syllaba adverbii *ideoque*, ita : q.: Scilicet auctor noster martyrium commendando, dignam illud et

(430) En dignam causam mortis.

(431) En clarius causam martyrii dignam demonstratam.

(432) Verba *sed... potestates*, in imo margine habentur.

(433) Hic in marg. eodem charactere, sed aliquantisper rubriori atramento leguntur verba hæc : *de episcopis, non debere judicia exercere.*

(434) En constanter evangelicum morem.

(435) In autog. *Hyrinei.*

(436) Clarior fortasse evaderet sensus si legeretur : *Præcepit Petro censum reddere.*

propter conscientiam, id est propter ejus amorem A cujus præcepti vultis esse impletores : et pura quidem mente idipsum facere debetis, *non ad oculum servientes,et quasi hominibus placentes* (*Ephes.* VI, 6), sed Deo, qui probat corda vestra (437). Et quoniam præmisit : *Dei minister est, vindex in ira ei qui malum agit*, idcirco subjunxit : *Ideo enim et tributa præstatis ;* id est,ne persequendi occasionem detis. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Ministros Dei principes vocat, quibus a Deo collata est potestas ad exigendum tributum. Unde et generaliter eos exhortans, subjecit : *Reddite ergo omnibus debita ;* (438) *cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal.* Tributum, ut quidam volunt, a *tribuendo* dicitur. Est enim census, aut redditus qui exigitur a colonis, vel territoriis ; revera autem tributum *a tribubus* dicitur. Romani siquidem mundum in tres partes diviserunt,Asiam,Africam et Europam, quibus qui præerant tribuni vocabantur, et qui censum solvebant, tributarii. Vectigal autem a *vehendo* dictum est ; est enim census fiscalis. Et est sensus : juxta propriam dignitatem omnibus debita solvite:si imperator est, si rex est, si princeps, si magister, si dominus, si pater, vel quidquid hujusmodi : id est, imperatoribus, regibus, principibus, tributa et vectigalia ; magistro et patri, honorem ; domino timorem. Et hoc est quod subditur : *Cui timorem,timorem ; cui honorem, honorem.* Sed quia longum erat per singula enumerare, ideo generaliter universa complectens,subjunxit : *Nemini quidquam debeatis* ; id est. omnibus juxta dignitatem debita reddite, Verum, quia bonum charitatis non semel, sed continue reddendum est, intulit : *Nisi ut invicem diligatis ;* ac si diceret : Hoc dilectionis bonum semper vobis invicem persolvatis necesse est, quia quo amplius redditur, tanto magis augetur. Et ut ostenderet quantum bonum sit dilectio, subjecit : *Qui enim diligit proximum, legem implevit.*

Sed cum Dominus in Evangelio post commendatam dilectionem Dei et proximi dicat : *In his duobus mandatis tota lex pendet* (*Matth.* XXII, 40), quomodo Apostolus eum qui proximum diligat,legem implere dicit ? Ne ergo videatur contrarium, animadvertendum est quia non ait Apostolus, totam legem, sed tantum, legem illam, volens intelligere quæ proximi jubet dilectionem.Quod si totam legem intelligi voluit, nec sic contrarium est. Qui enim diligit D Deum, diligit utique proximum, quoniam ipse jubet diligere proximum ; et qui proximum diligit, utique diligit et Deum, quoniam ejus implet præceptum. Ipse autem in Evangelio dicit : *Qui diligit me, mandata mea servabit* (*Joan.* XIV, 15.) Ut autem ostenderet quam dixerit legem, adjecit : *Nam non occides* (subauditur, scriptum est), *non adulterabis,non furaberis, non concupisces, non falsum testimonium dices.* Et quia non omnia commemoravit, quæ ad dilectionem proximi pertinent, ideo generaliter subdidit : *Et si quod est aliud mandatum* (subauditur, ad dilectionem proximi pertinens), *in hoc verbo instauratur*, id est, in verbo dilectionis impletur. Unde et continuo ipsum verbum intulit, dicens : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ut autem ostenderet quomodo impleat legem, qui diligit proximum, subjunxit : *Dilectio proximi malum non operatur.* Quicunque sancte et pie ita proximum ut se diligit, peccandi occasionem non habet ; nam quia non vult ut sua uxor corrumpatur, ipse non corrumpit alterius, quia non vult occidi, nec ipse quærit occidere proximum. Sic et per cætera. Proximum omnem hominem dicit cum quo peccare possumus.

Plenitudo ergo legis est dilectio. Si charitas juxta B vocem Apostoli plenitudo legis est, et sicut Joannes dicit, *Charitas Deus est* (*Joan.* IV, 16), ergo et plenitudo legis Deus est, qui dixit : *Non veni solvere legem sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Poterat fortasse ad hæc aliquis dicere : Apostole, quis in mortali corpore constitutus potest implere quod dicis ; id est, ut proximum diligendo nullum malum operetur ? Ideoque subjungit Apostolus : *Et hoc scientes tempus* (439) (subauditur, esse aptum). Et congrue hoc tempus aptum esse dicit ab bonum operandum, quia post hanc vitam tempus erit unicuique a Deo recipiendi quod gessit. Unde Dominus per prophetam : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isai.* XLIX, 81 ; *II Cor.* VI, 2), quod exponens Apostolus ait : *Ecce nunc tempus acceptabile,* C *ecce nunc dies salutis* (*Ibid.*) Ad quid autem dixerit hoc tempus aptum, aperitur cum subditur : *Quia hora est jam nos de somno surgere ;* ac si diceret : Diu quidem jacuistis in somno infidelitatis, corporis ignaviæ, et cæterorum vitiorum. Hora est jam surgere. Cur autem jam hora sit, ostendit : *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.* Et est sensus : quia dies judicii advenit, et nostræ vitæ finis appropinquat, ideo proprior est nunc nostra salus, quam tunc, cum credidimus, quia quo præterita crescunt,eo minuuntur futura. Salutem vero non temporalem dicit, sed æternam : quam perfecte quidem fideles percipiunt, cum e corporibus exeunt, perfectius tamen percipient cum a mortuis resurrrexerint.

Sequitur : *Nox præcessit*, etc. Iste sanctus Apos- D stolus,Evangelium prædicando, pene totum orbem terrarum circumivit, et quia vidit cum in tenebris infidelitatis et reliquorum vitiorum jacere, exclamavit : *Nox præcessit*, scilicet antiquæ cæcitatis, id est infidelitatis ; *dies autem appropinquavit* æternæ salutis, id est dies fidei et cæterarum virtutum, qui tunc advenit, cum Christus per mysterium Incarnationis in mundo apparuit, cujus fidei luce infidelitatis tenebræ sunt effugatæ. Et quia præmisit *nox*

(437) En pontificem evangelicis vere moribus, et doctrina imbutum.

(438) In marg. autog, hic legitur cap. XLIV.
(439) Hic in marg, autog. legitur cap. XLV,

præcessit, idcirco exhortans subjungit: *Adjiciamus ergo opera tenebrarum;* id est, infidelitatis et cæterorum vitiorum. Rursus quia præmisit *dies autem appropinquavit*, ideo hic quoque subditur: *Induamur arma lucis*, id est, fidem, spem, charitatem, et reliquas virtutes, quæ bene arma dicuntur, quoniam his gladiis arma diaboli superantur. Unde alibi Apostolus: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere adversus insidias diaboli, et in omnibus perfecti stare* (*Ephes.* VI, 11). Lucis autem arma ideo dicuntur, quoniam vita fidelium in comparatione infidelium lux est et dies; sed hic dies permistas habet tenebras quoniam *militia est vita hominis super terram* (*Job.* VII, 1); tunc autem sine omnibus tenebris erit, cum electi æternitatis luce perfruentur. Ut autem ostenderet quomodo indui debeamus arma lucis, subjecit: *Sicut in die honeste ambulemus.* Ubi quærendum est quare addidit *sicut in die.* Scilicet, quia qui per noctem ambulant, solent distincti, et incompositi ire: quidam etiam nudi, quoniam non videntur ab aliis; qui vero per diem, omnimodo se componunt, ne inspectorum oculos offendant. Voluit ergo ostendere, quia necesse est, ut sic nos bonis operibus adornemus, et in splendore virtutum incedamus, ne Dei inspectoris nostri oculos offendamus; id est, in bonis operibus, non humanæ laudis appetitum, non lucra terrena, sed hoc solum quæramus, ut illi placeamus. Igitur, quia hortatus est, ut abjiceremus opera tenebrarum, ut ostenderet quæ essent, subjecit: *Non in comessationibus*, etc. Comessatio dicitur, quasi mensæ collatio: quæ tum fit, cum a diversis, diversa, vel a multis multa in unum conferuntur, ut simul epulentur. Inter cætera autem multa vitia, ex comessatione ebrietas nascitur; ideoque mox addit: *Et ebrietatibus.* Sursum quia ex ebrietate libido generatur, adjecit: *Non in cubilibus.* Cubile a cubando, id est, a fœdo concubitu dicitur, quod magis feris, et bestiis congruit quam hominibus ratione utentibus. Igitur, quia in cubilibus patrantur immunditiæ et fornicationes, adjecit: *Et immunditiis* (440). *Non in contentione.* Contentio est animositas mentis, id est furor animi, ex qua, quia sæpe nascitur invidia, aut dolus, idcirco subjungitur: *Et æmulatione*, vel ut quædam exemplaria habent, *dolo.*

Sed quærendum est quare Apostolus quatuor carnalibus vitiis duo spiritalia conjunxit, id est, contentionem, et invidiam. Scilicet, quia ostendere voluit quoniam et hæc duo, nonnisi qui carnales sunt, operantur. Attamen sciendum, quia beatus Augustinus tria solum vitia hoc loco commemorasse Apostolum dicit: Nam commessationem et ebrietatem unum accipit; similiter cubilia et immunditias, ita etiam contentionem et æmulationem; ideoque illum hæc tria tantum commemorasse dicit, quoniam ex his velut radice, omnis vitiorum pullulat seges. Rursus ut ostenderet quæ sint arma lucis, aut in quo sint, adjunxit: *Sed induite Dominum Jesum Christum;* hoc est in Die honeste ambulare. Dominum Jesum nos monet induere; id est, fidem, veritatem, et cunctas virtutes, quæ in Christo interpretantur. Sed quia hæc arma induere non potest, qui curis sæcularibus implicatur, adjecit: *Et carni, vestræ curam ne feceritis in desideriis.* (441) Prævidit quippe Apostolus, quia sine cura carnis homo subsistere non potest, ideoque adjecit: *In desideriis.* Ac si diceret: Fieri non potest ut carnis curam non faciatis; si ergo feceritis, non in desideriis, id est, non in concupiscentiis, vel ut desideriis vestris satisfaciatis. Quo dicto evidenter insinuat, quoniam cura carnis habenda est in necessariis, adimenda autem in superfluis. Et hoc est, quod Dominus in Evangelio dicit: *Nolite solliciti esse in crastinum* (*Matth.* VI, 34); ubi beatus Hieronymus: *Labor exercendus* (442) *est, sollicitudo tollenda.*

Præterea sciendum, quoniam gentiles credentes, adeo fortes et perfecti erant in fide, ut omnia munda crederent; ideoque etiam illis vescebantur, quæ prohibita sunt in lege, scientes ea sub figura prohibita: Judæi autem credentes infirmi erant, nec aliis vesci licitum putabant, præter quæ in lege præcepta sunt. Videns ergo Apostolus hanc dissentionem, ut eos ad pacem revocaret, subjecit: (CAP. XIV.) *infirmum autem in fide assumite.* Gentibus enim hoc dicebat, quæ adeo firmæ erant in fide, ut omnia crederent munda; et est sensus: Infirmum Judæum in fide, id est, non omnia munda putantem, in consortium vestrum assumite: si forte in fide proficiat, et ne judicetis eum reprobum, et imperfectum. Et hoc est quod sequitur: *Non in disceptationibus cogitationum;* id est, non ut cogitationes ejus dijudicetis, de quibus solus judicat Deus. Elegit quippe Apostolus, ut ejus infirmitas portaretur, quatenus in fide recederet. Undeet subjecit: *Alius quidem s credit manducare omnia;* hoc enim de gentili dicit, qui omnia licita, et munda credebat: vocatio namque Dei nullos prohibet cibos, sed ratio abstinentiæ etiam a licitis abstinere.

Qui autem infirmus est, olera manducet. Hoc de Judæo dicit, qui in fide infirmus, ea tantum munda credebat, quæ in lege non sunt prohibita; et est sensus: Ea tantum manducet, quæ sibi suavia, et legis præcepto concessa credit, sicut olus. Unde et subditur: *Is qui manducat, non manducantem non spernat;* id est, gentilis, qui omnia credens munda, manducat, (subauditur, omnia) non manducantem Judæum, id est, non omnia munda credentem, non spernat, sed æquanimiter toleret, quatenus in fide proficiat.

Et qui non manducat, manducantem non judicet: Id est, Judæus, qui non omnia munda credens, non

(440) Vulg. *impudicitiis.*
(441) Hic in Autog. marg. legitur cap. XLVI.
(442) Autog. *excredendus.* Mendam correxi ex divi Hieron. textu ad cit. c. Matth. VI, v. 24.

omnia manducat, gentilem omnia munda credentem et manducantem non judicet, id est, non condemnet, non malum de illo existimet. Sunt enim quædam facta, quæ dubium est quo animo fiant; quia et bono, et malo animo fieri possunt : et idcirco in his judicium sumere non debemus, quod nobis in illis permittitur, quæ quo animo fiant, videri possunt ut furta, stupra, blasphemiæ et cætera hujusmodi.

Erant igitur eo tempore qui a carnibus et vino se abstinebant : erant et qui utebantur; ideoque dijudicabantur ab invicem. Ergo quia, cum essent homines mortales, de rebus dubiis, id est, quæ et simplici, et non bono animo fieri poterant, in occulta cordis, de quibus Deus tantum judicat, volebant ferre sententiam; idcirco dicit Apostolus : *Is, qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet.* De dubiis quippe judicare non debemus, maxime ut condemnemus, ne forte temerarium judicium incidamus. Unde alibi : *Molite ante tempus judicare* (*I Cor.* IV, 5). Et Dominus in Evangelio : *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* VII, 1).

Cur autem nec Judæus sit spernendus, nec gentilis judicandus, ostendit, subjungens : *Deus enim illum assumpsit*, id est, elegit, et sua gratia ad fidem vocavit. Propter quod et subditur : *Tu quis es, qui judices alienum servum?* Ac si diceret : Quia Deus illum assumpsit, servus est Dei : tu ergo, cum sis fragilis, et occulta cordis cognoscere non possis, quis es, ut Dei servum judices. Unde adjecit : *Suo Domino stat, aut cadit* (443-44)? Stat scilicet fortis, quoniam in fide perseverat : cadit autem infirmus, sed fortis Domini gratia stat; infirmus vero sua fragilitate cadit. Et nota, quia, cum generaliter loqueretur de omnibus regeneratis, subito respexit ad prædestinatos, et addidit : *Stabit autem;* scilicet quia prædestinatus quisque divina gratia adjutus, in fide perseverabit. Et ne sibi prædestinatus tribueret, quod stat, adjunxit : *Potens est enim Deus statuere illum.* Ac si diceret : Cujus gratia stat, potens est et tribuere perseverantiam, ut perseverantissime est. *Statuere* dicit, id est, in fide corroborare. Aliter : Illum, id est infirmum, qui cecidit, potens est Deus statuere, id est, restituere in pristinum gradum. Et sciendum, quia erant nonnulli eo tempore, qui semper abstinentiæ vacandum docebant; alii autem, qui tantum per intervalla temporum. Videns autem Apostolus hanc varietatem inter credentes, subjunxit : *Nam alius judicat diem inter diem; alius judicat omnem diem.* Diem judicat inter diem, qui aliud tempus jejunio deputat, aliud perceptioni ciborum, omnem diem, qui omni tempore præcipit abstinendum. Nam, ut superius dictum est, vocatio Dei nullos prohibet cibos; ratio vero abstinentiæ, etiam a licitis quibusdam semper monet abstinendum. Sed hunc locum quidam profundius intellexerunt, ut non tantum ad personas hominum, sed ad personas Dei et hominum referantur, ut qui judicat diem inter diem, sit homo; qui autem judicat omnem diem sit Deus. Homo quippe diem inter diem judicat; quia hoc solummodo judicat (445), quod in præsenti videt : nam qualis quisque sit hodie, videt; qualis autem futurus sit, ignorat, ut eum, quem hodie videt malum, cras non dubitet posse divina gratia fieri bonum : Deus autem judicat omnem diem; quia præscientia sua omnia novit, etiam antequam fiant, et qualis quisque sit hodie, qualis futurus sit. Igitur quia vidit Apostolus illam varietatem, quam diximus inter credentes, et quoniam utrumque acceptabile est Deo, subjunxit : *Unusquisque in suo sensu abundet.* Hunc locum nonnulli ita intellexerunt : unusquisque quod sibi sufficere decreverit, abundanter operetur. Sed nunquid hæreticus, nunquid schismaticus, nunquid malus catholicus hoc operari debet, quod sibi credet sufficere? Absit. Si ergo accipiendum est : Unusquisque sicut suo sano sensui intellectus a Deo concessus est, sic operetur; ac si apertius diceret : Unusquisque quæ credenda, et confitenda, et agenda juxta instituta, et exempla sanctorum cognoscit, hæc abundanter operetur; quatenus in his se exercendo, ad majora perveniat, quæ prius non intellexit.

Sequitur : *Qui sapit diem, Domino sapit.* Diem sapit qui, qualis aliquis sit, hodie videt : qualis autem cras futurus sit, non agnoscit; id est, qui ea tantum sapit, quæ in præsenti videt; et Domino sapit, quia illo largiente hoc ipsum intelligit. Aliter : Diem sapit, et Domino sapit, qui non propter hominem, sed propter Dei amorem jejunat.

Et qui manducat, Domino manducat. Hoc de gentibus dictum est. Et est sensus : Gentilis, qui omnia manducat, Domino manducat, quoniam Domino laudes refert, cujus gratia factum est, ut omnia munda crederet. Et hoc est quod sequitur : *Gratias enim agit Deo.*

Et qui non manducat, Domino non manducat. Hoc Judæis dicit; ac si diceret : Judæus, qui non omnia munda credit, et idcirco non omnia comedit, Domino jejunat, quoniam gratias agit Deo, cujus donum est, quod abstinet ab his, quæ in lege sunt prohibita. Et hoc est, quod subditur : *Et gratias agit Deo.* Sic autem dictum est : *Domino manducat*, sicut in psalmo : *Annuntiabitur Domino generatio ventura* (*Psal.* XXI, 31); id est, ad laudem Domini; ac si aperte diceret : Illi, qui generationem venturam annuntiabunt, Domino, non sibi placebunt. Ostendit namque Apostolus, quoniam tunc laudabiliter bonum aliquod agitur, cum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur ut fiat (446). *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur.* Nemo sibi vivit, quia nullus a se ipso vitam habet. Unde alibidem Apostolus : *In*

(443-44) Vulg. punctum interrogationis non habet; sed adfirmative legitur : *Domino suo stat, aut cadit.*

(445) Verba *quia... judicat*, in margine superiori leguntur.

(446) In marg. autog. hic legitur cap. XLVII.

ipso enim vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVII, 28). Omnia quippe Deus propter homines condidit : hominem autem ad se laudandum creavit ; et idcirco nemo nostrum sibi moritur, quoniam mortuus quisque fidelis a laude Dei non cessabit. Quomodo ergo scriptum est : ***Non mortui laudabunt te, Domine*** (***Psal.*** CXIII, 17). Quapropter sciendum, quia illi mortui Dominum non laudant, qui tales sunt, qualis ille, de quo scriptum est : *A mortuo, quasi non sit, perit confessio* (*Eccli.* XVII, 26). Illi autem mortui magis Dominum laudaut, qui tales sunt, qualis ille, de quo Dominus dicit : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur et æternum* (*Joan.* XI, 25) ; et qualibus dicit Apostolus : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo* (*Coloss.* III, 3). Aliter : Nemo nostrum sibi moritur ; quia quicunque vitiis moritur, non sibi, sed Deo moritur, cujus gratia accepit, ut moreretur. Unde superius ait : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* VI, 2, 3). Similiter quicunque vivit virtutibus, non sibi, sed Deo vivit ; quia ad ejus laudem vivit, cujus gratia factum est ut viveret. Unde superius ait : *Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Ibid.*, 4). Beatus vero Gregorius hunc locum ita exponit : nemo nostrum sibi vivit, et nemo nostrum sibi moritur ; quoniam quicunque bonus est, et quicunque malus, non sibi tantum est, sed et aliis, quibus aut bene, aut male vivendi præbet exemplum.

Et ut aperte demonstraret quare hoc præmiserit, subjunxit : *Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Domini sumus, quia pretio sanguinis ejus redempti : unde mox subditur : *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit,* etc. (447) Ac si diceret : Propter hoc enim Christus passus est, ut pretio sanguinis sui fideles redimeret, *et mortuorum simul, et vivorum dominaretur.* Dominatur igitur vivorum, quoniam in eis habitat per gratiam, eosque regit, et gubernat ; dominatur et mortuorum, quoniam simul cum eo regnant in cœlis, de quibus scriptum est : *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV, 13).

Denique, ut terreret eos, qui se invicem spernebant et condemnabant, adjunxit : *Tu autem quid judicas fratrem tuum ?* Quod utique Judæo dicit : *Aut tu quid spernis fratrem tuum ?* Hoc utique ad gentilem dicit. Sed quia majus malum est judicare, quam spernere, idcirco, relicto præventionis malo, temeritatem judicii exaggerat, subdens : *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi ;* et est sensus : Qua temeritate audetis judicium Dei prævenire, et de occultis judicare, cum omnes astabimus ante tribunal Christi ? Ut autem aperte ostenderet, quale futurum sit illud judicium, idcirco sumpsit formam terrenæ similitudinis, dicens : *Astabimus ante tribunal ;* reges quippe terreni aliquid judicaturi eminentiorem locum conscendunt, unde omnes contemplentur, ut qui condemnandi sunt, latere non possint, neque qui præmium accepturi ; et ille locus proprie tribunal dicitur, eo quod inde tribuantur præcepta vel judicia.

Apostolus itaque, ut ostenderet quoniam nullus illud judicium evadere poterit, idcirco ipsam judiciariam sedem, *tribunal* appellavit ; omnia quippe peccata manifesta erunt non solum oculis Dei, sed omnium hominum : nam ipse judex venturus est non solum operum, juxta illud : *Recipiet unusquisque propria corporis sui, prout gessit* (*II Cor.* V, 10), sed etiam et cogitationum, secundum quod ipse Apostolus alibi dicit : *Nolite ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum* (*I Cor.* IV, 5), etc. Et Dominus in Evangelio : *Nihil opertum, quod non revelabitur ; neque occultum, quod non sciatur* (*Luc.* XII, 2) : nihilominus et locutionum, quia, sicut ipse in Evangelio dicit : *De omni verbo otioso reddet homo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Et ut suam narrationem exemplo confirmaret, subjunxit : *Sicut scriptum est :* (scilicet in Isaia propheta) *Vivo ego, dicit Dominus* (*Isai.* XLV, 24 ; *Philipp.* II, 10), etc. Hæc verba Filii Dei sunt. Prævidit quippe propheta Dominum ad judicium venturum ; ideoque in voce ejusdem dixit : *Vivo ego ;* ac si diceret : Vivo per immortalitatem, quia mortuus sum per carnis dispensationem. *Quoniam mihi flectet omne genu.* Per genuflectionem humiliatio mentis designatur, quia omnis creatura subjicitur Deo.

Voluit autem propheta Dominum ostendere eminentiorem omnibus creaturis ; ideoque in ejusdem voce ait : *Quoniam mihi flectet omne genu.* Hinc alibi idem Apostolus : *In nomine Jesu omne genuflectatur ; et omnis lingua confitebitur Deo* (*Ibid.*). Hic a parte totum ostenditur : omnis lingua, id est, omnis creatura, non humana tantum, sed etiam angelica. Non tamen quod angelica creatura corpus habeat corruptibile, cujus lingua Deo confiteatur, sed per angelicas linguas, occultas et secretas laudes intelligimus, quas angeli referant Deo : nam quia ore per linguam laudamus, recte ipsa laus linguæ ascribitur.

Sed, quia dixerat : *Omnes astabimus ante tribunal Christi,* ut ostenderet quid illic acturi simus, adjunxit : *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Et est sensus : Qua temeritate Dei judicium prævenire audetis, et vos invicem judicare, cum unusquisque ante tribunal Christi pro se rationem Dei redditurus sit ? Unde continuo subditur : *Non ergo amplius invicem judicemus ;* ac si diceret : Hactenus, quia forsitan judicem non agnovistis, ideo vos invicem judicastis : quia ergo judicem agnoscitis, non vos ulterius temere diju-

(447) In autog. margine hic vix legitur cap. XLVIII.

dicstis. Et ut eos facilius flecteret ad id quod suggerebat, idcirco suam personam associavit, dicens, *judicemus*.

Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Notandum, quia supra judicium condemnationem significat; hic vero, discretionem. Et est sensus : Hoc statuite et decernite, ne comedendo ea, quæ munda et licita creditis, fratri infirmo, id est Judæo, occasionem detis offendendi, aut scandalizandi. Igitur, quia poterat gentilium aliquis dicere : Apostole, quia sic interdicis omnia comedere,ergo et tu non omnia munda putas.Idcirco subjunxit : *Scio* (448).Nec hoc solum sufficit, sed addidit : *Et confido in Domino Jesu*. Ut enim arctius eorum cordibus inculcaret,quod dicebat, ideo hoc adjecit. Quid autem sciret et confideret ostendit : *Quia nihil commune per ipsum*. Ac si aperte diceret : Non propterea prohibeo,quia putem immunda, sed ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum : hoc enim verbum, id est *commune*, Judæi pro *immundo* accipiebant : unde animalia, quæ per legem concessa sunt ad edendum,munda; reliqua autem communia vocabant : vasa etiam, quibus utebantur sacerdotes in templo,sancta dicebantur,et ad eorum comparationem,cuncta immunda, id est, communia.Attamen vim hujus sermonis non intelligebant : nam cum animalia et vasa communia vocarent, id est immunda; se communes esse non intelligebant. Sicut enim vasa reliqua, ad comparationem eorum,quibus utebantur sacerdotes in templo, communia dicebantur; sic anima peccatrix, ad comparationem sanctæ et piæ animæ, communis vocatur; quia non est unius Domini, sed multorum, id est, vitiorum, et dæmonum famula. *Per ipsum* dicit, id est, per Christum : nihil enim commune per ipsum, quoniam a bono Deo, omnia bona et munda creata sunt : unde in Genesi legitur : *Vidit Deus cuncta, quæ fecit, et erant valde bona* (*Gen.* I, 10-12). Videtur ergo his verbis Apostolus legem accusare, quæ docet quædam esse immunda. Sed absit. Imo ostendit, quia, quæ prohibita sunt, sub figura utique sunt prohibita. Et sciendum,quia sæpe conscientia uniuscujusque rem immundam sibi mundam facit, vel econtrario : verbi gratia, si idolothytum in macello vendatur, et quis emens nescius comederit, conscientia sua sibi mundum; econtrario qui aliquid immundum judicat. illi utique immundum est. Et hoc est, quod sequitur : *Nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est*.Ut nutem ostenderet quare præmiserit : *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum, vel scandalum* (449),subdidit : *Si enim propter escam frater tuus scandalizatur* (450); *jam non secundum charitatem ambulas;* id est, si ea, quæ licita et munda credis,propterea sumis,ut frater tuus scandalizetur; non secundum charitatem ambulas,quia non illum imitaris, qui de cœlo ad terras descendit,et pro eo suum sanguinem fudit.Unde continuo subditur : *Noli cibo tuo illum perdere,pro quo Christus mortuus est*. Ac si patenter dicat : Cibo tuo illum perdis, quem salvare poteras, nisi coram eo sumeres. Quo dicto ostendit, quoniam quicunque pereunt et salvari poterant, ab illis utique perduntur,a quibus poterant salvari. Denique quia nomen Christi blasphematur, dum aliquis cibo fratrem suum perdit, idcirco exhortando subjunxit : *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*. Bonum appellat donum fidei et cunctarum virtutum, vel certe nomen Dei, *præter quod non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri* (*Act.* IV, 12). Sive bonum vocat, Evangelii gratiam. Hoc bonum nostrum est, cum accipimus : Dei autem, quia ab eo datur. Sequitur : *Non enim est regnum Dei esca, et potus*.Esca et potus non sunt regnum Dei,quia non perducunt ad regnum Dei, neque permanebunt in ipso : caduca quippe sunt; et vix nobis ad præsentem vitam sufficiunt. *Sed justitia, et pax,et gaudium*. Hæc enim sunt regnum Dei; quæ præcipua dona sunt, per quæ possumus pervenire ad vitam æternam. Justitia dicitur, quasi juris status. Justitia ergo est, cum unicuique proprium jus tribuitur. Justitia igitur Dei Christus est, qui nos justificavit a peccatis et redemit. Unde alibi idem Apostolus : *Qui factus est nobis a Deo justitia, et redemptio* (*I Cor.* I, 30); ipse est et pax, sicut idem dicit : *Christus est pax nostra* (*Ephes.* II, 14). Gaudium autem dicit, æternæ beatitudinis : nam gaudium in temporalibus abusive dicitur : in spiritalibus autem,proprie; unde in spiritalibus sine adjectione ponitur. Gaudium itaque dicit contemplationem præsentis vultus Dei. Unde in Evangelio Dominus : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum*,etc. (*Joan.* XVII, 3). Et quia hæc dona absque gratia sancti Spiritus nemo habere potest, idcirco subjunxit : *In Spiritu sancto*.

Sequitur : *Qui enim in hoc servit Christo, acceptus est Deo et probatus hominibus.In hoc* dicit, id est, in Spiritu sancto. Qui enim in eo servit, servit verbo sapientiæ, charitati; ac per hoc placet Deo, et acceptus est hominibus; quia hæc dona tam præcipua sunt, ut eis nemo possit derogare; ideoque manifestatus est esse perfectus coram Deo et coram hominibus.

Igitur, ut eos ad pacis et concordiæ bonum provocaret, subjunxit : *Itaque quæ pacis sunt, sectemur*. Ubi notandum quia non ait,sectamur; sicut et superius : *Hospitalitatem sectantes* (*Rom.* XII, 13) : pacem quippe habet, et sequitur, qui mores suos, et actiones ita componit et regit, ut a nemine reprehendi possit : sectatur vero pacem qui ita se componit et regit, ut ejus exemplo alii proficiant et ædificentur in bono. Unde hic quoque subjungi-

(448) In autog. margine hic legitur cap. XLIX.
(449) Hic in autog. margine legitur cap. I.
(450) Vulg. *contristatur*.

tur : *Et quæ ædificationis sunt in invicem* (451) subauditur, sectemur).

Noli propter escam destruere opus Dei. Hæc verba ita sonare videntur, ac si esca non sit opus Dei. Sed sciendum, quia opus Dei est, quoniam subsistit. Attamen longe aliud est, quod propter se; et aliud, quod propter aliquid aliud Deus creavit. Esca enim non propter se, sed propter hominem creata est; homo vero propter se, quia ad laudandum Deum. Et idcirco ex omnibus terrenis creaturis hominem specialiter Apostolus vocavit, vel ipsius salutem et redemptionem. Propter escam ergo opus Dei destruitur, cum homo infirmus ex cibo alterius scandalizatur. Et quasi diceret aliquis : Dum sic interdicis nos omnia percipere, videris etiam tu ea immunda judicare, subjecit : *Omnia quidem munda;* ac si diceret : Non ideo prohibeo, quia immunda judicem, quoniam a mundo, et bono Deo creata immunda esse non possunt, sed, ne coram infirmo sumentes occasionem detis scandalizandi. Et hoc est, quod sequitur : *Sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendit* (452), *aut scandalizatur, aut infirmatur.* Quid est quod Apostolus abstinentiam, quasi summum bonum commendat, cum summum bonum non sit? Omne enim bonum, quod et mali habere possunt, non est summum, sed mediocre bonum. Sed sciendum quia, etsi abstinentia non sit summum bonum, tamen charitatem erga proximum servare, et eum non scandalizare. summum bonum est : quod ut commendaret Apostolus, ait : *Neque* (subauditur, agere aliquid) *in quo frater tuus offendit*, id est, peccat, *aut scandalizatur*, id est, a fide recedit, *aut infirmatur*, scilicet in eadem fide. Nolandum est autem quia non ait : Bonum est manducare carnem, ne voracibus daret occasionem dicendi abstinentibus : Carnem manducate, quoniam Apostolus præcepit : ac per hoc laxatis abstinentiæ frenis, barathrum edacitatis inciderent. Cum ergo intentio Apostoli fuerit loqui de cibis solummodo, cur intulit: neque bibere vinum? Videlicet, ne ebriosis daret occasionem dicendi : Bibite, quoniam Apostolus a carne tantum monuit abstinere, sicque in vitio ebrietatis se exercerent. Sed nunquid condemnat Apostolus creaturam? Absit. Imo ostendit, quia coram infirmo fratre sumenda non sunt, quæ illi offendiculum, aut scandalum ponunt. Unde et subditur ; *Tu fidem habes penes temetipsum; habe coram Deo* (453); ac si diceret : Sufficit tibi per fidem omnia munda credere : oportet etiam, ut pro Dei amore coram infirmo fratre non sumas, ne illi scandalizandi occasionem tribuas : et hoc est quod dicit : *Habe coram Deo :* et hoc est quod sequitur : *Beatus qui non judicat semetipsum in eo, quod probat.* Ille enim beatus est, qui eo, quod mundum et licitum probat, male non utitur, id est, coram infirmo fratre non sumit, ne ei scandalizandi occasionem det, pro quo ipse judicetur.

Qui autem discernit (id est, hoc esse mundum, illud immundum) *si manducaverit* (illud scilicet, quod immundum judicat) *damnatus est* (proprio judicio); *quia non est ex fide* (454) (subauditur aliquid immundum credere).

Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. Videlicet quia sine fide impossibile est Deo placere (*Hebr.* XI, 6). Vita ergo infidelium, quia non est ex fide, peccatum est (455); quoniam ubi deest cognitio æternæ et incommutabilis veritatis, id est, divinitatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.

(CAP. XV.) Igitur, quia poterat aliquis dicere : Quid ad nos, si infirmi sunt? cur nos ob eorum infirmitatem non ea sumamus, quæ licita credimus? Ad hoc quasi respondet Apostolus: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*, etc., ac si aperte diceret : Propterea sumere non debetis, ne infirmos fratres scandalizetis. Ut autem facilius eos flectere posset, suam illis sociavit personam. Quod autem se, suosque auditores firmiores vocat, non est arrogantiæ, sed causa divinæ dispensationis factum : nullus quippe infirmorum, majorum firmitati se jungere auderet, nisi Apostolus suos etiam auditores secum firmiores diceret. Præterea monet his verbis, ut qui in Ecclesiam infirmis fratribus prodesse possunt in aliquo officio, non se humilitatis causa subtrahant ab officio : et ut infirmos patienter in Ecclesia feramus. Unde alibi : *Alter alterius onera portate* (*Gal.* VI, 2), etc.

Et non nobis placere, id est, non nostris desideriis satisfacere : non quæ nostra sunt, quærere, sed quæ Jesu Christi. Cui autem placendum sit, ostendit : *Unusquisque nostrum proximo suo placeat.* Sed nunquid ad malum agendum? Absit. Ideoque intulit : *In bonum*, id est, ad patrandum bonum. Quod ut evidentius demonstraret, subjunxit : *Ad ædificationem.*

Denique, si suorum auditorum animos flecteret, ipsius Domini subjecit exemplum, dicens : *Etenim Christus non sibi placuit*, etc. Christus non sibi placuit; quia, cum in divinitate unigenitus esset Dei Filius, ad terras descendit, ut multos sibi acquireret fratres, quibus Patris sui distribueret regnum. *Exinanivit quippe semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II, 7).

Sed sicut scriptum est (subauditur, sic egit), *improperia improperantium tibi ceciderunt super me*

(451) Vulg. post adverb. *invicem* habet *custodiamus.*

(432) Vulg. *offenditur.*

(423) Vulg. ita legit : *tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.*

(454) Vulg. *quia non ex fide.*

(455) In sensu B. Augustini intelligendum esse auctorem nostrum patet ex multis, quæ profert ex eodem, cujus fuisse studiosissimum, lectores latere non potest. Vide D. Prosper. in hanc sententiam, carm. *de Ingratis*, part. II, v. 405 ad 410.

(*Psal.* LXVIII, 10). Prævidit propheta, quoniam Christus multa opprobria a Judæis erat passurus ; ideoque hoc in ejus persona dicebat ; et est sensus : Judæorum infidelium opprobria improperantium tibi, o Pater, super me ceciderunt ; quia me inverunt, cui exprobrarent. Tibi autem improperantium dicit, quoniam qui detrahit Patri, detrahit et Filio, et qui non recepit Filium, neque Patrem : unde in Evangelio : *Qui recipit me, recipit eum qui me misit* (*Luc.* IX, 48).

Ut autem ostenderet utilitatem divinæ lectionis, subjunxit (456-57) : *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram utilitatem scripta sunt.* Omnia quippe, quæ longe lateque in Scriptura sacra continentur, idcirco scripta sunt, ut ad illorum exemplum nos informemus et doceamur. Et hoc est, quod sequitur : *Ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Cum enim audivimus ex Scriptura sacra, quia sancti viri multa adversa propter Deum patienter tulerunt, magnam ex ea consolationem accipimus, ut spem habeamus tenendi quandoque in re, quod nunc tenemus in spe.

Igitur ex verbis suis sumpta occasione, subjecit orationem, quæ non inferior est benedictione patriarcharum : illa enim carnalis erat, sicut illud : *In rore cæli et pinguedine terræ sit benedictio tua* (*Gen.* XXVII, 28) ; hac vero spiritalis est. Ait enim : *Deus autem patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum.* Deus patientiæ et solatii dicitur, sicut charitatis et pacis ; eo quod ipse virtutem tribuat consolationis et patientiæ. Id ipsum sapere, id est, non dissentire. In alterutrum, id est, invicem, vel de alterutro. Quomodo autem eos optaverit unum scire, ostendit, subjungens : *Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi,* hoc est, unum animum habentes, et consona voce glorificetis, non vos, sed Deum. Unde in Evangelio Dominus : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum* (*Matth.* V, 16). Et quia Judæi ita Deum credebant, ut Filium habere negarent, ait : *Et Patrem Domini nostri Jesu Christi.*

Igitur, ut eos ad pacem revocaret, subjunxit : *Propter quod,* id est, ut id ipsum sapere possitis, *suscipite invicem,* scilicet in fide. Et quia mali se et in malo suscipere possunt, idcirco quomodo se suscipere debeant manifestat : *Sicut et Christus suscepit vos ;* ac si diceret : Ille de cœlis descendit ad terras : et ut omnes salvaret, carnem nostram suscipere non despexit ; vestra scelera non abhorruit : oportet ergo ut faciatis sicut ille fecit, nec vos ulterius aut judicetis aut spernatis. Et pulchre subditur : *In honorem Dei ;* quoniam Dei Filius in omnibus, quæ gessit aut docuit, non suam, sed Patris gloriam quæsivit.

Itaque, quia gentiles maxime propter circumcisionem Judæos spernebant, subjecit : *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis.* Ac si aperte diceret : Cur propter hoc Judæos spernitis, quia nolunt recedere a carnali observatione legis, in qua diu permanserunt, cum et Christus minister circumcisionis fuerit ? Nam, sicut sacra Evangelii narrat historia, octavo die circumcisus est a parentibus (*Luc.* II, 21) ; quod ideo voluit, ne dissentire videretur a Patribus, ac per hoc Judæis non recipiendi se daret occasionem. Unde et subditur : *Propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Quo enim veritas Dei manifestata est, eo confirmatæ sunt promissiones de ipso patribus factæ. Et sciendum, quia Christus, non carnalis solum, sed et spiritalis circumcisionis minister fuit : nam qui octavo die circumcisus est a parentibus. tricesimo anno baptizatus est in Jordane a Joanne Baptista, in quo nobis spiritalis circumcisionis, id est baptismi præbuit exemplum. Præterea sciendum, quia his verbis ostendit Apostolus Dominum adeo Judaicum populum dilexisse, ut Filius ejus ex illo carnem sumeret, et inter eos corporaliter conversatus sit. Unde et in Evangelio ipse dicit : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Gentes autem, cum nullam ejus haberent cognitionem, sola gratuita misericordia vocavit ad fidem. Unde ipse in Evangelio : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili* (*Joan.* X, 16), etc. Ideoque nunc subdit : *Gentes autem super misericordia* (subauditur, quam circa eos exhibuit) *honorare Deum* (subauditur a superiori : dico) ; *nam cui plus dimittitur, plus diligit* (*Luc.* VII, 47). Quanto magis ergo Deus gentili populo donavit, qui pene ab ipso mundi exordio a cognitione Dei recedens, in idolorum cultura permansit ; tanto amplius debitorem illum fecit in laudem suæ misericordiæ.

Ut autem ostendat et Judæorum et gentium salutem prædictam a prophetis, quatuor testimonia (458), propter quatuor Evangeliorum libros, in quibus maxime Novi Testamenti doctrina continetur. Ait enim : *Sicut scriptum est : Propter hoc confitebor tibi in gentibus* (*II Reg.* XXII, 50 ; *Psal.* XVII, 50). Hæc verba Filii Dei sunt : prævidit namque propheta gentes credituras ; idcirco hoc in Filii voce ad Patrem loquitur. Quod autem dicit, *confitebor,* intelligendum est, confiteri faciam : confessio namque, non peccatorum solummodo est, sed etiam laudis. Unde in Evangelio : *Confiteor tibi, Pater* (*Matth.* XI, 25 ; *Luc.* X, 21) ; id est, laudo te ; sic et hoc loco : *Confitebor,* id est, laudare te faciam in gentibus : similiter : *Et in nomine tuo cantabo,* id est, cantare faciam. Quid se cantaturum promittat, hic non ostendit Propheta ; alibi vero declarat, dicens : *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* XXXII, 3), id est, novi populi salutem et redemptionem : quod non omnes cantant, qui ore personant, sed qui eo modo

(456-57) In marg. autog. hic legitur cap. LI.
(458) Deest fortasse hic verbum *adduxit,* vel aliud simile.

cantant, quo monet Apostolus ; *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Ephes.* v, 17). Intus nimirum est gaudium, ubi vox laudis auditur et sentitur : Et iterum dicit : *Lætamini gentes*. Hoc exemplum Deuteronomio snmptum est ; prævidit nempe Moyses gentes ad fidem venturas, ideoque exhortando dicebat : *Lætamini, gentes* (459). Sed ne eas solummodo credituras quis putaret, addidit : *Cum plebe ejus*. Plebem ejus illos dicit, qui ex Judæis crediderunt: Et iterum : *Laudate, omnes gentes, Deum* (*Psal.* cxvi, 1). Hic quoque ne aliquis tantum gentiles crederet ad fidem venturos, subditur : *Et magnificate eum, omnes populi*. Inter omnes quippe intelligitur et populus Judæorum.

Et rursus Isaias dicit : *Erit radix Jesse* (*Isai.* xi, 10). Per radicem Jesse designatur qui ex stirpe David ortus est. Radix enim fuit Jesse : hujus radicis arbor David, ex qua processit virga (*Isai.* xi, 1), id est, beata Maria, quæ fructum protulit, cum genuit Salvatorem, de quo idem Isaias : *Erit fructus terræ sublimis* (*Isai.* iv, 2) : quod tunc factum est, cum Dominus a mortuis resurgens, cœlos conscendit, de quo fructu et David sit : *Terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* lxxxiv, 13). Interpretatur autem *Jesse*, est mihi : quicunque igitur de adventu Filii Dei lætatur, congrue dicere potest : *Est mihi*, subauditur, auditor. *Et qui exsurget regere gentes*. Surrexit quippe regere gentes ; quoniam repulsus a Judæis propter infidelitatem, gentes vocavit ad fidem, in quibus regnaret per gratiam. *In eo gentes sperabunt*. Quicunque enim ex gentibus credunt, omnem suam spem in illo collocant.

Igitur, quia dixit testimonium prophetæ dicentis : *In eo gentes sperabunt*, ex ipsis verbis, sumpta occasione, subjecit orationem dicens : *Deus autem spei repleat vos omni gaudio*. Deus spei dicitur, eo quod ipse spei virtutem tribuat. Omne gaudium vocat lætitiam æternæ beatitudinis. Nullus itaque in hac vita omni gaudio repleri potest ; verumtamen unusquisque fidelium, et si non in re, repletur tamen illo, spe. Sed quia sine pace nemo potest hoc gaudio repleri, subjunxit : *Et pace*. Vera autem pax est, cum hoc vult homo, quod et Deus ; hoc corpus, quod anima, quæ est cœlestis creatura. *In credendo*, id est, ut credatis, vel, dum creditis.

Ut abundetis in spe, id est, quod nunc habetis in spe, quandoque abundanter habeatis in re. Quod quia nemo, nisi per gratiam sancti Spiritus obtinere potest, subdidit : *In virtute Spiritus sancti*. Sed ne ex tam frequenti admonitione putarent Romani, quod Apostolus eos crederet esse absque dilectione, subjunxit. *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione ;* ac si diceret : Sicut vos, quibus conscientia perhibet testimonium, sic et ego de vestra dilectione. Sed quibus hoc loquebatur ? Romanis. Nunquid ergo omnes Romani pleni erant dilectione ? Minime. Erant tamen inter eos quidam perfecti, propter quos, ne scandalizarentur dicebat : *Certus sum*, etc. Pleni autem sunt dilectione, qui perfecte in Dei proximique dilectione consistunt.

Repleti omni scientia. Scientia est divinarum, humanarumque rerum cognitio. Quis ergo in hac vita omni scientia repleri potest ? Unde, ne reprehenderetur Apostolus, ut ostenderet de qua scientia dixerit, adjecit : *Ita ut possitis alterutrum monere*. Ubi notandum quia non ait, docere, sed *monere*. Docere quippe perfectorum est, monere vero infirmorum. Ibi enim admonitio necessaria est, ubi scientiam oblivio sequitur : et cum homines negligentiam vident, sed desides sunt ad emendationem.

Igitur, quia dixerat eos plenos omni dilectione, continuo subdidit : *Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte ;* ac si diceret : Confisus vestra dilectione, audacius vobis ex parte scripsi ; quo dicto ostendit se multo plura scisse, quam scripserit : nam idcirco ex parte solummodo scripsit, et non omnia ; ut per ea, quæ scripserat, et ea, quæ non scripserat, intelligerent. Et hoc est, quod subjungit : *Tanquam in memoriam vos reducens*. Ad hoc enim scripserat, ut non solum illi, sed et omnes, ad quos hæc Epistola perventura erat, per ea, quæ scripta sunt, reducerentur in memoriam eorum, quæ ipse docuit. Propter quod vero eos revocaret in memoriam, ostendit subjungens : *Propter gratiam, quæ data est mihi a Deo*. Gratiam licet electionem possimus intelligere, qua ante mundi constitutionem a Deo electus est, vel redemptionem ; congruentius tamen domum illud accipimus, quo segregatus est, ut esset gentium apostolus. Unde et subditur : *Ut sim minister Jesu Christi in gentibus*. Hinc alibi *qui operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Gal.* ii, 8). Ut sit minister Jesu Christi dicit, tanquam diceret : Qui olim fui minister circumcisionis. Quia funditus recesserat a carnali observatione legis ; ideo se dicit ministrum Jesu Christi.

Sed quid sibi vult, quod subjungit : *Sanctificans Evangelium Dei* ? Nunquid non sanctum est Evangelium ? Est plane. Quomodo ergo sanctificabat ? Scilicet, quia suo exemplo sanctum esse ostendebat. Ait ergo : *Sanctificans Evangelium Dei ;* ac si diceret : Meo exemplo sanctum esse ostendens Evangelium, quod cum pudore et reverentia prædico ; quoniam quæ doceo verbis, confirmo operibus. Cur autem Evangelium sanctificaret, aperitur, cum subditur : *Ut fiat oblatio gentium accepta*. Exoptabat quippe ut gentes, quæ ad ejus prædicationem crediderant. Deo efficerentur munus acceptum. Sicut enim in Veteri Testamento sacerdotum erat animalia, quæ offerenda erant, inspicere ; ne aliquin esset claudum, maculosum aut debile ; ut Deo accepta fieret hostia : ita in

(459) Deut. xxxii, 43, habetur *laudate gentes :* textum autem hunc *lætamini gentes* factum mihi non fuit reperire.

Novo,prædicatorum est diligenter inspicere,ne ejus prædicatio maculam habeat aut rugam ; et ne sui auditores aliquo vitio corrumpantur, pro quo Deo hostia accepta fieri non possit.Et quia nulla oblatio Deo accepta esse potest, nisi sanctificata : rursus, quia sanctificari non potest,nisi per Spiritus sancti gratiam, addidit : *In Spiritu sancto*. Poterat igitur aliquis dicere : Ideo te jactas sanctificare Evangelium,quia humanam gloriam quæris.Volens ostendere Apostolus se humanam gloriam non quærere: divinam autem habere,subjunxit : *Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum*, id est secundum Deum : omne enim,quod agebat,non ad humanam laudem, sed ad Dei gloriam referebat.Et apte præmisit, *in Christo*, quoniam, sicut ipse in Evangelio ostendit : nullus ad gloriam Patris,nisi per Filium venit (*Joan.* XIV, 6). Cur autem omnem gloriam ad Deum referret, ostendit,subjungens : *Non enim audeo aliquid loqui eorum,quæ per me non efficit Christus* ; ac si aperte diceret : Quæcunque loquor, non per me, sed per Christum loquor ; quoniam ipse hæc per me éfficit.Evidenter quippe ostendit se non esse alienæ laudis usurpatorem: nec alia prædicare, præter quæ Christus prædicavit.Unde in Evangelio Dominus : *Euntes docete, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ; docete eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 19,20). Hinc alibi idem Apostolus: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII, 3).

In obedientiam gentium. Ad hoc nimirum prædicabat, ut Gentes Evangelicæ doctrinæ obedirent. *Verbo et factis*, id est, prædicatione et signis. Hinc Marcus evangelista dicit : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI, 20). Unde et sequitur : *Per potentiam signorum et prodigiorum* (460). Nam quæcunque loquebantur, signis confirmabant.Dicta autem *signa*,eo quod aliquid significent ; *prodigia* vero, quasi *porrodicia* (461), eo quod aliquid portendant. Cujus autem virtute hæc operaretur, ostendit subjungens : *In virtute Spiritus sancti.*

Sequitur : *Ita ut a Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.* Illyricus provincia est Græcorum, vicina Italiæ et Venetiæ, conjuncta mari Adriatico.Et nota,quia voluit ostendere Apostolus,quoniam non recto itinere a Jerusalem descendit in Illyricum ; sed per singulas regiones circumquaque prædicando ; ideo præmisit: *Per circuitum.* Replevit autem Evangelium, quia signis verum esse confirmavit. *Sic autem prædicavi hoc Evangelium, non ubi nominatus est Christus*, etc. Quomodo se ibi tantum prædicasse dicit,ubi Christus nominatus non est : cum prædicando, a Jerusalem in Illyricum descendere non potuerit, si per Achaiam, aut Asiam : et constet,quia beatus Joannes Asiam, Andreas autem Achaiam ad fidem converterit ? Sciendum ergo voluisse hoc dicto Apostolum ostendere, quoniam, etsi crediderunt, decepti tamen sunt a pseudoapostolis : unde se majorem laborem in his habuisse, quam in illis, in quibus Christus nunquam nominatus est. Nam tales eos Apostolus invenit, ac si fama nominis Christi nunquam ad illos pervenerit. *Ne super alienum fundamentum prædicarem* (462) ; id est, ne super initium prædicationis alterius, meæ prædicationis donum construerem ; et alterius operis usurpator viderer. *Sed sicut scriptum est* (subauditur, sic prædicavi) : *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt* (*Isai.* LVII,15).Quærendum est quare Apostolus spiritaliter hoc testimonium in se dicat impletum, cum etiam alii apostoli prædicaverint, quibus non est annuntiatum de Christo. Sciendum autem,quia plus illic omnibus in prædicatione laboravit ; ideoque quasi specialiter in se impletum hoc dicit. Quibus ergo annuntiatum est de eo,viderunt, spiritalibus oculis scilicet ; quia intellexerunt eum Deum,et Patri per omnia æqualem. Et hoc est quod sequitur : *Et qui non audierunt intelligent.*

Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos. Impediebar,non a Satana,sed labore prædicationis. Sequitur(463): *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus*, etc. Quomodo locum non habebat in illis regionibus, si ad ejus prædicationem crediderant ? Hoc ergo sensu accipiendum est : *Non habens locum in his regionibus*, quia non est civitas, non oppidum, non villa,non locus aliquis,ad quem mea prædicatione fama nominis Christi non pervenerit. *Cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis.* Cur Romanis hoc designare voluit ? Scilicet, ut eos ad suam dilectionem provocaret.

Cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero quod præteriens videam vos. Cur se in transitu dicit Romanos visurum ? Scilicet,ut ostenderet,quia in illorum potestate collocabat quomodo eum susciperent, aut quantum secum tenerent. Nam sciendum, quia rem,quam nos citius credimus amissuros, diligentius et arctius tenemus.Ideo ergo se dixit in transitu visurum Romanos, ut ab eis cum majore dilectione susciperetur.

Et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Sciebat Apostolus quia diligebatur a Romanis ; ideoque dicebat: *Si vobis ex parte fruitus fuero*, ut affectum dilectionis eorum erga se nutriret : vel certe ideo ait *ex parte*, quia in dilectione nihil satis esse potest.

Nunc autem proficiscar Jerusalem ministrare sanctis. Sanctos dicit apostolus qui Jerusalem erant,

(460) Vulg. *in virtute signorum*, etc.
(461) Verbum hoc, a simul junctis verbis *porro dicere* conflatum, nullibi reperi.

(462) Vulg. *ædificarem.*
(463) Deficiunt hic quæ in Vulg. : *et prohibitus sum usque adhuc.*

vel eos qui ad apostolorum prædicationem crediderant. Sicut legimus una die quinque millia (*Act.* IV, 4), alia autem tria millia (*Act.* II, 41) credidisse.

Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem facere, etc. Macedonia et Achaia provinciæ sunt Græcorum. Corinthus quippe metropolis est Achaiæ,quæ fuit totius Græciæ decus. Habet autem Achaia ab aquilonali parte sibi conjunctam Macedoniam. Est ergo sensus : Macedonia et Achaia, id est, Macedones et Achaici probaverunt, id est, decreverunt facere collationem, id est,collectam *in pauperes* Christi.Collatio namque non verbi solummodo,sed etiam cujuslibet rei,est collectio. *Pauperes sanctorum* illos dicit qui propter sanctos facti sunt pauperes,id est,qui,ad prædicationem apostolorum credentes, vendebant omnia sua,deferentesque pretium, ponebant ante pedes apostolorum, et distribuebatur unicuique, prout opus erat (*Act.* IV, 34, 35). Cum ergo deficerent domus, vineæ et pretium, nec haberent quod colerent aut unde subsistere possent, statuerunt apostoli, ut per omnes gentes quas sua prædicatione ad fidem Christi converterent,studiosissime suggererent collectam fieri, quibus pauperes sanctorum Jerusalem sustentarentur.In qua re præcipue laboravit Paulus apostolus, per omnes quippe gentes, quæ sua prædicatione crediderant,constituens Ecclesias ; qui auditores sui nuper ab idolorum cultura recesserant, nec poterant venditis omnibus,pauperibus distributis,Domino servire ; monebat eos collectas facere, quibus Jerusalem illi sustentarentur,ut per eorum orationem hi corroborarentur in fide. Cur ergo hoc de Macedonibus et Achaicis voluit Romanis significare? Scilicet, ut eorum exemplo et ipsi incitarentur ad faciendas collectas; homines namque ad bonum aliquod agendum,plus exemplo, quam verbo incitantur. Sed, ne putarent Romani illos coactos hoc facere, subjunxit : *Placuit enim eis*, ac si diceret : Quod ergo suggessi,libenter acceperunt.Cum enim dicit, *placuit*, benevolentiam ostendit ; cum vero subjungit : *Et debitores sunt eorum*, ostendit, quia ad illorum prædicationem,quia a Jerusalem descenderunt, gentiles crediderunt, et doctrinam Evangelicæ gratiæ susceperunt. Quod ut apertius demonstraret, subjunxit : *Nam si spiritalium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis*. Gentiles spiritalium eorum, id est, Judæorum participes facti suut,quia per eos arcana cœlestium mysteriorum perceperunt, carnalia autem vocat necessaria vitæ præsentis,quæ transitoria sunt, velut caro.

Hoc igitur cum consummavero (subauditur, opus) *et assignavero eis fructum hunc, proficiscar per vos in Hispaniam*. Fructum collectas vocat, et apte, quoniam qui eas faciebant fructu æternæ beatitudinis erant remunerandi. Sequitur : *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis* (464) *Christi veniam*. Prævidit Apostolus quoniam non solum prædicaturus erat apud Romanos,sed etiam signa et miracula facturus ; idcirco dicit se in abundantia benedictionis venturum,id est,in copia prædicationis ac patrationis miraculorum.

Obsecro itaque vos,fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum. Noverat Apostolus quoniam sancti viri multa orationibus obtinuerunt;quemadmodum Elias,ut cœlum claudere et postmodum aperiret ; quemadmodum et oratione sanctorum Petrus de carcere liberatus est ; ideoque petebat Romanos ut pro se orarent. Nec simpliciter petebat, sed adjuratione, dicens : *per Dominum nostrum Jesum Christum*, ac si diceret : per Creatorem et Redemptorem nostrum, *et per charitatem Spiritus sancti*, id est per Spiritum sanctum,qui charitas est Patris et Filii,sive qui vobis donum tribuit charitatis.

Ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa. Cur optabat ab infidelibus liberari?Nunquid causa timoris ex morte? Quomodo ergo in Actibus apostolorum dicit : *Scio quia tribulationes me manent Jerusalem : sed non facio animam meam pretiosiorem quam me ipsum?* (*Act.* XL, 23, 24.) Non ergo timore mortis hoc optabat,sed ne aliquod obstaculum haberet in prædicatione, sive ne damnum pateretur de collectis, vel ne mora ei fieret revertendi ad Romanos.

Et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerosolyma sanctis. Oblationem sui obsequii dicit collectas, sic enim ministerium prædicationis accepit in gentibus, ut memor esset pauperum Christi.Hanc oblationem ideo optabat esse sanctis, quoniam noverat et Deo esse acceptam, si esset sanctis. In quo nos monemur ut maxime eis placere studeamus, quos præcipua Christi membra esse cognoscimus.

Ut veniam ad vos in gaudio. Gaudium non corporale dicit,sed spiritale ; lætitiam scilicet, qua lætabatur de profectu et salute credentium.Igitur, quia hoc gaudium nisi per Deum obtinere non poterat, subdidit : *per voluntatem Dei*, id est, per Christum qui est voluntas Patris. *Et refrigerer vobiscum*. Refrigerium similiter et spiritale optat,id est,quietem in fide ac bonis operibus. Et quia pene per totius Epistolæ textum Judæos et gentiles ad pacem revocavit, idcirco ut eam obtinere possent, in fine orationem subjecit, dicens : *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen*. Deus pacis dicitur, quia ipse pacis bonum largitur. *Amen* autem Hebræus sermo est ; Latine dicitur, *verum*, *fideliter*, sive,*fiat*. Quod ideo Apostolus in fine hujus Epistolæ posuit,vel ut suam orationem hoc verbo confirmaret, vel ut omnia quæ præmisit vera esse ostenderet,ideoque devotius ea susciperent et operibus diligentius adimplerent.

(464) Vulg., *Benedictionis Evangelii Christi.*

(Cap. XVI.) Finito denique textu, transit ad salutationes, et quosdam quidem salutat, quosdam vero ex sua parte commendat, sicut Phœben, dicens : *Commendo autem vobis Phœben sororem meam.* Cum vero subjungit : *quæ est in ministerio Ecclesiæ*, ostendit quia tunc non solum viri, sed etiam feminæ præerant Ecclesiis. Cui autem Ecclesiæ Phœbes præesset ostendit, subjungens, *quæ est Cenchris.* Cenchris locus est in Græcia, portus videlicet Corinthi, a quo Apostolus hanc Epistolam Romanis per Phœben direxit. Quam etiam diligenter suscipi monet, dicens : *ut eam suscipiatis digne in Domino sanctis*, id est, ea susceptione qua sancti suscipi debent. In Domino dicit, in amore Domini. Cur autem ita suscipienda esset, paulo inferius ostendit, dicens : *Etenim ipsa quoque astitit multis et mihi*, ac si aliis verbis diceret : Quandiu Phœbes in solo, proprio resedit, et aliorum sanctorum et meam necessitatem supplevit; nunc vero quia paupertatem voluntariam elegit et Romam studio orationis venire decrevit, præcipio ut eam digne suscipiatis, *et assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit*, id est, non solum in spiritali negotio, sed etiam in necessariis vitæ præsentis.

Salutate Priscam et Aquilam. Illos his verbis intelligere debemus, de quibus legitur in Actibus apostolorum (*cap.* XVIII, 2), quia cum venisset Paulus ab Athenis in Antiochiam (465-66), invenit ibi virum Judæum, Ponticum generatione, nomine Aquilam, cum Priscilla uxore sua quibus adhæsit. Unde hic quoque subditur : *Adjutores* (467) *meos in Christo Jesu*, id est, cooperatores in prædicatione Christi Jesu. Quorum nimiam charitatem erga se ostendit, cum subdit : *Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt.* Cum enim instaret ut Apostolus puniretur, elegerunt mori pro eo, ne tanta lucerna Ecclesiæ exstingueretur. Unde ab omni Ecclesia propter nimiam charitatem laudantur. Et propterea subditur : *quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ Gentium.* Verum quia opus misericordiæ, non solum in dominis est, sed etiam in famulis; nec solum in prælatis, sed etiam in subjectis recte subjungit : *et domesticam eorum Ecclesiam* (subauditur, salutate).

Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Domino. Iste nimirum primus ex omnibus Asianis ad prædicationem Apostoli credidit; et quia simpliciter tantum, nec in prædicatione laboravit, idcirco dilectum tantum vocavit.

Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. His verbis ostendit quia etiam feminæ Ecclesiis præerant. Hæc Maria multum in Romanis laboravit, quia multos eorum ad fidem convertit; ideoque duxit eam dignam speciali salutatione.

Salutate Andronicum et Juliam (468). Virum, et uxorem intelligere debemus. Cum vero subjungit, *cognatos et concaptivos meos*, ostendit eos fuisse Judæos sibique cooperatores in prædicatione. Hi enim sponte patriam propriam, sicut et Apostolus, derelinquentes, gentibus quasi in captivitate, prædicaverunt.

Sed quid est quod subditur : *Qui sunt nobiles in apostolis*, cum inter duodecim Apostolos non modo nobiles, sed nec ultimi inveniantur? Sed sciendum quia apostolus Græce, *missus* dicitur. Unde datur intelligi quia etiam illi apostoli dici possunt, de quibus Lucas evangelista (x 1) dicit : *Designavit Dominus Jesus etiam alios septuaginta duos discipulos : et misit eos* (469) *in omnem civitatem, et locum quo erat ipse venturus.* Ex his ergo fuerunt illi duo. Et quia non infimi in eis fuerunt, idcirco dicit eos nobiles in apostolis; de quibus etiam subditur : *Qui et ante me fuerunt in Christo Jesu*, id est, ante me crediderunt in Christum Jesum.

Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Quærendum est cur Epænetum dilectum, hunc vero dilectissimum vocaverit. Scilicet, quia ille simpliciter credidit, hic autem in prædicatione laboravit.

Salute Urbanum adjutorem nostrum in Christo, et Stachyn dilectum meum. Urbanus in prædicatione laboravit : Stachyn autem simpliciter credidit : ideoque illum adjutorem, istum autem dilectum tantum vocavit.

Salutate Appellen probum in Christo. Hic Appelles multas adversitates pro Christo sustinuit, sed virtutem patientiæ usque ad finem incorruptam servavit, sciens quod docet Apostolus, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem* (supra, v. 4, 5); ideoque probum illum Apostolus nominavit. Si quis enim diligenter scrutatur et reminiscitur quia Deus in illo loquebatur, profecto inveniet quia nulla in dictis ejus sententia, nulla omnino syllaba vacat; vidit quippe spiritalibus oculis singulorum merita apud Deum discreta; idcirco alium dilectum, alium dilectissimum, alium adjutorem, alium probum vocavit.

Salutate eos qui sunt ex Aristoboli (hic autem subaudiendum est, domo (470), ut proprium nomen hominis intelligatur, aut certe locus accipiendus est.

Salutate Herodionem cognatum meum. Cum dicit cognatum, ostendit Judæum. Cur ergo non conjuxit Andronico et Juliæ, quos sibi cognatos dixerat? Quia non laboravit in prædicatione, quemadmodum illi.

Salutate eos qui sunt ex Narcissi (subauditur, *domo*) (471). Narcissus autem presbyter fuit, non tamen habuit aliquam Ecclesiam, aut plebem, sed huc illucque discurrens, prædicabat, et quæ ab au-

(465-66) In Act. apost. legitur hoc de Paulo veniente Corinthum, non vero Antiochiam.

(467) In autog., *auditores*, sed *adjutores* legendum, ut in Vulg., quod quæ sequuntur probant.

(468) Vulg. *Juniam.*

(469) Verba hujusce textus, quæ sequuntur, ita compendiose scripta sunt i. o. c. et l. g. l. u.

(470) Quod verbum *domo* in Vulg. legitur expressum.

(471) Quod verbum in Vulg. pariter expressum legitur.

ditoribus suis accipere poterat indigentibus erogabat : unde Apostolus propter benevolentiam eos quoque qui cum eo erant salutare decrevit. Verum quia multæ illi erant familiæ, et multi ei adhærebant necdum credentes (ne illos salutare videretur Apostolus) (472), adjecit : *qui sunt in Domino*, id est, qui jam credunt.

Salutare Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domine. Hæ mulieres aliquatenus in prædicatione laboraverant et adhuc laborabant, ideoque dignas habuit Apostolus sua salutatione. *Salutate Persidam* (473) *charissimam, quæ multum laboravit in Domino.* Cur hanc superioribus non conjunxit? Scilicet, quia non aliquatenus, sicut illæ, sed multum in prædicatione juvit Apostolum ; unde et subditur : *quæ multum laboravit in Domino;* (ideoque eam charissimam vocavit) (474).

Salutate Rufum electum in Domino, et matrem ejus et meam. Cum electum in Domino dicit, ostendit etiam dilectum. Erat autem electus illa electione, de qua Dominus dicit : *Pauci electi* (*Matth.* xx, 16) : et idem Apostolus : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* i, 4). Sciendum autem quia magni meriti fuit, ideoque matrem ejus Apostolus suam vocavit, quemadmodum Dominus in passione suam matrem dixit esse discipuli (*Joan.* xix, 26).

Salutate Ansyncritum (475), *Phlegontam* (476), *Hermen, Patrobam, Hermam, et qui cum eis sunt, fratres.* Hos, quia non prædicaverunt, simpliciter salutavit. Hic autem Hermes (477), ut quidam volunt (478), librum scripsit, qui *Pastoris* titulatur.

Salutate Philologum et Juliam; virum et uxorem debemus intelligere. Quia vero mox intulit : *Nereum et sororem ejus, et Olympiadem*, quia præcedentibus eos conjunxit ; voluit forsitan ostendere aliqua affinitate conjunctos. Et quia cum his multi sanctorum erant, ne aliquem præteriret, subjunxit : *et, qui cum eis sunt, sanctos.* Denique post specialem salutationem, ad generalem se contulit, dicens : *Salutate invicem in osculo.* Et quia sunt quorumdam subdola oscula, sicut Judæ ; ut ea prohiberet, subjunxit' *sancto.*

Ut autem ostenderet quanta sollicitudine pro Romanis tenebatur, videlicet qui eos orationi omnium Ecclesiarum, quæ per eum crediderant, commendabat, subdidit : *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* (Ubi subintelligendum est : quæ sunt in his Provinciis.)

Igitur, quia adhuc erant in Romanis qui sua prædicatione dissensiones et offendicula faciebant ; nam quia hæresibus unitatem Ecclesiæ scindere nitebantur, quidam infirmos fratres scandalizabant, idcirco subjecit : *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Et ut obtinere citius posset quod desiderabat, non ait : præcipio, moneo, sed *rogo.*

Poterant autem Romani dicere : Quomodo ab illis cavere possumus, cum majoris potentiæ sint quam nos, nec possint pelli ab Ecclesia? Idcirco subjunxit : *et declinate ab eis.* Quibus verbis ostendit, quia non solum prælatis, sed etiam subditis magna discretio est habenda (479). Nam si nullius potestatis aut parvæ sunt, qui dissensiones et offendicula faciunt ; pellendi sunt ab Ecclesia, ut confusi vertantur ad pœnitentiam : si vero tantæ potestatis sunt, ut funditus pelli non possint ; declinandum est ab eis, ne boni malorum consortio corrumpantur. Cur autem declinandum sit ab eis, ostendit, snbjungens : *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*, id est, non animarum lucra, sed terrena commoda petunt. *Et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentum.* Corda quippe innocentum per dulces sermones et benedictiones ; quia, ut ab innocentibus sancti habeantur, et dictis illorum fides accommodetur, modo blande prædicant, modo quasdam benedictiones tribuunt. Itaque ut eos inclinaret ad id, quod petebat, subjunxit : *Vestra autem obedientia in omnem locum divulgata est*, id est, quod Evangelicæ doctrinæ obedientes sitis, in toto orbe terrarum diffamatum est. Hinc longe superius ait : *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (supra, i, 8).

Ut autem ostenderet se gratulari de profectu eorum, subjunxit : *Gaudeo igitur in vobis.* Rursus ut manifestaret eos non adhuc perfectos undique, subtorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, et anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est . . . quando ita cujusque crimen notum est, ut nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere . . . tunc autem hoc sint labe pacis, et unitatis et sine læsione frumentorum fieri potest, cum congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est ; tunc enim adjuvat præpositum potius corripientem, quam criminosum resistentem. Tunc etiam ille et timore percutitur. et pudore sanatur, cum ab universa Ecclesia se anathematizatum videns, sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, et bonis insultet, non potest invenire . . . neque enim potest salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non sociam habet multitudinem. Cum vero idem morbus plures occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus.

(472) Hæc verba in laterali margine autog. leguntur.

(473) Vulg. *Persidem.*

(474) Hæc verba in laterali margine leguntur.

(475) Vulg. *Asyncritum.*

(476) Vulg. *Phlegontem.*

(477) Vel potius *Hermas.*

(478) Origenes scilicet, Eusebius et D. Hieronymus.

(479) Hæc sententia omnino cum universæ Ecclesiæ tum iis temporibus, tum antiquioribus doctrina et usu congruit, cujus testimonium reddit potissimum illud Ecclesiæ præstantissimus lumen D. Augustinus cont. Parm. III, c. ii, n. 8, 12, 13; ibid.— Sed dicet aliquis : Quomodo præcipienti Apostolo obedire poterimus, qui vetat cum ejusmodi cibum sumere? In hac velut angustia quæstionis non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sancta observat Ecclesia, ut cum quisque fratrum, ceu Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitu-

jecit : *Sed volo vos esse sapientes in bono,et vimplices in malo*. In bono sapientes sunt, qui omni studio et sapientia malum declinant : simplices in malo, qui non reddunt malum pro malo neque maledictum pro maledicto. Unde alibi : *Malitia parvuli estote, sensu autem perfecti sitis* (*I Cor.* XIV, 20).

Ut autem ostende:et, quia non sua, sed Dei virtute hoc facere possent, addit : *Deus autem pacis conteret Satanam* ; ac si diceret : Si in bono sapientes, in malo simplices esse studueritis, Deus pacis omnem Satan coram vobis conteret, et perfectam pacem concedet. Satan *adversarius* interpretatur. Quicunque igitur, ut perfectam contritionem demonstraret, subjunxit : *sub pedibus vestris*: Rursus, ne eam differri diutius crederent,volens eos provocare ad sectandam sapientiam in bono et simplicitatem in malo. subjecit : *velociter*.Deinde orationem, per quam sui auditores obtinere possent quod desiderabat,subdidit dicens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*. Ubi notandum quia, licet totius Trinitatis unum sit opus gratia tamen Filii esse dicitur quoniam omnis gratia hominibus per eum collata est. Verumtamen ubi una ex Trinitate persona ponitur, totius procul dubio Trinitatis fit mentio.

Præterea volens ostendere quam solliciti circa Romanos erant etiam illi,qui cum eo morabantur, ipsorum quoque intulit salutationes,dicens : *Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius et Jason et Sosipater cognati mei*.Timotheus Derbensis fuit filius cujusdam viduæ, patre gentili (*Act.*XVI), discipulus beati Pauli et cooperator in prædicatione.Et hoc est quod eum vocat *adjutorem*. Lucius autem ipse est et Lucas,qui et Lucanus et Lucam dictus est.Nec mirum, quia Græca nomina, vel Hebræa, aliter in sua lingua,aliter declinantur,cum ad aliam transferuntur. Jason et Sosipater,illi sunt,de quibus in Actibus apostolorum legitur : *Comitabantur autem eum Jason et Sosipater* (480) *Pyrrhi Beroensis* (*Act.* XX,4) Quomodo ergo sibi dicit eos cognatos, cum Timotheus fuerit Derbensis, Lucas Syrus (481). natione Antiochenus,Sosipater Pyrrhi Beroensis ? Sed non debet videri contrarium. Nam Judæi victi. captivi ducti sunt et dispersi per singulas provincias,civitates et oppida ideoque licet diversis locis orti sint, possumus eos intelligere aliqua affinitate conjunctos fuisse apostolo. Congruentius autem est, spiritaliter eos cognatos vocasse accipiamus, id es, propinquos in fide ; per quod ostendere voluit sibi coperatores in prædicatione.

Saluto vos et ego Tertius, qui scripsi Epistolam in Domino. Quod dicit, Tertius,non ad munerum referendum est, sed ad proprietatem nominis: sic enim dictus est ille qui hanc Epistolam scripsit. *Salutat vos Gaius hospes meus*.Iste Gaius magnæ fuit hospitalitatis; quod etiam Joannes in Epistola sua affirmat (*Joan.* III, 1). Unde Apostolus, ut ostenderet quia non sibi solum,sed et omnibus ad se confluentibus hospitalitatis præbebat obseqium, subjunxit : *et universæ Ecclesiæ* (483) subauditur, hospes). *Salutat vos Erastus arcarius civitatis*. Cum dixit arcarium principem voluit demonstrare : archos (483) enim Græce, summus dicitur vel princeps. Hujus ergo mentionem ideo fecit ut,cum Romani audirent principem Corinthi jam credere,et illi qui inter eos principes erant crederent. *Et Quartus frater*. Quartus, non ad ordinem, sed ad proprietatem nominis pertinet. Cujus autem meriti fuerit, ex hoc colligitur quia,post Gaium hospitalem,locum salutationis obtinuit, sicut et meritum Tertii in eo magnum fuisse probatur quod post cognatos Apostoli locum tenere meruit salutationis.

Finitis igitur salutationibus, ad referendam Deo gloriam se contulit, dicens (484) : *Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum. et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti* (*quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei,ad obedientiam* (485) *fidei, in cunctis gentibus cogniti,soli sapienti Deo,per Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Quod dicit *ei*, ad hoc referendum est quod ait, *soli Deo;* quod vero ait,*per Jesum Christum*, ambiguum videtur, utrum ad præcedens referatur, ut sit distinguendum, *soli Deo per Jesum Christum*,et intelligamus Deum Patrem sapientem per Filium,non participatione sapientiæ, sed gignendo sapientiam, quæ est Christus, an ad inferiora, ut, distinctione mutata dicamus : per Jesum Christum, cui gloria.Sed quis audeat Deum Patrem per Filium dicere sapientem,cum ipse secundum suam substantiam sapiens sit? Magis enim congruere videtur ut genitus sapiens per gignentem dicatur quam gignens per genitum Rectius ergo et nobilius ad inferiora distinguitur,et licet inusitata locutio sit dicere, *ei cui sit*, nihil tamen in sensu deperit ; potest quippe per subauditionem talis esse verborum ordo:ei sit soli sapienti Deo gloria in sæcula sæculorum, cui est gloria per Jesum Christum. Quod vero dicit : *soli sapienti Deo* non Pater tantum intelligi debet, sed tota Trinitas quæ est unus Deus.Apte ergo Deus solus Deus sa-

Cui D. Augustini,imo universæ primitivæ Ecclesiæ doctrinæ mirum in modum consentit illa gravissimorum Tridentinorum Patrum,et in iis universa Ecclesia, imo Spiritus sanctus. Sessioe 25, de Ref. cap. III.

(480) Non *Sosipater*, sed *Sopater* ; nec de Jasone mentio.En textum versic,hujus: *Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhy Beræensis : Thessalonicensium vero Aristarchus et Secundus et Gaius Derbeus, et Timotheus ; Asiani vero Tychicus et Trophimus.*

(481) Hæc verba in imo marg. autog. leguntur.

(482) Vulg. legit *universa Ecclesia*, sed et aliæ lectiones cum nostra consentiunt.

(483) αρχος.

(484) Deest hic repetito ejus, quod in Vulg.legitur : *gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen.*

(485) Vulg., *obeditionem*.

piens dicitur,quoniam non per accidentem,aut accedentem participationem substantiæ,sed secundum suam substantiam sapiens est,sicut et homo bonus dicitur,boni summi participatione : et tamen solus Deus bonus,quia solus in sua natura et per se bonus. *Qui potens ost vos confirmare*, id est, in fide et bonis operibus corroborare. *Juxta Evangelium meum* Evangelium suum, dicit doctrinam suam ; unde et Corinthiis loquitur: *Per Evangelium meum in Christo ego vos genui* (*I Cor.* IV, 15). Ut autem ostenderet Evangelium suum idem esse,et Christi prædicationem, subjunxit : *et prædicationem Jesu Christi.* Suum ergo dicit Evangelium,quoniam ipse docebat: Christi autem, quoniam ab ipso primum collatum est et prædicatum.

Secundum revelationem mysterii temporibus ælərnis taciti, id est secundum manifestationem. Mysterium vero dicit humanæ redemptionis sacramentum,videlicet conceptionem Domini incarnationem, nativitatem passionem mortem, resurrectionem et ad cœlos ascensionem.Hoc autem mysterium temporibus æternis tacitum fuisse dicitur : quia ab æterno occultatum est principibus et potestatibus sæculi hujus, id est, dæmonibus : *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II 8). Sed, quia tacitum dixerat hoc mysterium, volens ostendere quia patefactum est, paulo inferius ait, *cogniti*. Rursus ut demonstrarei quomodo sit cognitum, præmisit : *quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum*, aperte quippe nunc demonstratur in vaticiniis prophetarum, quoniam hoc mysterium multo ante prædictum est,scilicet quod Christus concipiendus esset.Et apte subjungit : *secundum præceptum æterni Dei.* Ab æterno namque a Deo præceptum est ut hoc mysterium novissimis temporibus gentibus innotesceret. *Æterni Dei* dicit,ad distinctionem angelorum,vel hominum nam et ipsi Dii dicuntur,nam sciendum quia aliter dicitur ignis æternus, aliter Deus ; ignis videlicet, quia finem non habet; Deus autem,quia neque initium. Cur autem patefactum sit hoc mysterium. ostendit,subjungens: *ad obedientiam fidei in cunctis gentibus,* id est, ut ex omnibus gentibus obediant fidei.

Illi ergo *soli sapienti Deo*, per quem hæc omnia facta sunt,sit *gloria*,id est clara cum laude notitia, quia Deum Trinitatem esse ostendit, et per *Jesum Christum* qui in multis suis præceptis ostendit quod Deus Trinitas sit ; et ut cuncta taceamus,ibi lucentissime commendavit, cum discipulis præcepit : *Enntes,docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19).

Finis Epistolæ ad Romanos.

EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Memini, cum interpretarer illud, quod ad Corinthios scribitur : *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi,cum omnibus qui invocant nomen Domiui* (*II Cor.* I, 1), dixisse me diversitatem esse Ecclesiæ, et eorum qui invocant nomen Domini.Puto enim monogamum et virginem, et eum qui in castimonia perseveret, esse de Ecclesia Dei ; eum vero, qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem, et cunctis virtutibus polleat,tamen non esse de Ecclesia,et de eo numero, qui non habent rugam aut maculam, aut quid istiusmodi (*Ephes.* III, 27),sed esse de secundo gradu,et de his qui invocant nomen Domini, et qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo,cui est gloria et inperium in sæcula sæculorum. (Origenes in homilia de Anna et Simeon).

In hac Epistola magnæ devotionis erga suos auditores Apostolus fuisse montratur : quippe quos modo monendo,modo hortando,nonnunquam increpando,interdum, velut pater filios blandiendo alloquitur,volens eos revocare ad pristinæ fidei statum. Monstratur etiam magnæ fuisse sapientiæ ; nec mirum, nam Christus in eo loquebatur. In hac enim Epistola,quæ vix usque ad mille versus extenditur, tot tantasque sententias explicavit,quantas vix aliquis in decem millibus posset explicare.Notandum etiam quod sciens Apostolus suum nomen a Saule rege superbo de cujus stirpe descenderat, ductum, non se Saulum vocare voluit,sed Paulum ; quod in Latino sermone ab humilitate nomen accepit, nam paulum *modicum* dicimus. Hæc inferius dicenda sunt, priusquam interpretatio nominis Pauli ponatur.

Beatus Paulus prædicator egregius, et doctor gentium in fide et veritate,sicut in Actibus apostolorum (XVIII,1) legitur: Divino admonitus Spiritu venit Corinthum,ibique annum et dimidium verbum Dei prædicavit.Est autem Corinthus metropolis Achaiæ; Achaia vero, provincia Græciæ, dicta ab Achæo rege in modum insulæ posita, indique enim mari cingitur ; aquilonali tantum parte conjuncta est Macedoniæ. Fuit igitur Corinthus totius Græciæ decus ; in ea enim maxime philosophiæ studium viguit,et plurimum sæcularibus disciplinis abundavit. Corinthii ergo sunt Achaici, qui suscipientes ab Apostolo verbum Dei per annum et dimidium, crediderunt in Christum ; post ejus tamen abscessum seducti sunt a pseudoapostolis, et variis erroribus involuti; quidam a sectatoribus humanæ sapientiæ quidam a Mosaicæ legis observatoribus.Hos revocat Apostolus ad veram et catholicam fidem, scribens

eis ab Epheso per Timotheum,dilectissimum suum discipulum. (486).

(CAP. I.) *Paulus*, ut in præcedenti Epistola dictum est, *admirabilis* interpretatur, nec solum quia Romanæ urbi,quæ totius orbis caput erat,Evangelium tradidit, sed etiam, quia Corinthum, quæ totius Græciæ decus erat, salutaribus præceptis instituit. *Vocatus* est autem trifarie, id est, in præscientia ac prædestinatione Dei, ut illud : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4) : et figura, sicut est : *Benjamin lupus rapax*(*Gen.* XLIX, 27), etc. Vocatus est etiam verbis, ibique apertissime, ubi dictum est : *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* XXII, 7).

Apostolus Græce, Latine *missus est*, juxta illud : *Ecce ego ad gentes longe positas mittam te* (*Ibid.*, 21). Quomodo autem vocatus sit Apostolus, manifestat subjungens : *Per voluntatem Dei.* Voluntas varie ponitur in Scripturis : aliquando enim animam significat, aliquando consilium,aliquando habet in se intellectum verbi, quod est placet. Congrue ergo in hoc loco per voluntatem Dei accipimus, secundum beneplacitum Dei, ubi vim divinæ dilectionis circa se ostendat.Non enim quolibet modo Apostolus vocatus est, sed per voluntatem Dei, id est, per providentiam et dispensationem.*Jesu Christi* autem se dixit Apostolum,ad distinctionem pseudoapostolorum. Quicunque enim verbis, sive exemplis aliorum operatur salutem, merito Christi Apostolus dicitur. Econtrario qui aut verbis, aut exemplis alicujus perditionem operatur,pseudoapostolus vocatur.

Et Sosthenes. Quærendum quare sibi hunc in salutatione adscivit. Scilicet, quia Corinthius erat edoctor, multumque sollicitus pro fratrum salute. Sed, quia in aliis Epistolis diversos secum sumit; illa quærenda est hujus quæstionis solutio,quæ omnibus conveniat locis. Sciendum ergo, quia beatus Paulus, sicut præ cæteris majoris ardoris, et studii fuit erga suos auditores, ita etiam majoris humilitatis. Ut ergo nobis suæ humilitatis exemplum relinqueret, idcirco et hunc, et alios sibi in salutatione, adscivit. Vel certe ad suæ narrationis confirmationem, quia scriptum est : *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* XVII, 6; *Matth.* XVIII, 16; *Joan.* VIII, 17; *Hebr.* X, 28; *II Cor.* XIII, 1). Sed quare eum non vocavit Apostolum? Videlicet, quia nondum erat tantæ auctoritatis, ut hoc nomine dignus esset.

Frater varie ponitur in Scripturis. Attamen hunc Apostolus fratrem vocavit causa adoptionis et affectionis. Unde scriptum est *Ecce* : *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). Et nota, quia in hac Epistola, sicut et in reliquis, Apostolus suum nomen præposuit, quoniam majoris auctoritatis erat qui dirigebat Epistolam, quam hi, quibus dirigebatur. Mos quippe est, ut in epistolis majorum nomina præponantur, sicut est illud : *Rex Antiochus genti Judæorum salutem* (*I Machab.* XV, 2).

Ecclesiæ Dei. Ecclesia Græce, Latine *convocatio* dicitur. Et apte, quoniam omnes ad se convocat. Unde et *catholica dicitur*, id est universalis, sive generalis; quia, non ut hæreticorum conventicula, in quibusdam regionum partibus cooptatur, sed dilatata per orbem terrarum diffunditur. Universalis autem, ut quidam volunt,ab uno dicitur,id est, quia omnes in unitatem fidei congregat. Generalis autem vocatur Ecclesia; quia generalis in ea est doctrina ad omnium institutionem, tam de visibilibus, quam de invisibilibus, tam de terrenis, quam de cœlestibus; sive quia omne genus humanum ad divinæ pietatis et religionis subjectionem congregat; sive quia sine differentia omnium peccata curat. *Dei* autem addidit, ad distinctionem. Ecclesiæ malignantium,sicut scriptum est : *Odivi Ecclesiam malignantium* (487). Igitur, quia Ecclesiæ Dei jam in diversis mundi partibus erant constitutæ, ut ostenderet cui specialiter scribebat adjecit : *Quæ est Corinthi.* Sequitur : *Sanctificatis in Christo Jesu.* Sanctificatos eos dicit, qui per aquam baptismi et gratiam sancti Spiritus sunt renati.Ut autem ostenderet ubi celebratur hæc sanctificatio, adjunxit : *In Christo Jesu* : sine ipso enim nulla sanctificatio celebratur.

Vocatis sanctis. Hoc de his dictum est, qui in fide perseveraverunt; quos ideo laudat, ut per istorum laudem, eos, qui decepti sunt, ad pristinæ fidei statum revocare posset. Sed quomodo eos sanctos vocatos dicit? Nunquid sancti erant cum vocati sunt? Minime : sed vocati facti sunt sancti (488). Eo genere locutionis, quo dictum est : *Mulierem fortem quis inveniet* (*Prov.* XXXI, 10).

Cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro. Quid hoc dicto voluit ostendere, cum ait, *in omni loco?* Scilicet,quia quicunque credentes inveniuntur,tam ex Judæis,quam gentibus et ubicumque inveniuntur, unum esse debent,quia unius capitis membra sunt. Unde in Evangelio Dominus:*Erit unum ovile et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Aliter, ut quidam volunt, *qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi*,de sacerdotibus dictum est,quoniam ipsorum est speciale invocare nomen Domini. Unde in lege scriptum est :

(486) In autog., hic legitur cap. I.

(487) *Psal.* XXV, 5. Textum hunc divinare potius, quam interpretari mihi fas fuit : ita enim jacet *o divitiæ m.* Cum enim de Ecclesia malignantium sermo esset, ad eam textum referri debere censui. Itaque ut jacet *odivi*, quamvis littera *o* seorsim posita legatur, uti sæpius contingit, primo legendum putavi : expungendas deinde litteras *t. i.* Demum litteras *ae*, verbi *ecclesiam*, quod sæpe *æcclesia* scribitur, litteram *m*, verbis *malignantium* initialem esse mihi visum est : alibi enim sæpissime initialibus litteris textus exprimi solent.

(488) Videatur epist. ad Rom. ad eadem verba sub initio : *vocatis sanctis.*

Sic benedicetis filios Israel, invocantes nomen meum super eos (*Num.* VI, 23) : et Psalmista : *Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* XCVIII, 6). Samuel quippe non fuit de stirpe Aaron ; verum quia de tribu Levi ortus (*I Par.* VI, 28), ut in libro Paralipomenonis legitur, et sacerdos exstitit, et Deo sacrificium obtulit; ideoque Psalmista dicit : *Inter eos, qui invocant*, id est, inter sacerdotes. Cur ergo hoc ait Apostolus? Ut ostenderet, quia sacerdotes in Ecclesia locum, id est vicem, et officium tenent Apostolorum : unde et apostoli Ecclesiarum vocantur.

Igitur, quia præmisit : *Qui invocant nomen Domini Jesu Christi;* ne forte videretur auctoritatem, et donum Dei Patris exclusisse, intulit : *Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro.* Quibus verbis admonet Dominum Jesum Christum, sicut Deum invocandum : omnem tamen gratiam, et donum, ad Deum Patrem referendum, ex quo sunt omnia : ostendens duos, id est, duas Patris, et Filii personas, qui per divinitatem unum sunt, et Patris auctoritatem esse proferendam. Præterea sciendum, quia his verbis et remissionem peccatorum Corinthiis optat, et Dei reconciliationem. *Gratia* quippe donum est, quo peccata laxantur; unde et gratia dicta est, eo quod gratis detur : *pax* vero est, qua reconciliamur Deo.

Igitur, quia gratia et pax, quæ sunt a Deo, sunt et ab unigenito Filio ejus, adjecit : *Et Domino Jesu Christo.* Attamen, quamvis latenter, totius Trinitatis in hoc loco Apostolus mentionem facit : gratia enim et pax dona sunt Spiritus sancti : cum ergo gratia et pax optatur, Spiritus sanctus, qui est tertia in Trinitatis persona commendatur.

Gratias ago Deo meo semper pro *vobis*. Solito more a gratiarum cœpit actione, ut suos auditores ad meliora provocaret. In quo facto prædicatoribus reliquit exemplum, ut non modo pro suis, sed et pro auditorum suorum profectibus Deo gratias referre studeant. Dicendo autem *Deo*, docet, ut si homo ab homine aliquid boni discit, non homini, sed Deo ascribat, et gratias agat : frustra enim laborat sermo prædicatoris exterius, nisi adsit gratia sancti Spiritus, quæ mentem doceat interius. *Meo* vero addidit, ut ostenderet, quia Deus, etsi natura omnium est Deus; quia omnium Creator et judex; voluntate tamen et merito paucorum est, id est electorum, quorum solummodo est hæc vox.

Itaque, quia sunt nonnulli, qui tam in prosperis, quam in adversis, non continuatim, sed ad tempus Deo gratias referunt : ut monstraret Apostolus, tam in prosperis, quam in adversis, continue Deo gratias referendas, adjunxit, *semper*. Hoc etiam Dominus docuit, cum quadraginta diebus, et noctibus continue jejunavit. Quod autem addit, *pro vobis*, non intelligendum est pro divitibus, aut potentibus, sed pro vobis, id est, qui in fide perseveraetis. *In gratia;* id est, pro gratia. Verum quia sunt nonnulli, qui divitiarum terrenarum gratiam habent : ne forte videretur Apostolus pro hujusmodi gratias retulisse, intulit, *Dei*. Rursus, quia hanc gratiam non suis meritis, sed divina largitate adepti sunt, adjecit : *Quæ data est vobis in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum. Cur autem referat gratias, manifestat : *Quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo*, etc. In illo, id est, per illum. Sed quærendum est quibus divitiis illos dicat ditatos. Nunquid auri, aut argenti? Non. Sed illis, de quibus Isaias dicit : *Divitiæ salutis, sapientia, et scientia, timor Domini, ipse thesaurus ejus* (*Isa.* XXXIII, 6). Unde Apostolus, ut ostenderet de quibus divitiis dixerit, adjunxit : *In omni verbo et in omni scientia.* *Verbum* hoc loco non essentiale intelligendum est, sed nuncupativum. *In omni verbo*, id est, in omni, doctrina. *Scientia* autem est, cum res aliqua certa ratione percipitur. Sciendum vero, quia voluerunt nonnulli hoc loco humanam debere intelligi scientiam; ideoque paulo inferius additur : *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia;* quoniam Salomon loquens de sapientia, inter alia ait : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* (*Sap.* VII, 11) : qui enim sapiens est, nullam patitur penuriam. Sed melius in hoc loco spiritalis scientia intelligitur, quam humana : divites enim factos dicit in omni verbo, et in omni scientia, quia in accepta gratia perseverantes, doctrinam spiritalis scientiæ sunt adepti. Unde et subditur : *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Testimonium quippe Christi vera scientia est: quod in Corinthiis confirmatum erat, quia in fide corroborati, nihil de hominibus sperabant, nullisque terrenæ voluptatis illecebris inducti, omnem spem suam in Christo collocaverant. Aliter : Testimonium Christi confirmatum erat in illis, quia, quod Christus gessit in homine, hoc in eorum actibus monstrabatur in templo (489). Sicut enim Christus crucifixus resurrexit, cœlosque conscendit; ita et hi mundo vitiisque crucifixi, et virtutibus resurgentes, cœlos per cœleste desiderium conscenderunt. Quomodo vero confirmatum sit Christi testimonium in illis, aperitur, cum subditur : *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*, id est, ulla virtute. Quibus autem hoc dicat, aperitur, cum subditur : *Exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Revelationem Domini Jesu Christi, diem vocat judicii : tum enim Christus omnibus revelabitur, tam justis, quam injustis, tam piis, quam impiis, ut mali, videntes quod credere noluerunt, confundantur et pereant;

(489) Autog. habet *in templum*, quod ad meliorem lectionem redigendum censui. Sensus fertasse hujusce interpretationis ad illud referri debet, quod idem apostolus hac Ep. c. III, v. 16 : *Nescitis, quia templum Dei estis*, vel v. 17 : *Si quis autem templum Dei violaverit..... templum Dei sanctum est*, vel ad illuc, quod c. VI, v. 19, *membra vestra templum sunt Spiritus sancti :* vel item II ad Cor. c. VI, v. 16, *vos enim estis templum Dei viri.* Vel legendum *exemplo.*

boni vero dé munere lætentur, dum se vident plus adeptos, quam putavissent. Illi ergo revelationem Jesu Christi exspectant, qui undique circumspecti, diem mortis semper ante oculos habent,et sollicite ac patienter futurum exspectant judicium. Illud quoque notandum,quia cum dicit,*exspectantibus revelationem*, ostendit, quia donum, quod fideles percepturi sunt, adhuc latet ; revelabitur autem in die judicii. Unde Joannes ait : *Charissimi,nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus* (*I Joan.* III, 2). Et idem Apostolus alibi : *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss*, III, 3), etc. Et sciendum quia videns Apostolus verecundas Corinthiorum mentes,et vulnus erroris eorum curandum,studuit ipsorum consulere verecundiæ : nam velut peritissimus medicus blanda manu vulnus palpans, laudes præmisit ; deinde conatus vulnus auferre, ferrum objurgationis infixit,et multimodæ increpationis asperitatem subjecit. Sed quærendum,quare eos tam acriter arguit,quos superius in omni scientia divites dixit,et quibus nihil deesse asseruit in ulla gratia. Unde beatus papa Gregorius : Dic, rogo, Apostole, si divites erant in omnibus,cur scribendo fatigaris? Et si nihil illis deerat,cur longe positos tam aspere eos increpas ? Ecce enim quos nihil egere dixisti,his deesse unitatem et concordiam ostendis. An Spiritus sanctus, qui in te loquebatur, mendacium proferre potuit ? Absit. Sed erant quidam inter Corinthios, qui ditati in omnibus,tua laude præferri merebantur ; erant etiam quidam digni tua increpatione. Mos namque est periti medici prius sana membra circa vulnus palpare, et sic ad tangendum vel abscidendum vulnus manum adhibere. Sic nimirum egit Apostolus : nam quasi sana membra circa vulnus palpavit, cum perfectos Corinthiorum laudavit ; cum autem ad imperfectorum objurgationem prorupit, quasi vulnus in corpore percussit. Nam idcirco perfectos laudavit,ut ad imperfectorum increpationem congruentius perveniret, alioquin de sua forsitan salute desperarent. Igitur, ne hi, qui in fide perseveraverant,de suo casu in vita præsenti titubarent. pulchre subjunxit : *Qui et confirmabit vos usque in finem*(videlicet Christus). De alacritate quippe mentium eorum certus, de spe conversionis securus, quasi fiduciam illis his verbis promittit, tanquam diceret:Qui sua gratia contulit,ut in omnibus divites essetis,dono suæ misericordiæ vos confirmabit, ut in accepta gratia perseveretis. Sed unde Apostolo de istorum confirmatione tanta confidentia? Videlicet de præterita perseverantia. Nam qui inter tot discrimina sensuum,inter tot perturbationes varietatum immobiles exstiterunt,monstraverunt profecto se in fide perseveraturos. Et nota, quia,dum hos laudat, eos qui a pseudoapostolis fuerant depravati, ad correctionem invitat ; quia,dum eorum fidem prædicat, illos ad pœnitentiam provocat. Ut autem ostenderet quousque essent confirmandi, subjecit: *Usque in finem*. Finis autem non intelligendus est consumptionis,sed perfectionis et consummationis. Potest enim per finem Christus intelligi, quia finis legis Christus est,ut sit sensus,usque in Christum ; ac si diceret : *In se ipso ;* potest etiam intelligi perfectio bonorum operum, sive dies judicii, vel dies mortis uniuscujusque,juxta illud:*Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22).

Sine crimine. Nota, quia non ait, sine peccato : nullus enim in hac vita ita potest confirmari,ut peccato careat. Unde quotidie dicere monemur:*Dimitte nobis debita nostra,sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Luc.* XI, 4 ; *Matth.* VI, 12). Hinc Jacobus : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2).

In die adventus Domini nostri Jesu Christi. Diem adventus, diem vocat judicii,quando Dominus venturus est cum senioribus populi sui,vel diem mortis uniuscujusque,quando Christus veniens electos suos de ergastulo carnis ad cœlestem gloriam evocat. Rursum, ne de sua confirmatione titubarent, adjunxit : *Fidelis Deus*. Sed quare eum fidelem dixit ? Quis enim de hoc dubitat? Sed ideo fidelem vocavit, quia mos est Scripturæ sic eum appellare : et revera fidelis est, quia falli non potest, quia, quod promisit, implevit : nec enim aliter esse potest, nisi sicut ipse dixit, id est, ut nos, qui eum credimus Dei Filium, in filios Dei adoptemur, et in eadem maneamus dignitate, in qua ipse permanet, quem credimus Dei Filium. Hoc enim donat, quod ipse est, id est, hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem.

Per quem vocati estis. Vocatio hic, non illa intelligenda est, secundum quam scriptum invenimus : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX, 16) ; sed prædestinatio,secundum quam electi sumus in societatem,id est,fraternitatem Jesu Christi : unde mox subditur : *In societatem* (490) *Jesu Christi Domini nostri*. Hinc Joannes ait : *Deus lux est ; et si diligimus eum, scimus, quia societatem habebimus cum Filio ejus* (*I Joan.* I, 5, 7).

Hactenus Apostolus gratiarum actiones,quas pro Corinthiis Deo retulit, simul et eorum laudes descripsit. Nunc autem aggreditur textum Epistolæ,et causas dissensionis eorum ostendit, subjungens : *Obsecro itaque vos, fratres, per nomen Domini Jesu Christi*, etc. Quibus verbis orat, et precatur omnes Corinthios, ut idipsum sentiant : videlicet, in quo renati sunt per baptismi sacramentum. Notandum autem, quia non ait, per auctoritatem vel dignitatem Apostolatus mei, sed, *per nomen Domini nostri Jesu Christi*. Non enim aliquid majus invenit, quo eos posset terrere ; quia non est nomen aliud sub cœlo,in quo oporteat salvos fieri credentes (*Act.* IV, 12);tanquam diceret : Per illius nomen vos obsecro, cujus sanguine redempti, cujus gratia adoptati, cujusque invocatione estis salvati. *Ut idipsum dicatis omnes* (subauditur : Quod in Baptismate percepistis). Ad omnem quippe Corinthiorum Ecclesiam loquebatur : (491) quatenus hi, qui decepti fuerant

(490) Vulg. *in societatem Filii ejus Jesu Christi*.

(491) In autog. marg. legitur cap. II,

a seductoribus,ad pristinæ fidei statum reverterentur, dum eam in illis laudari audiunt, qui in fide perseveraverunt.

Et non sint in vobis schismata. Inter hæresim et schisma hoc distat,quod hæreticus proprie dicitur, qui in fide errat ; schismaticus,qui in fraterna dilectione. (492) Unde Origenes a quibusdam, non hæreticus dicitur, sed schismaticus ; quia non in fide erravit,sed in quibusdam disputationibus sanctarum Scripturarum : nam quasdam sententias longe aliter, quam Ecclesia catholica intellexit. Schismata ergo erant in Corinthiis ; quia non solum in diversorum magistrorum opinionibus,sed etiam in quibusdam aliis, sicut inferius demonstrabitur, ab invicem divisi erant.

Sitis autem perfecti in eodem sensu, id est, in eodem intellectu : et subaudiendum est : Quem a me percepistis. *Et in eadem scientia* (493), id est, ratione doctrinæ evangelicæ, ubi subaudiendum : Quam a me audistis et didicistis. Hæc ergo vox perfectorum prædicatorum est solummodo, id est, qui recte vivunt et recte prædicant. Semper enim prædicatoribus duplex instat necessitas, id est, ne, aut veritati, male prædicando, falsa misceant, aut veram doctrinam, perverse vivendo, corrumpant.

Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui Chlois sunt, quia contentiones sunt inter vos. Quærendum est quare Apostolus tam facile credidit his qui mala de Corinthiis nuntiaverunt : cum scriptum sit in lege : *Non facile credas omni verbo* (*Eccli.* VI, 7). Et in libro Jesu filii Sirach : *Quæ viderunt oculi tui, hæc loquere.* Sciendum ergo,quia Apostolus gratia sancti Spiritus repletus tanti erat meriti, ut absens singulorum Corinthiorum merita cognosceret.Unde alibi : *Etsi corpore absens, spiritu vobiscum sum, gaudens, et videns ordinem vestrum* (*Coloss.* II, 5). Idcirco ergo hæc tam facile credidit, quia per Spiritum sanctum vera esse cognovit. Rursus quærendum,quare eos fratres vocaverit, qui pseudoapostolorum errore fuerant depravati : videlicet, ut eis daret occasionem resipiscendi. Unde Dominus per Isaiam præcepit his,qui cum eo erant, dicere eis, qui a pseudoprophetis fuerant decepti : fratres nostri estis ; quatenus audito nomine fraternitatis converterentur, et sicut fratres dissentire non possent. *Chloes* autem, ut quidam volunt, homines fuerunt in fide perseverantes et fructificantes ; unde, quia magni meriti erant, tam facile eis fides adcommodata est. Alii Chlois nomen esse asserunt loci, ut sic dictum sit : *Ab his, qui Chlois sunt ;* ac si diceretur : Qui sunt Antiochiæ.Quidam vero dicunt,quod femina fuerit Deo dicata,cum qua erat multitudo credentium et colentium Deum : et qnia magnæ erat sanctitatis, idcirco facile Apostolus credidit his qui ab ea missi sunt. Contentio autem est, cum animositas fatigatur, non veritas quæritur : nam et contentiosus quasi ab intentione (494) dicitur ; quia non ratione aliquid,sed quadam mentis pertinacia sibi vindicare contendit.Hi ergo, qui perversa de Corinthiis nuntiaverunt, significaverunt etiam contentiones esse inter eos, ut ostenderet inesse eis diversitates mentium,et animorum varietates, etiam in evangelica prædicatione. Ut ergo manifestaret easdem contentiones,subjunxit : *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit* : *Ego quidem sum Paulo* (495) ; *ego autem Apollo ; ego vero Cephæ ; ego autem Christi.* Ubi notandum, quia errores denotat,sed errorum auctores non demonstrat ; quoniam non in eodem loco permanebant, sed per diversa loca discurrebant, ut simplices quosque deciperent, et baptizarent,quatenus in eorum personis gloriarentur. Nam hi,quos dicit Apostolus, sancti et veri prædicatores fuerunt ; videlicet Paulus, Cephas et Apollo : quos ideo ponit, et sub eorum specie pseudoapostolos reprehenderet. Quibus verbis ostendit,quia, si in bonis prædicatoribus non est gloriandum, multo minus in malis, quorum perversa doctrina demonstratur in subjectis. Ostendit etiam illos solummodo in fide perseverasse, qui se non ullius hominis, sed Christi discipulos dicebant, quos et superius laudat.

Divisus est Christus (496). Ac si diceret : Si ita est, sicut vos dicitis, ergo Christus divisus est ; quia, si membra divisa sunt, et totum corpus. Sed Apostolus idcirco Christum divisum dicit, quia homines Christi gloriam usurpantes,sibi partiti sunt : sicut enim ab hæreticis decepti, eorum nominibus appellari cupiebant, ut Ariani ab Ario,Sabelliani a Sabellio,Photiniani a Photino ; ita Corinthii a pseudoapostolis decepti, eorum insigniri nominibus cupiebant,ac per hoc, loco et vice Christi, homines venerabantur. Præterea sciendum, quia hæretici, cum diversa de Christo sentiunt,Christum dividunt. Nam quidam illum purum Deum ; quidam purum hominem ; alii autem et Deum asserebant,et hominem, sed initium sumpsisse ex Virgine ; nonnulli eum a prophetis prædictum ; alii autem nihil de eo locutos prophetas dicebant. Cum ergo Dominus Jesus Christus idem sit Deus, et homo, quicunque de eo varia sentiunt, Christum dividunt. Sic nimirum decepti Corinthii Christum dividebant : quia suæ redemptionis et renovationis gloriam,quæ soli Christo debebatur,hominibus impendebant. Dividebant Christum ; quia diversas Ecclesias faciebant. Igitur,quia malum magnum est Dei gloriam hominibus attribuere,pulchre subjunxit Apostolus : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis ?* Ubi notandum, quia a se sumpsit exordium, ne, si ab aliis sumeret, dum illos refutaret, suam videretur commen-

(492) In autog. marg. legitur cap. III.
(493) Vulg. *sententia.*
(494) Fortasse *intensione.*
(495) Vulg. *Pauli.*

(496) In Vulg. interrogativa est propositio hæc. Signum autem interrogationis in autog. nostro desideratur.

dare personam. Et est sensus : Si Christus pro vobis, et non Paulus crucifixus est, et ejus, non Pauli sanguine redempti estis, cur ad ejus injuriam, tantam gratiam et beneficium homini imputatis? *An in nomine Pauli baptizati estis?* Et est sensus : Baptizavit Paulus, sed ut minister Christi; baptizavit Christus, sed sicut Deus et auctor baptismi, cujus auctoritatem nulli ministrorum Ecclesiæ concessit, sed sibi soli reservavit. Unde Joannes plusquam propheta : *Qui misit me baptizare* (497), *ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Si enim potestatem baptizandi ad ministros transmisisset, tot essent baptismata, quot et ministri. Ait ergo : *An in nomine Pauli baptizati estis?* Tanquam diceret : Si credentes in Christo baptizati estis, et ejus nomine justificati, cur tanti beneficii immemores, homines facitis vestræ fidei auctores? Sic enim tunc erant Corinthii, sicut Novatiani, et Donatistæ, qui baptismi auctoritatem sibi ascribentes, baptizatos a catholicis reprobabant, et in eorum personis, qui a se erant baptizati, gloriabantur.

(498) *Gratias ago Deo meo.* Cur tam granditer gratias referat, manifestat : *Quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Gaium.* (499) Ergo malum est baptizare? Absit. Sed quia jam vidit ex suo baptismate ortum errorem, intelligens quod, si plures baptizasset, multo major error accresceret, in eo quod paucos eorum baptizaverit, Deo gratias refert. Unde continuo subdit : *Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.* Crispus autem et Gaius Corinthii fuerunt, quos Apostolus ad alios refutandos ducit in testimonium : nam baptizati ab eo, nullam illi gloriam impendebant, sed Christo soli, per quem consecuti sunt omnium peccatorum remissionem.

Baptizavi autem et Stephanæ domum. Hujus domus, sicut in postremo istius Epistolæ declaratur, primitiæ erant Achaiæ (*I Cor.* XVI,15),quibus Apostolus perhibet testimonium, quod se ordinaverint in ministerio sanctorum; hoc est, ut ministrarent sanctis : et hos, sicut et præcedentes, ad aliorum refutationem ducit in testimonium. Sed, ne quis diceret quod plures Corinthiorum baptizaverit, subjecit : *Cæterum nescio si quem alium baptizaverim.* Est autem sensus : Et si aliquem alium ex vobis baptizavi, pro baptismi sacramento, non mihi, sed Deo gloriam tribuit.

Cur autem tam paucos Corinthiorum baptizaverit, manifestat : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Nunquid ergo malum est baptizare? Absit. Attamen incomparabiliter majus bonum est evangelizare. In episcopo enim omnium ordinationum dignitas consistit; quoniam ipse est omnium ordinum caput non tamen quicunque baptizat, continuo idoneus est evangelizare : nam etsi solemnia sunt verba, quæ dicuntur in baptismate, licet tamen ea multis dicere; evangelizare vero non potest, nisi eruditus episcopus, et instructus doctor Ecclesiæ, qui bene novit omnium mores inspicere, et secundum conversationem uniuscujusque, prædicationis verba formare. Episcopus ergo; qui omnium graduum continet dignitatem, potest aliquando etiam ministri officio fungi : præsentibus tamen ministris baptizare non debet. Unde Petrus apostolus centurionem Cornelium non per se baptizavit, sed ministris baptizare eum jussit (*Act.* x, 48), quia illis præsentibus non dignum duxit hoc per se agere. Christus ergo non misit Paulum baptizare, quia non erat cum illis, quibus dictum est : *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) : sed evangelizare direxit, cum Ananiæ ait : *Vade, quia vas electionis est iste mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel* (*Act.* IX, 15). Quomodo vero missus sit evangelizare ostendit, cum subdit : *Non in sapientia verbi.* Ideo quippe non in sapientia verbi dicit se evangelizare,quia prædicatio Christiana, et doctrina evangelica non eget pompa verborum, sed virtute propria commendatur :disciplinæ autem sæcularium studiorum, quia ab hominibus inventæ sunt, lepore indigent eloquentiæ; quia, cum nulla sit in eis virtus nulla ratio,verborum tantum compositio honesta requiritur. Hinc est quod ad prædicandum Evangelium non electi sunt rhetores, sive dialectici, vel hujus mundi philosophi, non potentes, non divites, non nobiles, sed simplices, idiotæ et piscatores, pauperes et ignobiles, ne daretur perversis occasio dicendi, quod doctrina evangelica non sua virtute fuerit acceptabilis, sed humanæ potius scientiæ versutia et calliditate. Quicunque ergo fidem evangelicæ doctrinæ verbis suis exornare contendit, eam obscurat, nec quærit ut illa laudetur quæ prædicatur, sed ipse qui prædicat (500). Sic pseudoapostoli, ne sapientibus mundi stulti viderentur, duplici modo in sapientia verbi Deum prædicabant : nam et eloquentiæ in prædicatione studebant, et ea quæ philosophi mundi stulta judicabant, summopere devitabant. Neque enim Christum Dei Filium incarnatum, aut ex Virgine natum, neque futuram resurrectionem prædicabant. Hos ergo redarguit Apostolus, quia in verbi sapientia crucis mysterium evacuabant. Unde mox sequitur : *Ut non evacuetur crux Christi.* Qui enim in hujusmodi verbi sapientia prædicat, crucem Christi evacuat; quia nostræ redemptionis mysterium dissipat (501). *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est.* His verbis manifeste philosophos mundi redarguit, qui verbum crucis, id est, doctrinam humanæ redemptionis, stultitiam putant; quia stultum judicant Deum habere Filium,

(497) *Joan.* I, 33. Vulg. *in aqua.*
(498) In autog. marg. hic legitur cap. IV.
(499) Vulg. *Caium.*
(500) Digna vere sententia, quæ a prædicatoribus evangelicis altissime menti mandetur.
(501) In autog. marg. hic legitur cap. V.

virginem parere, Deum in cruce pati, aut mori potuisse, aut hominem de terra surgere. Apte autem pereuntes vocantur; quia, dum mysterium humanæ redemptionis suscipere nolunt, in æternum peribunt.

Ut ergo ostenderet quibus esset virtus crux Christi, subjunxit : *His autem, qui salvi fiunt;* rursus, ut apertius demonstraret de quibus diceret, adjecit : *id est, nobis :* nobis enim, id est, præscitis, et prædestinatis ad vitam, *virtus est Dei.* Quia non infirmitatem in ea intelligimus, sed per Dei virtutem, mortem devictam, mortisque destructum imperium. Et quia signum crucis in fronte gestamus, divina gratia cooperante, in æternum salvabimur.

Igitur quia verbum crucis pereuntibus dixit esse stultitiam, his autem, qui salvi fiunt, virtutem Dei ; ut hoc testimonio prophetico confirmaret, subjecit : *Scriptum est enim,* videlicet in Isaia : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isa.* XXIX, 14). Ubi animadvertendum, quia Dominus non sa veram sapientiam perdere promittit; non illam suam, quam gratis confert, sed quam sapientes mundi sibi arroganter tribuunt : et quam se jactantes putant habere. Tunc ergo sapientium sapientiam perdidit, quando ea, quæ sapientes mundi fieri posse negabant, perfecit et opere complevit. Prudentes etiam mundi Deum otiosum dicebant, nec habere humanorum actuum curam (502) ; quorum prudentiam Dominus, id est intellectum, reprobavit : dum quod impossibile æstimant, faciendo, possibile ostendit, seque hominum curam habere manifeste demonstravit. Nam Filium suum de cœlis ad terras misit, qui passus, crucifixus, mortuus et sepultus, genus humanum redemit.

Ut autem ostenderet quorum sapientium sapientiam, aut quorum prudentium prudentiam se dixerit Dominus reprobare, prolato prophetæ testimonio adjunxit : *Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus sæculi?* (*Isa.* XXXIII, 18.) Quibus verbis Apostolus tam Judæos redarguit, quam gentiles. Scribæ namque, id est, legis doctores Judæorum nolebant credere Deum Filium habere, virginem peperisse, aut Deum pati, vel mori potuisse : nam quia hoc manifestissime non est præfiguratum, omnino diffidebant; similiter et sapientes sæculi hæc eadem deridebant, quia humana sapientia non recipit, quæ stultum judicat credere hominem nasci potuisse sine conjunctione maris ac feminæ. Conquisitorem vero sæculi specialiter mathematicum dicit, qui mundum fato regi, et omnia stellarum constellationibus atque motibus fieri decernit.

Sed ex quo maxime comprobetur, ut non sit sapiens, non scriba, non conquisitor sæculi, subjecit : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Quod autem dicitur: Stultam fecit Deus sapientiam, non intelligendum est, quod Deus sapiens stultam fecerit sapientiam : sed stultam fecit, quia stultam esse ostendit, faciendo ea quæ ipsa impossibilia asserebat.

Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, etc. In Dei sapientia, id est, in mundi creatione, quæ Dei sapientia facta est, mundus per sapientiam, carnalem videlicet, non cognovit Deum, quia homines mundi amatores, vel in mundo commorantes, videntes mundi ornatum, non per creaturam Creatorem agnoverunt, aut ei gratias retulerunt, sed unicam ejus majestatem diversis figmentis, et elementis ascripserunt, putantes alii Deum esse aerem, alii ætherem, alii solem, et reliqua hujusmodi. Aliter : Mundus in sapientia Dei, hoc est, in Filio Dei, qui est sapientia Patris, per sapientiam carnalem, quam Apostolus abusive sapientiam vocat; ponitur enim pro astutia; non cognovit Deum, cum videns eum hominem inter homines conversatum, purum hominem credidit. Non cognovit, *quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt.* (*Joan.* I, 5, 10, 11).

Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, id est, placuit ut Verbum caro fieret et habitaret in nobis; placuit ordinare prædicationem, quæ illis stulta videretur, ut quicunque ea, quæ ipsi diffidebant, crederent, salvarentur, et eorum condemnatione increduli damnarentur.

Quia et Judæi signa petunt. Non enim fieri posse diffidunt, sed utrum factum sit, necne, requirunt. Omnia quippe Deo possibilia judicant, sed signa quærunt, quibus verum esse probetur, quod prædicatur : talia scilicet, qualia facta sunt in Veteri Testamento, cum virga Aaron floruit (*Num.* XVII, 5, 8), et flores in amygdalas deformavit (*Num.* VIII), et Jonas tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti jacuit, pastea vivus in littus ejectus est (*Jon.* II, 1 : *Matth.* XII, 40). Maxime autem tale signum quærunt, quale ostensum est Moysi in igne rubi (*Exod.* III, 2, 3).

Græci, id esi, gentiles, *sapientiam quærunt,* qui ea solummodo fieri posse æstimant, quæ humanæ sapientiæ convenire videntur : ideoque per sapientiam invenire quærunt, quomodo, aut virgo parere potuerit, aut mortuus resurgere : quod tamen comprehendere non possunt; quia omnem humanam sapientiam transcendit. Unde convenienter subjunxit : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Christus crucifixus Judæis scandalum erat; quia scandalizabantur, audientes Christum violatorem Sabbati, Dei Filium prædicari, aut Dei Filium pati, vel mori potuisse. Gentibus autem erat stultitia; quoniam, dum ea prædicari audiebant, quæ humanæ

(502) Epicurei nempe, qui deum sane admittunt, sed eum contemptui potius quam reverentiæ accommodant.

sapientiæ convenire non videntur, insensata judicabant, maximeque virginis partum et mortuorum generalem resurrectionem.

Ipsis autem vocatis ; non illa vocatione, qua vocati sunt hi qui, invitati ad cœnam agni, non fuerunt digni venire (*Apoc.* XIX, 9 ; *Matth.* XXII, 2), sed ea de qua Apostolus : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Vocatis ergo Judæis, atque Græcis Christus Dei virtus est, et Dei sapientia* (*Rom.* VIII. 40) : quia Judæi, qui prius signa quærebant, et scandalizabantur, per gratiam Dei vocati ad fidem, intellexerunt eum Dei virtutem ; quoniam per ipsum Deus Pater omnia condidit, regit, et gubernat. Similiter gentiles, qui prius mysteria Christi humana sapientia comprehendere nitebantur, et quibus stultitia videbantur, Dei gratia facti credentes, agnoverunt eum Dei sapientiam ; quoniam per eum Deus pater est agnitus. Et revera non aliter melius poterat Deus Pater agnosci, quam per cum, qui genitus est ab illo, Unde in evangelio : *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Attamen juxta hanc apostolicam sententiam utrisque vocatis, tam Judæis, quam Græcis debemus intelligere Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam : virtus quippe ad operationem, sapientia ad prædicationem refertur. Virtus ego Dei Christus illis est ; quia intellexerunt, quod nisi Deus esset, miracula quæ fecit facere non posset : est et sapientia ; quoniam agnoverunt nullum, nisi Deus esset, docere posse quæ docuit. Unde Judæi de eo dixerunt : *Unde huic virtus hæc, et sapientia?* (*Matth.* XIII, 54).

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Stultum Dei, non vere dicit, sed juxta hominum opinionem : Nam, quia humana sapientia comprohendere non poterant, quomodo vel virgo parere posset, vel Deus pati, vel mortuus resurgere, stulta esse æstimabant, cum esset in his ratio spiritalis. Hoc stultum, hominibus sapientius est ; quia sapientia humana comprehendi non potest. Similiter juxta hominum æstimationem infirmum Christi vocat exinanitionem, qua semetipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem (*Philipp.* II, 7); sed hoc infirmum, fortius est hominibus, quia ejus infirmitas nostra est victoria et fortitudo ; per eam quippe nos fortes facti sumus. Fortius est hominibus ; quia mortem quam reges, gigantes et principes hujus sæculi superare non poterant, ipse moriendo vicit, eosque in impetu destruxit, et autorem mortis religavit, nobisque vitæ æternæ januam patefecit. Unde pulchre illic subjunxit Apostolus : *Propter quod Deus illum exaltavit* (*Ibid.*, 8), etc.

Cœperat Apostolus mundanam sapientiam reprobare, et cœpta intentione perseverans, adjecit : (305) ***Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes,*** *non multi nobiles :* ac si diceret : In vobismetipsis cognoscite quod dico : ecce enim vos multi jam estis, qui creditis, non autem multi sunt sapientes secundum carnem, id est, qui mundana sapientia potius inflati quam docti, divinæ sapientiæ se subdere noluerunt : quibus verbis specialiter mathematicos reprehendit. Et nota, quia, quos sapientes dicit secundum carnem, eosdem vocat potentes et nobiles : potentes, quia mundi potentia elati, infirmitatem crucis Christi credendo suscipere despexerunt : nobiles vero, quia antiquitatis originem suæ superstitioni ascribebant, dicentes se antiqua origine præditos, Christianos autem vocantes novellos, ideoque ignominiæ crucis, id est, divinæ religioni, se subdere despiciebant. Ostendit ergo his verbis Apostolus, quia fideles Deus, non secundum eam doctrinam vocavit, quæ in paucis erat, sed (504) secundum eam, quæ in multis, videlicet evangelicam. Aliter : *Videte vocationem vestram, fratres, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles,* id est, perpendite, considerate, quoniam non multi sapientes, potentes, aut nobiles electi sunt, per quos vocaremini, sed paucissimi piscatores, idiotæ et pauperes. Unde convenienter subjecit : *Sed quæ stulta mundi sunt, elegit Deus* (505), *ut confundat fortia ; et ignobilia, et contemptibilia elegit Deus.* Quæ sententia tam ad rem quam ad personas inferri potest. Si autem ad rem : infirma, stulta, ignobilia, et contemptibilia dicit partum virginis, et Domini passionem, vel mortem ; non quod revera sint, sed quia sic a sapientibus sæculi putabantur : quæ Deus elegit, ut sapientes et fortes confunderet, dum multos viderent credere, quod pauci negabant ; si vero ad personas referatur : stulta mundi, infirma, ignobilia, et contemptibilia, Christi vocat apostolos, qui in comparatione sapientium, fortium, nobilium, ab hujus mundi amatoribus stulti, infirmi, ignobiles et contemptibiles æstimabantur. Mira quippe arte Dominus egit. Noluit enim ad prædicandum Evangelium sapientes eligere, potentes, divites, aut nobiles, ne suis se meritis electos crederent, et ne dicendi occasio daretur, quod fideles Christi, et fama nominis ejus, non virtute sancti Spiritus per orbem terrarum creverint, sed humanæ sapientiæ versutia, aut potentia, sive divitiis, aut nobilitate. Noluit quippe per oratorem convertere piscatorem, sed per piscatorem lucratus est oratorem. Magnus Cyprianus orator ; sed major illo Petrus piscator, per quem credidit non solum orator, sed etiam imperator. Hinc est quod Dominus Nathanaelem laudibus prætulit (*Joan.* I, 45), sed ad dignitatem apostolatus non assumpsit.

Et quæ non sunt (subaudiri quidem potest : revera ignobilia et contemptibilia) *ut ea, quæ sunt* (similiter, revera ignobilia et contemptibilia) *de-*

(305) In autog. marg. hic legitur cap. VI.

(304) Particulam *sed*, quæ in autog. desideratur, cum sensus omnino exposceret, addendam censui.

(305) Vulg. *Elegit Deus ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

strueret. Sive cum dicit : *Quæ non sunt*, despecta A hujus mundi intelligere debemus ; Christi scilicet apostolos, qui, quoniam mundi gloriam non habebant,quasi non esse judicabantur. Similiter cum subdit : *Ut ea quæ sunt destrueret*, intelligendum est, gloriosa, et sublimia, quæ esse putabantur, quia in mundi gloria consistebant. Dicitur ergo : Ea, quæ non sunt, id est, despecta elegit, ut ea quæ sunt id est gloriosa destrueret ; quod et factum esse cognoscimus:ad prædicationem namque apostolorum multi reges et hujus sæculi principes confusi, destructi sunt et humili Christi jugo se subdiderunt.

Sed cur hæc Dominus elegerit, Apostolus manifestat, subjungens : *Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Omnis caro*, omnis carnalis scien- B tia intelligi potest, ut sit sensus : *Non glorietur omnis caro in conspectu ejus*, id est, ut omnis carnalis scientia erubescat et confundatur in conspectu Dei, judice ipso. Carnalis autem intellectus est,diffidere Dei potentia virginem parere potuisse, aut hominem mortuum vivificari.Congruentius vero omnis caro intelligitur. omnis homo, a parte totum ; ut sit sensus : Idcirco Deus nullis meritis præcedentibus infirma mundi elegit, et despecta, ut non habeat omnis homo, de se unde merito gloriari possit in conspectu Dei, ac si aperte diceret : Ut non glorietur omnis homo in conspectu ejus de propriis meritis. Hæc ergo sententia omnes comprehendit, tam justos, quam injustos : injusti enim, quia nihil habent, non est unde glorientur ; C justi autem, etsi habent unde gloriari possint, non tamen a se,sed a Deo (*II Cor.* x, 17).Quid ergo restat salvandis ? Nihil aliud, nisi gratia miserantis. Sed ne forte sancti se absque gloria remansisse putarent, subjecit : *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu ;* tanquam diceret : Non vos putetis absque gloria remansisse : gloriandum quippe vobis est in Deo per Jesum Christum ; quia Dei gratia ad Christi fidem estis vocati, et in ejus membra effecti : ex ipso namque, id est ex Deo, qui est omnipotens, vos estis in Christo Jesu,id est, in fide Christi Jesu. Dei enim propositum fuit, ut credentes per-Christum agnoscerent Dei veritatem, et misericordiam : veritas autem est Trinitatis mysterium ; misericordia vero,qua redempti sumus, cum essemus captivi. D

Igitur, ut ostenderet quis fuerit iste Christus Jesus, subjunxit : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Ad confirmationem quippe fidelium ostendit Christum voluntate Patris, omnia egisse, quæ fecit, ut agnoscant, et sciant se veram sapientiam, et justitiam, et sanctificationem, et redemptionem percepisse per Christum : nemo namque redemit,nisi quod suum est. Sed quod dicit : *Qui factus est nobis sapientia,*non ad divinitatem ejus referendum est, in qua omnia fecit cum Patre, et ipse a nullo factus, ante omnia sæcula genitus est ab eo. In forma ergo humanitatis nobis factus est a Deo sapientia ; quia Spiritus sancti gratia de virgine conceptus est et natus. Qui enim in substantia divinitatis vera erat Patris sapientia ; per humanitatem nobis factus est sapientia ; quoniam per eum veram didicimus sapientiam, id est Trinitatis cognitionem. Similiter qui in deitate justitia Patris erat, et per humanitatem nobis factus est justitia ; quia credendo in eum, et Dei Filium confitendo, ipsi sumus incorporati ac per hoc justificati. Quo enim quisque magis illi inhæret, tanto amplius justificatur : justum nempe est, ut, spretis omnibus, solus Creator veneretur et adoretur. Factus est et sanctificatio ; quoniam per eum non solum ab idololatriæ et propriis flagitiis expiati sumus, sed etiam ab omni inquinamento mentis et corporis.

Denique, quia hæc sanctificatio per passionem ejus facta est, convenienter subjecit : *Et redemptio :* oblatio namque corporis Christi nostra fuit redemptio. Hoc enim pretium pro nobis diabolo dedit : dum enim se Deo Patri in ara crucis obtulit, omnem peccati contradictionem in se ipso a nobis abstulit : nam ideo diabolo se cupienti occidere, ut impleret, permisit; ut, dum illum innocentem indebitæ morti traderet, nos, quos debito tenebat, amitteret,sicque nos captivos a diaboli potestate erueret.

Itaque, quia ostendit in quo sanctis esset gloriandum, ut evidentius hoc demonstraret, propheticum subdidit testimonium, dicens : *Ut quemadmodum scriptum est*, videlicet in Jeremia : *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, (*Jer.* IX, 23). Dignum est etenim, et valde necessarium, ut qui gloriatur, in Domino glorietur,quoniam in æternum non confundetur. Sic ergo qui gloriatur, in Domino gloriatur, si omne bonum, quod id se cognoscit, non suum esse dicit, aut credit, sed Dei, a quo accepit, id est, si non solum quod est, sed etiam quod bene est, ab illo se accepisse intelligit, a quo accepit, ut esset, juxta illud Jacobi : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). *Confundantur ergo omnes, qui adorant idola, qui gloriantur in simulacris suis* (*Psal.* CXVI, 7). Quoniam, sicut alius propheta dicit : *Dii gentium non pluunt,neque fecerant cœlum et terram* (*Jer.* XIX, 22). Unde scriptum est : *Dii, qui non fecerunt cœlum, aut terram, pereant de terra* (*Jer.* X, 11). Confundantur etiam, qui gloriantur in hominibus, quos nullius sciunt esse virtutis. Unde rursus scriptum est: *Vana spes hominis* (*Tob.* II, 22). Item : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* (*Jer.* XVII, 5).

(506) (CAP. II.) *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis et sapientiæ*

(506) In autog. marg. hic legitur cap. VII.

annutians vobis testimonium Christi. Quod superius verbis docuit, nunc suo confirmat exemplo (*I Cor.* I, 17) : nam, quia superius nostræ disciplinæ formam gradatim ostendit, nunc recordatus præteriti temporis, approbat se non aliter tradidisse, quam demonstravit. id est, quia in humilitate sermonis, et stultitia prædicationis veniens ut a sapiente sæculi putabatur,annuntiavit eis testimonium Christi, id est,famam, quia Deus homo factus mortuus est, et sepultus, etc. Sciendum autem quia in quibusdam codicibus invenitur : *Mysterium Dei.* Congrue autem testimonium Christi mysterium Dei vocatur; quoniam quod Verbum Dei occultatum est,manens Deus apud Deum, occultatum fuit a sæculis et generationibus duobus modis: præscientia, sive prædestinatione et figura.Occultatum est enim præscientia et prædestinatione ; quia mysterium Incarnationis ejus ante sæcula præscitum est et prædestinatum a Deo Patre. Occultatum est et figura, tam in legalibus, quam in propheticis litteris. Sublimitatem sermonis vocat, nitorem eloquentiæ, et verborum leporem : his enim studebant hæretici, in quibus decepti Corinthii gloriabantur. Metuentes namque, ne sapientibus mundi stulti viderentur,per pravam eloquentiam, suam doctrinam commendare studebant humanam sectantes sapientiam,et ita crucem Christi evacuabant. Et notandum, quia clausa videntur, in quibus Apostolus Corinthios reprehendit Intelligendum est tamen. quia mundanam sapientiam in eis arguit divinæ religioni contrariam.

Volens autem ostendere quid eis prædicaverit,vel quid se inter eos scire judicaverit, adjecit *: Non enim judicavi scire me aliquid inter vos'nisi Christum Jesum,et hunc crucifixum.*Ubi quærendum est quare se tantum Christum crucifixum prædicasse dicat (507). An non et nativitatem ejus prædicavit, et cuncta,quæ per hominem gessit ? An non et mores eorum instituit? Si ergo tantum Cristum crucifixum prædicavit, unde est quod inferius dicit : *Tradidi vobis in primis quod et accepi : quia Dominus Jesus mortuus est secundum Scripturas, et quia resurrexit, et quia visus est Cephæ* ? et reliqua (*I Cor.* xv, 3-5). Quapropter notandum, quia non ait tantum Christum crucifixum,sed Jesum Christum : deinde intulit : *Et hunc crucifixm* . Christus ergo Jesus ipse est Dei Filius,de virgine natus,in præsepio positus, ab angelis collaudatus, a pastoribus agnitus,a magis adoratus ; ipse Evangelium tradidit, et miraculis coruscavit.Hæc enim omnia ad Christum pertinent crucifixum, id est in carne passum. Unde beatus Augustinus*:* Christum Jesum evangelizare est non solum quæ de illo credenda sunt, prædicare,sed et omnia quæ pertinent ad instituendos mores fidelium. Verum,quia salvatio humani generis maxime in crucis mysterio continetur, idcirco se Apostolus nihil scire asserit inter Corinthios, nisi Christum crucifixum· Hoc enim se inter eos scire asserit, quod illos per ipsum discere oportebat ; nescire vero se dicit, quod illi, quia carnales erant discere non valebant ; altiora scilicet mysteria divinitatis Christi. Dictum est autem eo genere locutionis,quo licitur cæca fossa, eo quod occulta sit.

Et ego in infirmitate, et timore,et tremore multo fui apud vos. Ecce se dicit Apostolus in infirmitate apud Corinthios fuisse : nec hoc suffecit, sed addidit : *Et timore* : ad exaggerandum etiam intulit :*Et tremore multo.* Quibus verbis ostendit, quoniam in stultitia prædicationis Christum crucifixum Corinthiis nuntians multa odia, et persecutiones adversum se excitavit,quasi vanam eis nuntiaret doctrinam, inimicam tam Judæis quam gentibus.

Et sermo meus, id est doctrina, *et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.*Persuasibilia verba sunt nitore eloquentiæ fucata. His ergo doctrina evangelica non indiget, quia propria se virtute commendat ;humana autem sapientia indiget eloquentiæ ornatu, ut aliquid magni esse videatur, quoniam nulla ratione aut virtute fulcitur. Quibus verbis ostendit se ideo noluisse humanæ sapientiæ placere, ne suum videretur captare favorem.

In quo autem sit ejus prædicatio exponit, cum subdit : *Sed in ostensione spiritus et virtutis*, id est, in patratione miraculorum,quæ fiebant per gratiam et virtutem Spiritus sancti Quæcunque enim docebat miraculis confirmabat, juxta illud Marci evangelistæ : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Marc.* xvi, 10).

Sed sciendum quia res fatuæ secundum virtutem infirmæ sunt et nulius momenti ; comptæ autem nitore verborum, prudentes videntur, et aliquid magni habere; ideoque noluit Dominus evangelicam doctrinam verbis commendare,sed virtute Spiritus sancti. Unde huic convenienter subditur : *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, see in virtute Dei.* Et est sensus : Quod creditis,quod jam fideles estis, non hoc humanæ sapientiæ ascribatis, ne forte queramini,quod ejus astutia sitis decepti ; sed ascribite hoc gratiæ sancti Spiritus, qui est virtus Dei. Nam quod Spiritus sanctus virtus sit Dei, Dominus manifestat, dicens : *Vos autem manete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* xxiv. 49).

Igitur quia dixerat se nihil aliud inter Corinthios scire, *nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum*, ne forte putaretur revera insipiens,adjecit: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos ;* tanquam diceret : Nos qui in stultitia prædicationis Christum vobis annuntiamus,ne putetis insipientes, quoniam sapientiam loquimur inter perfectos.Perfectos autem vocat eos, qui crucem Christi virtutis testimonio veram sapientiam esse credebant,et qui fidem non

(507) Deest verbum *dicat*, quod, vel aliud æquipollens, necessario addendum duxi.

tam verbis habebant quam rebus,id est, qui fidem suam operibus adimplebant ; sive eos, qui linguis omnium loquebantur quique,ad illorum salvationem gratia sancti Spiritus,interdum etiam occulta cordis revelabant. Inter hos ergo sapientiam loquebatur, quia secreta eis de Christi nativitate mysteria prædicabat.

Quam vero sapientiam loqueretur manifestat,subjungens : *Sapientiam autem non hujus sæculi.* Pulchre autem ait,*non hujus sæculi ;* quia hoc sæculum divinam rationem et sapientiam capere non potest, propter infirmitatem terrenæ cogitationis. Et nota, quia dicendo, *non hujus sæculi*, ostendit eam esse futuri sæculi,in quo veritas,id est,vera Dei sapientia etiam negantibus apparebit.Est autem humana sapientia,quæ ea tantum vera judicat esse credenda, quæ qudammodo humanæ rationi convenire videntur. Divina vero sapientia omnem modum humanæ scientiæ transcendit. Unde mox sequitur : *Neque principum hujus sæculi.* Si enim principum sæculi non est,multo minus hominum subditorum.Principes autem sæculi diabolum vocat ejusque satellites, qui sæculi hujus amatoribus principantur. Divina ergo sapientia principum sæculi non est ; quoniam doctrina evangelica, et Christiana religio omnes errores,quos ipsi generi humano inseruerunt,destruit et dissipat. Unde mox additur : *Qui destruuntur.* Hinc Joannes : *Propter hoc,* inquit, *venit Filius Dei ut solveret opera diaboli.Sed loquimur sapientiam Dei* (*I Joan*, III, 8), id est Filium Dei, qui est Dei Patris sapientia, vel certe evangelicam prædicationem, *in mysterio, quæ abscondita est.* Apte dixit,*in mysterio* quoniam,ut jam dictum est, duobus modis latuit a sæculis et generationibus. *Asbondita* autem dicitur quia non in verbis, sed in virtute Spiritus sancti non est humana ratione possibilis,sed sancti Spiritus efficacia credibilis,Ostendit itaque se ad hoc specialiter missum,ut occultum sensum et occultam scientiam prædicaret,quam neque principes, aut sæculi potestates cognoverant,nec ipse mundus audierat.

Quam prædestinavit Deus in gloriam nostram ante sæcula. His verbis se ostendit veram prædicare sapientiam, adeo ut eamdem ante sæcula cum Deo Patre fuisse asserat, et prædestinatam *in gloriam nostram ; ante sæcula* quippe prædestinatum est, ut Dei Filius pro salute hominum moreretur. Gloriam nostram dicit,qui credidimus tam ex Judæis,quam ex gentibus.Constat igitur, quia, si prædestinata est hæc sapientia in gloriam credentium, prædestinata est etiam in confusionem infidelium.

Itaque ut ostenderet hanc sapientiam absconditam principibus, et potestatibus, subjecit : *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit.* Principes sæculi, tam hic, quam superius, ut quidam volunt seniores intelligendi sunt Judæorum,scribæ videlicet et pharisæi,sive sublimes quæque Romanorum potestates. Sed Judæorum seniores intelligi non possunt, quoniam Romano subditi erant imperio. Neque tamen sublimes Romanorum potestates hic recte intelliguntur quoniam non ipsi Dominum crucifixerunt ; de uno namque illorum scriptum est, quia dixit : *Ego causam mortis non invenio in homine isto* (*Luc.* XXIII, 5 ; *Joan.* XIX, 4) ; unde et accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : *Mundus ego sum a sanguine hujus justi* (*Matth.* XVVII, 24). Apte ergo tam hic, quam et superius principes sæculi intelliguntur,quos Christus libere triumphavit in semetipso, id est, dæmones. Unde alibi idem Apostolus : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et postestates contra mundi rectores tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12), etc. Horum nimirum consilio et voluntate crucifixus est Dominus : unde ipse in Evangelio dicit : *Ecce venit princeps hujus mundi et in me non invenit quidquam* (*Joan.* XIV, 30). Hinc etiam Lucas evangelista.post peractas Domini tentationes, scribit : *Et recessit diabolus ab eo usque ad tempus* (*Luc.* IV, 13). Sic ergo principes sæculi,diabolus ejusque satellites accipiendi sunt, quid,quod infert: *Si enim cognovissent, numquam gloriæ Dominum crucifixent,* cum Lucas, Dominum narrans ejicere dæmonia,scribat inter cætera : *Et non sinebat ei* (508) *loqui, quoniam sciebant eam esse Christum ;* et Marcus : *Quoniam sciebant eum* ? (*Marc.* I. 34.) Quapropter, ut quidam volunt sciebant quod ipse esset Christus, qui fuerat in lege, et prophetis promissus : mysterium tamen ejus,quod Dei esset Filius, ignorabant. Magis autem accipiendum est quia, videntes virtutem miraculorum, præsentia majestatis ejus extorti et coacti, confitebantur eum Dei Filium, et Christum agnocebant, quin potius suspicabantur:ignorabant autem se ejus morte esse condemnandos, ideoque dicit Apostolus ; *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Rursus quærendum quare Dominum gloriæ crucifixum dicat, cum Dominus gloriæ pati, crucifigi et mori nesciat.Divinitas quippe omnino impassibilis est. Sciendum igitur, ideo dictum, quia *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14) ; id est Deus homo factus est,et inter homines conversatus. Sic enim Divinitas humanitati conjuncta est, ut unus idemque Christus verus esset Deus et verus Homo ; unde in Evangelio : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Si enim distinctionem substantiarum attendamus.Dei tantum Filius de cœlo descendit, et hominis tantum Filius in terra crucifixus est : si vero unitatem personæ, et hominis Filius de cœlo descendit et jam tunc erat in cœlo,et Filius Dei Dominus gloriæ crucifixus est in terra.Crucifixus est ergo non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis. Dominus autem gloriæ dicitur non solum, quia ipse est gloria, sed

(508) *Luc.* IV, 41, Vulg. *ea.*

etiam quia sanctos suos, glorificando eos miraculis et virtutibus coruscare facit.

(509) Præterea ut ostenderet quibus sapientia Dei revelata sit, adjecit etiam prophetæ testimonium. Sed subauditur, credentes agnoverunt, *sicut scriptum est :* scilicet in Isaia : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum* (*Isa.* LXIV, 4). Hoc dicto ostendit, quia Deus rem inopinatam, et inauditam, et absconditam a sæculis, et generationibus repente operatus est, mittens Filium suum de cœlis ad terras, qui incarnatus et homo factus, de virgine natus est : quam rem non solum humanus sensus comprehendere non potuit, sed neque ipsa natura angelica. Quod enim superius dixit, hoc nunc prophetico testimonio confirmat ; videlicet non esse mirandum, si homines Dominicæ Incarnationis mysterium non agnoverunt, quoniam latuit etiam principes sæculi. Merito tamen condemnantur ; quia, etsi verba prædicationis scandalum illis faciebant, miraculis tamen fidem a ccom modare debuerant. Humanæ quippe ignorantiæ et infirmitati virtus signorum præponenda erat ; et id omnino erat credendum, quod humanæ rationi impossibile videbatur. Hoc igitur tam ineffabile donum oculus non vidit, quia non est color ; auris non audivit, quia non est sonus ; in cor hominis non ascendit, quia non est terrena cogitatio. De inferioribus quippe terrenæ cogitationes ascendunt in cor hominis ; de superioribus autem omne bonum, juxta Jacobi vocem, descendit (*Jac.* I, 17). Aliter, ut quædam exemplaria habent, in cor hominis non descendit, quia illuc cor hominis ascendit, juxta illud Prophetæ : *Ascensum in corde ejus disposuit in convalle fletus lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII, 7). Quo ? *In locum, quem posuit*, videlicet ubi cœlestis gloriæ degustaret suavitatem. Cum ergo donum hoc in corde erat Joannis, jam supra hominem erat Joannes ; quia cor ejus in locum positum ascenderat. Item oculus non vidit virginem parere ; auris ante non audivit. *Fulgebunt justi, sicut sol, in regno Patris mei* (*Matth.* XIII, 43). In cor hominis non ascendit ut esset hæres Dei, cohæres Jesu Christi (*Rom.* VIII, 17). Hæc ergo tam præclara et ineffabilia dona, de quibus alibi dicit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* XI, 27), præparavit Deus, id est, præordinavit, non omnibus quidem, sed his qui credunt et diligunt illum.

Apostolus ergo, ut ostenderet se, suosque, ex his esse qui Deum diligunt, adjunxit : (510) *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum ;* tanquam diceret : Ideo nos quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit agnovimus, quoniam Deus revelavit, id est, manifestavit. Revelavit plane non nostris exigentibus meritis, sed gratia suæ miserationis ac pietatis. Et hoc est, quod dicit : *Per spiritum suum*, id est, per gratiam Spiritus sancti. Per fidem namque accipimus Spiritum sanctum, qui nobis revelat voluntatem et arcana Dei : res quippe Dei sciri non potest, nisi Spiritu Dei. Et notandum, quia ostendit se ideo missum, ut tantum sacramentum non solum hominibus prædicaret, sed etiam principibus sæculi ; quatenus eo evangelizante discerent qui in cœlis corporalibus sunt, et qui degunt sub elementis firmamenti, quantum bonum perdiderunt, cum per superbiam ceciderunt, et proprium reliquerunt domicilium. Singularis est ergo iste prædicator, qui tantam consecutus est gratiam ; aut enim a nullo, aut vix ab ullo ita explicari potuit Trinitatis mysterium ; unde merito vas electionis divino judicio est appellatus.

Igitur, ne putaremus eum angelicum, aut levem dixisse spiritum, subjecit : *Spiritus enim omnia scrutatur*, videlicet *sanctus ;* et est sensus : Idcirco nos, quæ principes sæculi non agnoverunt, agnoscimus, quoniam ille Spiritus nos docet, qui scrutatur. Nam quia Spiritus sanctus et ex Deo est, et ipse Deus est. ideo omnia novit, quæ Dei sunt. *Profunda* autem *Dei* addidit, ut ostenderet quia omnem virtutem et præscientiam Dei ipse naturaliter novit, quod omnino creaturæ impossibile est. Ac per hoc Spiritus sanctus verus esse Deus ostenditur, et non creatura, sed Creator. Scrutatur autem omnia, non quia nescit, ut inveniat, sed quia nihil relinquit quod nesciat. Scrutatur, non ut inveniat, quia omnia novit ; sed, qui tibi datus est, Spiritus, te scrutari faciat : quod enim tu ejus beneficio facis, ipse facere dicitur, sine quo tu facere non potes.

Ut autem aperte ostenderet quia Spiritus sanctus omnia scrutatur, subjecit etiam similitudinem, dicens : *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ?* Humana natura ex corpore constat, et spiritu, quem et animam dicunt. Est autem spiritus hominis ipsius animæ rationalis potentia, qua secernitur a pecoribus, et eisdem naturali lege dominatur. De hoc spiritu dicit : *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ?* Ac si patenter diceret : Non qui extrinsecus est, sed qui intus est, animus tuus, novit omnem cogitationem et dispositionem tuam : hæc enim sunt interiora nostra. Et revera nemo hæc comprehendere potest, nisi animus noster, quem Apostolus spiritum vocat.

Ita et quæ Dei sunt nemo novit nisi Spiritus Dei : tanquam diceret : Quia Spiritus sanctus unius substantiæ cum Deo est, ideo, omnia, quæ Dei sunt, naturaliter et ipse novit, et nos docet : docet etiam mysterium Christi ; quia non solum Patris est Spiritus, sed et Filii. Nemo ergo novit quæ Dei sunt, nisi Spiritus Dei ; quia quicunque cognoscit, per Spiritum Dei cognoscit. Sic enim dictum est, quemadmodum illud in Evangelio : *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20).

(509) In autog. marg. hic legitur cap. VIII.

(510) In autog. marg. hic legitur cap. IX.

Igitur, quia dixerat, *nobis revelavit Deus per Spiritum suum*, ne forte crederet aliquis, quod Apostolus ejusque similes spiritum mundi accepissent, per quem futura cognoscerent ; idcirco, cum commendaret gratiam Dei in Spiritu sancto, adjecit (511) : *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* Ac si diceret : In eo probatur, quia non spiritum mundi accepimus, quia arcana Dei cognoscimus, quæ spiritus mundi comprehendere non potest. Spiritum mundi, spiritum dicit elationis et superbiæ : quicunque enim spiritum mundi accipiunt, superbi et ingrati Deo existunt ; ideoque redduntur infelices : Spiritus vero, qui ex Deo est, Spiritus est charitatis et dilectionis. Aliter spiritum mundi, spiritum dicit pythonis (*Deut.* XVIII, 11 ; *I Reg.* XXVIII, 7 ; *Isa.* VIII, 19 ; *Act.* XVI, 16), qui est major inter mundanos spiritus. Hoc arripiuntur omnes fanatici, sortilegi et augures, qui sunt sine Deo. Hoc spiritu arrepta Pythonissa Samuelem suscitavit Sauli (*I Reg.* XXVIII, 14).

Hic etiam per Sibyllam locutus, multa de Christo prædixit. In quibusdam etiam, sanctorum prophetarum secutus est sensus, callide volens habere locum inter cœlestes spiritus. Et quamvis aliquando vera prædicat, interdum tamen per verisimilia et ipse fallitur, et alios fallit. Sed quasi diceret aliquis: Unde probas, Apostole, quoniam spiritum, qui ex Deo est, accepistis ? adjecit : *Ut sciamus quæ a Deo dona sunt nobis ;* tanquam diceret : Servus nescit quid faciat Dominus ejus : nos autem, charissimi, ut amici Dei esse possimus, ideo Spiritum, qui ex Deo est, accepimus, ut sciamus quid faciat Dominus Deus noster. Ideo namque Spiritum, qui est ex Deo, accepimus, ut de donis Dei non gloriemur, tanquam nostris meritis acceperimus, sed illi gratias referamus, a quo accepimus. Multi quippe multa dona Dei habent ; sed a quo acceperint, nesciunt ; ideoque superba vanitate jactantur. Si ergo spiritum mundi accepissemus, dona, quæ a Deo nobis collata sunt, cognoscere nequaquam possemus : inferiora quippe superiorum consilium comprehendere non possunt. Neque creaturam sui Creatoris voluntatem, nisi eo revelante, cognoscere potest. Magna quippe scientia est, ipsum donum, quod aliquis habet, a quo habeat scire.

Quæ et loquimur. Sensus hic est : In hoc verissime comprobatur, quod sciamus, quæ nobis a Deo donata sunt, quia hæc eadem loquimur, ut alii discant, per spiritalem doctrinam. Quomodo vero loqueretur, manifestat, subjungens : *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, id est, eloquentiæ nitore comptis. Et est sensus : Quia ea, quæ loquimur, non a rhetoribus, non a dialecticis, non a philosophis accepimus ; ideo non ea loquimur verbis humanæ scientiæ lepore fucatis. Quoniam humanæ sapientiæ verba hunc sensum comprehendere non possunt, neque stultitiæ artis alicujus discitur, sed per fidem spiritali ratione concipitur, juxta illud : *Nisi credideritis non intelligetis* (*Isa.* VI, 9 ; *Matth.* XIII, 14 ; *Marc.* IV, 12 ; *Luc.* VIII, 10 ; *Act.* XXVIII, 26 ; *Rom.* XI, 8 ; *Hebr.* XI, 3).

Sed in doctrina Spiritus, id est, ea doctrina, quæ Spiritu sancto est edita, scilicet evangelica. Aliter : In doctrina Spiritus loquebatur ; quia per virtutem sancti Spiritus, quæcunque prædicabat, signis et miraculis confirmabat. *Spiritalibus spiritalia comparantes.* Spiritales eos dicit, qui negabant humanam sapientiam posse tradere gratiam Dei : gratia namque Dei fidei mysterio continetur, ad illuminandos benevolorum hominum sensus. Quicunque ergo ea credunt, quæ mundi sapientes stulta judicant, recte spiritales vocantur. Unde Apostolus spiritalibus spiritalia comparabat ; quia illos judicabat spiritales, qui ea fieri posse credebant, quæ possibilia sapientia mundi denegabat.

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Quicunque ex corpore vivit, recte carnalis vocatur, et animalis. Carnalis a carne, qui carnalia sectatur ; animalis, quia fertur dissoluta lascivia animæ, quam spiritus non regit ; quia nec ipse se Deo regendum subjicit Animalis ergo homo, quia secundum se vivit, id est, sensum suum in terra deprimit, terrena tantum cogitando et desiderando. Idcirco ea quæ Spiritus Dei sunt non percipit ; quia quid gratiæ crux Christi conferat, non intelligit. Nam, quia nihil credit futurum post mortem, idcirco non freno continentiæ, non rationali mentis judicio regitur, sed ad terrenas voluptates, et desideria, velut in præceps animal, trahitur. Cum enim non credat hominem sine maris ac feminæ commistione nasci, audiens Deum Filium genuisse, aut virginem peperisse, ridet. Rursus, quia nihil æstimat futurum post mortem, audiens resoluta corpora vivificari posse ad vitam, hoc gannit. Unde mox subditur : *Stultitia est enim illi, et non potest intelligere.* Et est sensus : Ideo intelligere non potest, quia stultum judicat, quod sua ratione contendere nequit. Stultum quippe judicat quidquid videt, quod ipse non novit. *Quia spiritaliter examinatur*, id est, judicatur, condemnatur. Spiritaliter examinatur, quia, ne intelligere possit, suis exigentibus meritis, spiritaliter obcæcatur.

Spiritalis autem judicat omnia. Spiritalis homo dicitur, qui Spiritu sancto regitur, et idcirco judicat omnia Deo esse possibilia. Spiritalis ergo hominis vera est ratio, et verum judicium, quoniam ejus fide et bonorum operum exemplo, pravorum infidelitas, et actus condemnantur, secundum illud : *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18).

Quia ergo animalis hominis, id est, infidelis judicium falsum est, spiritalis vero, id est, fidelis verum, apte subjungitur : *Et ipse a nemine judicatur* : hoc est, condemnatur, quia per fidem salvatur. Aliter : Spiritalis omnia judicat ; quia supra omnia est,

(511) Hic in autog. marg. legitur cap. X.

quoniam cum Deo est. Et quia cum Deo est, ideo purissime videt, et quidquid videt, tota charitate diligit. Omnia judicat,quia quidquid rectum invenit, approbat ; quidquid perperam, improbat, in operibus,in moribus fidelium,jejuniis, eleemosynis, cogitationibus, et omnibus, de quibus judicare et quæ corrigere licet. Ipse autem a nemine judicatur, id est, a nullo homine, sed a sola lege, secundum quam omnia judicat. Aliter : Spiritalis omnia judicat vana esse, et falsa, in quibus mundi amatores delectantur. Omnia judicat ; quia in Scripturis divinis singulorum doctorum sequitur intentionem, et omnium verborum vim considerat,intelligitque illud præceptum implendum, quod Dominus ait :*Si quis te vercusserit in dextera maxilla, præbe illi et alteram* (*Matth.* v, 39 ; *Luc.* vi, 29) : nihilominus et quod ait Apostolus : *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis sui, prout gessit* (*Rom.* xiv. 10 : *II Cor.* v, 10). Ipse autem a nemine judicatur; quia nullus carnalium ejus sensum penetrare valet.

Itaque quia Corinthii sua sapientia reprehendere nitebantur ea quæ Deus spiritaliter fieri jussit, idcirco ad increpandum illos, subjunxit Apostolus: *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum ?* Ac si diceret : Quis ex vobis consilium Dei cognoscit, ut illum arguat, aut reprehendat ? Consilium namque vocat in homine, sensum, et voluntatem,ac dispensationem Dei,secundum quam ipse fieri jussit, unde mundi sapientia stulta comprobaretur, dum hoc fieret,quod illa fieri posse negabat, id est, Verbum caro. Quicunque ergo hunc sensum Domini accipit, non ei displicet quod factum est, nec quærit Deum instruere, id est, ejus consilium emendare; sed ejus laudat omnipotentiam, secundum quam fecit, quod mundi sapientia fieri posse negabat. Unde mox sequitur : *Nos autem sensum Christi habemus.* Et est sensus : Vos, quia sensum Christi non habetis, idcirco Deum reprehendere tentatis ; nos vero ejus laudamus omnipotentiam, quia sensum Dei habemus,id est,credendo in Deum, divinæ scientiæ participes sumus. Aliter : Sensum Christi habemus ; quia, dum in Deum credimus, omnia ei possibilia judicamus,sicut et Christus,qui in Evangelio dicit : *Apud Deum omnia possibilia sunt* (*Luc.* xviii, 27). Quicunque enim negat Deum omnia posse, negat eum omnia fecisse ex nihilo.

Sequitur : (512) (Cap. III.) *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus.* Tanquam diceret : O Corinthii, cum venissem ad vos,diligenter perspexi vestram tarditatem et cognovi vobis non inesse spiritalis doctrinæ capacitatem ; ideoque non potui vobis loqui quasi spiritalibus, id est, sapientiam, quam loquimur inter perfectos. His enim verbis illos compellat, qui propterea carnales erant, quoniam adhuc carnalibus desideriis serviebant. Unde mox sequitur,et idipsum sub similitudine repetit, dicens : *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Ubi evidenter docet Apostolus, quoniam parvulis in fide Christi ea committenda sunt mysteria, quæ capere possint : si enim magna committantur, continuo scandalizantur,et fides Christi in eis exstinguitur ; quemadmodum parvuli,nisi lacte alantur,si solidum cibum sumant,infirmati moriuntur. Corinthii ergo, etsi jam fuerant renati : nam renatos alloquitur Apostolus,ideoque fratres vocat ; non tamen digni erant,ut ea illis traderentur, quæ spiritalibus ; quoniam accepta fide Christi, quæ est quasi semen spiritale, nullum postea bonorum operum fructum Deo reddere studuerunt, ut verba profectionis et spiritalia audire mererentur.

Hic ergo egregius prædicator,vir divinus, et medicus spiritalis, singulorum vires et capacitatem pertractans, secundum cujusque qualitatem prædicationis verba formabat. Non tamen aliter prædicabat in secreto,aliter in publico ; aliter in populis, aliter in cubiculis ; sed una erat ejus prædicatio. Non enim judicavit se aliquid inter Corinthios scire, nisi Christum,et hunc crucifixum. Sic enim dictum est : *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus*, ac si diceretur : Quod loquebatur, non quasi spiritales accepistis, sed quasi carnales. Nam Christum Jesum crucifixum aliter illi accipiebant, qui dicebant : Ego sum Pauli ; ego Apollo ; ego Cephæ : aliter illi, quorum vox erat : ego autem Christi; quos et in initio hujus epistolæ laudat. Illis ergo lacte opus erat ; istis solido cibo. Per lac, dulcedo et suavitas prædicationis designatur : per escam vero,profunda prædicatio,spiritalis doctrinæ institutis perfecta,et cœlestium mysteriorum plena. Christus igitur,qui panis fuerat angelorum,manens Verbum in principio Deus apud Deum, factus est lac, quia Verbum caro factum est. De his carnalibus et spiritalibus dicit Propheta : *Tuus est dies et tua est nox* (*Psal.* lxxiii, 16) ; id est, tui sunt et spiritales, tui carnales, ad te pertinent spiritales, ad te carnales. Illos incommutabili veritate et sapientia illustras ; hos manifestatione carnis consolaris,quasi luna consolans noctes. Dum ergo spiritales spiritalibus spiritalia loquuntur,quasi dies diei eructat verbum (*Psal.* xviii, 2). Sed quia et ipsi carnales fidem Christi crucifixi carnalibus quoquo modo annuntiant,quasi nox nocti indicat scientiam (*Ibid.*). *Nondum enim poteratis ; sed ne nunc quidem potestis.* Ac si diceret : Quid mirum, si tunc non poteratis, cum adhuc etiam in eadem mentis infirmitate et fidei pueritia permaneatis ? Cur autem non possent, aperitur, cum subditur : *Adhuc enim estis carnales.* Quæ sententia illos arguit, qui per baptismum renati, peccatorum consecuti sunt remissionem ;sed post baptismum,ad veteris hominis conversationem, cui abrenuntiaverant,conversi sunt.

(512) In autog. marg. hic legitur cap. XI.

Igitur, ut ostenderet, cur eos dixerat carnales, subjecit,dicens : *Cum enim sit in vobis zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Zelus erat inter Corinthios et contentio quoniam hominum amore divisi erant. Erat enim zelus,quia sibi invicem invidebant ; erat contentio, quia,dum alter adversus alterum,pro amore magistrorum inflammabatur,diversis altercationibus fatigabantur.Sed notandum quia, cum dixisset :Nonne carnales estis ? non addidit : Et secundum carnem ambulatis, sed *secundnm hominem.* Sed sciendum quia,quod est ambulare secundum carnem,hoc est secundum hominem.Quicunque enim secundum se vivit, secundum hominem ambulat ; ac per hoc, secundum carnem,quia carnalibus desideriis satisfacit. Nam, quia primus homo secundum se ambulavit, carnis voluptatibus satisfaciendo, ideo a Deo recessit. Apostolus ergo, cum inferret causas, cur eos carnales dixerit, ait : Et *secundum hominem ambulatis ;* tanquam diceret : Quia secundum vosmetipsos vivitis, secundum hominem ambulatis, non secundum Deum.Si enim secundum Deum ambulassetis,profecto dii essetis.Quicunque ergo spem suam in hominem collocat, recte carnalis vocatur: econtrario quicunque,humano auxilio spreto,a Deo sperat adjutorium,recte vocatur spiritalis,quoniam Deus, qui in illo habitat, spiritus est.

Cum enim quis dicit : Ego quidem Pauli ; alius autem ego Apollo ; nonne homines estis ? Paulus et Apollo concordes fuerunt in unitate spiritus et vinculo pacis.Sed Corinthii eos dividere, et pro altero alter adversus alterum inflari cœperant, nescientes ea,quæ sunt Spiritus Dei. Ideoque volens eos Apostolus esse angelos,sive deos, tam acriter redarguit,quia in his contentionibus,non sapiebant,quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Ait ergo : *Cum enim quis dicit : Ego quidem sum Pauli,* etc. Ubi notandum, quia sua cœpit persona, ne aliorum per invidiam infamare, et suam commendare velle videretur. Et pulchre ait : *Nonne homines estis ?* Sicut enim,qui in Deo gloriantur,et ab eo sperant auxilium,adoptati non solum filii Dei vocantur, sed etiam dii ; ita, qui gloriantur in hominibus, et in eis spem suam collocant,non solum homines vocantur,sed etiam carnales. Quod utrumque una sententia Dominus ostendit, cum per Prophetam loquitur : *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes : vos autem tanquam homines moriemini* (*Psal.* LXXXI, 6*; Joan.* x, 34) ; id est carnales.

Itaque, ut ostenderet magnum malum,magnumque errorem esse inter Corinthios, et ad injuriam Dei pertinere,cum ejus honorem hominibus impendebant, adjecit : *Quid igitur est Apollo ? Quid vero Paulus ?* Et quia poterat ad hæc aliquis respondere: Apostoli dii sunt, ideo intulit : *Ministri ejus per quem* (513) *credidisti* : ac si patenter diceret : Quia ministri sunt, ideo non in eis collocanda est spes ; sed in eo cujus sunt ministri.Illi quippe honor, gloria et gratiarum actio impendenda est, a quo est et donum. Nam isti, qui servi sunt, etiam invitos oportet eos ministrare : quemadmodum Moyses, Jonas, et Elias. Homo ergo, quantum ad honorificentiam Dei, nihil est ; quantum vero ad officium quod habet, houorandus est, sed sicut servus. Unde mox subditur : *Et unicuique,sicut Dominus dedit* (subauditur, ita ministrat). Nam, sicut Dominus dedit,id est, voluit, prædestinavit,et præscivit, ita et ministeriorum officia divisit.Unde, ut ostenderet diversitatem donorum et officiorum varietatem (314), adjecit : *Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit.* Plantavit Paulus ; quia Corinthiis verbum Christi evangelizavit, eosque ad fidem convertit ; hoc enim est plantare : rigavit Apollo ; quia eos solemnibus verbis baptizavit, et in fide Christi confirmavit :istud nimirum irrigationis nomine designatur. Nam hic Apollo Corinthius fuit,et baptizando, et in fide corroborando, post Apostoli prædicationem plurimum in concivibus laboravit. Verum, quia peccata dimittere, et gratiam sancti Spiritus conferre solius est Dei, congrue subdidit : *Sed Deus incrementum dedit.* Qui ergo non ab homine,sed a Deo est profectus,et augmentum salutis,nulla est gloria hominis.Ut ergo dictum est, ad honorificentiam Dei homo comparatus,nihil est; sed quantum ad officium, quod habet, necesse est ut honoretur : non tamen ad contumeliam Dei, ut ab eo aliquid speretur, sed sicut servus. Unde convenienter subditur : *Itaque neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid ;* tanquam diceret : Plantata majora, et irrigata ad effectum fecunditatis pervenire non solent,nisi Deus ea vegetet, et vitam illis administret. Nos ergo,qui vobis loquimur,tanquam operarii sumus,qui plantant, rigant, culturæ diligentiam adhibent; sed cortici viriditatem conferre, folia producere, fructum adhibere non possunt. Ita et nos frustra prædicamus exterius, nisi adsit qui vos creavit,et redemit, et per baptismum peccatorum remissionem contulit. Adest ergo magister, qui docet interius ; Christus docet interius; Christus docet ; ejus unctio docet. Si enim ejus unctio,et inspiratio non docet interius, in vanum perstrepunt verba exterius ;ideoque subditur : *Sed qui incrementum dat, Deus.* Si Deus dat, et Christus Deus,Christus ergo Deus dat incrementum.*Qui plantat autem, et qui rigat, unum sunt.* Quoties unum invenitur in Scripturis divinis,et non additur quid ; cum etiam plura unum dicuntur ;una intelligenda est substantia, una essentia, non dissidens, neque dissentiens. *Qui plantat ergo, et qui regat, unum sunt ;* quia unius sunt conditionis, quia mercenarii ; ideoque unusquisque suorum laborum mercedem præstolatur. Unde continuo infertur : *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*Quanto enim quisque magis

(513) Vulg. *cui credidistis.*

(514) In autog. *veritatem.*

laboraverit, majorem suscipiet remunerationem. Et est sensus : Licet servi, licet ministri, licet omnes mercenarii, tamen, quia diversa sunt officia, diversa erunt et præmia. Nam, quia magis est plantare quam rigare, ideo dispar erit præmium.

Sed ut ostenderet, cur digni essent accipere mercedem, subjecit (515) : *Dei enim sumus adjutores*. Hoc apertius habetur in Græco, ubi legitur : *Dei enim sumus operis participes*. In quibusdam etiam exemplaribus invenitur : *Dei sumus cooperatores*. Sed quidquid illud est, unum idemque significat. Sancti ergo Dei sunt adjutores ; quia admonendo, prædicando, baptizando, illos juvant exterius quos Deus, peccata dimittendo, et sancti Spiritus gratiam conferendo, illustrat intrinsecus. Dei sunt adjutores officio, non potestate, juxta illud : *Secut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan*. xx, 21). Hæc ergo sententia specialiter ad apostolos pertinet ; illi enim fuerunt Christi vicarii.

Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Dei agricultura erant ; quia per Apostoli prædicationem Deus cordibus illorum inspiravit, et ad fidem convertit ; et, post remissionem peccatorum per lavacrum baptismi et donum Spiritus sancti, mores illorum excoluit, ad proferendos bonorum operum fructus, Dei etiam ædificatio erant ; quoniam qui fidem illis contulit, inhabitando etiam alias virtutes auxit.

Sequitur : *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus, fundamentum posui*. Quia dicturus erat : *Ut sapiens architectus, fundamentum posui*, ne sibi arroganter aliquid tribuere videretur ; quasi haberet, quod non acceperit a Deo : ideo pulchre præmisit : *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi*. Ubi notandum, quia non ait, secundum voluntatem aut libitum, sed, *secundum gratiam* ; quia cuncta Deo ascribit. Gratiam vero sibi datam a Deo dicit, quia electus est specialiter, ut mitteretur ad gentium prædicationem : unde merito vas electionis est appellatus. Secundum hanc gratiam, ut sapiens architectus, posuit fundamentum ; scilicet, quia juxta Christi disciplinam Corinthiis fidei verbum evangelizavit. Sapiens quippe architectus juxta voluntatem auctoris fundamenta collocat : verum, quia multi post illum Corinthiis prædicaverunt, adjunxit : *Alius autem superædificat*, id est, quicunque post me venit. Nam dicendo, *alius*, omnes vult intelligi, tam bonos, quam malos prædicatores. Superædificia ergo illa accipienda sunt, quæ ab hujusmodi doctoribus tradita sunt Corinthiis ; unde mox admonens, subdit : *Unusquisque autem videat quomodo superædificet*, id est, perpendat et consideret quomodo superædificia congruant fundamento, id est, quomodo ea, quæ prædicat, meæ conveniant doctrinæ. Nam si superædificia distorta, et frivola fuerint, fundamento manente immobili, ipsa, cum ceciderint magnam facient ruinam. Quicunque ergo male prædicet, fundamentum, id est, nomen, et fides Christi inconvulsa manebit ; perversa vero ejus doctrina interibit et destruetur, secus illud : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth*. xv, 13). Hæc ergo sententia specialiter pseudoapostolos percutit, qui post Apostoli prædicationem venientes, nec intentionem considerare, nec doctrinam imitari voluerunt, sed sua falsa traditione multos Corinthiorum deceperunt.

Fudamentum aliud, etc. Ideo *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* ; quia licet hæretica sint quæ prædicant, non tamen audent, nisi interposito nomine Christi ; quoniam sui erroris commenta commendare non possunt, nisi res absurdas, et turpes, acceptabiles, et congruas faciat tanti nominis dignitas. Ait ergo : *Fundamentum aliud*, etc. ; ac si diceret : Etsi multi sunt quæ prædicant, non tamen audent alium Christum prædicare, quam quem ego prædicavi ; quia, si fecerint, continuo eorum deprehendentur errores. Sonus ergo tanti nominis fecit, ut commenta et sectæ hæreticorum susciperentur. Sequitur : *Si quis autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam*, etc. Hæc apostolica sententia in his computanda est, quæ beatus Petrus apostolus (*II Petr*. III, 16) : difficilia dicit intellectu in epistolis Pauli ; unde varie a doctoribus est exposita. Lapides pretiosos dicit, quos ignis non corrumpit. Ut ergo quibusdam placet, per aurum, argentum, lapides pretiosos, non opera, sed homines designantur, id est, per aurum, argentum, et lapides pretiosos, boni auditores ; per ligna, fenum, et stipulam, mali. Ille itaque supra fidei fundamentum, aurum, argentum lapides pretiosos ædificat, qui suos auditores bene instituit ; e contrario ille fenum, ligna et stipulam, qui male.

Uniuscujusque autem opus manifestum erit : quia in futuro judicio, et boni auditores manifestabuntur, et mali. Unde et sequitur : *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur*. Dies Domini, id est, dies judicii declarabit, quia discernet bonos auditores a malis. Qui *in igne revelabitur* ; quia Dominus in igne revelante veniet ad judicium. *Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*. Uniuscujusque opus, id est, et bonos auditores, et malos ignis probabit, quia bonos purgabit (516), malos vero æterno incendio concremabit.

Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Et est sensus : Si doctor misericordia Dei, ita suos lucratus fuerit auditores, ut ipsi pœnam æternæ damnationis evadant, et vitam æternam percipiant, ipse, pro eorum salute, remunerationem suscipiet, juxta quod Dominus dicit in Evan-

(515) In autog. marg. hic legitur cap. XII.
(516) En ignem purgantem, de quo clarius paulo hic inferius.

gelio secundum Lucam ; *Esto tu super quinque civitates ; et tu esto super decem* (*Luc.* XIX, 17). Nam quanto plures aliquis lucratus fuerit, tanto majorem mercedem inveniet.

Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Id est, si mali auditores, propriis exigentibus meritis damnabuntur : doctor, quia minus sollicitus fuit erga eorum salutem, damnum patietur, id est, pœnas luet, sed purgatorias (517). Unde mox subditur : *Ipse autem salvus erit ; sic tamen quasi per ignem* ; quia propria justitia et fide salvabitur, purgatus per ignem. Aliter : Tria in hoc loco Apostolus memorat, quæ pretiosa et præclara sunt in mundo, id est, aurum, argentum, et lapides pretiosos : tria autem vana et frivola, id est, ligna, fenum, et stipulam. Unde, ut quidam volunt, per aurum, argentum, lapides pretiosos, designatur bona, sana, et catholica doctrina ; per ligna, fenum, et stipulam, mala, perversa, et adultera. Ergo supra fidei fundamentum, aurum, argentum, et lapides pretiosos ædificat, qui bene docet ; ligna fenum, et stipulam qui perverse.

Uniuscujusque opus manifestum erit ; quia in die judicii et bona, et adultera doctrina omnibus manifestabitur. Unde et sequitur : *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur* : in igne quippe tunc omnibus revelabitur prava doctrina, quæ nunc quosdam decipit. *Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* ; quia per ignem fit examinatio ; ideo ignis probabit uniuscujusque doctrinam : quoniam, si nihil invenerit, quod exurat, manifestum erit bonum fuisse doctorem ; prava autem doctrina esca erit ignis ; unde consequenter significatur per ligna fenum et stipulam.

Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; id est, si nullas in eo sordes pravæ doctrinæ ignis invenerit, quas exurat ; et ipse, sicut tres pueri (*Dan.* III), illæsus ab igne, accipiet mercedem : vitam utique æternam, cum gloria perpetuæ felicitatis.

Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Opus mali doctoris ardebit, quia perversa doctrina interibit ; quoniam non est substantia, sed accidens causa. Omnia quippe tunc mala peribunt, sicut iter impiorum (*Psal.* I, 6). Detrimentum vero pati est pœnas luere. *Ipse autem salvus erit ; sic tamen quasi per ignem.* Salvum illum dicit futurum ; quia non interibit substantia, qua consistit, sed ejus doctrina. Sed notandum, quia non ait : Salvus erit per ignem, quasi fundamenti merito incombustus ab igne liberetur, examinatus per ignem volens ostendere, quia pœnas luet, non tamen æternum torquebitur, sicut perfidi et impii, sed quandoque liberabitur ab igne (518), ut sit ei operæ pretium, quod credidit Christum. Hic tamen sensus, nisi caute ac sobrie accipiatur, errori vicinus est : non enim apparet quomodo hic quandoque a pœna liberetur, cum Dominus dicat : *Et ibunt hi in supplicium æternum* (*Matth.* XXV, 46). Sciendum vero quia, ut dicit beatus Augustinus, ille hoc loco ignis intelligendus est, per quem ambo transeant, id est, qui ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, et qui ligna, fenum et stipulam. Sic enim dicit : *Si quis ædificaverit supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, fenum, stipulam.* Ignis ergo in hoc loco, tentatio tribulationis intelligitur, de quo alibi dicitur : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 6). Iste ignis in hac interim vita facit, quod hic dicit Apostolus : non tamen est incredibile, quod post hanc vitam id ipsum faciat.

Supra fundamentum igitur fidei ille ædificat aurum argentum, lapides pretiosos, qui cogit ea quæ sunt Christi, *quomodo placeat Deo* (*I Cor.* VII, 32), id est, qui ea operatur, in quibus delectatur Deus. Nam, qui pure intelligit, consequenter ejus intellectus per aurum designatur, secundum illud : *Thesaurus desiderabilis* requiescit in ore sapientis (519). Eloquentia vero ipsius per argentum exprimitur ; quia eloquentia Domini, eloquentia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI, 9) : virtutes, et bona opera, per lapides pretiosos ; quoniam, sicut lapides pretiosos ignis non corrumpit, ita virtutes et bona opera ignis tribulationis non consumit. Hujus ergo opus ignis probabit, quoniam non exuret, quia non ea dilexit in mundo, quorum amissione crucietur. Dies quippe Domini, id est, dies tribulationis declarabit splendidum ejus opus, ut est aurum, quod per ignem transit. Et quia splendidum ostendetur, et inviolabile permanebit, idcirco quod superædificavit, mercedem accipiet æternæ felicitatis. Illud nimirum sumet, quod cogitavit. Econtrario ille ædificat ligna, fenum, stipulam, qui cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori (*I Cor.* VII, 34), id est, qui ea operatur, quæ abominatur Deus. Convenienter ergo per ligna, fenum et stipulam designantur mundanæ cogitationes, et tales rerum sæcularium cupiditates quæ, licet sint licitæ, amitti tamen sine mentis dolore non possunt. Et hujus ergo opus ignis probabit, quia exuret eum dolor rerum sæcularium quas dilexit, si contigerit ut eas tempore tribulationis amittat. Quippe non possunt sine magno amitti dolore, quæ cum magno possidebantur amore. Unde paulo post dicitur : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Opus ardebit, quia substantia mundi peribit : si ergo perierint res sæculares, detrimentum patietur, id est, damnum temporale ; quia amisit quod cogitavit. Verumtamen fundamenti merito liberabitur, si magis elegerit illis carere, quam Christo, id est, si timore amittendi eas, non deserit

(517) En luce clarius dogma ignis purgantis ad tempus ab Ecclesia continue prædicatum. Videant hæc novatores, et negent adhuc, si audent, antiquissimam esse de hoc dogmate Ecclesiæ traditionem et fidem.

(518) Sequitur evidentissima dogmatis purgatorii demonstratio.

(519) Juxta illud Proverb. cap. XXI, 20, *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi.*

Christum. Et hoc est, quod sequitur : *Ipse autem salvus erit ; sic tamen quasi per ignem ;* quia, licet exurat eum dolor temporalium rerum,quas in mundo dilexit et perdidit, non tamen consumit, aut subvertit fundamentum fidei stabilitate et incorruptione munitum.

Attamen sciendum quia, si per ligna, fenum, et stipulam,ut beatus Angustinus dicit,mundanæ cogitationes, et rerum sæcularium cupiditates, apte etiam per eadem designantur levia, et venalia, et quædam minuta peccata, sine quibus homo in hac vita esse non potest. Unde notandum quia cum dixisset aurum, argentum, lapides pretiosos, non intulit ferrum, æs et plumbum, per quæ capitalia et criminalia peccata designantur.Nam quisquis supra fundamentum,id est,post perceptam Christi fidem et baptismi sacramentum hæc ædificat,non liberabitur per ignem purgatorium, de quo hic Apostolus loquitur,nisi in hac vita digna satisfactione et emendatione correxerit.Qui autem ædificaverit minuta et levia, tanto citius ab hoc igne liberabitur,quanto leviora, et pauciora fuerint (520). Nam,ut Augustinus dicit, fideles tanto tardius, citiusque ab hoc igne liberabuntur, quanto magis, minusve bona temporalia dilexerunt. Sciendum præterea, quia ignis, sicut a sanctis doctoribus traditur, diversis modis peragi solet. Quod quisquis voluerit, in eorum dictis inveniet.

Itaque, quia dixit : *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus, fundamentum posui :* deinde, quod esset fundamentum ostendit, dicens : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus ;* ut ostenderet quo sua intentio digiritur, aut cujus templi dixerit fundamentum,adjecit (521) : *Nescitis, quia templum Dei estis :* tanquam diceret : Vere non ignoratis,quia vos estis templum illud,cujus fundamentum est Christus;ideoque oportet ut superædificetis aurum, argentum et lapides pretiosos. Desiderabat enim ut Corinthii, omnesque ejus auditores studerent servare munditiam cordis et corporis, quæ maxime inter omnia bona Deo accepta sunt : unde alibi dicit : *Sequimini pacem, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII, 14). Ubi ergo deest munditia mentis et corporis, ibi profecto deest gratia Spiritus sancti.Et notandum quia his verbis ostendit Apostolus,quoniam fideles templum sunt Dei. Quoniam ergo necesse est, ut Deus habitet in templo suo, ita eos vivere oportet, ut Deus in illis habitare delectetur. Sciendum quoque quia cum dixisset : *Nescitis quia templum Dei estis ;* et mox intulit : *Et Spiritus Dei habitat in vobis*(522): ostendit quia Spiritus sanctus Deus est,et non creatura, sicut hæretici insaniunt, sed Creator : sicut enim Creator in creatura,sic ipse habitat in templo suo, id est in Ecclesia.

Deinde ut eos terreret qui impure vivebant inter Corinthios, adjunxit : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Hæc enim sententia illos percutit, qui impure vivendo, et corpora sua corrumpendo, templum Dei violabant, maximeque illum, qui uxorem patris habebat (*I Cor.* v, 1), ut prius se reum judicaret, quam ejus causa in medium prorumperet.

Sed valde terribile est,quod dicit : *Si quis templum Dei violaverit,disperdet illum Deus.*Multis quippe modis templum Dei violatur : nam templum Dei violat qui sanctam Trinitatis unitatem dividere quærit;templum Dei violat quisanctam Ecclesiam pravo dogmate corrumpit,aut aliquo schismate scindit : item,qui impure vivendo, se ipsum corrumpit, et qui, licet corporis munditiam servet; mente tamen carnali concupiscentia fedatur et delectatione polluitur : et, ut generaliter loquar, templum Dei violat quicunque hujusmodi peccatum committit,quod ab eo gratiam Dei repellat, et ipsum a regno cœlorum excludat.Hos omnes Dominus disperdet,non solum cum per sententiam mortis auferet, sed potius in igne perpetuæ damnationis.

Igitur, ut eos revelaret, qui pure vivebant inter Corinthios,addidit : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Pulchre autem ait, *sanctum ;* quoniam, ut beatus Augustinus dicit,erant et illi quidem templum Dei per fidem, non tamen sanctum, (523) sicut hi qui templum Dei violabant. Et inde, ut malos terreret, adjecit : *Nemo se seducat*, id est, nemo æstimet, vel suo, vel aliena consilio sibi prodesse aliquid posse, sine gratia Dei. Aliter : *Nemo se seducat*, id est,sua sapientia secreta Dei se comprehendere posse arbitretur ; nemo sibi blandiatur; nemo in hominibus spem suam collocet.Redit enim ad superiorem sensum,quo sapientes mundi redarguit,et eorum sapientiam stultitiam esse comprobavit.Unde hic quoque subjungitur:*Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Et est sensus : Si quis videtur spiritalis sapientiæ gratiam habere, et intelligit salutem generi humano per Incarnationis Dominicæ mysterium promissam, stultus fiat in hoc sæculo, id est, fugiat sæculi sapientiam,ut ab ea stultus judicetur ; tunc enim revera sapiens erit. Nam stultus sæculo,prudens est Deo, dum credit Deum fecisse quæ sapientia mundi non capit. Et hoc est, quod sequitur : *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Cum enim ea operatur Deus, quæ ita fieri posse negat, stultitiam illam esse comprobat. Aliter : Sapientia hujus mundi est maledicentem maledicere, amicum dilligere, inimicum odio habere, talionem pro talione reddere : hæc autem apud Deum stulti-

(520) En purgatorii doctrinam a divo Angustino usque ad tempora nostra constanter deductam.Quid ad hoc novatores ?

(521) In autogr. marg. hic legitur cap. XIII.

(522) Hunc textum Vulg.habet interrogativo modo. Punctum vero interrogationis in autog. nostro desideratur.

(523) *Sicut hi, qui,* videlicet *quippe qui.*

tia est, qui inimicos diligendo, et pro eis orando, possibile ostendit, quod illa incredibile judicabat. Aliter : Sapientia mundi est, quæ multos prædicat deos : sed hæc Deo stultitia est; quia fides catholica unum tantum credit, et confitetur Deum (524),*teste virtute ;* secundum quod ipse Dominus in Evangelio dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Igitur, ut congruo testimonio confirmaret quod dixerat, intulit : *Sicut scriptum est* (ut quibusdam placet in Isaia : ibi enim verborum istorum quædam similitudo habetur). Magis autem credendum est scriptum in libro beati Job, ubi Elipbaz Themanites loquitur ; ibi enim hæc eadem verba reperiuntur : *Comprehendam sapientes in astutia eorum* (*Job* v, 13). Astutia, ut beatus Augustinus dicit,aliquando pro sapienti ponitur ; non tamen proprietate, sed abusione. Comprehendit ergo Dominus, id est, redarguit sapientes sæculi,quoniam stultos ostendit, faciendo ea quæ fieri posse diffidunt. Quod autem quædam exemplaria habent, *sapientiam*, carnalium debemus accipere. Sed ut magis confirmaret, subdidit etiam testimonium Prophetæ dicentis : *Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* xciii, 11). Sciens Dominus cogitationes hominum vanas, quoniam vanum est quidquid homo cogitat sine Deo, redarguit eos, dum verum ostendit quod falsum judicabant,et falsum quod verum putabant.

Itaque, quia Corinthii in magistris gloriabantur. dicentes : *Ego sum Pauli, ego Cephæ*,ideo subditur : (525) *Itaque nemo glorietur in hominibus* ; tanquam diceret:Quia cogitationes hominum vanæ sunt, et eorum consilia infirma et improvida ; ideo non in hominibus gloriandum est,sed in Deo, cujus consilium, nec comprehendi potest, nec retractari, quippe stultum est quodcunque homo tractat sine Deo.

Cur autem non sit in hominibus gloriandum,aperitur cum subditur:*Omnia vestra sunt.* Et est sensus ; Quia omnia vestra sunt, nolite in singulis gloriari : nolite speciales vobis magistros defendere,quoniam omnibus utimini :*Paulus* namque,et *Apollo*,et *Cephas* vestri sunt ; quia unum prædicant, et omnes pro vestra salute laborant. Unde inferius : *Nos autem servos vestros propter Jesum* (*II Cor* iv, 5) : servos enim ministros dicit,juxta quod Dominus : *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (*Luc.* xxii, 27).

Sive hic mundus. Mundus vester est, quia pro vobis factus,ut eo recte utamini,et cursus ejus in Dei voluntate constituatis, nec putetis, eum fato et constellationibus regi, sed providentia Dei. Neque enim propter mundum homo,sed propter hominem factus est mundus. *Sive vita, sive mors.* Sive vita præsens vestra est, quia vobis a Deo concessa, ut in ea recte vivatis, et sobrie, ac modeste ad Dei gloriam eamdem transigatis : mors etiam vestra est, quia licet propter peccatum primi hominis vobis illata sit, necesse tamen est, ut parati sitis libenter mori pro Christo, in spe futuræ resurrectionis.

Sive præsentia,sive futura. Præsentia vestra sunt, quia vobis a Deo concessa,tamen,ut sic eis utamini, ne Deum offendatis. Futura quoque vestra sunt, ut agnoscatis ea meliora præsentibus ; ipsisque vos potius commendetis,et ad ea percpienda quantocius festinetis. *Omnia vestra sunt*, id est, vestræ potestati, judicioque commissa et subdita. *Nos autem Christi* (subauditur, famuli, et cohæredes). Est autem sensus : Sicut omnia vestræ potestati subdita sunt, et concessa, ita necesse est, ut vos Christo subjiciamini. *Christus autem Dei* (subauditur proprius Filius). Ac si aperte diceretur : Sicut Christus unigenitus est Dei Filius,faciens voluntatem Patris, ita necesse est,ut et vos in filios adoptat,Christi facitias voluntatem.Cur ergo ad ejus injuriam aliquid ab homine speratis,aut in hominem spem ponitis ? Verum quia erant nonnulli, qui aliter de Apostolo sentiebant quam oporteret, ut ita de eo sentirent, quemadmodum ille,qui eum ad gratiam Apostolatus elegit, ideo arguendo subjecit : (526) (Cap. IV.) *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Tanquam diceret : Quicunque ille est, qui aliter de nobis sentit, quam sentiendum sit,sic nos judicet, sicut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Quia, dum non in strepitu verborum prædicamus,non in eloquentiæ nitore,profecto potest intelligere, quia Christi mysteria dispensamus.Et revera facile hoc cognoscere poterant, quoniam non verba in eis, sed virtus fulgebat, miracula coruscabant.

Notandum autem quia duo posuit : multi enim ministri sunt Dei, qui dispensatores mysteriorium esse nesciunt ; ministri qnippe Dei sunt ejus sequaces, juxta quod ipse dicit : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* xii,20). Dispensatores mysteriorum Dei sunt qui cœlestia sacramenta,sive mandata singulis quibusque fidelibus secundum qualitatem et capacitatem distribuunt, id est, boni prædicatores. Et sciendum quia,dum se suosque similes dispensatores dicit mysteriorum Dei, pseudoapostolos redarguit, ostendens non esse Dei,quod prædicabant, quia longe discedebant ab apostolica traditione.

Sequitur : *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis invenialur.* Hanc sententiam quidam interrogative, quidam confirmative pronuntiari volunt.Sed quocunque modo pronuntietur,verba sunt increpantis. Hac enim sententia,non solum pseudoapostolos redarguit, sed etiam eos qui constanter pravos mores (et est sensus : Post acceptam gratiam dispensationis Dei) redarguere metuebant cau-

(524) Verba hæc ita in autog, jacentia qui sibi velint, videat lector.

(525) In autog. marg. hic legitur cap. XV. cap. vero XIV. nullibi.

(526) In marg. autog. hic legitur cap. XVI.

sa timoris, aut gratiæ, et commendationis, sive lucri. Propter raritatem namque ait, *quæritur ;* ac si diceret : Plures quidem videntur dispensatores mysteriorum Dei, sed perrarus invenitur fidelis. Ipse autem tantæ erat auctoritatis, libertatis et constantiæ, ut nec vitæ suæ parceret, nec verba detrahentium metueret, nec humana judicia formidaret, tantum ut minister esset Christi, et fideliter Dei mysteria dispensaret. Ideoque subjungit : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer ;* tanquam diceret: Vestra judicia non pertimesco, quos tantis flagitiis irretitos video. Et revera minimum erat ut ab his judicaretur, qui nec a sanctis erat judicandus. Sanctorum nempe est non humana judicia, sed Dei solum metuere. Unde et subditur : *Aut ab humano, die*, id est, a legibus traditis ab hominibus, quarum judicia non formidabat, quia omnem humanarum legum justitiam trancenderat, et soli divinæ justitiæ inhærebat. Dicendo sane : *Aut ab humano die*, subintelligi vult divinum, quo Dominus judicaturus est vivos et mortuos. Igitur, quia nihil meminerat se egisse, aut docuisse, unde vel a se ipso judicaretur, subjecit : *Sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum.* Et est sensus : Conscientia mea pura est ; ideo nec vestra, nec humanarum legum, nec mea judicia formido. Nam quia puram conscientiam habebat, in nullo sollicitus erat.

Sed quia videbatur se justificare voluisse, et velut homo, peccatum potuisse incurrere, subjunxit : *Sed non in hoc justificatus sum ;* tanquam aperte diceret Nec mea, neque vestra, neque legum humanarum judicia metuo, sed de meritis non præsumo ; illius judicium vereor, quem occulta cordis latere non possunt, et cujus judicia perpendere nequeo. Et hoc est quod sequitur : *Qui autem me judicat, Dominus est.* Igitur, ne Corinthii temerarium judicium inciderent, subjecit : *Itaque nolite ante tempus judicare ;* ac si patenter diceret : Quia judicandi estis, nolite judicare, ne duplex peccatum incurratis, et atrocius puniamini ; sed potius quasi fideles et sancti viri, futurum diem exspectate judicii. Hinc in Evangelio Dominus : *Nolite judicare, et non judicabimini nolite condemnare, et non condemnabimini* (*Luc.* VI, 37) : ubi illud maxime docet, ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, semper in meliorem partem interpretemur, ne temerarium judicium incidamus : injuria quippe judicis est, si ante ejus cognitionem a servo proferatur judicium.

Sed quærendum quare hic judicare prohibeat, cum alibi et ipse judicet, et aliis præcipiat judicare (*I Cor.* VI, 3-5). Quapropter sciendum quia, sicut idem Apostolus alibi dicit, sunt quædam facta quæ præcedunt judicium (*I Tim.* V, 24), de quibus nobis judicare permittitur, quia aperta sunt, sicut stupra furta, homicidia ; quædam vero sunt quæ sequuntur judicium, de quibus nobis judicare non conceditur: sunt autem quædam media facta, quæ, quia occulta sunt, de his nobis facile judicandum non est, maxime ut condemnemus. Si vero evidenter fuerint aliqua probatione devicta, punienda sunt. Quod etiam Dominus suo exemplo in libro Genesis ostendit, dicens *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Venite, descendamus, et videamus* (527) *utrum clamorem qui venit ad me opere, compleverint, an non est ita, ut sciam.* Ecce Dominus quasi dubitans loquitur, cujus oculis omnia aperta sunt, cujusque cogitationem nec arenæ maris numerus potest effugere, ostendens quia occulta peccata, maxime criminalia, non facile aut credere aut judicare debemus, probata autem punienda sunt. Unde et Dominus, postquam Lot de Sodomis eduxit, præfatas urbes, ignem et sulphur pluens, evertit (*Gen.* XIX, 24). Hic ergo de occultis et dubiis Apostolus loquitur. Notandum etiam quia dicendo, *ante tempus*, diem judicii vult intelligi. Nunc enim tempus est clementiæ, misericordiæ et pœnitentiæ. Unde alibi dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies* (*II Cor.* VI, 2). Tunc autem judicii tempus erit, cum malefacta per pœnitentiam purgari non poterunt; *sed recipiet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* V, 10). Tunc nimirum, sicut Isaias dicit : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui* (*Isa.* III, 14). Unde hic quoque subditur : *Quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit occulta* (528) *cordium.* Ipse nimirum *Dominus lux est*, ut Joannes dicit, *et tenebræ in eo non sunt ullæ* (*I Joan.* I, 5). Lux est mentium, sed purgatarum. Quia ergo lux est, illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit occulta cordium, quia ad adventum ejus non solum opera, sed etiam cogitationes oculis omnium patebunt, sicut ipse dicit: *Nihil opertum quod non revelabitur, nec occultum quod non sciatur* (*Matth.* X, 26). Ibi simplicitas et hypocrisis apparebunt. Unde mox subditur: *Et tunc laus erit unicuique a Deo. Tunc* dicit, quia modo non est vera laus ; incertum enim est utrum is qui laudatur laude dignus sit, an non. Hinc etiam alibi dicit : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Dominus commendat* (*II Cor.* X, 18). Tunc autem vera laus erit unicuique. Nunquid reprobo ? Non. Subaudiendum est enim bene cogitanti vel bene operanti laus erit, quia audituri sunt: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34).

Sequitur : *Hæc igitur, fratres, transfiguravi in me, et Apollo*, etc. Transfigurare est alterius figuram, id est personam, sumere. Transfiguravit ergo hæc in se, et Apollo, ut in sua et in ejus persona pseudoapostolorum perversas traditiones evacuaret, Notandum vero quia non denominattm, sed generali eos sententia redarguit, ne major oriretur in populo discordia, et ipsi, abjecto pudore, deteriores fierent

(527) *Gen.* XVIII, 20. Vulg. *Descendam et videbo.*

(528) Vulg. *consilia.*

Noverat enim quoniam perrarus inveniturqui suum nomen aut ejus quem diligit aperte audiens denotari,possit tacere, quoniam si unum aut ejus nomen, quasi sub silentio prætermisso, denotatum aliquis audiat, ita fortasse dissimulat, quasi nihil contra se aut dilectum suum dictum sit. Sub hac transfiguratione pseudoapostolorum personas etiam superius destruxit, dicens: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Et rursum: *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, ut in his discerent non in homine gloriari, et quod a Deo conceditur homini non assignare,et Deo, non homini, gloriam tribuere.Unde hic quoque subditur :*Ne supra quam scriptum est,unus adversus alterum inflatur pro alio* Corinthii quippe supra quam scriptum est, id est, superbe sapientes, adversum se inflammabantur, quia sibi invicem invidebant pro meritis magistrorum. Unusquisque enim eorum,quem potissimum judicabat, ejus se jactabat discipulum. Sciendum igitur quia erant inter eos qui amplius in baptismi sacramento, aut in doctrina accipientes, eos qui minus accipiebant despicerent;ideoque in magistris gloriabantur. Sed et pseudoapostoli se a seipsis justificari volebant, quidquid accepissent sibi, non Deo, attribuentes. Talibus ergo loquens,subjunxit: *Quis enim te discernit?*Ubi notandum quia singulariter, quasi ad unum, dicit, qui ad partem plebis uniuscujusque loquitur.Tanta quippe discordia erat in populo Corinthiorum,ut plurima essent diversarum partium studia : unde ita Apostolus suam locutionem omnibus partibus,sine propriæ personæ denominatione coaptavit, ut, cum legeretur ejus epistola,unaquæque pars susciperet quod contra se dictum intelligeret. Sensus autem, ut beatus Augustinus dicit, hic est : *Quis enim te discernit* ?id est, de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam quis te separavit, ut faceret vas in honorem, et non in contumeliam? (*Rom.* IX, 21). Subauditur, nemo, nisi Deus. Aliter : Tu,qui amplius te accepisse gloriaris, quis te ab eo qui minus accepit seperavit nisi is qui tibi dedit quod alteri non dedit ? Et notandum quia dona quibus discernitur ille cui dictum est : Quis te discernit,non sunt terrena intelligenda sed cœlestia : non ea quæ tam bonis quam malis communia sunt, sed quæ soli habere posunt electi.

Sed,ut idem beatus Augustinus dicit, homo carnalis et inaniter inflatus poterat vel voce vel cogitatione respondere et dicere : Discernit me fides mea, oratio mea,justitia mea. Hujusmodi ergo vocibus, sive cogitationibus, occurrens, infert : *Quid igitur habes quod non accepisti* ? Et est sensus: Quidquid boni habes, a Deo accepisti. Rursum, ne suis se meritis crederet accepisse, adjecit : *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*Ac si diceret : De bono accepto non in te gloriamdum est,sed in Deo, quia non tuis meritis accepisti, sed gratis. Aliter *Quid igitur habes quod non accepisti ?* Id est: Quid boni habes a pseudoapostolis quod a me prius audiens non acceperis ? Si autem a me audiens accepisti, quid de eorum magisterio gloriaris,quasi a me nihil acceperis ? Nam pseudoapostoli humanæ eloquentiæ nitore gratiosi erant, Apostolus contemptibilis videbatur, quia non suam, sed Dei gloriam quærebat.

Jam saturati estis, jam divites facti estis,sinenobis regnatis : Hæc verba per ironiam dicta sunt: non enim sunt affirmantis, sed indignantis, et commoti animi. Illos quippe dicit regnare, saturatos et divites factos, in quibus superius diversa vitia et plures errores redarguit ; non revera,sed secundum eorum æstimationem, qui se regnare putabant, et divites, et saturatos factos, quoniam omnia se a pseudoapostolis accepisse gloriabantur.

Verum, ut ostenderet quanto pietatis amore eos diligebat, subjunxit : *Et utinam regnaretis.* Bene illis optat, tanquam pius pater,etiam ingratis filiis. Sed sine Apostolo regnare non poterant, quia quæcunque a pseudoapostolis acceperunt, plena erant vitiis et erroribus. *Ut et nos vobiscum regnaremus.* Ordo erat ut diceret: Ut et vos nobiscum regnaretis ; sed quia præmisit : *Utinam regnaretis*, ideo compulsus est dicere : *Ut et nos vobiscum regnaremus*.Sedqui sunt illi qui regnant ? Illi videlicet qui certi sunt de spe æternæ beatitudinis,qui securi de promissis Dei, qui gaudent et lætantur in omnibus adversis quæ pro Christi nomine patiuntur,scientes quoniam non illis ingerunt detrimentum,sed perpetuæ mercedis lucrum acquirunt. Unde alibi idem Aposiolus dicit : *Cum infirmor, tunc potens sum* (*II Cor.* XII, 10). Et Jacobus (429) : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (*Jac.* I, 2).

Puto enim, nos Deus apostolos novissimos ostendit. Novissimi apostolatus gratiam propterea suæ personæ specialiter ascribit, quia præ omnibus apostolis innumeras persecutiones et passiones sustinuit ; quemadmodum illi qui venturi sunt in novissimo tempore apostoli, Elias scilicet, et Henoch : mittentur enim ante adventum Christi ad prædicandum populum Dei,et Ecclesias muniendum,ne credant,sed resistant Antichristo,a quo multas passiones et supplicia luent, adeo ut occidantur, sicut lectio Apocalypsis declarat (530). Unde hic subditur : *tanquam morti destinatos.*Illorum ergo tempus suo tempori comparavit ; sed ne videretur se jactare, aut humanum favorem quærere,non singulariter, sed pluraliter dicit *nos*. Quod vero ait *puto*, non dubitative, sed confirmative dictum intelligere debemus, sicut illud in Epistola ad Romanos : *Exi-*

(529) Hic in autog. marg. legitur cap. XVIII ; cap. vero XVII signatum nullibi.

(530) Apoc. XI, 3 et seqq. Conjecturam hanc de Henoch et Elia multi interpretes comprobant,testimoniis nempe innixi, Eccli. XLIX, 16, quod Henoch adventum, et Malachiæ IV, 5, 6, et Eccli. XLVIII, 10, quoad adventum Eliæ extremis futurum temporibus.

simo quod non sunt condignæ passiones hujus mundit (*Rom.* VIII, 18). Potest etiam intelligi ut novissimos dixerit, ad comparationem priorum ; nam quos primos elegit, direxit ad Judæos ; quos autem novissimos, destinavit ad gentes ; ideoque ait : *Tamquam morti destinatos*, id est, ad mortem, ad supplicia, ad persecutiones diversas.

Quia spectaculum facti sumus mundo. Elias et Henoch adeo spectaculum erunt in mundo, ut in conspectu totius populi infidelis occidantur, et corpora eorum projiciantur in platea ad confusionem fidelium. Sic nimirum apostoli spectaculum facti sunt mundo,dum in conspectu insultantium contumeliis et cruciatibus sunt affecti. *Mundo* dicit non cœlo et terræ, sed habitantibus mundum ; propter quod exponens, subjecit : *Et angelis, et hominibus.* Angelos autem non bonos ait,sed malos,de quibus dicit Propheta : *Immissiones per angelos malos* (*Psal.* XXXIII, 8). Similiter homines, non credulos, (581) sed infideles. His enim spectaculum facti sunt,quia exsultabant et lætabantur de eorum passionibus et mortibus. Beatus vero Augustinus dicit angelos et homines tam bonos quam malos posse intelligi, ut sit sensus : spetaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus ; non vituperantibus solum,sed etiam laudantibus,quia habemus in nobis quod bonis angelis placeat, habemus quod malis displiceat. Sic et vita nostra fidelibus placet, et infidelibus displicet.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. Apostoli, quia Christum diligentes,eaque prædicabant quæ sapientibus mundi stulta videbantur,propterea stulti vocabantur propter Christum ; Ebion, et Cerinthus, quia Deum Filium habere negabant, aut Deum hominem fieri, vel virginem parere potuisse ; reliqui quoque qui contra Christum predicabant,sapientes in Christo vocabantur. Hæc ergo sententia pseudoapostolos redarguit, qui, eloquentiæ humanæ nitorem quærentes ea prædicabant quæ mundi sapientibus non displicerent ; ideoque prudentes in Christo vocat eos.

Nos infirmi, vos autem fortes. Apostoli, quia libere et constanter Christum prædicabant,ideo probra, molestias, vimque patiebantur, ac per hoc judicabantur infirmi ; econtra pseudoapostoli, quia ita Christum prædicabant, ut homines non offenderent, securi manebant ; ideoque dicit eos *fortes.*

Vos autem nobiles, nos autem ignobiles. Qui Deum Abrahæ fuisse promissum aut prophetis annuntiatum negabant, nobiles æstimabantur, quia omnem antiquitatem Christi promissi non Christo ascribebant ; econtrario qui Christum, secundum promissionem,ex Abrahæ semine natum et annuntiatum a prophetis asserebant,ignobiles vocabantur.

Sed sciendum quia quæ probare videtur Apostolus negat ; et quæ negare videtur probat. Verba enim sunt increpantis, qui confitetur negando, et confitendo negat, quippe per ironiam dicta sunt.

Usque in hanc horam ; usque ad hoc tempus,id est etiam apud vos, *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris.* Apostoli, quia sine adulatione et secundum fidem catholicam Christum prædicabant, gratiosi non erant, ideoque nihil ab auditoribus accipiebant unde sustentarentur ; ac per hoc esuriebant,sitiebant,et nudi erant ; colaphis etiam cædebantur,quia publice irridebantur et exprobrabantur. Instabiles erant,quia fugabantur ab infidelibus de loco in locum, ne forte si diutius in eodem loco manerent, plures ad fidem Christi converterent. Laborabant operantes manibus suis, unde victum acquirerent quo sustentarentur : non solum quia cum gratiosi non essent,nihil accipiebant, sed quia indignum judicabant aliquid ab his accipere quos in tantis flagitiis esse videbant, propter illud : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL, 5). Noverant enim quia graviter peccat, et libertatem arguendi amittit, qui ab eo aliquid accipit, qui propterea tribuit, ne redarguat (532).

Sequitur : *maledicimur, et benedicimus ; persecutionem patimur,et sustinemus ; blasphemamur,et obsecramus.* Maledicebantur, et benedicebant, quia pro malis vicem non reddebant, ut eos qui se male tractabant sua patientia ad fidem Christi converterent. Persecutionem patiebantur, et sustinebant, quia persequentibus non resistebant. Blasphemabantur, et obsecrabant,quia, injuriis et contumeliis affecti, suppliciter obsecrabant, ut se permitterent reddere rationem, scientes quia si id fieret,facilius eos ad fidem Christi converterent.

Sequitur : *tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus.*Et est sensus : Quia nosmetipsos dejecimus, quia non contradiximus, idcirco contemptibiles habiti sumus,et vilissimi omnium.Unde mox subditur : *Omnium peripsima* (533) *usque adhuc.* Peripsima enim sunt quælibet vilia,velut depilaturæ,et rasuræ, et quæcunque alia projectitia. *Usque adhuc* dicit, id est, usque ad hoc tempus.

Sequitur : *Nam si decem milia pædagogorum*, etc. Notandum quia ille qui primum fundamentum fidei jacit, ille pater dicitur ; qui vero illum sequuntur, pædagogi. Pædagogus Græcus sermo est, et Latine dicitur *pedissequus*, et eruditor puerorum ; atque lascivam ætatem refrenans. Iste namque, quia fundamentum fidei injecerat, pater erat. Et ideo dicebat : *Non tamen omnes* (534) *patres.*

(531) In autog. loco *credulos* legebatur *crudelos* quod emendandum censui favore antithesis, *non credulos, sed infideles*, ad imitationem superioris, *non bonos sed malos.*

(532) En valde notatu dignam observationem.

(533) Vulg. *peripsema*, Græce Περιψημα.

(534) Vulg. *multos.*

Et quare hoc dixerat subditur : *Per Evangelium ego vos genui* (535). In eo quod dicit *genui*, ostenditur esse pater. Et ideo dicit, ut dum illi eum audirent patrem, se esse agnoscant filios, et intelligant a nemine ita diligi,quemadmodum ab illo qui pater est, et libentius eum audirent. Nullus itaque extraneorum filiorum amorem suis præponit filiis.

Rogo autem vos, fratres,etc. Videndum est quare Apostolus dixerit suis auditoribus, vel unde : *Imitatores mei estote.* Notandum quia diversas adversitates, et incommoditates, et famem, et sitim causa salutis illorum sustinuit; et ideo dicebat : *Imitatores mei estote,* quasi diceret : Sicut ego causa vestræ salutis multas incommoditates sustinui, ita et vos, spretis pseudoapostolis,illorum detractionem parvipendatis : nam corum detractionem ipsi formidabant ; quasi diceret : Si filii estis, debitum honorem debetis impendere patri, et imitatores existere. Variis enim locis varia est intentio Apostoli dicentis : *Imitatores mei estote*,sed tamen in hoc loco talis est intentio.

Ideo direxi (536) *Timotheum*, etc. Quis enim mente comprehendere aut verbis explicare poterit affectum illius ? Non enim satis fuit eis epistolam dirigere,sed etiam suum filium Timotheum studuit dirigere ; et non quæcunque, sed etiam *charissimum.* Nam multos habuit filios. alios charos, alios chariores, alios charissimos : iste vero charissimus erat, quia pro fidelior, eo charior. Et his verbis illos tangit, qui ab ejus prædicatione recesserant : qui, si mansissent, forte et ipsi charissimi efficerentur.

Sed quare istum direxit ? Forte ideo, quia illi oblivioni tradiderunt quæ eis apostoli prædicaverant. Et ideo istum direxit,qui nota erat ejus prædicatio, et ejus epistolæ, ut ea quæ oblivioni tradiderant ad memoriam revocaret. In quo facto monentur prædicatores ut affectum pietatis ab illis a quibus persequuntur non subtrahunt,sed,si necessitas fuerit, pro illis mori studeant.

Et quare istum direxerit manifestat, subdendo : *Qui vos commonefaciat vias meas ;* id est commonitos vos reddat. *Viam suam* appellat prædicationem et operationem suam. *Quæ sunt in Christo Jesu.* Cum enim dicit, *in Christo Jesu, et sicut in omnibus Ecclesiis doceo*,ostendit se nil contrarii, nil perversi eos docuisse ; et dum illi audirent generalitatem observare, puderet eos non esse observatores, quia quo magis specialitas videt generalitatem observare aliquid, magis provocatur observandum (537).

Sequitur : *Veniam ad vos* (538), etc. Animadverte quantæ sollicitudinis fuerit iste egregius prædicator. Non enim satis fuit epistolam dirigere, nec etiam filium suum charissimum ; ad extremum vero præsentiam sui promittit, dicendo : *Veniam ad vos cito.* Sed vide quam discrete et quam caute loquatur; dicet enim : *Si Dominus voluerit.* Quare hoc, nisi quia cognoverat Deum magis scire quod esset in homine quam hominem ? Ideo hoc dicebat, ut si Deus disposuisset illum venire,non Paulo, sed Deo ascriberent,qui cum venire disposuit, et operæ pretium esset gratia Dei adventus ; si vero non venisset, non Deo, vel Paulo, sed suis meritis disputassent, quoniam, exigentibus meritis, eum venisse distulit. Id quo facto monemur ut cum aliquid promittimus etiam spiritale,dicamus : si Dominus voluerit, id est permiserit.

Sequitur : *Et cognoscam non sermonem eorum*, etc. Notandum quia tandiu manifestatur falsa doctrina, quousque vera appareat ; cum vero vera apparuerit, obscuratur. Ita et hic. In adventu namque Apostoli falsa doctrina disparuit; et ideo dicit : *Et cognoscam*, etc. *Sermonem* appellat eloquentiam ; *virtutem* vero. signorum et operum. Et quare dixerit : *Cognoscam eos qui inflammati* (539) *sunt, non sermone, sed virtute*, manifestat, cum subdit : *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute ;* id est, in virtute operum, quia sicut doctrina evangelica non est in monte(540), sed in virtute, ita et regnum Dei.

Sequitur : *Quid valtis ? In virga*,etc. Duplex enim erat affectus apostolicæ mentis, id est pietatis et severitatis. Superius dixerat ; *Ut filios meos charissimos moneo* (*I Cor.* IV, 14) : nunc vero virga minatur. Quid mansuetius, quid misericordius,quam ut filios meos charissimos monere? Et quid crudelius quam virga minari ? In quo facto monentur prædicatores ut utrumque affectum erga suos habeant, id est severitatis et pietatis : sed ita, ut non sit crudelis eorum severitas,quoniam si talis,ad desperationem trahit ; si vero remissa pietas, negligentes facit. Et ideo pietas cum severitate, et severitas cum pietate debet esse. Hinc est quod sub mari æneo non solum boves, sed etiam leones fuisse leguntur (*III Reg.* VII, 29). Quid per boves nisi pietas prædicatorum ; quid per leones, nisi terror severitatis signatur ? Discimus enim in præfatione similem esse Paulum Moysi : quod etiam in hoc loco manifestat ; nam sicut duplex affectus possederat animam istius,ita et ipsius. Legitur enim quia, cum ascendisset in montem (*Exod* XXXII), ut acciperet legem, dixit ei Deus : Descende de monte, quia peccavit populus tuus,et precante illo dimisit Deus noxam populo, et descendente illo, triginta millia (541) interficere jussit. Vide quia ille qui mi-

(535) Vulg. *nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.*

(536) Vulg. *ideo misi ad vos.*

(537) In autog. marg. hic legitur cap. XX ; cap. vero XIX nullibi.

(538) Vulgatæ autem versiculus 18, scilicet : *tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam*, in hoc nostro autog. desideratur.

(539) Vulg. *inflati.*

(540) Autog. *in monte*. fortasse *in sermone.*

(541) *Exod.* VXXII, 28, legitur quasi viginti tria milia hominum cecidisse in illa die.

sericorditer optaverat de libro deleri, descendens quam, crudeliter egit.

(Cap. V.) *Omnino auditur inter vos fornicatio*, etc. (542).Dicitur : *Auditur fornicatio talis ;* et qualis sit, subdendo manifestat, cum dicit : *Quatis nec inter gentes* ; id est, inter illos qui a cognitione alieni existunt : unde etiam gentiles dicuntur, quasi geniti tales. Et sciendum quia exaggerando loquitur Apostolus, ut illi agnoscentes magnum facinus, pœniterent et salvarentur. In quo facto monentur prædicatores ut cum de aliquo facinore loquuntur, exaggerando loquantur, quia sunt nonnuli mali, et perversi, maxime simplices, quibus si remisso ordine vitium increpetur, parvum considerant esse flagitium ; nam secundum modum locutionis, quantitatem intelligunt esse peccati.Et ideo exaggerando loqui debent, ut dum audiunt, agnoscant magnum facinus, et pœniteat eos facti sui, et salventur.

Sequitur : *Ita ut quis uxorem patris habeat.* Dixerat enim superius crimen fornicationis generaliter ; nam fornicatio multas habet significationes ; et ideo speciem subjunxit : *Ita ut qui uxorem patris habeat.* Iste enim publice novercam suam acceperat ; et ideo dicebat. Sed nota quia unumquodque facinus, quo rarius patratur, eo deterius habetur.Rarius peccat homo in consanguineis : et quo rarius, eo deterius ipsum vitium habetur. Iste enim in consanguinea peccaverat, quia uxorem patris acceperat.

Sequitur : *Et vos inflati estis*, etc. Cum enim inter istos tam magnum facinus fuisset patratum, non magis luctum habuerunt, sed potius inflati exstiterunt ; et ideo dicit Apostolus : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis.* Accidit enim inter illos talis fornicatio, qualis nec inter gentes : et isti non luxerunt, sed inflati exstiterunt ; et ideo hoc dicit Apostolus. Nam sanctorum est aliorum peccata deflere, ut Jeremias : *Quis dabit capiti meo aquam ?* (*Jer.* ix, 1), etc. ; et Samuel legitur flevisse Saulem (*I Reg.* xv, 35).Dominus etiam flevit ruinam perfidæ civitatis, dicendo : *Si cognovisses et tu* (*Luc* xix. 42) (subauditur, fleres). Unde dicit beatus Gregorius ; Cum enim perfidæ civitatis ruinam flevit, ostenditur quotidie flere peccata sui populi per suos prædicatores, Sed isti non erant tales, et ideo inflabantur.

Sequitur : *Ut tollatur de medio vestrum*. etc. Si enim non habes potestatem corrigendi illum quem in flagitio cognoscis, alienus existis a peccato : si vero habes potestatem, et non corrigis, particeps es illius. Si autem habes potestatem corrigendi, et desunt, qui eum condemnent, tolerare eum debes, quem admodum Dominus facinus Judæ, quem proditorem esse sciebat. Et notandum quod si vitium in generalitate fuerit, exeundum est ; quod Isaias manifestat, cum dicit : *Propter quod exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis* (*Isa.* lii, 11); si vero in specialitate fuerit, abjiciendum est, quemadmodum hic dicit Apostolus.

Sequitur : *Ego quidem absens corpore*, etc.(543) Absens erat enim iste carne, sed tamen præsens erat illo spiritu, qui replet orbem terrarum virtute, non mole. Alio vero sensu illo spiritu præsens erat, quo Eliseus Giezi, cum dicebat : *Num non præsens* (544) *eram, quando occurrit tibi homo, et talia tribuit ?* Et quo spiritu benedictus adfuit suis, sequitur : *Congregatis vobis*, etc.Bene dicit in nomine Domini Jesus quia nihil prodest conventus sine Domino Jesu. Sequitur : *Judicavi*, etc. ; quasi dicat : Jam judicavi ; ut tollatur de medio vestrum, *et judico tradere*, etc. Varie enim iste locus a doctoribus exponitur. Nonnulli dicunt eum Satanæ traditum fuisse, id est, diabolo, ad vexandum, ut vexatus agnosceret culpam suam, et pœniteret eum facti sui, et salvaretur. Nonnuli dicunt eum a communione privatum, ut excommunicatio intelligatur per Satanam.Nonnulli intelligunt carcerem : quod maxime credendum est, quia Satanas aliqua contrarietas vel adversitas est. Et nota, quia hoc judicium non ex crudelitate, sed ex pietate descendit ; et subdit : *Ut spiritus salvus sit ;* et alibi : *Qui inobediens verbo nostro fuerit, hunc per epistolam notate, ut non conjungamini ei, ut confundatur ; verumtamen non ut inimicum existimate. sed corrigite ut fratrem* (*II Thess.* iii, 14).

Dixerat paulo superius eos inflatos, cum magis luctum habere debuissent.Et hoc aliis verbis repetit, cum dicit : *Non bona gloriatio vestra.* Pro quo habetur in Græco : bona gloriatio vestra ; id est, non bona ; inflati namque erant, cum magis oporteret eos luctum habere, quod tantum inter eos accidit crimen. Quorum multi inveniuntur imitatores, qui nec suam, nec aliorum mortem lugent.Nam nonnulli adeo decepti sunt diabolo, ut non solum non lugeant vel sua, vel aliorum peccata, sed quo majora vel ipsi commitiunt, vel alios videant. eo lætiores existant, de quibus Salomon : *Lætantur* inquit, *cum male fecerint* (*Prov.* ii, 14), et. Sequitur : (445) *Nescitis quia modicum fermentum*, etc. Quasi diceret : Scitis quia, non solum si magna pars fermenti adjuncta massæ corrumpit eam, sed etiam si ei aliqua particula, vel scintilla admisceatur ; et cum hoc sciatis, cur tantum crimen, quod vestram societatem scindere potest, non a vobis repellitis ? Solet nomine fermenti prava designari doctrina, ut illud : *Cavete a fermento Scribarum et Pharisæorum* (*Luc.* xii, 1 ; *Mar.* viii, 15). Et pulchre quidem, quia sicut fermentum magnam massam corrumpit farinæ, sic et prava doctrina magnam massam fidei, cæterarumque corrumpit virtutum.Solet etiam designari prava actio. Quod et hic juxta inceptionem a populo intelige. Et bene, quia et crimen sæpe magnam solet sanctæ conversationis et societatis massam corrumpere. Quod sæpius in populo Judæorum evenisse

(542) In autog. marg. hic legitur cap. XXI.
(543) Hic legitur in autog, marg. cap. XXII.
(544) *IV* Reg. v, 26, Vulg. *præsens erat cor meum*
(545) In autog. marg. c. XXIII.

monstratur, ut Achaz peccante,multi prostrati sunt coram hostibus (*II Par* XXVIII, 5).

Quapropter monet et hortatur : ***Expurgate***, inquit, ***vetus fermentum*** : id est ,veteris hominis conversationem. ***Ut sitis nova conspersio*** Novam conspersionem dicit, societatem ecclesiasticæ pacis.Et pulchre conspersio dicitur ; quia,sicut ex multis granis, per aquæ admistionem,fit una magna massa ; sic ex multis sexibus, ætatibus,ac conditionibus fit una societas Ecclesiæ. Sequitur : *Sicut estis azymi*. Azyma quippe pro simplicitate ponitur:filii namque Israel, cogentibus Ægyptiis, solam farinam secum sumpserunt, unde azymos panes comederunt,quia licentiam fermentandi non habuerunt (*Exod*.XII, 39). Talis est sensus, quasi dixisset : Jam, quia veteris hominis fermentum abjecistis, et renovati estis, azyma estote ; id est, in eadem novitate manete. Hinc est : *Primogenita asini mutabis ove* (*Exod*. XIII. 13). Primogenita asini ove mutare, est in mundo vitæ primordia,sanctitatis et castimoniæ,innocentia superare,et laudabile sacrificium Deo offerre ; quia nihil immundum mundo Deo offerri potest.Nam quia fecerat fermenti et azymæ mentionem, ut intueri Paschæ nostræ renovationis ostenderet mysterium, subdidit : *Etenim Pascha nostrum*, etc. Et est sensus : Non pecus,non agnus,sed Christus est immolatus, cujus illa figuram gerebant. Pascha et phase unum nomen est, et dicitur a *transitu* et a *passione* ut quidem voluerunt, quia *paschin* Græce dicitur *passio* (546).Attamen congruentissima duarum linguarum mostratur conjunctio, quia qua die passus est, transivit ad Patrem ; unde et Joanes : *Venit hora ejus, ut transeat* (*Joan*. XIII, 1).

Sequitur:*Itaque epulemur*.Quædam habent exemplaria : *Festa celebremus* ; quædam vero quod utrumque exponit, *lætemur*.Sed rite lætari non possumus nisi ea, quæ illi in typo agebant, ad imitationem trahamus.Legitur enim Pascha comesuris dictum : *Sument de sanguine agni* (*Exod*. XII, 7), etc· Dicit beatus papa Gregorius : Quid sit iste sanguis non jam audiendo,sed bibendo cognoscimus. Sequantur et cætera, quæ in ejus libro leguntur.

Et quasi interrogassent ubi epulari deberent, respondit : *Non in fermento veteri*.Ubi notandum,quia filii Israel fermentum objiciebant, et per septem azyma comedebant (*Ibid*.,15).Nam et nos per omne tempus vitæ nostræ oportet sancte et innocue conversari. Et ut ostenderet quod esset fermentum vetus, mox subjunxit, dicens : *Non in fermento malitiæ. et nequitiæ* : sed ubi ostendit ; *In azymis sinceritatis et veritatis*. Sinceritas est, qua omnis corruptio abjicitur ; veritas, qua omnis fallacia repellitur.

Scripsi vobis in epistola.non commisceri fornicariis· His verbis Apostolus significat se scripsisse:sed quia ipsi non intellexerunt de quibus fornicariis dixerit, ideo forte non istum,qui crimen admiserat,ægre ferebant, et a se non repellebant. Sed sciendum quia ut nonnulli volunt,in hac Epistola hæc descripserat, alii vero non in hac Epistola, sed in altera ; quod nobilius est (547). Verum, quia ipsi non intellexerunt de quibus fornicariis dixerit, ideo mox ipse exponendo subjunxit: *Non utique fornicariis hujus mundi*, etc., ostendens quod non de infidelibus, ut ipsi intellexerunt, dixerit, sed de credentibus (548). Sequitur : *Alioquin debueratis de hoc mundo exire*, Et est sensus : Si vos consortiis malorum contenti esse deberetis, prodesset vobis de mundo exire, id est mori. Nam hoc ideo dicit Apostolus,quia quasi reeompensatio est malis, si cito ab hac vita egrediantur, ne forte, si diutius maneant,et bonis quidem noceant, et postea atrociori, pœna plectantur, Et quia noverant sancti malis peccatum obesse,non mortem (549), ideo nonnullos mortis sententia punierunt.

De quibus nempe fornicariis dixerit,manifestare curavit ; et ideo subjunxit : *Is qui frater nominatur, est fornicator* (550), etc. His verbis non interdicit Apostolus cum infidelibus cibum non esse sumendum, quia ipse alibi dicit : *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam* (551), *et vultis ire, omnia quæ apponentur vobis manducate non interrogantes* ; sed interdicit cum fratre, id est, credente, si fuerit aut fornicator, aut aliquid tale quale ipse commemorat habuerit,non solum sacramentum dominici corporis et sanguinis non percipere, verum nec communem cibum sumere, quatenus, dum a consortio nostro segregatur, confundatur, et erubescat, et emendetur. Nam multi sunt qui non intelligunt se multum peccasse, nisi a consortio seggregentur bonorum,

(552) Sequitur : *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare ?* Quare hoc dicit Apostolus, nisi quia ad episcopum non attinet judicare incredulos, sed credulos, fornicatores, avaros, aut aliquid tale habentes ? Et non solum ad episcopum, sed congruit etiam fidelibus. Et ideo subjungit : *de his qui intus sunt vos judicatis*,Unicuique namque necesse singulorum est in Ecclesia judicare,id est,discere mores

(546) A verbo πασχω, patior.

547) Fortasse *probabilius est*.

(548) Vulg. post versiculum : *Non utique fornicariis hujus mundi*, habet : *aut avaris*; *aut rapacibus, aut idolis servientibus*. V. 10. Versiculum hunc, ut mihi videtur,auctor noster silentio præteriit, paucis exeptis verbis, *alioquin*. etc. Hinc fortasse, diversis nempe lectionibus,versiculi scilicet noni : *Scripsi vobis in epistola* : *Ne commisceamini*,et versiculi undecimi : *Nunc autem scripsi vobis non commisceri*, et ex similutudine contentorum in versiculis decimo et undecimo, ubi de avaris, etc., orta est quæstio, de qua in autog.nostro,utrum in hac ipsamet Epistola, vel in alia hoc idem scripserit Apostolus. Hinc etiam, scilicet ex similitudine textuum unius cum altero versic. orta ost in autog. nostro commistio et confusio.

(549) Autog. *morte*.

(550) Vulg. conditionaliter hæc habet ; *Si is, qui frater nominatur, est fornicator*, et sequitur : *aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax*.

(551) *I Cor*. x, 27, Vulg. *ad cœnam* non habet.

(552) In autog. marg. hic legitur cap. XXIV.

et cui adhæreat,et cui fidem committat, quoniam non omnes in Ecclesia æqualis meriti sunt, sed alii boni, alii meliores, alii vero optimi. Illud etiam sciendum, quia hæc sententia non est contraria superiori sententiæ, qua ait : *Nolite ante tempus judicare.* Ibi prohibet,hic etiam monere videtur, et alibi inquit : *Vos ipsi judicate* (*I Cor.* x, 15). etc. : sed non est contrarium ; vel ideo,quia, cum hic de probatione aut discretione loquatur, ibi loquitur de occultis quæ Ecclesia non judicat,sed Deo reservat. vel certe quia intentio fuit loqui de prælatis, quorum facta non sunt judicio subditorum judicanda, sedjudicio prælatcrum.Et ideo paulo ante præmisit : *Hic jam quæretur inter dispensatores*, etc., quasi diceret : Quare quæritis,cum eorum facta vestro judicio non sint judicanda ? Qui sensus in multis aliis locis sanctarum Scripturarum monstratur.Legitur in libro Genesis, quia cum inebriatus fuisset Noe (*Gen.* IX),nudatus est in tabernaculo suo, etc. Ubi per Noe prædicatores,per ebriationem et nudationem aliqua reprehensibilis actio prædicatorum, per Cham, qui derisit, designantur subjecti, qui temere suorum prælatorum facta reprehendunt,per Sem et Japhet boui quidem subditi,qui non solum non reprehendunt,sed potius tegunt, si quæ reprehensibilia cognoscunt. Hoc etiam in libro Regum ostenditur (*II Reg.* VI, 6), ubi legitur, quia cum calcitrarent boves,et arca Dei flecteretur, ut caderet, Oza, temere cum apprehendisset eam, percussus a Deo mortuus est. Hinc est quod et Saul introivit in speluncam, ut purgaret ventrem suum.Et reliqua (*I Reg.* XXIV, 4).Saul enim ventrem purgare est prælatos quæ mente prave conceperant ad operationem perducere.

Sequitur. *Nam eos qui foris sunt Dominus judicabit.* Eos qui foris sunt gentiles appellat,quos Dominus judicat, juxta illud : *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18) ; quia qui spem non habet, mortuus est. Quod autem ait : *Auferte malum* :aut illum intellige,qui crimen fornicationis admisit,aut ipsius malum, aut certe uniuscujusque eorum. Si vero illum intelligas qui crimen commisit, recte repellendus erat, quia non solum delectatione, sed et operatione mortuus erat.Nam et sancta Ecclesia, non eos qui delectatione, sed operatione moriuntur repellit. Alios nempe occidit diabolus delectatione,alios vero operatione. Hinc est quod serpenti dictum est : *Pectore et ventre repes* (553). Et pulchre prius pectore posuit,quia delectatio præcedit operationem.

Corinthii quidem,quia non solum consortia pravorum hominum non declinabant,sed etiam si aliqua judicia habebant,magis ea ab infidelibus quam a fidelibus dirimi optabant,ideo,ut reprehendendo eos denotaret, protinus adjunxit : (554) (CAP. VI) *Audet aliquis vestrum,*et reliqua ; quasi diceret:Quare audetis quod non est audendum ? Vos etenim juxta præceptum Domini dicentis : *Si quis voluerit,tecum judicio contendere,* et reliqua (*Matth.* v, 40), judicia habere non debuistis ; sed quia habetis, quare ab infidelibus dirimi optatis ? Quos autem appellat iniquos, manifestat fuisse infideles. Sequitur : *An nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt ?* Quasi diceret *scitis*.Quapropter cum facti esse debeatis ut mundum judicetis, mirum est cur ejus judicium quæritis. Sancti quippe de mundo judicabunt,quia comparatione fidei eorum ipsius condemnabitur infidelitas. Sequitur : *Et si in vobis judicabitur mundus*, etc. In vobis mundus judicatur,si nihil infidelitatis ipsius aut pravorum operum in vobis invenitur.Et est sensus : Si mundum judicatis, non estis indigni minima ejus judicare, et si generalitatem, non indigni estis specialitatem.

Sequitur : *nescitis quoniam angelos judicabimus ?* Angelos namque dæmones appellat, quia contra naturam peccaverunt, quoniam corpus, quo gravarentur, non habuerunt, sed neque fuit qui illis suaderet ; et ideo inventores sunt suorum malorum quos sancti judicant, dum, divino adjuti subsidio, supra naturam,Deo obedientes existunt.Ipsos etiam alibi principes, et potestates, ac mundi rectores appellat, et in cœlestibus commorari dicit (*Ephes.* VI, 12). Et est sensus, si principes judicamus,multo magis *sæcularia* negotia, aut eorum ministros.

Sequitur, *Sæcularia igitur jndicia*,etc. Sæcularia dicit temporalia, vel corporalia, quæ de bonis temporalibus,id est, fundis, aut villis, aut cæteris nascuntur. *Contemptibiles* quoque appellat, vel insipientes, vel eos qui suas contemnunt injurias. Sciendum quia dixit superius *negotium*, sed non ostendit quale ; nam etsi est corporale, est et spiritale,ut illud : *Adjutores negotii mei* (*Rom.* XVI, 3 ; *Philipp.* IV:), hoc est evangelicæ prædicationis. Deinde quale dixerit, ostendit : *sæcularia judicia.* Et quia noverat eorum cor, et insipientiam, et quod mox insipientes constituerent judices, eo quod ipse prohibuerit infideles ; ideoque prævenit eos, quasi dans consilium : *contemptibiles* (555), inquit, *constituite.* Et ne illi crederent eum hoc velle, subjunxit : *Ad verecundiam vestram dico* ; id est, confusionem, quasi diceret : Non putetis me hoc velle ; sed ad confusionem vestram dixi. Mihi namque placet ut virum sapientem et perfectum super hoc negotium constituatis,qui juxta evangelicum præceptum possit inter fratrem et fratrem judicare.Et ideo addidit : *Sic non est sapiens inter vos* etc., quasi diceret : Est, Magnæ etenim confusionis esse poterat,si inter tot qui Deum agnoscebant non inveniretur sapiens,qui recte posset inter fratrem et fratrem judicare.Beatus papa Gregorius aliter hunc locum exponit.Dicit enim quia propheta primatibus Synagogæ ait : *Quærite judicium* (*Isa.* I, 27) ; et

(553) Gen. II, 14, *super pectus tuum gradieris.*
(554) In autog. marg. hic legitur cap. XXV,

(555) Vulg. *contemptibiles, qui sunt in Ecclesia.*

Apostolus dicit : *Contemptibiles ad judicandum constituite*, Dicit ipse quia Apostolus hortaturus erat suos ad sapientiæ ac prudentiæ doctrinam, et ad charismata potiora (*I Cor.* XII, 31), multo magis tamen ad prophetiæ donum. Ideo longe ante præmisit : *Contemptibiles constituite ;* quasi diceret : Non est enim dignum ut vos, qui majora penetrare valetis,in his occupemini,sed eos quos nullis majorum donorum virtutibus præditos cognoscitis super hæc negotia ordinate. Et nota quia ipsos contemptibiles dicit sapientes. *Sic non est*, inquit, *sapiens inter vos*, quia non stulti,sed qui peritiam habent terrenarum rerum, illi ordinandi sunt ad judicandum,ut majores eo liberius cœlestia et spiritalia penetrare valeant,quo minus in his terrenis occupantur. Hinc est quod Moyses pro se septuaginta viros (*Exod.* XVIII, 25 ; *Deut.* I, 15) populo præposuit. Illud autem sciendum, quia qui generalis populi merita transcendunt,infirmantium fratrum negotia non debent contemnere, sed super ea quos sciunt peritiam habere humanarum rerum præponere, ut et ipsi liberius cœlestia penetrent,et isti,ut a nobis operibus non sint alieni,in his rebus quarum peritiam acceperunt administrent.

(556) *Itaque omnino peccatum habetis* (557), etc. Dupliciter enim isti condemnantur,sive quia contra præceptum, quoniam judicia habebant, sive quia habendo, non a fidelibus,sed ab infidelibus dirimi optabant. Et ne putarent illi peccato carere posse, si habendo judicia,non ab infidelibus,sed a fidelibus dirimerentur,ideo subjunxit : *Itaque omnino*, etc. ; quasi diceret : In hoc tantum peccatis,quia judicia habetis. Vos etenim,cum ad hoc laborare debuissetis, ut fratres veluti germanos diligeretis, quia major est ista germanitas spiritalis quam carnalis, non solum non diligitis,sed etiam injuriam infertis, Utquanquam non posset fieri ut quilibet christianus judicia non habeat contra præceptum Domini dicentis : *Qui voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere,dimitte ei et pallium,et auferenti quæ tua sunt ne repetas* (*Matth.* V, 40) ; tamen ipsa judicia non ab infidelibus dirimenda sunt.

Sed forte dicit aliquis : Juste querelor, quia subsistere non possum, quoniam mea auferuntur, et proscribor : ideo sententiam judicum requiro.Huic cogitationi ob hoc occurit Apostolus,dicens: *Quare non injuriam sustinetis,et fraudem patimini ?* (558) Quasi diceret: Vos non solum injurias et rapinas paventer (559) fertis, ut ad humana judicia trahatis,sed injurias inferendo,ad eadem provocatis.

*Et hoc fratribus.*Quasi dicat : Hoc,quod extraneis facere non debuistis, ipsum etiam fratribus irrogatis. *An nescitis*, etc. Quasi diceret : Si miserimini,multo magis iniqui. Et ideo dicit *an nescitis*, quasi diceret, et scitis. Et ideo quod dicit, *scitis*,ostendit illos non ignoranter operatos. Et ideo subjunxit *Nolite errare*. His verbis ostendit reverentiam legis,aditum regni cœlestis. Et manifestavit quod, si quis istorum uni vitio deditus exstitisset, a regno cœlesti excluderetur. Reverentiam legis ostendit, quia ista omnia lex divina prohibet ; aditum regni cœlestis, quia si quis uni vitio deditus exsisteret(560), regnum penetrare non posset.

Sed quid est quod dicit: *Notite errare ?* quia vult ostendere illos hoc sapuisse,et oblivioni tradidisse, quoniam per unum annum et dimidium docendo apud eos fuerat : et ideo hoc dicebat,ut ipsis ad memoriam reduceret quod oblivioni tradiderant. Sequitur *: Scitis quod neque avari*, etc., *neque molles*. Nonnulli dicunt molles esse qui patiuntur hoc vitium,concubitores vero qui patrant ; et, ut quipam volunt,ipsi sunt effeminati,id est, enerves, qui eradicantur de terra ; unde propheta : Effeminati eradicabuntur de terra (*III Reg.* XIV, 24). Et effeminati dicuntur a prohibendo,id est,sine barbis Et ideo prohibebat Apostolus hoc vitium,quia leges divinæ exsecrant,humanæ vero cohibebant, et ideo concubinos habebant.Et quod a divinis prohibeatur ostenditur,ubi dicitur : *Si quis ierit cum masculo coitu femineo*, *morte moriatur* (*Levit.* XX, 13). *Rapaces.* Distat inter avarum et rapacem.Omnis enim rapax avarus,non omnis avarus rapax. Nam avarus potest esse tenax suarum rerum, tamen aliena non rapere; rapax vero, etiamsi sua profuse dispergat, tamen quia aliena concupiscit,avarus est.

*Ebriosi.*Ebriosus dicitur ab ebriositate, et ebrius ab ebrietate.Nam ebrius ille est, cui accidit, aut propter charitatem,aut propter aliquid ; ebriosus vero,cujus jugis est ebrietas.Et ideo caute loquens Apostolus,non dixit ebrium excludi a regno, sed ebriosum. Sequitur : *Regnum Dei possidebunt.* Terribilis est hæc sententia, qua dicit Apostolus, regnum Dei non possidebunt.Ideo terribilis, quia ipse lingua erat Spiritus sancti, et ipse per eum loquebatur. Et ideo timendum est ne istorum vitiorum uni succumbamus,ne forte a regno excludamur.

Sequitur : *Et hæc quidam fuistis*, etc. Et ne ipsi putarent eum solummodo vitia reprehendere velle, et non illos habuisse ostendere,ideo dixit : *Et hæc quidam fuistis.* Et nota quia *quidam* dicit, non *quidem*,quoniam si *quidem* dixisset, videretur omnes comprehendere ;si vero nihil dixisset,omnes excludere; et ideo, temperate loquens, dixit *quidam.* Sciendum etiam quia his verbis terrorem incutit suis,sed tamen sublevationem subjunxit,dicendo :

(556) In autog. marg. hic legitur cap. XXVI.

(558) Vulg. *jam quidem omnino delictum est in vobis*, etc.

(557) Vulg. *jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos : quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimidi.*

(559) Fortasse *impatienter*, vel *non patienter fertis.*

(560) Verbum *existeret* quod in autog. desideratur,addendum ad faciliorem lectionem censui.

Sed abluti estis, etc. Sed quare hoc dicit? Quia solent homines, dum de semetipsis audiunt bona dici fallaciter, ita studere vivere et conversari, ut esse possint veraciter quod audiunt dici fallaciter. Sequitur : *In nomine Domini nostri Jesu Christi*,etc. Notandum quia isti per sacramentum baptismi fuerant renati, et per gratiam sancti Spiritus innovati. Nam baptismum initium est religiositatis,et fundamentum totius pietatis et bonitatis. Et ideo ad memoriam pristina bona revocat, ut illi audientes dolerent se amisisse decepti a pseudoapostolis,et pœnitendo, et recte vivendo, ad eadem bona reverterentur. In quo facto monentur prædicatores, ut quondam bonis auditoribus effectis malis, pristina bona ad memoriam reducant, et mala exaggerando manifestent, ut illi audientes quæ amiserunt, pœnitendo et recte conversando ad eadem revertantur.

(561) *Omnia mihi licent*, etc. Dixit superius quod neque fornicarii,neque idolis servientes, neque cæteri regnum possiderent; et,ut quidam dicunt,ideo subjunxit : *Omnia mihi licent*,ostendens se liberum arbitrium habere agendi ea,sed tamen non expedire. Sed his qui hoc dicunt contrarium est, quia omnia illa lege divina prohibentur,et ideo nihil eorum licitum est.Et ob hoc iste sensus repudiandus est. Alii vero dicunt quod nihil illicitum sit, quia Apostolus dicit omnia licita, qui vim quoque dicti non intelligunt,aut immemores,aut contumaces.Nam,si id esset,nequaquam Joannes,quem in utero sanctificatum hujus sermonis memorem non dubitamus, diceret Herodi:*Non licet tibi habere uxorem fratris tui adulteram* (*Marc.* VI,18); et Dominus:*Non licet sanctum dare canibus*(562)et panes sanctos non licet dare laicis; et cætera talia. Sane notandum, quia Apostolus cœperat loqui de crimine fornicationis, et quia noverat incentivum, et fomitem, et materiem fornicationis esse gulæ intemperantiam; ideo inter verba, quibus prohibebat fornicationem,cœpit loqui de escis. *Omnia*, inquit, *mihi licent;* id est, omnes escas comedere, *sed tamen non expediunt*, ne in malum incidam fornicationis. Quapropter quicunque fornicationis malum integrum superare desiderat, intemperantiam gulæ vitare, et quibus modis homines tentet, agnoscere studeat.Quinque scilicet modis,ut ait beatus Gregorius,tentat.Aliquando facit horam necessitatis prævenire; unde et Jonatha mortis sententiam accepit (*I Reg.* XIV,39,44). Aliquando lautiores requirere cibos; unde et filii Israel Deum offenderunt (*IV Reg.* XVI, 3) in deserto, quia despecto manna (*Num.* XXI, 5), lautiores carnalium cibos quæsierunt. Aliquando accuratiores ; unde et prima culpa filiorum Heli fuit,quia eorum voto puer sacerdotis,non coctam carnem more antiquo,sed crudam accipiebat, ut accuratius eam præpararet (*I Reg.* II,15). Aliquando excedere modum; unde et Dominus loquens ad Jerusalem dicit : *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, superbia, et abundantia panis, et saturitas* (*Ezech.* XVI, 49). Quibus verbis ostendit quia excedendo modum in edendo, ad incredibilem libidinis ardorem pervenerunt. Aliquando etiam viles cibos cum aviditate sumere; unde et Esau pro esu lenticulæ primogenita vendidit (*Gen.* XXV, 33). Nam quo ardore flagraverit vilem cibum comedere, venditio primogenitorum ostendit. Illud etiam,quia non est peccatum in cibo, sed in appetitu ciborum. Hinc est, quod sæpe lautiores cibos quia sine aviditate sumimus,non offendimus,et sæpe viles cum aviditates et ideo delinquimus. Nam et diabolus, quia hoc agnovit primum Adam non carne, sed pomo (*Gen.* III, 6): et secundum pane tentavit (*Luc.* IV, 3).Hinc est etiam quod ipse pomum comedendo, deliquit. Elias carnes comedendo integritatem sui corporis servavit (*III Reg.* XIX, 21). Quicunque enim quæ sibi cognoscit contraria agit, ceu Adam,vetiti ligni pomum comedit. Beatus namque Augustinus profundius hunc locum investigavit, et Apostoli intentionem manifestavit.Dicit enim : Omne quod illicitum est, non expedit; attamen non omne quod non expedit, illicitum est. Quod si ita est, quid intersit inter illud quod illicitum est, et ideo non expedit, et illud quod licitum est, et tamen non expedit, generali regula definire difficile est. Verumtamen cito potest aliquis respondere et dicere : Omne quod illicitum est, peccatum est, et omne peccatum non expedit : Igitur et omne quod non expedit, illicitum est.Ubi est ergo, quod ait Apostolus : *Omnia licent,sed non omnia expediunt*? Sed nos, quia non dubitamus Apostolum verum dixisse, nec audemus quædam peccata dicere licita; sciendum est esse quædam licita,quæ,si fiant, non essent peccata : verumtamen,ne alios impediant a regno, non essent agenda ; esse etiam licita quædam, quæ non expediunt, ut fiant.Unde videndum est quæ sint illa licita; videlicet quæ per illam justitiam fiunt, quæ ad Deum pertinent.Illa scilicet sunt illicita,quæ ab eadem justitia ita prohibentur,ut nullo modo agantur, etiamsi ab illis laudentur,in quorum notitiam pervenerunt. Et hoc sciendum, quia, dum ea quæ licita sunt non agis, non in vinculo legis constringeris, sed liberæ dilectionis benevolentiam vitas. Hoc quoque ut apertius manifestetur, verbi gratia sub exemplo dicendum est. Notandum sane quia Dominus nihil præcipit iniquum; quod autem prohibet, omnino illicitum. Ipse quoque non jubet dimittere uxorem infidelem; quod si juberet, aliter fieri illicitum esset, et Apostolus nequaquam diceret : *Ego dico, non Dominus*. At vero concedit Dominus dimittere uxorem causa fornicationis,quæ si pro carnali dimittenda est, multo magis pro spiritali,id est, infidelitate, de qua Psalmista : *Perdidivi omnes fornicantes* (*Psal.* LXXII, 6). Et quare (563)

(561) In autog. marg.hic legitur cap.XXVIII.Cap. XXVII nullibi signatum.

(562) Matth.VII, 6. Vulg. *nolite sanctum dare canibus*, et XV, 26.

(563) Autog.*et quæ esset*. Legendum tamen vide-

esset; *mihi autem*, inquit, *adhærere Deo bonum est.* Ergo licebat pro infidelitate uxorem dimittere : quæ si propterea dimitteretur, ob divisionem nempe conjugum et occasio scandalizandi,et evangelicam doctrinam reprehendendi, et manendi in infidelitate daretur. Et ideo occurrit Apostolus huic necessitati, quia hoc, etsi licet, fieri tamen non expedit, et jussit non esse dimittendam.

Sequitur : *Si quis*, inquit, *frater uxorem habet infidelem* (564), etc. Qui sensus in omnibus illis reservandus est, quæ etsi licita agnoscit, sibi tamen contraria intelligit.Et item licet nobis omnia comedere ; quia, si comessationibus instemus,ad illicita trahimur, et ideo expedit ut licitis non utamur, ne forte ad illicita trahamur.Nam, ut latius hujus loci sensus manifestetur,sciendum est,quod dicit,*omnia licent*, hoc esse quod alibi dicit : *Omnia munda* (*Rom.* XIV, 20), et *non omnia expediunt* ; quod est : Malum est homini,qui per offendiculum manducat (*Ibid.*). Repetens dicit : *Omnia mihi licent;* ea videlicet,quæ coapostolis ejus licebant; hoc est, cibus, et vestitus, et si qua erant necessaria.

Sed quia inspexit pseudoapostolos (565) occasionem accipiendi quærere ; ideo ipse noluit accipere.Certe nec consequens erat ut ab illis aliquid acciperet, quos in tantis flagitiis esse deprehenderat : quia, si acciperet, fervor evangelizandi tepesceret. Illi namque, qui ab illis accipiunt, qui idcirco tribuunt, ut magistrorum suorum animos inclinent, libertatem prædicandi amittunt. Et ideo iste,ne libertatem increpandi amitteret,noluit ab illis aliquid accipere. Quamobrem sequitur, et dicit : *Sed ego sub nullius redigar potestate*, quasi diceret : Nolo accipere, ne gratia vestri datus, libertatem increpandi amittam, et sub vestra potestate redigar.

Sequitur : *Esca ventri, et venter escis*(subauditur, *servit*) : *Deus autem et hunc, et has destruet.* Venter quidem tunc destruetur,quando deerit tempus seminandi,aut laborandi.Facit iste locus adversus falsos apostolos,qui causa ventris prædicabant. Sequitur : *Corpus autem non fornicationi, sed Domino* (subauditur, subdatur); *et Dominus corpori* (subauditur, subjungetur, aut copulabitur). Quia, sicut contemnentes ejus præcepta longius recedimus, sic et implentes, eidem propius inhæremus. Alio vero sensu *Dominus corpori*, subauditur, dabit resuscitato immortalitatem ; sed merito animæ regentis,quæ corpus ad bona opera trahit, ut cum eo resuscitato lætetur. Sequitur : *Deus autem et Dominum suscitavit*, (566) etc.Ipse sensus est,quem confirmat resurrectione Domini.Virtus Dei, Filius est.Ergo, si per virtutem Dei suscitatus est, per se ipsum est resuscitatus. Unde et ipse dicit : *Solvite templum hoc* (*Joan.* II, 19), etc. Quæ resuscitatio totius fuit Trinitatis.Sciendum namque quia,sicut ipse resurgens a mortuis, figuras clavorum et cicatrices vulnerum suis ostendit, ut eos magis in fide resurrectionis informaret (*Joan.* XX, 26); sic et nos ipse, si membra ejusdem exstiterimus, resuscitabit.Quapropter membra illius fore satagamus, ut cum illo, et ab illo resuscitari mereamur.

Nescitis quia corpora vestra, etc. Sensus enim, et verba ex cœpta intentione pendent.(567) Cœperant namque loqui supra de crimine fornicationis ; et adhuc in cœpta intentione perseverat, dicens : *Nescitis*, etc. Ideo corpora nostra, membra Christi, quia Deus homo factus est.Nam sciendum quia tota Ecclesia diffusa per orbem, corpus Christi est, et singuli,membra, cujus corporis caput Christus est. Unde Apostolus : *Salvator corporis nostri, Christus* (*Ephes.* V, 23). Et notandum, quia non solummodo animam suscepit : nam, si tantummodo animam, animæ nostræ dicerentur membra Christi, non corpora. Sed quia utrumque suscepit, id est corpus et animam, et redemit, ideo corpora nostra membra Christi esse dicuntur.Et hoc animadvertendum,quia non dixit, vos estis, vel animæ vestræ, sed *corpora vestra*,propter prædictam rationem.Et quia corpora nostra membra sunt Christi,nemo se despiciat,nemo se contemnat, dicendo : Faciam quodcunque volo; vivam secundum libitum meum, quoniam nihil sum, quia omnia caro fenum; in aliquod præcipitium mergar; et, si iste se contemnit, Christum despiciat (568), cujus pretio sanguine est redemptus; et, si sibi(569) non parcit, saltem Christo parcat, et Christo pacendo sibi parcet.

Sequitur : *Tollens ergo membra Christi*,etc. Interrogando dicit : *Tollens*, et negando dicit : *Absit*. Et pulchre negando dicit : *Absit;* quia qui membra sua meretrici conjungit, unum efficit corpus. Quandiu enim quis munde et sancte vixerit,membrum Christi est; si vero aliqua immunditia inquinatus fuerit, incipit esse meretricis,et cum iste, qui illi conjungitur, illius membrum efficitur; et forte ista christiana est, quæ ei præbet assensum; et sicut iste meretricis membrum, ita et ipsa meretricantis efficitur.Sed sciendum quia uterque Christum offendit: uterque enim non attendit pretium, et donum sibi tentе consideret, qui se contemnere audet; seu Christi passionem et redemptionem menti reducat, quicunque corpus suum pro nihilo habet : potius quam significet quod in communi acceptione est, scilicet contemnat, despectui habeat.Quamvis et in hoc sensu recte intelligi posset, si per ironiam et invehendi modum dictum habeatur:*Christum nempe despiciat*, Christum pro nihilo habeat,ex quo iste se parvipendere audet. Primam interpretationem magis probant qnæ sequuntur.

(569)Autog.loco *sibi* habet *verbi*,quod tum ex sensu, tum ex his quæ sequuntur, emendatum censui

tur, *quare* ex his verbis,quæ sequuntur,et quæstionem expediunt.

(564) Versiculus hic duodecimus est capitis sequentis, Vulg. nempe septimi, quem hic, tanquam immediate sequentem auctor noster indicare videtur.

(565) Autog. *pseudoapostoli.*

(566) Autog. *suscitabit.*

(567) In autog. marg. hic legitur cap. XXIX.

(568) Verbum *despiciat* hic potius, clare et nitide videre, seu comprehendere significat,ita ut imperative accipiendus sit sensus : Christum nempe at-

concessum, et non considerat qualis, et quantus sit iste, qui servos non solum fratres, sed etiam membra vocavit. Hoc etenim donum, si non haberetur, desideraretur, sed quia habetur, ita vivendum est, ut non amittatur et grates ei referantur.

Sed fuerunt nonnulli, qui dixerunt majoris criminis esse mulierem viro ; sed ne majoris criminis videretur, ideo dicit Apostolus : *Faciens membrum meretricis*. Sequitur : *An nescitis quia qui adhæret meretrici*, etc. Quasi diceret : Non nescitis ; sed scitis, Bene dicit : *Unum corpus ;* quia, sicut una est natura, ita una est culpa ; et sicut una est actio et delectatio, ita æqua est offensio. Sequitur : *Erunt duo in carne una*. Hoc etenim primo homini dictum est : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem* (*Gen.* II, 24), etc. Quia sicut per licitum concubitum duo unum sunt corpus; ita per illicitum amorem duo isti unum efficiuntur.

Sequitur : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Supra, de duobus hominibus loquens, dixit : *Unum corpus ;* nunc vero de diversis spiritibus loquens, id est Dei, et hominis, non dixit, unum sunt, ut supra. Sed magna distantia est inter Spiritum Dei et hominis : Spiritus namque Dei beatus, et perfectus absque spiritu hominis est ; hominis vero, absque Dei esse non potest. Quod vero Joannes dicit, loquens de unitate corporis (570) : *Volo, Pater, ut sicut ego, et tu unum sumus, ita et isti unum sint* (571), non est contrarium huic loco : nam ibi propter imparem naturam dicit : *Unum sint sicut et nos ;* non dicit, omnes unum sumus : hic vero propter gratiam, quam accepit spiritus hominis, ut junctus Spiritui Dei hoc velit, quod ipse dicit : *Unus est Spiritus ;* quia spiritus hominis Dei Spiritui conjungitur, non ut aliud velit, quam ipse.

(572) Sequitur : *Fugite fornicationem*, Monet etiam Apostolus fugiendam esse fornicationem ; quia hoc vitium tale est, ut filios Dei diaboli faciat. Et bis dicit Apostolus : *Fugite ;* quia ad cætera vitia bella sunt adhibenda ; istud vero pedibus fugiendum : et contra alia quidem brachiis pugnandum ; hoc vero pedibus vitandum. Dicit Hieronymus : Mors, aut scuto, aut pedibus vitatur. Contra cætera vitia scutum est erigendum : hoc vero pedibus fugiendum. Sciendum quia exaggerando dicit Apostolus : *Fugite fornicationem :* et hoc adversus illos qui diu in hoc vitio morantur ; et quia diutius parvum putant, etiamsi ab aliquo doctore reprehendantur, non corriguntur.

Ei quia hoc vitium cavendum sit, exemplis ostenditur. Si enim Cain, fraterno sanguine terram fœdando (*Gen.* IV, 8), a Domino reprobatus, et in omni sacra Scriptura fratricida est nuncupatus, qua temeritate, membrum Christi fœdando, putas te societatem illius evadere posse ? Si enim Henoch, munde et pure conversando, translatus est (*Gen.* V, 24), quomodo te putas, impure vivendo, cœlum subire posse ? Si enim Noe solus, malorum relinquendo consortium, et arcam ascendendo, commune periculum diluvii evasit (*Gen.* VI, 7, 8) ; quomodo te putas communem interitum, consortiis malorum fruendo, transire posse ? Si enim Abraham solus, Ur Chaldæorum (*Gen.* XI, 31), id est, ignem relinquendo, benedici promeruit, quomodo tu in igne carnalis delectationis consistendo, benedici putas ? Si Isaac de domo egressus in agrum ad meditandum venit (*Gen.* XXIV, 63), quomodo tu in domo carnalis delectationis cœlestia rimaris ? Si enim Jacob et filii ejus ægre tulerunt stuprum Dinæ (*Gen.* XXXIV, 7), quomodo tu in stupratione proprii corporis lætaris ? Si Joseph laudabilis inter fratres inventus, et figuram Christi gestavit ob hoc, quia crimen fornicationis evasit, quid tibi faciendum est ? Legitur enim quia *relicto pallio, foras fugit ab ea* (*Gen.* XXXIX, 12). Non aliter. Nam si hoc vitio succubuisset, moreretur. Anima morere-tur, ut illud : *Anima quæ peccaverit* (*Levit.* XVIII, 29), etc. Nec rite diceretur patri : *Filius tuus vivit* (*Gen.* XLV, 6) ; nec etiam diceretur dominari in tota terra Ægypti (*Ibid.*), sed in quadam parte. Illi etenim, qui omnia vitia supplantant, illi totius Ægypti dominantur. Et quod illi, qui hoc vitio succumbunt, moriantur, testis est Susanna, quæ presbyteris dicebat : *Si enim hoc egero* (573), etc. Viderat mortem animæ et corporis, sed elegit illa mortem animæ vitare, et morti corporis succumbere. Et quicunque ad exemplum ipsius mortem animæ vitat, non immemor est David Saulem fugientis et mortem declinantis (*I Reg.* XXIII). Nam per Saulem diabolus, et vitia ; per David, anima electa, quæ certando, suasiones diabolicas fugiendo declinat.

Sequitur : *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Hic locus varie intelligitur a doctoribus (574). Novatus quoque sub interrogatione proferre voluit. Nonnulli hoc modo intelligunt : dicunt enim quod fornicatio non nisi a duobus peragi possit ; cætera vero peccata etiam ab uno. Unum, dici corpus non potest ; duo quoque, jam corpus dici possunt, et ideo qui fornicatur, in corpus Ecclesiæ peccat. Alii quidem hoc intelligunt in marito, et uxore, qui unum corpus sunt ; unde supra : *Erunt duo in carne una*. Ergo qui fornicatur, in corpus suum peccat, id est, aut vir in uxorem, aut uxor in virum. Beatus vero Augustinus profundius hanc quæstionem inspexit, adeo ut diceret, nescio si ad liquidum, quæ ait : verumtamen, donante Deo, multa de ea probabiliter possunt dici. Videndum, inquit, unde intentio Apostoli descenderit. Dicit paulo superius : *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt ?* etc., usque ad illum locum, ubi ait : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

(570) *Joan* XVII, 11, 21 et 24, de unitate corporis, mystici videlicet.

(571) Fidei scilicet, et charitatis vinculo conjuncti ad divinarum personarum similitudinem.

(572) In autog. marg. hic legitur cap. XXX.

(573) Dan. XIII, 22 : *si enim hoc egero, mors mihi est.*

(574) De quo vide divi Cypriani ep. 49.

Quo in loco versatur Apostolus erga corporis puritatem, et vult timorem incutere cordibus suorum auditorum, ut timeant per immunditiam membra Christi facere membra meretricis. Sed quærendum est quare dixerit : *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est.* Nunquid illa quæ paulo superius posuit absque officio corporis peragi possunt? Non. Et cogitas quis aliquid carnale ; sed nunquid sine carne cogitare posset? Aut nunquid potest ipse separare hoc, quod dicit Psalmista : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1), ab illis operibus, de quibus ipse dicit : *Omnes astabimus ante tribunal Christi?* (*Rom.* XIV, 10.) etc. Non, inquam, potest ; quia, donec in corpore manet, potest dicere : Non est Deus. Idem etiam alibi dicit : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio* (*Gal.* v, 19), etc., inter quæ opera carnis, spiritalia vitia commemorat. Si ergo ipse in fide, et veritate egregius prædicator spiritalia vitia carni ascribit, quare dicit : *Omne reliquum peccatum extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?* Quod ut contrarium non appareat, sciendum est, quia duæ sunt fornicationes, specialis quidem, quæ in corpore patratur, et est generalis, et tamen spiritalis. Si ergo specialem fornicationem voluit intelligi, ad exaggerandum utique dixit : *in corpus suum peccat ;* quia hoc fornicationis malum, tale ac tantum est, ut eum, qui hoc malo detinetur, vinctum, ligatumque teneat, atque servum corpori faciat, adeo ut ipso tempore expletionis, non aliud ei cogitare liceat, non alibi intendere, nec alibi sensum mentis dirigere ; et idcirco ait : *In corpus suum peccat ;* quod de aliis atque aliis peccatis dici non potuit ; quia, etsi alia quælibet peccata homo committat, potest et aliud cogitare, atque aliud agere, nec ibi semper versari ; et ideo ad comparationem illius extra corpus fieri dicuntur. Potest et aliter intelligi. Est enim generalis fornicatio, quæ est et spiritalis, de qua Psalmista : *Perdidisti omnes fornicantes abs te* (*Psal.* LXXII, 26). Et, ut ostenderet quæ esset ipsa fornicatio, mox subjunxit : *Mihi autem adhærere Deo bonum est ;* de qua et Jacobus : *Adulteri* (375), *nescitis*, inquit, *quia amicitia sæculi hujus inimica est Deo?* Quibus verbis ostendit amicum esse sæculi, fornicari esse Deo. Hinc et Dominus : *Nemo*, inquit, *potest duobus dominis servire* (*Luc.* XVI, 13) : et qui essent duo domini, ostendit : *Non potestis*, inquit, *Deo servire, et mammonæ ;* id est, mihi et sæculo conjungi. Hinc etiam et Joannes ait : *Omne quod in modo est, concupiscentia est carnis et oculorum* (*I Joan.* II, 16), etc., usque ad id, quod ait : *Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum* (*Ibid.*, 17). Quapropter quicunque pro suæ carnalis delectationis amore, mundi hujus sequendo, ac suscipiendo concupiscentias, a Deo recedit, utique fornicatur, et in corpus suum peccat, id est, sui corporis amore, recedit a Deo. Si autem non mundo inhærendo, sed Deo, mundique etiam delectationes, ac concupiscentias contemnendo, atque devincendo, aut ignorantia, aut oblivione, aut abreptione, aut tali quolibet modo delinquat, quasi extra corpus peccat ; hoc est, quia non pro sui corporis amore, recedit a Deo. Aut aliquid horum voluit Apostolus intelligi, aut forte utrumque ; quia consuetudo est sanctarum Scripturarum, ut sub uno verbo aut sententia, multa intelligi possint.

Sequitur : *An nescitis quoniam membra vestra templum est* (576) *Spiritus sancti?* In eo enim quod corpora nostra membra Christi, et membra nostra templum esse Spiritus sancti dicuntur, ostenditur ipse esse Creator, et non creatura, nec impar etiam Patri et Filio. *Quem habetis a Deo* dicit, ut ostendat quia a se non acceperant. Sequitur : *Et non estis vestri ;* ac si diceret : Quia in baptismate filii Dei effecti estis, non secundum vestram, sed secundum illius vivite voluntatem. Quare non essent sui, ostendit : *Empti enim estis pretio magno ;* quasi diceret : Si homo parvo pretio emens servum, exigit ab eo juge ac perpetuum servitium ; quanto magis Deus, qui vos tam magno pretio redemit, hoc est, *non corruptibili auro, vel argento*, sicut Petrus dicit, *sed pretiosissimo sanguine Agni immaculati* (*I Petr.* I, 18), id est, Domini nostri Jesu Christi, sempiternum ac juge a nobis vult exigere servitium. *Et ideo glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Glorificare Deum est secundum ejus vivere præceptum. Deum in corpore portamus, cum ejus imaginem illæsam servamus. Dictum est de primo : *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I, 27). Nos ergo, dum per immunditiam polluimur, Dei imaginem violamus, sed eamdem per pœnitudinem et fructus dignos pœnitentiæ, in nobis reformare possumus. (577) (CAP. VII.) Sequitur : *De quibus autem scripsistis mihi*, etc. Altera est Apostoli intentio. Superius locutus fuerat de illicitis ; nunc vero loquitur de licitis. Congruo quippe ordine prius illicita, id est, malum fornicationis prohibuit, nunc vero licita, id est, conjugii bonum commendat : qui etiam in multis aliis sanctarum Scripturarum locis servatus monstratur.

Quod vero ait : *De quibus scripsistis*, etc., duobus modis intelligi petest ; quia et duæ queunt esse intentiones ; nam secundum quosdam, Apostolus moratus apud eos per annum et menses sex, docuit bonum continentiæ servandum. Sed, quia nonnulli eorum per illicita errabant, illos litteris significantes, direxerunt epistolam suo doctori et magistro, studio consulendi quid esset agendum. Et ideo dicit : *De quibus scripsistis*, etc. ; quasi diceret : Bonum erat, sicut docui ; sed, quia significastis nonnullos vestrum per illicita errare, auctoritas illis subveniat apostolica. Neque enim ita volo prohibere licita, ut per illicita er-

(575) *Jac.* IV, 4, autog. *avari*. Mihi autem lectioni et sensui morem gerere visum est ; ideoque, uti mendam, emendavi.

(576) Vulg. *templum sunt*.

(577) In autog. marg. legitur hic cap. XXXI. Vulg. autem incipit cap. VII.

rent: *et ideo propter fornicationes* (578) *unusquisque suam uxorem habeat*, etc. Est et altera nobilior intentio. Fuerant nempe decepti a falsis apostolis, qui eos inter cætera docuerunt contemnere nuptias : at vero patienter ipsi cætera sufferentes, has solum secuti (579) fuerant. Exagitati, ac commoti, suo scripserunt magistro, consulentes eum, quid ipse sentiret. Idcirco dicitur: *De quibus scripsistis ;* quasi diceret : Bonum est, quod ipsi docuerunt, quanquam non recta intentione, neque studio fidei, aut religionis, aut placendi Deo, sed potius ut sanctiores et meliores viderentur. Verum quia multi vestrum per illicita errant, ut non erretis amplius propter fornicationes, unusquisque suam uxorem habeat, etc. Nota quia non dicitur, propter propaginem filiorum, sed propter fornicationem. Sequitur : *Uxori vir debitum reddat*, etc. Et est sensus : Unum sentiant in lege naturæ, ne forte alterum errore trahente, alter periclitetur. Quod etiam exponit, dum protinus adjungit : *Mulier sui corporis potestatem non habet* ; quia, vel potestatem non habet tradendi corpus suum alteri, vel certe altero eorum nolente, alter potestatem non habet continentiam servandi. Et ideo adjungit : *Nolite fraudari invicem* Neuter quidem continentiam debet habere, nisi ex communi consensu ; ideoque adjungit : *Nisi ex consensu ad tempus*. Quare ? *Ut vacetis orationi*. Licet enim, juxta præceptum Domini et hujus Apostoli sit semper orandum, verumtamen et hæc continentia frequenter est servanda, ut mundius Deus deprecari possit : nam quo quisque se a licitis abstinet, eo mundius Deum deprecari, et facilius ad misericordiam provocare potest ; quod et in litteris Veteris Testamenti monstratur. Nam cum descensurus esset Dominus in montem Sinai, ut legem daret, Moyses jussit filios Israel, ut se abstinerent et sanctificarentur (*Exod.* XIX, 20). Abiathar (580) etiam sacerdos, panes sanctos daturus David, et pueris ejus, interrogavit si mundi essent ; cui responsum est : *Equidem si de mulieribus agitur* (*I Reg.* XXI, 5), etc. Ubi notandum quam valcat jugis et assidua abstinentia, quando tantum valuit triduana. Quod etiam a licitis abstinendum sit, monstratur in Nazaræis, qui etiam ab uvis passis abstinebant (*Num.* VI, 4) : nam quo se a licitis quisque abstinet, eo quo ardore obtinere velit quod poscit ostendit. Peracto tempore orationis, monet reverti ad tempus concubitus, cum dicit : *Iterum revertimini in idipsum*. Quare ? *Ne tentet vos*, inquit, *Satanas*, etc. Satanas quippe, id est, diabolus, quotidie quærit occasionem tentandi, ut apostolus Petrus, *sicut leo rugiens*, inquit, *circuit* (*I Petr.* V, 8), etc. Sed tunc præsertim invenit decipiendi occasionem, cum altero nolente, alter vult servare continentiam ; quia tunc A locum invenit trahendi ad malum fornicationis. Illud sane sciendum, quia mundæ et sanctæ sunt nuptiæ, quoniam Dei jussu celebrantur : nihil quoque habent turpe, nihilque inhonestum. Quapropter si conjugati aliquid turpe, inhonestum, ac indecens admittant, non nuptiarum est, sed hominum culpa. Adeo etenim sanctæ sunt nuptiæ, ut illud faciant dimitti pro se, quod non attinet ad se. Et hoc attendendum, quia in Veteri Testamento continentia propter filiorum amorem transibat ad nuptias ; nunc vero incontinentia revelatur bono nuptiarum, et relaxatur. Et ideo dicitur superius *propter fornicationem*, et non filiorum propagationem. Quapropter distinguendæ sunt graduum causæ : nam si distinguas, majoris meriti est continentia ; B concubitus vero, gratia filiorum non est peccatum propter incontinentiam, concubitus culpa est, sed veniabilis : fornicatio quoque et adulterii malum, eximium piaculum est. Quamobrem hæc conjugalis castitas solertius attendat necesse est, ne forte, dum quærit unde ipsa beetur et remuneretur, inde alter periclitetur. Illud etiam notandum, quia amatores libidinis solent adversus hanc sententiam dicere : Quare Deus masculum et feminam fecit, et benedixit eis, dicens : Crescite, et multiplicamini, si eamdem benedictionem noluit perpetuo manere ? Quibus respondendum est, quia eo usque voluit illam manere benedictionem donec homines multiplicarentur, quibus multiplicatis voluit cessare, juxta illud Salomonis : *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus* (*Eccle.* III, 5). C Sed solent illi et hæc iterum respondere : Quare Deus non omnes homines ex terra fecit, sicut Adam cum non sit dubium quia potuit ? Quibus respondendum, quia non est attendendum quid potuit, sed quid fecit. Si Veteris Testamenti consuetudinem servare volunt, ducant uxores filias, ut Adam, et sorores, ut Cain. Accipiebant et pluriores, ut patriarchæ nostri, non causa libidinis, sed generandi filios. Sed quam sit hoc absurdum, pene omnibus patet. At vero datur intelligi quia, qui omnia in numero, mensura et pondere disponit, singulis temporibus congrua ordinavit : illo tempore filiorum propagationem, nunc vero, quia plus multiplicantur homines, quam oporteat, continentiæ bonum. Hujus loci sensus, quo ait Apostolus : D *Bonum est homini mulierem non tangere*, usque ubi ait : *Ne tentet vos Satanas*, etc., in Veteris Testamenti litteris invenitur ; videlicet ubi legitur, quia Loth, dum ardentem Sodomam fugeret Dei jussu admonitus, in montana peteret (*Gen.* XIX, 30). Quid est ergo Loth ardentem Sodomam fugere, nisi aliquem suæ carnis incentiva ac desideria declinare ? Altitudo namque montium meritum designat continentium. Ille quidem in montem consistit, qui

(578) Vulg. *fornicationem*. Textus autem noster eum Græco consentit, qui et habet : *fornicationes*.

(579) In autog. *has solam secuto* : quod emendandum censui.

(580) *Abiathar*, qui et Achimelech, filius Achitob, et Achiæ frater, cui in pontificatu successit, etc.

in carne solummodo fructum requirit ; ille etiam in monte potius consistit, qui bonum continentiæ servat. Sunt quippe nonnulli, qui, licet ardentem Sodomam, id est, suæ carnis desideria fugiant, montem tamen conscendere non possunt, id est, quia neque bonum continentiæ servare, neque propter incontinentiam in uxore propugationem solummodo quærere possunt. Et hoc significat, quod Loth angelo dicit : *Est civitas parva juxta, ad quam confugere possunt ; nunquid non modica est, et salvator, et vivet in ea anima mea* ? (*Gen.* XIX, 20.) Bene namque hæc civitas, Segor nomine, *parva* dicitur, quia vita conjugatorum non est magna, neque mirabilis signis, aut virtutibus. Bene, et *juxta* esse dicitur : quia non longe est a mundo. Sed hi, qui ardentem Sodomam fugiunt, et montana conscendere non possunt ; id est, quia, etsi damnabilem vitam declinant, jura tamen conjugii rite non servant, necesse est ut oratione salventur. Hinc est quod angelus dixit ad Loth : *In hoc exaudivi preces tuas, ut non perderem civitatem, pro qua locutus es* (*Ibid.*, 21). Sicut ille oratione salvatus est, sic necesse est ut isti oratione salventur.

(581) Sequitur : *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, etc. Ubi indulgentia nominatur, superfluum est denegare peccatum ; quasi diceret : Medicinæ peritissimus, non stantes, aut sanos moneo, sed, ceu cadentibus, et infirmis, præcepta do. Velut medicus, qui, videns ægrotum impatientem, concedit quædam poma, ne ad perniciosiora transeat ; ita Apostolus, videns impatientes et incontinentes Corinthios, concessit licita, ne transirent ad illicita ; quasi diceret : Non stantibus loquor, sed quasi cadentibus, ne in terram corruant, præcepta do. Et hoc sciendum : quia sunt quæ præcipiuntur ; sunt quæ conceduntur ; sunt etiam quæ indulgentur.

Sequitur : *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*. Vide quam pius et sollicitus magister ! quantum ad pium et sollicitum affectum attinet, nil magis optaret potuit, quam esse omnes tales qualis et ipse ; quæ namque vox omnium debet esse prædicatorum. Et nota, quia non invidebat iste, qui omnes similes sibi optabat. Qualis ipse fuerit, inferius manifestatur.

Sequitur : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*. His verbis invitat nos ut bonum continentiæ servemus. *Ex Deo* dicit, ut ostendat quia, licet minus, tamen ex eo est bonum conjugii, sive a quo petamus, si non habemus, et, si habemus, cui gratias referamus ; sive quantum solliciti esse debeamus in petendo, accipiendo, et erga servandum. Attamen nostra conscientia parva et infirma, ad petendum, accipiendum et ad servandum, nisi ab illo adjuvetur qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). — *Alius sic, alius vero sic ;* id est alter habet bonum continentiæ, alter conjugii.

Sequitur : *Dico autem innuptis et viduis*, etc. Quis loquebatur ? Apostolus. Quibus ? Continentibus et virginibus. Ergo virgo erat. Non, sicut nonnulli eum uxorium esse dixerunt. Quoniam, si uxorem haberet, omnes quibus loquebatur vellet esse incontinentes. Sed sciendum eum virginem fuisse. Quod in hoc ostenditur, quia, cum æmulator esset legis (*Gal.* I, 14.) juvenculus præventus est gratia Dei (*Ibid.*, 15). Et quod ita sit Actus Apostolorum manifestant : *Testes deposuerunt vestimenta secus pedes adolescentis, qui vocabuntur Saulus* (*Act.* VII, 57.)

Bonum est illis, si sic permanserint sicut et ergo. His enim verbis ad bonum continentiæ nos vocat, sed tamen non ita, ut a licitis abstinendo, ad illicita trahamur ; quasi dicat : Meam voluntatem ostendo tamen vobis laqueum injicere nolo ; sed unusquisque vestrum tentet et probet et, si continentiam servare potest : si vero non, nubat. Et hoc est quod subdit : *Quod si se non continent, nubant*. Id est : si probaverint se, et agnoverint continentiam servare non posse, nubant. Et hoc exponit, subdendo : *Melius enim nubere quam uri ;* quod dicit uri : ille enim, qui ardori suæ carnis voluntatem conjungit, et convincitur, ille uritur. Perfectorum vero est calorem sentire, et non superari ; valde etenim difficile est voluntatem calori conjungere, et non superari.

Sequitur : *His autem qui matrimonio juncti sunt*, etc. Alia est intentio. Sed quærendum est quare, cum Dominus præcipiat non relinquendam uxorem (*Matth.* I, 5, 10 ; *Marc.* X, 5, 2, 7), ille dicat, *si discesserit*. Si Dominus præcepit, illicitum est, et si illicitum est, quomodo iste dicit, *si discesserit ?* Interrogandus est Paulus. Sed Dominus pro eo respondet. Dicit enim non relinquendam uxorem, excepta causa fornicationis (*Matth.* XIX, 9) ; cum ille concedit relinquere ob causam fornicationis, dat locum Paulo donanti consilium : id est, ait : *Aut maneat innupta aut reconcilietur viro.*

(582) *Et vir uxorem ne dimittat* (subauditur, similiter). His verbis ostenditur quod uterque lege una constringitur. Ac per hoc non sunt illi audiendi qui dicunt potiorem sexum et minorem, caput et membrum, una lege constringi non (583) debere (584).

Sequitur : *Nam cæteris ego dico*. Superius dixerat Dominum dixisse de utrisque fidelibus ; Apostolus vero dicit de illis cæteris qui ex altera parte fideles, ex altera vero infideles inveniuntur. Quod manifestat subdendo : *Si quis frater habet*, etc. Sed cum Dominus præcipiat non relinquendam esse uxorem, quare Paulus dicit : *Si vult habitare cum illo, non dimittatur ?* sed sciendum quia Dominus concesserat relinquendam esse causa fornicationis ; et ideo Paulus

(581) In autog. marg. hic legitur cap. XXXII.
(582) In autog. marg, hic legitur cap. XXXIV, signatum vero non invenitur. cap. XXXIII.
(583) Partic. *non* sensus gratia addendam censui.
(584) En contra Ambrosiastri errorem, qui ita hunc versiculum interpretatur, scilicet licere viro aliam uxorem ducere, causa fornicationis uxoris cum utrumque prohibeat Apostolus.

consilium dedit non dimittendi, quia infidelitas fornicatio est. Nisi enim Dominus concessisset ob causam fornicationis uxorem dimittere, et infidelitas fornicatio esset, nequaquam Apostolus consilium non dimittendi tribueret, quoniam quod conceditur, sive fiat, sive non, absque culpa potest esse. Sed hoc non ideo dicit, ut nunc infidelis fidelem accipiat, sed in primordio Ecclesiæ dicit de illis qui ante fidem juncti fuerant, et prædicantibus apostolis quidam crediderunt, quidam non crediderunt. De illis dicit ut non dimittantur, ut fide mulieris et conversatione vir infidelis ad fidem trahatur; ut Petrus: *Si quis non obedierit verbo nostro, per fidem et conversationem mulierum sine verbo lucrifiant* (*I Petr.* III, 1). Et hoc exponit cum subdit: *Sanctificatur vir infidelis*, etc. (585-86). Accidit hoc in ipso populo ut uxor fidelis virum infidelem, et vir fidelis uxorem traheret ad fidem.

Alioquin filii vestri, etc. Accidit etiam hoc in ipso populo, ut parentes credentes non credentes filios ad fidem traherent, et ideo noluit Apostolus separationem. Quoniam si esset, dum filii crederent, non credentes parentes sequerentur, et daretur occasio in infidelitate manendi. Sequitur: *Quod si infidelis discedit*, etc.; id est, si abhorret fidem tuam, qua quærens occasionem discedendi, discedat. Nam eo usque tolerandus est, quo fidem opprobriis in te persequatur. Cum vero cœperit, si vult discedere, discedat.

Non est autem frater, aut soror, etc. Id est non est huic officio ita subditus, ut propter illud fidem amittat. Et non solum propter ipsum, sed etiam nec propter patrem, aut matrem, vel propter aliquas res, quæ veluti pecuniæ possidentur. Cum talibus etiam non est altercandum, necetiam locutio eorum fruenda. Quare subjunxit: *Quia in pace vocavit nos Deus*. Sequitur: *Unde enim scis, mulier*, etc. Ad superioria attinet, ubi dixerat virum fidelem uxorem infidelem relinquere nolle; quasi diceret: Si Deus præstolatur fidem, multo magis tu debes. Tu credidisti nunc, ille credet in tunc, quoniam ille qui te illum utique ad fidem trahet. Et ideo subdit: *Nisi unicuique*, etc. Divisit Deus ut tu credas nunc, et ille tunc. Et ideo subdit: Ita ambulet. Et hoc exponit subdendo: *unumquemque sicut Deus vocavit*. Vocavit Deus, ut te credas nunc, et ille in tunc. *Sicut in omnibus*, etc. Cum hoc dicit, non contraria, vel perversa docuisse, et dum illi audiunt generalem doctrinam se doctos, puderet eos observatores non esse.

Sequitur: *Circumcisus aliquis vocatus est* (587). *Non adducat præputium*, etc. Hæc namque verba ex superiori pendent sententia, qua ait: *Unumquemque sicut Deus vocavit, ita ambulet*. Ubi solertius quærendum est quare dicat Apostolus circumcisum non adducere præputium, cum quod præcisum est reduci non possit. Ergo talis est sensus: Circumcisus non adducat præputium; id est, non vivat ut præputiatus; et in præputio vocatus, non adducat circumcisionem, id est, non vivat ut circumcisus. Verbi gratia si est aliquis Judæus vocatus ad fidem, etiam Christianus effectus, non se credat indignum vocari Christianum, quia non habet præputium, dans gloriam præputio. Similiter si aliquis gentilis vocatus ad fidem jam Christianus effectus est, non se credat indignum vocari Christianum, nisi circumcidatur, dans gloriam circumcisioni eo quod audit præferri circumcisos; qui scire debet quoniam non ideo præferuntur Judæi, quia circumcisi sunt, sed fide et merito Abrahæ; non solum non præferuntur, sed deteriores præputiatis redduntur, quia levius est non fuisse filium Abrahæ, quam esse desiisse. Sane notandum, quia hæc verba non sunt cogentis, sed potius consilium dantis, ut nec Judæus quisquam coactus transferatur ad præputium, nec gentilis ad circumcisionem: sed habeat libertatem manendi vel transeundi quo voluerit. Et ut intentio Apostoli apertius ostendatur, sciendum quia si aliquis Judæus in illo esset loco ubi neminem scandalizaret, et vellet præputium adducere, hoc est funditus a carnalibus legis observationibus recedere, non eum reprehenderet Apostolus. Similiter et si aliquis gentilis esset in loco, ubi neminem scandalizaret, et vellet adducere circumcisionem, non tamen ut aliquid prodesse crederet, sed ut ostenderet se non hoc signum abhorrere, quod suo quoque tempore signum fuit, non cum reprehenderet Apostolus. Nam qui sensus sit, aut quæ sua sit intentio manifestat, cum subjungit: *Circumcisio nihil est*, etc. Quibus verbis ostendit nihil prodesse aut obesse circumcisionem aut præputium, et neque circumcisionem, neque præputium, sed fidem nos commendare Deo, quæ dum operibus adimpletur, nos salvari meremur.

Sequitur: *Unusquisque in qua vocatione*, etc. (588). Ad hoc respicit quod supra ait: *Sicut Deus vocavit, ita ambulet*. Sequitur: *Servus vocatus es* (589). *Non sit tibi curæ*. Illum quippe qui servus conditione vocatur ad fidem, hortatur Apostolus ut non habeat curam quia servus est, quoniam non ei obest servilis conditio ad percipiendam regni cœlestis beatitudinem. Et ne forte segnis et negligens erga servitium carnalis Domini existeret, et ob hoc Christiana religio reprehenderetur, et ipse merito obedientiæ privaretur, ideo subjunxit: *Sed si potes liber fieri*, etc. Quasi diceret: Noli esse piger, aut negligens; quia dixit: *Non sit tibi curæ*, sed fideliter servi, quatenus juxta hoc, quod Dominus ait: *Qui in minimo fidelis est* (*Luc.* XXI, 10) etc., et a Deo æternæ beatitudinis præmio remunereris, et a Domino carnali libertate doneris, quoniam Dominus non venit mutare conditiones, sed mentes. Et quia ipse poterat dicere:

(585-86) In autog. marg. hic legitur cap. XXXV.
(587) Punctum interrogationis, ut in Vulg., desideratur.
(588) In autog. marg. hic legitur cap. XXXVI.
(589) Punctum interrogationis, quod in Vulg., hic desideratur.

Quomodo fore queo servus Domini, cum sim hominis ? Ideo verba consolationis ac sublevationis adhibuit,subjungens : *Qui enim in Domino vocatus est servus*, etc. Servitus etenim peccatorum, deterior servitute humanæ conditionis. Nam peccata faciunt servum,quemadmodum Cham iniquitate factus est servus : quapropter dimissis peccatis,redditur homo liber. Aliter : iste etiam qui domino carnali deservit, quia rem prudentem agit, hoc est, in Christum credit,liber redditur. Unde antiquos non piguit omnes sapientes fore liberos definire. Hinc et Salomon : *Servo sapienti liberi serviant* (*Prov.* XVII, 2). Et quia de duabus personis loquebatur, secutus adjunxit : *Similiter et qui liber vocatus est*, etc. Noxia est et amara quidem libertas,alienum esse a gratia ; unde alibi : *Liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI, 20). Homo enim,quia hanc libertatem noxiam et amaram intellexit, ad laudabilem Christi servitutem transivit,dicentis : *Tollite jugum meum super vos,quia suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 29). Attendendum est, autem quid verba apostolica faciant, quæve sit intentio ejus : unitatem videlicet facere atque monstrare ; quasi dicat : O domini,non vos super vos extollatis,nec vosmet, o servi, dejiciatis, *quia qui servus est in Domino vocatus, libertus est Domini ; et qui liber, servus est Christi.* Unde et mox adjunxit : *Pretio empti estis ;* quasi diceret : Non dispari, sed uno ; et ideo non extollamini, neque dejiciamini, quia fratres estis.

Sequitur : *Nolite fieri servi hominum.* Sane quærendum quare,cum superius hortatus sit servos carnalibus dominis servire, nunc dicat : *Nolite fieri servi.* Non est, inquam, contrarium, quia illam tangit sententiam qua longe superius reprehendit eos quare decepti alii Petriani,alii Pauliani dicebantur : *Sic enim dicit alius : ego quidem Pauli*, etc. ; et paulo post : *Nunquid Paulum pro vobis crucifixus est?* et ideo dicit : *Nolite fieri servi hominum :* servi namque hominum dicuntur, qui humanis superstitionibus subjacent, ceu Corinthii : *nolite fieri servi ;* quasi diceret : Non vos Paulus, non Petrus, sed Christus, qui dives est omnium (*Rom.* X, 12 ; *Ephes.* II, 4), redemit : et ideo non diversis, sed uno pretio redempti,nolite esse, nisi unius : ipse nempe magno pretio vos redemit, et tale pro vobis dedit, quale alter dare non potuit ; quia, etsi alter sanguinem fundere potuit, non tamen absque peccato fuit; et ideo peccata abolere non potuit. Ergo si homo ab aliquo redemptus, eidem servire studet, ut quamdam recompensationem reddat ; quanto magis vos a Deo redempti, eidem perpetuum oportet exhibere servitium.Sciendum quia nonnulli hanc apostolicam sententiam, qua ait: *Circumcisus vocatus non adducat præputium*, etc., per metaphoram intellexerunt, dicentes eum appellasse circumcisum cælibem,præputiatum conjugatum ; ut sit sensus : Circumcisus vocatus ; hoc est, sine uxore, non adducat præputium, id est, uxorem : in præputio aliquis vocatus : id est, cum uxore, non adducat circumcisionem,id est, non dimittat nxorem : unde supra : *Si quis frater*, etc., hoc etiam voluerit intelligi sub nomine servi ac liberi. Ait enim : *Servus vocatus es ;* id est, cum uxore : *non sit tibi curæ* ; id est, non dimittas eam ; quia non te impedit. *Sed si potes fieri liber, magis utere.* His quoque verbis ostendit magis sibi placere continentes, quam conjugatos : etiam quo sua tendat intentio, causam nempe, de qua locuturus erat diutius, solito more prælibando, tetigit.

Sequitur : *Qui enim in Domino servus vocatus est, libertus est Domini.* Libertus dicitur, qui partim liber, partim est servus. Ergo bene conjugatus libertus dicitur,quia servus est,eo quod non habeat potestatem sui corporis ; liber autem, propter opera pietatis, et cæterarum virtutum : servus, quia debitum reddit uxori ; liber equidem, quia et collum mentis a jugo vitiorum excussit, et in virtutum graditur libertate. Sequitur : *Qui liber vocatus est,* hoc est, sine uxore ; quia Christo subditur, servus est ejus. Hæc namque servitus nobilior est omni libertate.Repetit et tertio quod supra dixerat : *Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.*

(590) Sequitur : *De virginibus præceptum Domini non habeo*,etc.Prohibuerat superius malum fornicationis.Deinde locutus de conjugatis,atque continentibus, post hæc inseruit, de circumciso et præputiato. De servo, ac libero, secundum quosdam, altera intentio ejus.Nunc vero loquitur de virginibus, de quibus etiam fuerat interrogatus. Unde supra, *de quibus* inquit, *scripsistis*, etc. Unde et in hoc loco subaudiendum est : *De virginibus*, de quibus scripto interrogastis, *præceptum Domini non habeo ; consilium autem do.* Pulchre siquidem dicit præceptum Domini non habere ; quia ipse Dominus auctor erat conjugii, et ideo non erat consequens, ut contraria juberet. Ubi attendendum est quid distet inter præceptum et consilium. Quod enim præceptum est, absque transgressione corrumpi non potest ; quod vero consilium est, si violetur, aut corrumpatur, nulla est transgressio. Dixit se quoque dare consilium. Et qualiter ostendit : *Tanquam misericordiam consecutus,* etc. Iste scilicet egregius prædicator, fidelis in verbo, et scientia, dat consilium ; sed quemadmodum misericordiam consecutus est a Domino, quia fidelium servorum (591) non invidere beneficiis, sed potius ad meliora provocare ; quasi diceret : De consilium, secundum quod misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis.Et nota, quia quod erat, non sibi, sed Deo ascripsit. Sequitur : *Existimo hoc bonum esse.* Quod tam egregius prædicator existimat, non dubitative, sed incunctanter est accipiendum. Est autem bonum,quod existimat esse sine uxore ; unde supra : *Bonum est homini mulierem non tangere.* Hoc vero bonum, non solum

(590) In autog. marg. hic legitur cap. XXXVII.

(591) Hic fortasse subintelligitur *est*.

bonum vult intelligi fore, propter majorem remunerationem regni cœlestis, sed bonum etiam dicit *propter instantem necessitatem*. Quæ instantis temporis necessitas multiplex esse non dubitatur. Est enim dolor ventris; est labor parturiendi, nutriendi, videlicet, ac vestiendi, orbitatem filiorum patiendi ædificandi domos, dotalia etiam præparandi, et similia. Bonum est ergo sic esse; id est, sine uxore; quia non solum majorem accipiet remunerationem, sed et ab his præsentis temporis necessatibus redditur alienus.

Sequitur : *Alligatus es uxori*, etc. Provocaverat Apostolus suos ad bonum continentiæ. Et, ne ipsum bonum disjunctio nuptiarum esset, ideo, caute loquens, dixit : *Alligatus es uxori*, etc. Hæc est enim apostolica et Dominica doctrina, quæ ita ad majora bona provocat, ut minora non contemnat; id est, ita ad bonum continentiæ trahit, ut conjugium non contemnat. Major est enim veritas Dei in Scripturis divinis, quam sit castitas. *Si accepisti uxorem*, etc., *et si nupserit Virgo*, etc. Uterque non offendit, quia rem licitam patrat.

Tribulationem tamen carnis, etc. Sed quæ sunt illæ tribulationes? Tribulationes sunt : uxorem celare; uxorem viro se subdere; timere ne alter admittatur, et cætera, quæ dici possunt. Sequitur : *Ego autem vobis parco*. Duobus modis; id est : cum vos ad bonum continentiæ provoco, ut prædictis tribulationibus viri et uxoris non subdamini, parco vobis; sive parco, ut, si vos subdere vultis, subdatis. Et quare hoc dixerit, subdit : *Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est;* quasi diceret : Non tantum vivunt nunc homines, quantum primum : nam vix quis quadraginta, vel triginta annis cum uxore copulatur, sed cum dolore amittit uxorem, quam habuerat cum amore. Et quia breve est tempus, *reliquum est;* id est, restat, *ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint :* id est, carnalibus desideriis et delectationibus non superentur. Tunc enim quis habens uxorem, non habet, qui ita placet uxori, ut non displiceat Conditori.

Et qui flent, tanquam non flentes; id est, ita tribulationibus temporalibus affligantur, ut spe futuri præmii subleventur. Tunc enim quis flendo non deflet, cum istius temporis tribulationibus ita affligitur, ut spe æternæ remunerationis sublevetur. *Et qui gaudent, tanquam non gaudentes sint;* id est, ita pro commodo terreno gaudeat, ut memor divini judicii existat. Tunc enim quis gaudens non gaudet, cum ita pro commodo terreno lætatur, ut divinum judicium pertimescat. *Et qui emunt, tanquam non possidentes* ; id est, empta non se diu possidere putent. Tunc etenim quis emptor non possidens est, cum ea, quæ emit, non se diu possidere putet?

Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; id est, ea, quæ ad necessitatem sui præparat, ab his detineri contemnat. Tunc enim quis utens non utitur, cum ea, quæ ad suam necessitatem præparaverat, tenet, et non tenetur. Et quare hoc dixerit, subdit : *Præterit enim figura hujus mundi.* Non mundus, sed figura transit, quia scriptum est : *Terra vero in æternum stat* (*Eccle.* I, 4). Ergo manet per essentiam, transit per innovationem. Et, si figura mundi transit, multo magis ea quæ mundi sunt; quasi diceret : Quare mundo inhæretis, et in his transituris, quæ mundi sunt; quasi diu consistant, et vos cum illis? Et in hoc ostenditur, quod vos transeatis, quia mortem aliorum inspicitis; et hoc inspiciendo, vestrum recessum cognoscitis. Et quamvis longe distet finis mundi, tamen debuit ita dicere Apostolus, propter illos qui erga finem mundi hanc lecturi sunt epistolam; quasi diceret : Audistis venturas tribulationes, quales non fuerunt ab initio (*Marc.* XIII, 8), et easdem minime videre vultis : et cum vobis desit voluntas, quare non parcitis filiis, non accipiendo uxores, ut filios non generetis, qui videant, maxime cum non sit tempus Deo filios per coitum creandi, sed per baptismum regenerandi? Quare hoc dixerit, subdit : *Volo autem vos sine*, etc. Quis enim vult quod Apostolus vult? Sequitur : *Qui sine uxore est*, etc. Bene dicit : *Sollicitus est quomodo placeat uxori;* quia conjugatus libere Deo servire non valet. Et ideo subdit : *Et divisus est.* Divisus, non corpore, sed mente. *Et mulier*, subauditur, divisa. Et quia mulier tam virgo, quam conjugata appellari potest, ut ostenderet de qua dixerat, subdit : *Innupta, et virgo*, etc., *corpore sancta;* quia sine viro, *spiritu;* quia sollicitudine mundi caret. *Quæ autem nupta est*, etc. Dicit Apostolus nuptam cogitare quæ mundi sunt, et virginem, quæ Dei. Sed nos econtrario cernimus conjugatam cogitare quæ Dei, et virginem, quæ mundi sunt. Sciendum quia tali conjugatæ non obsistit conjugium, sed dum illa cogitando quæ Dei sunt, suam naturam superat, et æterna beatitudine remunerabitur. Et ipsa virgo de bono virginitatis non solum non remunerabitur, sed etiam dupliciter damnabitur; ideo quia opus virginitatis male tractavit. Scriptus est enim : *Maledictus qui opus Domini* (*Jer.* XLVIII, 10), etc. Et Paulus : *Opus quidem pietatis ostendentes, virtutem autem negantes* (*II Tim.* III, 5). Ista namque habuit *opus;* quia virginitatem, sed illius *virtutem* (592) negavit; quia bonum virginitatis ignoravit. Et quod conjugata prædicta remuneretur, testis est actio Gedeonis. Legitur enim (*Judic.* VI, 11) quia, cum separasset frumentum a paleis, apparuit ei angelus, etc. Frumentum namque a paleis separare, est virtutes a vitiis, meliora a bonis, optima a melioribus dirimere. Et dum hoc agit, apparet ei angelus, qui jubet sibi hædum offerri, et jus desuper fundi (*Ibid.*, 19). Per hædum enim, lascivientes motus carnis, et per jus fluxæ cogitationes signantur,

(592) *Sed illius virtutem* legendum censui ex superiori divi Pauli ad Timoth. textu, ubi in autog. *sedium* legitur, quæ verba aliter interpretari mihi non licuit.

Hædum ergo immolare est, et jus desuper fundi, non solum carnalia opera, sed etiam fluxas cogitationes, ad exemplum Christi consumere. Et dum hoc agitur, tangit ista angelus virga Dei, adjutorio divino sublevatur, ignis de petra egreditur, et totum consumit (*Judic.* VI, 21); quoniam ardor divini adjutorii in illo non solum carnalia opera, sed etiam fluxas cogitationes interimit : quod in bonis solummodo virginibus, et in paucis continentibus præcipuis impletur.

Sequitur : *Propter salutem vestram*, etc. Cognoverat enim Apostolus eos ægre tulisse quod dixerat; et ideo dicit propter salutem vestram, quasi dicat : Cognovi vos ægre tulisse quod dixi ; sed non ideo dixi, *ut laqueum vobis injiciam, sed ut ad id quod honestum est provocem.* Honestum enim appellat bonum continentiæ ; quia bonum et sanctum est. *Et ad id, quod facultatem vobis tribuat Dominum obsecrandi sine impedimento.* Bene *sine impedimento;* quia conjugatus libere Deo servitium sine impedimento nequaquam agere valet.

(593) Sequitur : *Si quis autem turpem se videri existimat,* etc. Sensus iste ex superioribus pendet. Locutus fuerat superius de virginibus, et adeo laudaverat bonum continentiæ, ut exsecrari videretur nuptias : et, ne sic videretur, subjungit : *Si quis autem turpem.* In quo loco duæ possunt esse intentiones. Prima : potuit fieri ut Apostolus moneret parentes caste, et munde suas nutrire filias usque ad tempus pubertatis : cum vero ad illud tempus venissent, quod aptum est usui, si eligerent parentes melius esse publice nubere, quam tale in occulto aliquid agere, unde turpis videretur, vel confusio oriretur, si vellet puella nubere, nubat ; quoniam *non peccat, si nubat.* Sive *turpem se videri existimat :* si ille caste nutrierit usque ad tempus pubertatis, et cum ad illud pervenerit, non decreverit quid horum elegisset, utrum virginitatem servare, aut conjugio copulari. *Nam qui statuit in corde suo firmus,* etc. Si vero quis caste nutrierit filiam suam usque ad tempus pubertatis, et cum ipsa ad ipsum tempus venisset, et ipse firmus stetisset in corde ut eam virginem servaret, quæ firmata sunt, *si et ipsa* puella suam voluntatem patri junxisset, *non habens necessitatem* nubendi ; id est, elegit in virginitate manere, *potestatem habens suæ voluntatis,* id est, virginitatem servat, non peccat. Ubi ostenditur quod parentes non debeant filias sine voluntate nuptui tradere, quoniam bona facta non sunt invidenda, sed potius exhortanda. Est etiam altera intentio, *Si quis autem turpem se videri*, etc. ; id est, si quis carnem suam caste nutrierit usque ad tempus pubertatis, et postquam ad illud venerit, ut nubere possit, et turpem se videri existimat, ne forte a suis, vel ab aliis extraneis reprehendatur, non peccat, si nubat. Si vero statuit firmus, postquam ad tempus pubertatis venit, ut virginitatem servet, non pudens illi alterius reprehensionis ; si vult ille virginitatem servare, servet. Sed sequentia verba ad utrumque respondent ; id est, ad filiam et ad carnem ; hoc est : Quod *judicavit in corde suo servare virginem*, etc. Hæc est illa Dominica et apostolica doctrina, ut ita ad majora provocet, ut minora non contemnat. Sed in hac re tres gradus inveniuntur : bonus, melior, optimus : bonus in conjugatis ; melior in viduis, id est, in continentibus ; optimus in virginibus. *Mulier alligata est legi.* Iste enim sensus evangelicus est. Nam Apostolus sui magistri sensum, et Evangelii, quod prædicabat, exsequitur. Dominus enim præcepit non relinquendam uxorem, excepta causa fornicationis, et neque mœchus, neque mœcha alterum ducat. Similiter Apostolus præcepit, ut neque mœcha, sive castum, sive adulterum relinquat virum, accipiat alterum, neque vir mœchus. Quare ? Quia non habet potestatem sui corporis. Similiter et mulier. Et ideo no dum velit ipse alteram accipere, incidit ipse quod in uxore reprehendit. Quanquam per pœnitentiam possint reconciliari.

Quod si dormierit vir (594), *soluta est*, etc. Intellige non adulterio corruentis, sed morte decidentis. Ita tamen, ut castitatem servet, quousque alteri copuletur legitime. Sed videtur littera legis huic loco contraria, sed etiam Dominicæ sententiæ. Dominus enim præcepit non relinquendam esse uxoram, excepta causa fornicationis : et Apostolus idipsum repetit, dicendo, quod si discesserit, addidisse consilium, ut maneat innupta, aut reconcilietur viro : et hic dicit : *Mulier alligata est*, etc. ; et lex dicit : *Si quis acceperit uxorem, et habuerit eam, et propter aliquam fœditatem exosam duxerit, scribat libellum repudii, et donet in manu ejus, et eam a domo repellat ; si vero alter eam susceperit, et propter aliquam fœditatem exosam* (595) *duxerit, et dimiserit, vel mortuus fuerit, prior vir non eam recipiat ; quia polluta est.* Duæ enim contrarietates inveniuntur. Dominus dicit non relinquendam esse, excepta causa fornicationis. Lex dicit : Possit dimitti propter aliquam fœditatem. Et ipse dicit alterum non accipere. Similiter Apostolus, et lex dicit : *Si alter eam acceperit*, etc. Hæc contrarietas videtur esse ; sed si intelligatur, vacat littera. Et ob hoc non contrarium, veluti in multis locis. Auferatur ergo tegmen litteræ, quatenus spiritalis clarescat intelligentia. Mulierem namque accipit quis, et habet, cum curam temporalis rei suscipit, et propter aliquam fœditatem dimittit, et a domo expellit, dum curam ipsam propter agnitum peccatum a domo mentis projicit, et alter eam accipit ; quia solet evenire, ut dum cura ipsa in mente alterius exstinguitur, alterius in mente generetur, sed propter aliquam fœditatem dimittit, aut moritur, quia propter peccatum agnitum dimittit, aut solet evenire, ut exstinguat illam,

(593) Hic in autog. marg. legitur cap. XXXVIII.
(594) Vulg. *quod s. d. vir ejus, liberata est*, etc.
(595) Deut. XXIV, 1 ; autog. *uxorem.*

vel exstinguatur ab illa. Si ita intelligatur, nulla contrarietas invenitur. Cui voluerit nubere, nubat, id est, illi nubat, quem diligit. Quia solet evenire, ut invitæ nuptiæ malum habeant exitum. Tantum in Domino nubit, qui suæ religioni recte copulatur, sive qui castitatem servat, quousque alteri legitime copuletur, sive si (596) ob amorem filiorum, atque fragilitatem copulaverit. *Puto quod et ego spiritum.* Ne illi parvi penderent, aut veluti puri hominis consilium putarent ; ideo dicit, *puto*, etc. ; quasi diceret : Non ita meum consilium, veluti puri hominis, existimate, sed quasi diceret : Quia si Spiritum sanctum habeo, consilium meum Spiritus sancti est ; et, si Spiritus sancti, Dei ; quia ipse Spiritus Dei. Nonnulli dicunt increpando dictum, ut sit sensus : Nunquid non Spiritum Dei habeo ? Quemadmodum si quis dicat servo : Bene facis ; puto, Dominus tuus sum.

(597) (Cap. VIII.) Sequitur : *De his quæ idolis immolantur* (598) subauditur, interrogastis). Sciendum quia de illis fuerat Apostolus interrogatus, ut illud, *de quibus scripsistis :* et quia de quibusdam respondit, unde est : *Bonum est homini mulierem non tangere ; et de virginibus* : hic vero interrogatus de his, quæ idolis immolantur, respondet : Idolum quoque, secundum interpretationem sui nominis, imago est, sive forma ; quia *idos* Græce (599), Latine *forma* dicitur : et ab idos idolum, sicut a forma formula. Inde idololatria, cui contraria est latria. Si ergo imago, forma dicitur, quærendum est quare dicat Apostolus idolum nihil esse : quidquid enim subsistit, est. Nihil est ; quia illud, quod dicitur, non oculis videtur, sed animo excogitatur ; verbi gratia, si depingatur humano corpori caput canis, aut pecoris, aut alicujus animalis, aut duæ facies, aut humano pectori extrema pars, aut piscis, aut leonis, aut volucris, aut alicujus alterius : talis imago nunquam visa est ; sive, si fingatur imago Jovis, aut Mercurii, aut alicujus alterius, quantum ad elementum attinet, est aliquid, quia subsistit ; quantum ad hoc, quod dicitur, attinet, nihil est ; quia non est hoc, quod dicitur : ergo mendacium est ; mendacium vero, peccatum ; peccatum vero, nihil ; quia non subsistit. Nonnulli idolum a dolo dicunt, ignorantes Græci sermonis proprietatem. Alio nomine idolum dicitur simulacrum. Simulacrum, ut Isiodus (600) ait, dicitur a similitudine. Refert enim quia in primordio homines fuerunt bellatores, atque urbium constructores : post quorum mortem, amatores eorum, imagines ipsorum in pariete, aut in lapidibus, aut in terra depinxerunt : non tamen, ut dii crederentur, sed ut in eorum recordatione, sui doloris caperent consolationem. In processu vero temporis adeo inolevit hic error, ut diabolus se immitteret, et a perfidis ac deceptis in his loqueretur. Dicitur etiam simulacrum a simulatione ; quod tradunt Judæi primum ab Ismaele inventum. Gentiles autem dicunt hujus inventorem et traditorem fuisse Prometheum. Apud Græcos Cicrops (601) dicitur imaginem primum fecisse, aras ædificasse, victimamque obtulisse, atque multa alia peregisse, quæ nunquam visa, nunquam audita fuerant in Græcia.

Sequitur : *Scimus quoniam omnes scientiam habemus* (intelligendum est, humanam vel mundanam). Aliter : quasi dicat : Nunquid hoc scimus, quia omnes scientiam habemus ? Non. Quia, etsi mundanam omnes habemus, non tamen divinam, ut intelligamus idolum nihil esse. Sequitur : *Scientia inflat.* Notandum sane, quia leniter solet aggredi causam, quam postea exaggerat : unde hic leniter incipit, sed in sequentibus multum exaggerat, et insipientes denotando, et sapientes reprehendendo : nam dicit : *Scientia inflat*, etc. Non ostendit quibus loquatur, sed tantum quasi despicit. Sane sciendum quia est genus scientiæ, quo homines tumescunt : quæ, quia charitate non est condita, ideo inflat. Quæ namque sine charitate est, scientia, non prodest ; quoniam, sicut vinum absque admistione alienat mentem, sic et scientia absque charitate. Nonnulli dicunt, quod nulla res simplex, absque alterius admistione, habilis est, velut cibus. Ipse vero panis, non sine alterius admistione desiderabiliter sumitur. Ipsa etiam charitas, sine aliis virtutibus esse non potest. Iste quoque locus facit adversus eos, qui, falsa scientia inflati, dum crederent omnia licita, idolothyta comedebant, non timentes infirmos scandalizare fratres.

Sequitur : *Qui enim existimat se aliquid scire*, etc. Et est sensus : Ille, qui putat se scire, propterea quia intelligit omnia licita, et non inquinare, quod in os intrat (*Matth.* xvi, 11, 20) : dum ad scandalum fratris licita sumit, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire, hoc est, quia, etsi licita sunt, tamen sit (602) non expedire. Sequitur : *Qui diligit Deum*, etc. Et est sensus : Ille veram habet scientiam, qui Deum diligit ; et qui diligit Deum, fratris, ut suam, diligit salvationem : *et hic cognitus est ab eo ;* quoniam illius a Deo approbatur scientia.

Sequitur : *De escis, quæ idolis immolantur* (subauditur, interrogastis). Hactenus quasi quædam prolocutus fuit aliis : hinc aggreditur manifestare causam. Sequitur : *Scimus quia nihil est ido-*

(596) Fortasse loco *sive si* melior esset lectio *sive se*.
(597) In autog. marg. hic legitur cap. XXXIX.
(598) Vulg. *de iis autem, quæ idolis sacrificantur.*
(599) εἶδος.
(600) Id est, Hesiodus in sua Theogonia.
(601) Cecrops Ægyptius, et primus Atheniensium rex apud aliquos conditor, apud alios vero reparator Athenarum tantum. Quæ sequuntur ab Eusebii præfatione in Chronicon desumpsit auctor noster, qui Herodoto in hoc consentit. Adeatur tamen Lactantius libro 1 Institut., qui Melissam Cretensium regem primum diis sacrificasse asserit. Alii alia.
(602) Libentius legerem *tamen sibi*, vel *tamen sic.*

lum (603). Quare *nihil* supradictum est, subdidit ad confirmationem : *Et quod nullus Deus, nisi unus.* Ergo Imago Jovis, aut cæterorum, non Deus. Sequitur : *Nam, etsi sunt qui dicantur dii,* etc. Hæc sententia duobus modis potest intelligi : uno videlicet, quia, secundum æstimationem gentilium, dicuntur dii in cœlo, ut sol, luna, ac varia sidera : in terra, imago Jovis, Mercurii atque Herculis. Sive, quod verum est, dii in cœlo, angeli : in terra vero, electi ; *ego dixi,* inquit, *dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6 ; *Joan.* X, 34). Si enim homines dii dicuntur, multo magis angeli, qui mortali carne carent. Sed prohibitum est dici, et ne latria illis impendatur, quoniam unus solus essentialiter Deus ; angeli vero, aut homines, tantummodo nuncupative ; unde est : *Ecce constitui te Deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1) : et applicavit ad deos (604). Quapropter subdidit : *Sed nobis tantum unus Deus Pater, ex quo omnia.* Verum est, inquam ; quia quæcunque sunt, et ubicunque sunt, ex ipso sunt. Et, ut nos separaret ab illis, qui ab illo sunt, sed tamen in illo per fidem non sunt, subjunxit, dicens : *Et nos in illo.*

Sequitur : *Et unus Dominus Jesus Christus.* Per Christum Dei Filium omnia, quæ sunt, ex Patre (605) creata sunt : et ideo dicit : *Per quem omnia,* ut illud : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 23). Pulchre quidem, cum dixisset, *per quem,* subjunxit : *Et nos per ipsum ;* quia per quem creati sumus, ut essemus ; per ipsum recreati ac reformati sumus, ut unum Deum intelligeremus, et crederemus, atque idolum nihil esse recognosceremus.

Sequitur : *Sed non in omnibus est scientia.* Et est sensus : Licet etiam credentes sint, non tamen omnes istam habent scientiam, ut idolum, nihil intelligant, et unum Deum agnoscant. Sane sciendum quia erant nonnulli ex plebe, qui adhuc amore idoli detenti, aliquod numinis, ac gratiæ in eo esse credebant. Et ideo dicit : *Quidam autem,* id est, simplices, *conscientia usque nunc idoli,* id est, amore et delectatione, dum aliquod numinis, aut, gratiæ in idolo esse putant : *quasi idolothyta,* hoc est, idolis tradita, *manducant et conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur ;* quia aliquid inesse creditur. Origenes vero dicit : Attendendum est quia Corinthii non solum idolis sacrata comederunt : ipsi namque erant philosophicæ doctrinæ, liberalium disciplinarumque sæcularium amatores, quibus et operam dabant, sed illi, qui in fide roborati erant, dum figmenta poetarum legebant, non eis pervertebantur ; quia in his nihil gratiosum, nihilque utile esse credebant : at quoque infirmi et simplices, dum ad imitationem fortium his operam dabant, quia philosophorum syllogismis pervertebantur, quasi idolothyta manducabant. Quapropter monentur ab Apostolo, ut non solum se ab idolothytis abstinerent, sed et figmentis poetarum operam non darent, ut infirmos non scandalizarent. Omnis enim sermo aut diabolo sacratur, aut Deo. Ille vero, qui nos ad munditiam, castitatem, atque sobrietatem, et similia provocat, Deo utique consecratur ; qui autem ad contraria, dæmonibus non dubitatur immolatus.

Sequitur : *Esca autem nos non commendat Deo.* Et est sensus : Si esca non reddit nos gratiores Deo, neque ipsum magis facit nobis propitium, neque si non manducamus, offendimus, cur vos propter escas fratres scandalizare non timetis ? Sequitur : *Neque si manducaverimus* (subauditur, idolothyta) *abundabimus,* hoc est, ditiores erimus, ut aliis cibis non indigeamus : *neque si manducaverimus, deficiemus ;* quia erunt alii cibi, quibus sustentemur. Et hoc sciendum quia multi Corinthiorum adeo erant corroborati in fide, ut omnia sibi crederent licita, et nihil eorum, quæ in os intrant, sicut Dominus dicit, coinquinare (*Matth.* XV, 11, 20), et ideo non hæsitabant idolothyta comedere ; infirmi vero videntes scandalizabantur. Et idcirco non solum ab illis, sed penitus se a carne, et a vino abstinebant ; quia carnes, quæ idolis immolabantur, in macello vendebantur. Hi etiam primitias vini idolis immolabant, et nonnulla sacrificia in ipsis torcularibus exercebant. Et quia scandalizabantur, dicit Apostolus : *Videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis ;* quasi diceret : Jam quia omnia licita scitis, videte ne ipsa scientia alios offendat. Offendiculum duobus modis : vel quia reprehendebant, immundos judicantes, vel certe quia imitabantur. Unde et mox subjunxit : *Si enim te viderit quis habens scientiam,* et usque, *ædificabitur ;* id est, provocabitur manducare idolothyta, non tamen ea fide, qua tu.

Sequitur : *Et peribit infirmus in tua scientia, frater,* etc. Quasi diceret : Cur non times fratrem tuum occidere, quem Christus moriendo redemit? Tua namque scientia illum occidit. Quibus verbis ostendit Apostolus non tam ipsam rem esse malam, quam fratris periculum. Ostendit et illi majoris esse damnationis, qui occasionem peccandi tribuit, quam qui in se peccat. Quod et ibi monstratur, ubi Balac legitur vocasse Balaam ariolum, ut malediceret filiis Israel (*Num.* XXII, 23). Qui etsi non maledixit, consilium tamen malum dedit (*Num.* XXIV, 14 ; *Mich.* VI, 5 ; *II Petr.* II, 15) : unde, jubente Domino, ut expeterent filiis Israel de Moabitis (606), qua expetita, Moyses ad populum suum locutus est, ipse dicens : Accingimini, et belligerate adversus Moabitas (*Num.* XXV, 17) : qui abeuntes omnes masculinum in ore gladii interfecerunt, et Balaam cum

(603) In Vulg. hic tantum legitur hæc propositio : *nihil est idolum.*

(604) Exod. XXII, 8, Vulg. *applicabitur ad deos.*

(605) *Ex Patre,* id est, *a Patre, ex quo omnia,* ita *omnia ex Deo* hac Ep. XI, 12, et II Cor. V, 18, *et ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* ad Rom. XI, 36.

(606) Fortase addendum *ultionem,* Num. XXXI, 2, et Epist. Jud. 11.

eis (*Num.* XXXI, 7, 8). Nota quia mitius filii Israel A puniuntur, qui in se peccaverunt, quam Moabitæ, qui occasionem peccandi dederunt. Unde et illi, qui sexcenta millia prius vicerunt, a duodecim millibus superati sunt. Quod utique justitia fecit; quia quandiu peccatum habuerunt, victi, abjecto peccato, in justitia manentes, qui a feminis victi sunt, reges superaverunt. Quapropter et tu, si vis omnes tuos superare inimicos, calceatos pedes, sume loricam justitiæ, scutum fidei, et galeam salutis (*Isai.* LIX, 17; *Ephes* VI, 14; I *Thess.* V, 8): quibus si fueris spoliatus, a quocumque vitio poteris superari.

Sequitur: *Sic peccantes in fratres*, etc. Nota, quia peccantes in fratres, dicuntur in Christo peccare. Sicut enim in lege peccant hi, qui sub lege sunt: sic et illi, qui in fratres peccant, in Christo peccant: quia in his errant, quæ sub eo sunt. Animadverte etiam quia non dixit, in Christum (607). In Christum namque peccare, eum negare est. *Infirmam conscientiam dicit*, aut imitando, aut reprehendendo Sequitur: *Si autem esca scandalizat fratrem meum.* Animadverte quantæ charitatis et dilectionis fuerit Apostolus, qui, ut suos ad charitatem provocare posset, semetipsum posuit exemplum: quasi dicat: Scio mihi omnia licita, omnia munda, sed me penitus ab his abstineo: quia non expedire intelligo. Unde supra: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (*I Cor.* VI, 12).

(608). CAP. IX.) *Non sum liber?* etc. (609) Hæc enim verba irati et commoti animi sunt: et, nisi adjuvet pronuntiatio, affirmare videtur quod negare contendit. Et ideo ita legendum est, ut negando dictum intelligatur. Imo: *Non sum liber?* etc., quasi diceret: Sum. Liber erat: quia non simulando, vel, ut aliquid acciperet, prædicabat. Apostolus erat, quia missus; ut illud: *Ecce ego ad gentes longe positas* (*Act.* XXII, 91). Dominum viderat, sive eundo Damascum, sive in templo orando. *Nonne opus meum vos estis in Domino*? Id est opus mei apostolatus. Cum enim per unum annum, et sex menses apud vos prædicando, prædicassem, et ab infidelitate ad fidem transissem, quid aliud nunc in vestra fide, quam opus apostolatus ostenditur?

Et si aliis non sum Apostolus etc. Alios appellat Judæos credentes, qui adhuc in carnali observatione permanentes. Paulum præesse denegabant, ob hoc, D quia prædicans gentibus destruebat sabbata, cæterasque legis observationes. Nam, cum cæteri apostoli dissimulando prædicarent in carnali observatione manere, ut eos quoquo modo ad fidem Christi trahere possent, et Paulus quasi contraria videretur apostolis docere, in destructione carnalis observationis, eumdem Apostolum esse negabant: et ideo dicebat: *Si aliis non sum*, id est, si illis non sum, qui carnaliter adhuc vivunt: *tamen vobis sum*, quos prædicando ad fidem Christi perduxi. *Nam signaculum*, etc., id est, judicium, et dignitas mei apostolatus vos estis, quos a gentilitate et infidelitate ad fidem traxi.

Mea defensio, etc. Fides vestra mea est defensio apud eos, qui me interrogant, utrum sim Apostolus, necne. *Nunquid non habemus potestatem?* etc. Illam dicit potestatem, quam Dominus eos ad prædicandum dirigens, dicit: *Quicunque receperint vos* (*Luc.* IX, 48), etc., usque, *dignus est operarius* (*Luc*, X, 7), etc. Et non solum verbis, sed etiam factis ostendit eis necessaria percipere debere; ut illud: *Sequebantur autem multi* (*Marc.* VI, 8), etc.

Quare voluit eos accipere necessaria? Ob hoc ne in minimis occupati, id est, necessariis; a majori, id est, prædicatione recederent, et tardus ad eos B prædicatio venisset. Et nota, quia non præcipiendo, sed concedendo potestatem tribuit. Et ideo Paulus accipiens, immunis a culpa redditur, quoniam præcepti transgressio esse absque noxa non valet.

Et ut ostenderet se potestatem accepisse, quam dixerat, subjunxit: *Sicut cæteri apostoli.* Cæteros appellat omnes apostolos. Et ne minoris meriti videretur, addidit: *Et fratres Domini.* Nam fratres Domini, qui eximii meriti esse videbantur, appellat. Et, ut magis confirmaret quod dixerat, dixit: *Et Cephas.* Cephas enim accipiebat, qui princeps erat apostolorum, ut dum illum ad testimonium revocat, certior ipsius sententia reddatur.

Nunquid non habemus potestatem sororem, etc. C Nonnulli minus intelligentes, atque intentionem apostolicam non intelligentes, male hunc locum interpretati sunt, dicentes apostolos accepisse potestatem uxores ducendi, fallens eos ambiguitas Græci sermonis; quoniam sermo Græcus talem vim habet in hoc loco, ut et pro uxore et muliere accipiatur. Sed tamen non debuit hoc eos fallere. Hunc errorem tam præcedentia, quam sequentia verba expellunt. Supra namque dicit sororem, cum nullus sororem accipiat; et in sequentibus dicit: *Circumducendi;* cum nullus uxorem ducens dicat, circumduxi, sed, duxi. Et si cui contrarium videtur quod feminæ apostolis ministrabant, legat Evangelium. Ibi poterit invenire contrarium non esse; quoniam Domino mulieres ministrabant, ut illud: *Sequebantur autem* (*Marc.* XV, 41), etc. Devotæ namque mu- D lieres et amatrices cœlestium disciplinarum de suis facultatibus præceptoribus ministrabant. Maxime ob hoc non erat contrarium: quia consuetudo erat Judæorum, quamvis scandalum gentibus, tamen Apostolus uti nolebat. Sed quanquam illos fefellisset, tamen intentionem Apostoli considerantes non fefellit.

Aut solus ego, et Barnabas, etc. Barnabam dicit: quia coapostolus operandi, id est, accipiendi, ut

(607) Vulg. tamen habet, *in Christum.*
(608) In autog. marg. hic legitur cap. XL.

(609) Punctum interrogationis ex Vulgata et sequentibus in commentario addidimus.

honestius loqueretur. Et ne videretur semetipsum commendare velle, et alios reprehendere, ideo subjunxit: *Quis militat*, etc. Milites enim erant isti, qui cœlesti regno militabant, adversus insidias diaboli dimicabant, et ideo accipiebant, quemadmodum stipendium terreno regno militantes accipere solent. *Quis plantat vineam*, etc. Plantatores namque isti vineæ erant; quia ecclesiastico populo iter salutis ostendebant. Nam quod nomine vineæ ecclesiasticus populus designetur, non solum in Veteri Testamento, sed etiam in Novo signatur. In Veteri, ut illud; *Vineam ex Ægypto* (*Psal.* LXXIX, 9), etc. Et: *Vinea Domini Sabaoth* (*Isai.* v, 7), etc. In Novo, ut in similitudine dicitur: *Simile est regnum cœlorum homini qui exiit primo mane* (*Matth.* xv, 1), etc. *Et vineam pastinavit* (*Marc.* XII, 1), etc.

Quis pascit gregem, etc. Per gregem ecclesiasticus populus designatur, tam in Veteri, quam in Novo, quia suis iter salutis ostendit. In Novo, ut illud. *Et alias oves habeo* (*Joan.* x, 16), etc. Iste enim miles, et dux cœlestis exercitus, fidelis in fide et veritate, his omnibus exemplis se potestatem accipiendi habere ostendit. Et ne putet quis per humanam sapientiam, atque ingenio naturali eum dixisse, ideo subjunxit: *Nunquid secundum hominem hæc dico?* Quasi diceret: Ne putetis me secundum humanam sapientiam locutum, sed secundum divinam. Et volens hoc ipsum testimonio legis confirmare, subjunxit: *An et lex hæc non dicit? Scriptum est: non alligabis* (*Deut.* xxvv, 4), etc. In eo quod Paulus loquens de Novo Testamento, de Veteri Testamento sumens exemplum, confirmat. idipsum ostendit concordiam legis et Evangelii. Ostendit etiam allegorizandum esse. Manifestat nihilominus doctores sua dicta exemplis sanctorum confirmare debere. Nam quod una sit concordia legis et Evangelii, hic, et in litteris Veteris Testamenti manifestatur. Legitur enim Dominum præcepisse facere Moysi duos cherubim ex auro purissimo (*Exod.* xxv, 18), qui versis vultibus se respicerent, tegentes propitiatorium (*Ibid.*, 29). Quid per duos cherubim (610), qui interpretantur plenitudo scientiæ, nisi duo Testamenta signantur? Versis vultibus se respiciunt; quia nulla in illis discordia invenitur. Et quod tegmen sit abjicieudum, ut candor allegoriæ appareat, ibi ostenditur, ubi legitur, quia tulit Jacob virgas amygdalinas, populeas (*Gen.* xxx, 37-41), et decorticavit eas, et in canalibus posuit: grex vero veniens ad bibendum, prospiciens virgas in ipso calore coitus, varios fetus concipiebat. Quid enim per virgas, nisi sanctorum exempla Patrum, signatur? Per hoc, quod decorticavit eas, et unde cortex ablatus est, candor apparuit, et ubi remansit, viriditas stetit, ostenditur sacra Scriptura partim allegorice esse discutienda, partim historiæ veneratio servanda. Ecce legitur: *Diliges Dominum Deum tuum* (*Matth.* xxii, 37), etc. Et: *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* i, 16), etc. Nunquid hæc allegorice discutienda? Et cum legitur: *Non arabis in bove simul, et asino* (*Deut.* xxii, 10); et: *Ne induas vestem* (*Deut.* xxii, 11; *Zach.* iii, 4), etc.; et: *Non alligabis os bovi* (*Deut.* xxv, 4; (*I Cor.* ix 9; (*I Tim.* v, 13), etc., nunquid simpliciter sunt intelligenda? Non. Sed tegmen abjiciendum est, et candor allegoriæ manifestandus. Quid per aquas canalium, nisi sacra Scriptura? Quid per arietes, nisi scientia? Quid per oves, nisi actio atque intentio designatur? Virgæ in canalibus ponuntur; quia exempla Patrum in sacra Scriptura inseruntur. Aries vero præeminet ovi; quia rationalis scientia nostræ actioni atque intentioni præfertur. Ad aspectum virgarum varios concipiunt fetus; quia nos exempla sanctorum considerantes, varias actiones boni operis generamus. Quod sua dicta aliorum exemplis debeant confirmare, manifestatur ibi, ubi legitur præcepisse Dominum. Moysi facere columnas argenteas (*Exod.* xxvi, 27), et in circuitu fundere paxillos æreos, quibus sustentaretur tabernaculum, ne vi ventorum versaretur. Per columnas argenteas scriptores Novi Testsmenti signantur. Quid per paxillos, nisi Veteris Testamenti scriptores per tabernaculum Ecclesia? Columnis ergo in circuitu paxilli resident quia Novi Testamenti scriptores sua dicta exemplis veterum confirmare student. Bene enim columnæ argenteæ, et paxilli ænei fuisse memorantur; quia argentum sonat et splendet. Scriptores Novi Testamenti, quod sonuerunt, manifestaverunt; æs vero sonat, sed non splendet, quia scriptores Veteris Testamenti, quod sonuerunt, non ostenderunt.

Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, etc. Diversis namque similitudinibus ostendit superius sibi suisque similibus licitum fore accipere ab auditoribus quæque necessaria. Qui in cœpta intentione perseverans dicit: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur*, etc. Ubi notandum quia duo dicit: Sacrarium videlicet propter gentiles, qui in sacrariis diis suis sacrificabant, et inde edebant; altare quippe propter Judæos, quorum sacerdotes super altare Domini hostias offerebant, et cum eodem participabant. Quia præceptum erat (*Levit.* VII, 32-33). armum accipere dextrum mystice propter bonam operationem, et pectusculum separationis (*Ibid.*, 34). videlicet propter scientiam: quæ longe ab auditorum separata fore debet scientia; quia ostendit se habere potestatem: dixit tamen se eadem non usum, ne forte videretur his non indigere, sed potius abundare. Ideoque subjunxit: *Non scripsi autem hæc*, etc. Quasi diceret: Ut quod hactenus factum non est, deinceps fiat. Quapropter et sequitur: *Bonum est mihi magis mori*, etc. Hoc ideo dicit, quia etiam mente delibaverat se nihil a suis accipere. Elegerat potius mortem carnis incurrere, quam Evan-

(610) Ab Hebræa voce cherub, quæ aliquando vitulum seu bovem significat: unde in Ezechiele I, 10, et X, 20, facies cherub et facies bovis veluti synonyma habentur; aliquando etiam fortem et potentem exprimit.

gelium venale ostendere. *Gloriam* suam illam dicit, quam habebat apud Deum per Jesum christum,qua omnibus per humilitatem condescendens se similem eis reddebat.

Sequitur : *Si evangelizavero* (subauditur, ideo ut hoc ita fiat in me) *non est mihi gloria*. Quare ? *Necessitas enim mihi iscumbit* hoc est,non habeo unde sustenter. Unde et subjungit : *Væ mihi est, si non evangelizavero:* hoc est,malo meo non evangelizabo ; quia fame cruciabor. non habens unde vivam. Sequitur : *Si enim volens evangelizavero*,etc.His verbis ostendit qualiter evangelizandum sit, hoc est,quod omnis finis Evangelio sit constituendus. Quod cum fit, voluntaria est prædicatio, quam sequetur perpetua remuneratio.

Sequitur : *Si autem invitus, dispensatio mihi credita est*. Et est sensus : Si propter necessitatem temporalis vitæ prædico, dispensatio mihi credita est ; quia alii per me bonum suum accipiunt, id est, Evangelium, quod amant : et ego mercede privor, quod malum valde est.Ac nefas, propter necessaria temporalis vitæ, aliquem prædicare ; quia jam non præmium evangelicum, sed pretium quæritur : ceu servus inutilis ; quod accepto officio, conservis annonam tribuit, et solo cibo contentus, mercede privatur. Quapropter evangelizandum. non propter transitoriæ vitæ mercedem, sed æternæ remunerationem. At vero quia alibi se Apostolus dispensatorem in bono dicit, et hic dispensationem in malo ponit, ne contrarius sui videatur, sciendum est esse servum, qui transit ad filiorum optionem,et illarum rerum, quarum est Dominus, est et distributor : et juxta hoc se dispensatorem dicit.Hic vero dispensationem in malo dicit, juxta hoc, quod rusticus servus est : servis ministrat annonam, solo cibo contentus. Quod sequitur,sub interrogatione legendum est, et suspendenda est vox, quousque redditio fiat. Et ut apertius clareat, interrogemus Apostolum, et dicamus : O Apostole, quæ est merces tua, qui illam mercedem non accipis, quæ aliis datur, non tamen ob eam prædicantibus ? Quæ sit manifestat : *Ut prædicans Evangelium. sine sumptu ponam*, hoc est, ostendam Evangelium non esse sumptuosum, non etiam venale.

Redit ad potestatem acceptam, cum dicit : *Non abutar potestate mea in Evangelio*. Non abutebatur potestate sua in Evangelio, ul liberius corrigerentur peccantes. Ostendit etiam se ipsum exemplum illis ; ac si diceret : In me discite exemplum, qui, quoniam expedire non intelligo,potestate mea non abutor in Evangelio : sic et vos, quia non expedire intelligiis, quamvis licitum sit, idolothyta non comedatis.

(611) Sequitur : *Nam cum liber essem ex omnibus*, etc. Liber erat. sicut Scriptura dicit : *Omnium* se *servum* fecit ; quia per humilitatem condescendens, mente se omnibus similem reddidit. Fovebat namque et nutriebat suos auditores,non solum eos,qui perversi erant, sed etiam illos qui pigri ad bona operandum ; quousque ad iter provocaret salutis, ne forte acriter se increpatos dolentes,scandalizati recederent. Et hoc sciendum, quia non quasi simulando se, *omnibus omnia* factum dicit, quod est simulatorum ; non etiam mentientis astu, sed compatientis affectu ; non aliorum mala imitando, sed aliorum omnium malis omnibus compatiendo,et misericordis medicinæ medelam procurando.

Sequitur : *Factus sum Judæis tanquam Judæus*, etc. Iste enim non simulandi studio, sed compatiendi affectu,servabat illam antiquam consuetudinem Judæorum,ut vel eam ostenderet a Deo datam, juxta Dei dispositionem usque ad tempus præfinitum, vel certe eam a sacrilegis separaret gentilium sacris. Ipse etiam, diligens proximum suum ut se ipsum, non fallebat, sed,omnino non fallens,præfatam servabat consuetudinem, ut eos vel ab illo errore quo in Christum non credebant,vel ab illo quo in legis cæremoniis se sperabant suorum veniam consequi peccatorum, erueret. Servabat etiam, ut se ostenderet non abhorrere ea intentione qua et Patres. Qui servat etiam intentionem qua Patres, non erat,ita tamen, ut in cæremoniis legis non se credat posse sanctificari,quia omnis sanctificatio in Christo facta est. Hinc est quod cum Judæis servans, non eam imponit Gentilibus.

Sequitur : *His qui sub lege sunt*, etc., usque ubi dicit : *Factus sum infirmus*. Dicit hoc non mentientis astu, sed compatientis affectu. Illud quoque sciendum, quia fuerunt nonnulli qui dixerunt illum simulate in templo sanctificatum, et Judæum factum.Sed omnino non est credendum quod tantæ auctoritatis vir aliquid simulate egerit. Sed ea auctoritate et liberalitate qua dicit : *Circumcisus aliquis vocatus non adducat præputium* (*I Cor.* VII, 18) ; hoc est, non velit vivere ut præputiatus, id est, carnem nudati membri tegere, et in præputio vocatus non velit vivere ut circumcisus : se quoque dixit Judæis Judæum factum, et gentibus gentilem. Et hoc notandum, quia legem Dei et Christi,non tamen ut alia sit, sicut Manichæus ait, sed unam. Dicit etiam in lege, sub lege et sine lege ; et aliud hoc, aliud illud intelligi vult. Sub lege est carnis Judæus, in lege est catholicus,sine lege quilibet paganus gentilis.Quapropter illi qui dicunt quod simulate in templo se sanctificavit, et Judæum simulaverit, dicant et ficte idolo sacrificasse, ut se gentilem simularet, qui non solum non adoravit, sed potius detestando ad palmam martyrii pervenit. Ergo factus est Judæus Judæis, et gentibus gentilis, non mentientis astu, sed compatientis affectu,quia illorum omnium errorem et cæcitatem quasi propriam tractabat et considerabat ; et ita eis subvenire optabat ceu sibi vellet, si in eis ipse detineretur. Sanus namque deservit infirmo,si ejus infirmitatem consi-

(611) In autog. marg. Ibi legitur cap. XLI.

deret ut suam, et ita serviat, sicut sibi vellet, si in ea tentus esset. Non mentitur, si se dicat infirmum. Nonnulli fuere qui dixerunt illum se dixisse ideo gentilibus factum gentilem, quia consentiens fuit secundum philosophicam disciplinam philosophis, prædicans mundum a Deo factum, et animas perpetuas, et homines illius esse genus ; et ideo fuerit consentiens ut eos provocare posset ad fidem Christi quatenus crederent eum judicem omnium a Deo constitutum : et sicuti hinc omnia superiora pendent ; ergo, si hoc verum est, et illa non habent mendacium. Quomodo sanus infirmus pro infirmo fiat, supra dictum est. Infirmi nempe Corinthii in nonnullis, et eorum similes. Infirmitas Apostoli erat, quia non utebatur licita potestate. Quid enim infirmius quam artem discere, quam nesciebat, et labore propriarum manuum sustentari ?

Sequitur : *Omnibus*, id est, Judæis, gentilibus et infirmis, *omnia factus*. Hoc dicit non simulati mendacii falsitate, sed veracis miserationis pietate, quia in omnibus illis esse potuisse se intelligebat, nisi divina fuisset misericordia liberatus. Fit enim aliquis veraciter hoc quod ille est, cui vult misereri, si ejus miseriis subveniat ut suis. Fit etiam quod ille est, non fallendo eum, sed ut se ipsum considerando et illum. Sequitur : *Omnia facio*. Quare ? *Propter Evangelium*. Ad quid ? *Ut particeps ejus efficiar*. Et est sensus : Ut, sicut Evangelium omnibus occurrit, omnes vult salvare, omniumque clamat salutem ita et ego, ut mea, et evangelii una sit intentio.

(612) *Nescitis quod hi qui in stadio*, etc. Aliud aggreditur, dans similitudinem, quæ non solum Corinthiis, sed omnibus convenit Christianis. Stadium namque dictum est a *stando*, ob hoc, quoniam Hercules uno anhelitu centum viginti quinque passus cucurrit, id est, octavam partem milliarii, et stetit ; et ideo a *stando* dicitur. Transivit etiam hæc consuetudo ad Romam, ut sex millibus passuum stadium diceretur, et in metis stadiorum ponebatur bravium, id est præmium ; et currentes ante imperatorem, qui prius veniebat, præmium accipiebat. Assimilatur autem stadium nunc fidei ; quia sicut ibi multi, ita et in stadio fidei multi discurrunt. Per unum, qui præmium accipiebat, unitas Ecclesiæ rite signatur. Sed magna distantia est inter illud stadium, et istud. Ibi enim ille solummodo fructuose currebat, qui præmium accipiebat, in isto vero omnes qui rationabiliter amando, et sperando, et bona operando discurrunt, præmium vitæ futuræ sunt percepturi. Et quia dixerat similitudinem, subjunxit exhortationem, dicendo : *sic currite*, etc., id est sic *ut comprehendatis*. Subjunxit alteram similitudinem, dicendo : *Omnis autem qui in agone contendit*, etc. *Agon* enim Græce, Latine dicitur *certamen*, *pugna*, *lucta* atque *conflictus*. Nam sicut erat consuetudo currendi, ita etiam et luctandi. Sed ille qui luctatu-

(612) Hic in autog. marg. legitur cap. XLII.

rus erat, ab omnibus escis quæ ejus certamen poterant impedire abstinebat. Fertur etiam quod laminas plumbeas erga renes ligaret propter illusiones nocturnas. Et, si illi propter corruptibilem coronam ita abstinentes erant, multo magis nos ob gloriam æternæ beatitudinis abstinere debemus ab omnibus vitiis, etiam cogitatione, maxime autem ab immunditia corporali.

(613) Sequitur : *Ego igitur sic curro*, etc. Præmissis similitudinibus, sub eisdem semetipsum ponit exemplum, dicendo : *Ego igitur sic curro*, etc. *Curro* dicit propter stadium, *pugno* propter agonem. Currebat iste *non in incertum*, quia certi aliquid de sua electione audierat. Pugnabat, non pueriliter. Nam pueri dimicando aera verberare solent, istæ vero non. Quia corpus suum castigabat fame, siti et his similibus, quibus atteritur corpus. *Et in servitutem redigo*, Dei scilicet, vel mentis. *Ne forte, cum aliis*, etc, Vide quantæ temeritatis, quantæ dementiæ sint homines, non timendo, incerti de sua electione existentes, cum ille, qui aliquid certi audierat, timebat. In quo monentur omnes, ut timendo sperent, et sperando timeant, quatenus spes foveat laborantes, et timor incitet negligentes. Unde Psalmista : *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino* (*Psal.* CXVI, 11),

(614) (CAP. X.) Præmissis similitudinibus subjunxit exemplum Veteris Testamenti attinens ad eamdem rem, dicens : *Nolo enim vos ignorare*, etc. Quod qualiter gestum sit, manifestum est, et quomodo spiritaliter sentiatur, partim jam cognitum. Intentio tamen ejus intuenda. Intentio ejus fuit ostendere Corinthiis nihil prodesse baptismum, perceptionem mysterii corporis et sanguinis Christi, nec cætera, quæ in Ecclesia celebrantur, si negligenter viverent, quemadmodum nec illis negligenter vivendo illa omnia profuerunt quæ hic dicit Apostolus ; quasi diceret : Sicut illi ista omnia habentes murmurando perierunt, ita et vos negligenter vivendo habentes ista peribitis. Unde in sequentibus : *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, etc. Et quod spiritualiter sint intelligenda, subdendo manifestat, dicens : *Bibebant autem de spiritali*, etc. Ubi animadvertendum quia non dicit, *petra significat Christum* sed, *erat*, quia non petra, sed Christus aquam produxit. Per hoc quod petra sequebatur eos usque ad fines Moabitarum (*Exod.* XVII, 6), præfigurabatur Christus nasciturus post Moysen.

Hæc autem omnia in figura, etc. His verbis ostendit nobis exemplum allegorizandi. Monemur etiam ut non concupiscamus quemadmodum illi Ægypti reminiscentes propter esum carnium (*Exod.* XVI, 3), ne pariter pereamus, neque idololatræ efficiamur. Commemorat enim Apostolus illum locum ubi Moyses montem Sinai ascendens, cum populus erga montem remansisset, projicientes aurum in ignem,

(613) In autog. marg. hic legitur cap. XLIII.

(614) In autog. marg. hic legitur cap. XLIV.

egressum est caput vituli, et post immolationem et comestionem surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII, 4-6) : unde dicit*: Sedit populus*. Ubi ostenditur quod hujuscemodi cultus et nefandæ epulæ ad lasciviam provocant. Monemur ne talia agamus, ne similiter pereamus.

Neque fornicemur, etc. Illius loci meminit, ubi Moabitæ ornantes filias suas posuerunt eas ante filios Israel, et concupiscentes (*Num.* XXV) peccaverunt : ubi ita exarsit ira Dei, ut multi perirent : et etiam, nisi Phinees adulteros occidisset, maximam partem populi perderet (*Ibid.* 11). Monemur ne talia agendo pereamus. *Neque tentemus Christum*, etc. Cum dicit eos Christum tentasse, ostenditur ante fuisse, quam ex Virgine nasceretur, et Moysen figuram Christi gestasse ; nam illi Moysen tantaverunt. Monemur ne talia agendo pereamus.

Neque murmuraveritis, etc. Exterminator illorum fuit hiatus terræ (*Num.* XI, 33) : maxime autem auctor exterminii diabolus existitit. *Hæc autem omnia in figura*, etc. Ostendit hic allegorizandum esse. Sed non ideo hoc dicit, ut nos ea quæ lex promittit percipiamus, sed ut certior doctrina evangelica habeatur. Et quare hoc scripserit, manifestat : *Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt,* id est, qui futuri eramus, et crediturі.

Sequitur : *Itaque qui se existimat stare*, etc. Tangit enim hic illos qui idolothyta comedebant, parvi pendentes scandalum fratris : terret etiam, ne humana scientia inflati cadant, et superbiendo in tentationem incidant. Et ideo subjunxit : *Tentatio vos non apprehendat*, etc. Tentatio humana est aliquod malum cogitare, diabolicum est ad operationem perducere ; quasi diceret : Malum cogitare peccatum est, diabolicum vero ad operationem perducere. Alio vero sensu, humana tentatio est, cum quis ad consilium vocatus, in ipso labitur consilio, ut malum habeat exitum : hoc humanum est, sive cum quis quempiam hominem videns, judicat eum bonum, vel malum, nullis indiciis manifestum.

Sequitur : *Fidelis Deus*. Multis modis accidit tentatio. *Quoniam non patietur vos tentari*, etc. Fidelis est, quia quæ promittit, falli non possunt, nam non fallitur ; unde et fidelis homo, quia implet quæ promittit, et fides dicitur quod fiat. Et est sensus : Si vos in fide permanseritis, implebit quod promisit. Nam, etsi sinat ut procellæ tentationum insurgant ad vestram probationem, si vos triduo, aut quatriduo sustinueritis, et ipse viderit vos ferre non posse, *non patietur vos tentari supra id quod potestis tolerare ;* aut certe funditus extinguet, aut auxilium ministabit, ut ferre possitis. Et hoc quod dicit *sed cum tentatione faciet proventum*, hoc est, ministrabit solatium.

Sequitur : *Propter quod, charissimi, fugite* etc. Et est sensus : Quia ille non mentitur, et vos quidem non mentimini, sed credentes in eum, quod in baptismate promisistis, implete, id est, diabolo et operibus ejus abrenuntiate. Quo magis quisque idolis appropinquat, eo magis a Deo recedit. Est etiam difficile ut qui idola frequentant non aliquid magni aut virtutis in eis suspicentur. Quapropter fugite, non solum pedibus, sed etiam moribus, ut occasionem diabolo non detis.

(615) Sequitur *: Ut prudentibus loquor*. Prudentibus loquebatur, quia philosophis, ut suo judicio probarent verum esse quod dicebat ; quasi diceret : Si prudentes esti, quia philosophi, quia dialectici, vos judicate, id est, subjunctis similitudinibus, quod dico verum esse probate. Sequitur : *Culix benedictionis, cui benedicimus*, etc. Et est sensus : Si nos propter significationem unius calicis et unius panis, qui sub ea invocatione uni Deo offeruntur, unus panis et unum corpus sumus, quoniam his participamus, et Israelitæ carnaliter viventes, quia hostias, quæ sub una invocatione uni Deo super altare offeruntur, comedunt, participes sunt, et unum sunt ; videte ergo ne forte et vos, qui idolothyta comeditis, unum sitis cum illis qui sacrificant cum illis.

(616) Verum quia vidit eos astutos, et sibi callide respondere ac dicere : O Paule, si vos unum estis, sicut dicis, et Israel carnalis unum est cum altari, qui hostias comedit, et nos unum esse dicis cum his qui idolis sacrificant ; (617) ergo aliquid magni in idolo intelligis, si ejus sacrificata nos participes unum reddunt ; ideoque prævenit eorum astutiam, et dixit: *Quid ergo ? Numquid dico quod idolis immolatum sit aliquid ?* etc. Hoc est, non dico. Et quia poterant respondere : Quare ergo dicis ? Respondit ipse : Non ut aliquid sit, *sed quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, et non Deo ;* quasi diceret : Quamquam nihil sit idolum, diabolus tamen est aliquid, qui, simplices et pravos homines decipiens, fecit se in his adorari et quanquam illud quod offertur sit aliquid, quia creatura Dei est, et bona est, tamen propter quasdam dæmonum invocationes, quod est mundum redditur immundum ; et ideo nolo vos immunda comedere, ne immundis dæmonibus sociemini.

(618) Quapropter mox subdit : *Nolo vos fieri socios dæmonum*, etc. Et est sensus : Qui dæmonibus sociantur, a Deo elongantur ; et qui calicem dæmonum bibunt, respuunt calicem Domini ; et qui mensas dæmonum diligunt, mensæ Domini detrahunt. Isti namque, dum hæc agebant, dicere soliti erant : In hoc Dominum imitamur, quia ipse cum publicanis et peccatoribus manducabat. Et ideo dicit : *An æmulamur Dominum ?* Quasi diceret : Si in hoc Dominum imitami, quia cum peccatoribus manducatis in hoc tamen non imitamini, quia idolothyta

(615) In autog. marg. hic legitur cap. XLVI.
(616) Hic in autog. marg. legitur cap. XLVII.
(617) Hic in autog. marg. legitur cap. XLVIII.
(618) In autog. marg- hic legitur cap. XLIX.

comeditis? ipse enim nunquam legitur idolothyta comedisse. Et si comedenda essent, suo monstrasset exemplo. Ergo quia exemplum ostenditis, quod Dominus non ostendit, *fortiores illo* estis. In quibusdam exemplaribus invenitur: *An ad zelandum Dominum provocamus?* Et est sensus: Dum ista agitis, numquid non provocatis illum, ut ulciscatur vestrum? Aut fortiores illo estis; et ideo non potest?

Sequitur: *Omnia mihi licent,* etc., sicut supra. Sequitur: *Omne quod in macello venit,* etc. Prohibuerat eos idolothyta comedere, et plurimum coarctaverat, adeo ut pene videretur ipsam naturam damnasse. Et quia carnes idolis immolatæ in macello vendebantur, ne aut ipsi nimium arctarentur, aut natura damnata videretur, descendens concedit. *Omne,* inquit *quod in macello venit,* etc. (619) Sed quare jussit non interrogare? ne Christianus manifestaretur, et ad derisionem illius quidquid esset immolatum diceretur. Et quia voluit ostendere illud quod idolis immolatur natura esse bonum subjunxit: *Domini est terra,* etc.; ac si diceret: Si Domini est terra, et illud Domini. Propter cujus conscientiam jusserit non interrogare, inferius ostendit: *Non tuam* inquit *sed alterius.* Quare ergo propter alterius? Ne aut in idolis suis lætetur, aut des illi occasionem, ut reprehendat et dicat: Quare iste idolum exsecratur cujus immolata tam libenter comedit?

(620) Sequitur: *Si qui vocat vos infidelium,* etc. His verbis non cogit eos ire, sed in eorum libertate ponit, ut ad exemplum Domini, si se agnoverint prodesse posse, hoc est, aut exemplo, aut doctrina eos lucrari posse, vadant. Sequitur: *Ut quid enim libertas mea judicatur,* etc.; ac si dicat: Liber sum, quia omnia munda et licita intelligo; quare idolothyta comedendo, debeo dare occasionem, ut alterius me conscientia judicet? Sequitur: *Et si ego cum gratia participo,* etc. Et est sensus: Si ego sub Dei invocatione, benedictione ac veneratione, cum gratiarum actione licita percipio, quare comedendo idolothyta aliis debeo occasionem præbere blasphemandi me?

(621) Sequitur: *Sive ergo manducatis, sive bibitis,* etc. His verbis evidentissime idolorum sacrificia exsecrat et condemnat Apostolus. Quid enim ad laudem Dei attinet idolothyta comedere? Dum enim immolatum idolis comeditur, major, inquam, ei injuria irrogatur. Si vero in lege, luci, et aræ ac delubra destrui ac comminui jubentur, quod ad laudem Dei pertinet, quomodo idolothyta comedere ad laudem attinet? Divina scilicet sub invocatione et benedictione cum gratiarum actione simpliciter celebrare, et indigentibus necessaria ministrare ad laudem Dei pertinet, quia ex hoc datur unde Deus laudetur. Sequitur: *Sine offensione estote Judæis,* etc. Ac si aliis verbis dicat: Judæis in offensionem estis, quia dicitis habere vos legem et prophetas, et intelligere, et idolothyta comeditis, quod illi exsecrantur. *Gentibus* etiam, quia non solum non increpatis, ut ab his recedant, sed occasionem datis, ut in illis permaneant, quoniam credunt vos in idolis aliquid magni intelligere. *Et Ecclesiæ Dei;* quia simplicibus datis occasionem, vel imitandi, vel reprehendenti. Sequitur: *Sicut et ego per omnia omnibus placeo.* Nunquid persecutoribus placebat? Non. Sed de omnibus generibus erant fideles, quibus ille placebat. Non est contrarius sibi, quia alibi dicit se non placere hominibus, quoniam finem placiti sui non in hominibus constituebat.

(622) (Cap. XI.) Sequitur: *Non quærens quod mihi utile est,* etc.. usque, *sicut ego Christi.* Et est sensus: Sicut Christus non pro se, sed pro nostra salute carnem suscepit, et opprobria sustinuit, ita et apostolos non pro se, sed pro salute generis humani in mundum direxit; sic et vos fratrum salutem quærere studete. Sequitur: *Laudo vos, fratres, quod per omnia memores mei estis,* etc. Hæc nempe verba per ironiam dicta sunt. Sane sciendum quia erat turpis et inhonesta consuetudo apud Corinthios ut viri criniti incederent, et mulieres non velato capite Deum orarent: quam consuetudinem aggreditur Apostolus reprehendere et damnare, inchoans a primorum hominum creatione. Ait enim: *Volo vos scire,* etc. *Caput viri Christus;* (623) quia per eum omnia: *caput mulieris vir;* quia de ipso creata est: *caput Christi Deus,* vel propter humanitatem, vel quia ab eo genitus.

(624) Sequitur: *Omnis vir orans,* id est, prædicans, *aut prophetans,* id est, futura prædicens, *velato capite, deturpat caput suum,* quia ignominia est illi. Sequitur: *Vir non debet velare caput;* videlicet sui capitis libertatem ostendat. Sequitur: *Quoniam imago et gloria Dei est.* Scilicet, quia sicut unus Deus est, per quem et ex quo omnia, sic et ipse unum fecit hominem, ex quo omnes homines; et ideo Dei est gloria, quia ad diaboli factus est contumeliam, qui se voluit elevare, ut esset super omnia.

Sequitur: *Mulier gloria est viri;* quia de ipso facta est; quod et latius exsequitur usque ubi ait: *Ideo potestatem* (subauditur, velaminis) *debet habere propter Angelos,* id est, propter prædicatores vel cœlestes angelos, qui adesse non dubitantur, ubi divina cœlestia celebrantur. Vel certe velamen debet habere, hoc est, propter primam transgressionem subjectionem monstrare. Enimvero ne mulieres nimium subjectæ viderentur, et super eas nimium viri extollerentur, ideo subjunxit: *Neque vir sine muliere in Domino;* quod et confirmans, dicit, *Omnia autem ex Deo.* Quod vero, *sicut et vir per mulierem,* non

(619) In autog. marg. hic legitur cap. L.
(620) In autog. marg. hic legitur cap. LI.
(621) Hic in autog. marg. legitur cap. LII.
(622) In autog. marg. hic legitur cap. LIII
(623) In autog. marg. hic legitur cap. LIV.
(624) Hic in autog. marg. legitur cap. LX.

ille intelligendus est per quem, ex quo mulier, sed aut Cain, aut Abel, aut Christus ex Virgine.

Sequitur : *Vos judicate*, etc. ; quasi diceret : Si meis monitis non vultis assensum præbere, quod non velatam mulierem non deceat orare, saltem ad naturam revertimini et ipsa vos docebit, *quoniam vir si conam nutriat, ignominia est illi*, etc. Opposuit illis syllogissimum, quia non decet non velatam, decet velatam. Et quia novit eos astutos esse, ne, forte contentiose vellent dicere : O Paule, unde habes exempla quibus ista quæ dicis confirmes? Ideo prævenit eos, et dixit : *Si quis contentiosus esse videtur*, etc. ; ac si diceret : Novi vos contentiosos esse. Ego quidem ostendi fore naturam ; si autem contentiose exempla quæritis, *nos non habemus talem consuetudinem, neque Ecclesia Dei. Nos*, propter Judæos, *Ecclesia* dicit propter gentes, Et est sensus : Neque Moyses, neque Christus hanc habet consuetudinem. Quapropter, si hanc consuetudinem habetis non solum non Christi, sed nec Moysi discipulos fore monstratis. In hoc namque loco reprehenditur Faustus, qui negavit corpora a Deo esse creata cum Apostolus dicat *omnia ex Deo*. Sane notandum quia Apostolus alibi dicit : *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV, 23), etc. Et item : *Exuentes vos veterem hominem* (*Coloss.* III, 9), etc. ; ubi solerter attendit quia, si in spiritu mentis homo renovatur, ibi ipse homo ad imaginem Dei factus monstratur, ubi nullus sexus ostenditur. Spiritus mentis dicitur, velut corpus carnis, aut caro corporis ; si enim in spiritu renovatur homo, mulier ab hac renovatione non separatur, præsertim cum Apostolus alibi dicat : *Non est servus, neque liber, non est mrsculus, neque femina* (*Gal.* III, 28), etc. Sed quia in corpore mulier a viro sexu discernitur, ideoque intelligere debemus quia est quædam præcipua animæ affectio id est rationalis spiritus, quia viri nomine designatur, ipsa vero anima, nomine mulieris. Et pulchre quidem, quia sicut mulier regitur a viro, sic et anima regitur a spiritu. Iste vir, id est spiritus, dum cogitat quæ Dei sunt, et intuitum ad cœlestia dirigit et in his quæ mansura sunt permanet, caput velare non debet, id est, curæ temporalis velamine faciem mentis obtundere, sed cor mundum semper habere, ut cœlestia mundius contemplari queat. Hæc vero mulier, id est anima dum cogitat quæ mundi sunt, maxime tamen necessaria velamen debet habere discretionis, ne forte inhæreat superfluis Alio vero sensu per virum possunt intelligi prædicatores, et per mulieres plebes ineruditæ. Pulchre quidem, quia sicut mulier regitur a viro, sic et et ipsæ reguntur a prædicatoribus. Iste quoque vir, id est, prædicatores, non debet caput velare, id est stultitiæ velamen suscipere ; mulier vero debet caput velare, id est, plebes humilitatis et subjectionis velamen suscipere. quibus non oberit ignorantia, si humiliter interrogando studeant discere quæ nesciunt. Nam sicut mulieri ignominia est si non velet caput suum, sic et plebibus ignominia. si abjecto humilitatis velamine, superbiæ libertatem doctorum velint appetere.

Hoc autem præcipio etc, Postquam reprehenderat, inhonestos mores Corinthiorum, et pravam ipsorum conversationem, reprehendit nihilominus inhonestam eorum traditionem, nam viri criniti, mulieres absque velamine incedebant, Erat etiam alia inhonesta conversatio inter illos, quam nunc Apostolus reprehendit, dicendo : *Hoc autem præcipio*, etc. Cum enim ipsi ad Ecclesiam convenirent, non se invicem exspectabant ; sed supervenientibus presbyteris, quia nec dum rectores erant ordinati, ea quæ detulerant offerebant et sanctificata propria vindicabant communibus ea cibis jungentes, et cœnam in ecclesia celebrantes, ut alii venientes, sicut assolet fieri, aut non offerrent ant non habendo cum pudore recederent. Decepti enim erant a pseudoapostolis ut sua zelarent, *Non laudans* etc. ; id est, *in deterius convenitis*, quia quemadmodum tradidi, non tenetis.

(625) *Primum quidem*, etc., dicit primum fontem et caput omnium vitiorum esse scissuram, nam nullum bonum potest esse ubi est scissura. *Et ex parte credo*. Temperavit enim suam locutionem Apostolus his verbis. Nam non dubitavit scire, quoniam ab aliis audire poterat, seu Spiritu sancto revelante. quo plenus erat, cognoscere. *Nam oportet hæreses*, etc. Talis est iste locus, qualis est ille, ubi Dominus dicit : *Necesse est ut veniant scandala* (*Matth.* XVIII, 7) etc. Sed non ideo Dominus vel Apostolus dicit, ut aut ille scandala aut iste hæreses esse velit : sed ideo, quia non poterat esse, ut non venirent, sive ut venientibus electi viri et qui sibi soli et Deo cogniti erant manifestarentur, quemadmodum Job. Ille enim sanctæ conversationis erat sibi soli et Deo cognitus, sed, ortis tentationibus, aliis est manifestatus. Ita etiam erant nonnulli inter Corinthios qui dicebantur Appolliani, Petriani, etc., alii Christiani sed ortis hæresibus, illi qui Christiani erant, manifestati sunt. Sed dicit Augustinus : Debemus hæreticis bene uti. Quandiu enim ipsi in Ecclesia sunt, noxii sunt; extra Ecclesiam consistentes, non solum non obsunt, sed etiam prosunt, non loquendo bonun, quod ignorant, sed carnales ad quærendum excitando, et spiritales ad bona proferendo.

Convenientibus ergo vobis (626), etc. Tetigit enim Apostolus supra causam solito more ; nunc vero eamdem, exaggerando, aggreditur, cum dicit : *Convenientibus ergo*. Sed quare dicit *Dominicam cœnam* Ob hoc, quia eo die Dominus cum discipulis suis cœnavit. Et nota quia mysterium sui corporis et sanguinis cœnam appellat, ut dicat: Hæc est cæna ;

(625) In autog. marg. hic legitur cap. LVI.

(626) Quæ sequntur realem præsentiam corporis et sanguinis Christi iu sacramento eucharistiæ, et antiquam Ecclesiæ consuetudinem jejune ad illud accedendi demonstrant.

sed infra cœnam tradidit ut legitur : *Cœnantibus autem illis* (*Matth.* XXVI, 26). etc., id est, comesto agno.Et bene quidem,quia consequens erat ut vetus Pascha finiretur, deinceps ad novum transiretur. Nec etiam ob hoc reprehenditur Ecclesia, quia jejuna percipit ; ideo, quia necesse est ut primum anima spiritali cibo signetur, potmodum corpus communi sustentetur.Fertetur enim quod hæc consuetudo apud Ægyptum servetur. Die Sabbatorum congregati ad vesperum,alii esurientes,alii ebrii ad percipiendum corpus accedant. Etiam nonnulli pro babilis vitæ viri tradideruntut semel in anno,id est vespere festivitatis Paschæ,ob certiorem venerationem,omnem primum cibum sumerent,deinde mysterium corporis et sanguinis,tantum ut ante nonam jejunium non solverent.Et notandum quia utrumque Dominus tradidit discipulis, corpus et sanguinem, quoniam utrumque suscepit, et animam et corpus et utrumque salvavit ; nam sicut per panem corpus ita per sanguinem anima signatur.Et sciendum quia hoc sacramentum ultimum tradidit ; nam tradito, statim abiit ad locum ubi erat tradendus : et eo modo quemadmodum si quis erga finem vitæ aliquod dilectum munus alicui,ad recordationem sui, donet amico.Sed nunquid ipse prospiciens non compungitur,vel etiam ad lacrymas provocatur ? Similiter et nos sanctificantes,vel percipientes hoc myterium, compungi vel ad lacrymas provocari debemus.Et hinc est quod sacerdos dans illi mysterium qui ignorat, dicit : Accipe corpus : proficiet tibi in vitam æternam, ut ille audiens corpus, tremiscat, et cum reverentia atque pudore percipiat.

Sed sciendum quia non præcepit Dominus quando perciperetur, quoniam si præcepisset,aliter absque offensione esse non posset; sed tamen qualiter præcepit, et apostolis quando percipiendum esset reliquit. Unde non dubitatur ab apostolis tradiium fuisse ita percipiendum. *Jam non est Dominicam cœnam manducare*, id est non illam Dominicam, sed vestram sumitis. Et hoc exponit subdendo : Unusquisque *suam cœnam*, etc. ; *et alius quidem esurit. alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ?* etc. Quasi diceret ; Nunquid non habetis ubi communes cibos percipere possitis ? Habetis. Quare ergo cœnam in Ecclesia celebratis ? aut ob hoc facitis,ut vos divites ostendatis,aut non habentes confundatis ? *Quid dicam vobis ? Lauda vos*, etc. Quasi diceret : Talis actio non laudabilis habetur, id est, non estis digni laude, eo quod in Ecclesiam convenitis.

(627) *Ego enim accepi a Domino*, etc. A Domino iste accepit, non a Christo homine adhuc mortali, ut cæteri, sicut ipse dicit : *Non ab homine accepi illud. vel didici* (*Gal.* I, 1), etc. Sed ideo *a Domino* dicit, ut arctius in eorum cordibus inculcaret quod dicebat : *Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur*,et rel.Sciendum quia utrumque discipulis tradidit, id est panem et vinum, quoniam utrumque suscepit, et salvavit id est, animam et corpus. Per panem corpus,per vinum anima designatur.Novum dicit calicem, ad distinctionem veteris. *Mortem Domini annuntiabitis*, Quid est enim mortem Domini annuntiare, nisi ad memoriam revocare, quod fit aut cum consecramus, aut cum percipimus corpus ipsius ? *Donec veniat*,bene dicit quia postquam ille venerit, hæc mysteria non celebrabuntur.

(628) *Itaque quicunque manducat panem*, etc. Indigne percipit qui non secundum auctoritatem tradentis sumit.*Reus erit corporis et sanguinis Domini;* quia sui reatus in perceptione accumulat pœnam, quia futurum illi judicium reservatur, in quo illius occulta manifestabuntur, et si digne vel indigne percepit. *Probet autem*, etc. Id est, investiget, perquirat, si dignus est percipere, et tunc percipiat, Nam hoc mysterium tale est, ut digne percipientibus salutem,indigne vero pœnam ministret,quemadmodum Judæ. Judas enim postquam percepit, Satanas introivit in illum (*Luc.* XXII, 3 ; *Joan.* XIII, 27).Et si ille qui indigne suscipit ad damnationem suscipit, multo magis indignus, id est, qui aliqua immunditia polluitur, *Non discernens* (629) *corpus* id est, cibum a cibo,vel solummodo purum panem esse putat.

Ideo inter vos multi infirmi, etc. Et, quia dixerat superius. *Quicunque manducat*, etc., ut certior illius narratio redderetur, subjunxit : *Ideo inter vos multi*,etc.Infirmos dicit, quia alii febre vexabantur, alii debilitabantur alii morte corporis plectebantur. Sed quare hoc ad memoriam revocat? Ut ipsi aliorum flagella audientes corrigerentur,ut illud : *Pestilente flagellato, astutior redditur sapiens* (*Prov.* XIX, 25) ; et : *Lætabitur justus, cum viderit* (*Psal.* LVII, 11), etc.

Quod si nosmetipsos, etc. Et bene, quia ille qui suas actiones malas agnoscendo corrigit et emendat, a Deo non judicatur. *Dum judicamus autem*, etc. *Sive a Domino judicamur, sive a Domino corripimur*, dicendum est quia ille cujus acta flagellantur, increpatur, ut emendetur. *Ut non cum hoc mundo damnemur*, id est, cum infidelibus sive paganis. Unde dicit Origenes : Qui indigne vel impudenter percipit, ab infideli vel pagano nil distat.

(630) *Itaque fratres; mei*, etc. Finita increpatione,donat eis consilium quid sit agendum,dicens; *Itaque, fratres mei* etc .; id est, oblatio vestra sub unius Dei invocatione sanctificetur, et non propria habeatur sed communis deputetur. *Si quis esurit, domi manducet*, id est, si quis impatiens est, communes cibos in domo percipiat, et non cum sanctificatis jungat cœnam in ecclesia : *Ut non in judicium conveniatis*, id est, ut ubi putatis invenire profectum, inveniatis defectum.

(627) In autog. marg. hic legitur cap. LVII.
(628) In autog. marg. hic legitur cap. LVIII.
(629) Vulg. *dijudicans*.
(630) In autog. marg. hic legitur cap. LIX.

Cætera, cum venero, disponam. Multa enim erant de ministerio Ecclesiæ dicenda, et ideo non erat consequens per epistolam eos docere. Generalis enim Ecclesia illius præcepta servat. Et ideo promittit se venturum, et quæ necesse erant docturum. Nam veniente illo, viva voce disposuit; unde non dubitatur ab Apostolo ecclesiasticus ordo traditus (631). Erat namque consuetudo in primordio Ecclesiæ, ut qui credebant, baptizati, etiam fideles effecti, acciperent gratiam loquendi omnibus linguis, videlicet ideo, ut magis magisque ad fidem confluerent. Sed quia, sicut hic Apostolus dicit : *Signa pro infidelibus, non fidelibus* (*I Cor.* XIV, 22), jam dilatata fide, plurimis etiam confluentibus ad crudelitatem, cessare cœpit ipsa consuetudo. Corinthii vero, cum jam essent credentes, tamen quia adhuc erant amatores philosophicæ doctrinæ, hoc donum majus omnibus judicabant, et plurimum idem habere desiderabant; unde et hi qui habeant despiciebant non habentes; illi vero qui non habebant dejiciebant se, non credentes attinere ad corpus, vel certe æmulabantur hos qui non habebant.

(632) (CAP. XII.) Hoc nempe aggreditur Apostolus reprehendere in illis, inchoans loqui de spiritualibus. Ait enim : *De spiritualibns nolo vos ignorare* (subauditur, donis). De quibus locuturus, præmisit: antiquam eorum conversationem, dicens : *Scitis, quia cum gentes essetis* (633), etc. Ille quippe antiquam conversationem ideo eos reminisci voluit, ut superbire desisterent, et in humilitate permanere studerent vel certe ut sicut prius ad impulsum dæmonum ad diversos trahebantur errores, sic econtrario jam conversi, cum haberent evangelicæ doctrinæ magistrum ac doctorem, sequerentur illum quocunque eos trahere vellet. Unde in quibusdam exemplaribus invenitur : *Simulacrorum formam habentes.* Cujus rei quisque cultor est, illius formam habere dicitur. Et quia isti jam conversi erant, formam Evangelii habere debebant, hoc est, lucem evangelicæ doctrinæ in sua conversatione ostendere.

Sequitur : *Ideo notum vobis facio*, etc. Et est sensus : Qui spiritum Dei habet, nihil perversum de Domino sentit; et qui recte aliquid de illo sentit, non nisi per gratiam Spiritus sancti agnoscit. Sequitur : *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus*, etc. Hic oritur quæstio quare dicat, *Nemo potest dicere*, cum Dominus dicat : *Non omnis qui dicit mihi, Domine* (*Matth.* VII, 21), etc. Sed ibi dicere pro sono tantum, hic pro facere intelligitur positum. Sequitur : *Divisiones gratiarum sunt*, etc. His verbis ostendit Apostolus non Spiritum sanctum, sed dona ejus dividi, verbi gratia, ceu sol, qui etsi per diversa loca radios suos diffundit, non tamen dividitur. Et ut ipsius dona non hominibus, sed Deo ascribantur, gratiæ vocantur. Facit hic locus adversus Macedonium, qui negavit Spiritum sanctum esse Deum. Facit et adversus Arium, qui et gradus in Trinitate, et Filium minorem Patre, et Spiritum sanctum ambobus asseruit. Quod ideo confirmare nitebantur, quod semper Pater in primo loco poneretur, cum hic in primo Spiritus sanctus, et in ultimo Pater ponatur. Per divisiones gratiarum, ministrationum atque operationum, forte diversa in Ecclesia voluit intelligi officia, quorum varietatem ostendit, cum mox subjungit : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*, vel suæ salutis, vel Ecclesiæ ædificationis.

Sequitur : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.* Dicit enim beatus Augustinus quod distet inter sapientiam et scientiam. Sapientia, inquit, est divinarum cognitio, scientia, humanarum, attamen non illarum quas scimus, quid auri quidve argenti, quot etiam et quales habemus fundos, sed illa est quæ consistit in quatuor virtutibus, quibus nil utilius in vita hominibus, hoc est, qua et prudentiæ discimus intellectum, et justitiæ sanctitatem, et fortitudinis robur, ac temperantiæ decus.

Sequitur : *Alteri fides.* Illa videlicet qua, pudore abjecto, libere confiteatur quod credidit. *Alii gratia sanitatum* : qua infirmitates curet ac morbos. Unde Petrus : *Ænea, sanat te Dominus. Alii operatio virtutum* (*Act.* IX, 34); scilicet, ut dæmones ejiciant *Alii prophetia;* ut futura pronuntient. *Alii discretio spirituum;* ut, cum aliqua audit, vel legit, possit discernere cujus sint spiritus. *Alii genera linguarum;* ut diversis linguis loquatur. *Alii interpretatio sermonum;* ut cum aliqua leguntur, vel dicuntur, ad profectum aliorum salubriter in alteram possit linguam transferre.

Sequitur : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*, etc. His verbis ostendit unitatem Trinitatis, et trinitatem unitatis, quoniam dicitur Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, ac singulis quisque Deus, et tamen tres unus Deus. Ac, per hoc, quod operatur Pater, operatur Filius et Spiritus sanctus; ergo et totius Trinitatis una est operatio; unde cum superius dixisset Deum Patrem, et Deum Filium, non tamen piguit dicere Spiritum sanctum omnia dividere. Hac etiam sententia Deus apertissime demonstratur, cum omnia dividit non ad imperium, sed voluntate. Unde etiam attendendum est quare qui minus accipit, vel se dejicere, vel alteri invidere non debeat, quasi majorem partem præoccupaverit, cum ipse prout vult omnibus dividat. Si enim invidendum esset, potius invidendum Deo quam homini.

Quia cœpit loqui de varietate spiritalium donorum, ut ea arctius commendaret, subjunxit similitudinem corporis et membrorum. Ait enim : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa*, etc. Et est sensus : Si tantum unum esset membrum,

(631) Nota ecclesiastici ordinis traditionem ab apostolis derivari.

(332) In autog. marg. hic legitur cap. LX.

(633) In autog. marg. hic legitur *Dominica vacat post Pen.*

jam non esset corpus, hoc est, pars non esset in toto : at vero quia multa sunt membra, et diversa, ex ipsis diversis compaginatur unum corpus ; unde et dicitur corpus, vel certe quod corruptum pereat. Sequitur : *Ita et Christus*. Quasi dixisset : Multa sunt membra Christi, cum quibus Christus unum est corpus. Quapropter, exponendo quod ait, *ita et Christus*, subjungit : *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Et est sensus : Sicut uno spiritu omnia vivificantur corporis membra, sic et omnes qui per gratiam baptismatis renati in unum conveniunt corpus, uno spiritu vivificantur. Unde est quia si aliquod membrum corporis abscidatur, non jam ab ipso spiritu vivificatur ; sic et qui a corpore Ecclesiæ absciditur, non jam vivificare meretur. Volens quippe ostendere unde compaginetur Ecclesiæ corpus, subjunxit : *Sive Judæi, sive gentiles*, etc. Pauca tamen dixit sed per hæc pauca voluit intelligi omnia quæ ad conjunctionem et connexionem hujus corporis attinent, excepto peccato.

Sequitur : *Et omnes uno spiritu potati sumus*, hoc est potionati. Sane sciendum, quia solet aliquis ex una potione multis aliis propinari : verbi gratia, si habeat multa vascula, et imparia, cum potionem diffundit, vasculorum considerat capacitatem ; sic et Deus singulis juxta capacitatem suam gratiam subministrat. Sequitur : *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa*. Et est sensus : Si unum membrum esset, jam non esset corpus, hoc est, si unusquisque omnia dona, omnesque gratias acciperet, non unum esset corpus, sed multa.

Sequitur : *Si dixerit pes*, etc. Dicit beatus papa Gregorius quia per varietatem corporis, ac membrorum, varietas designatur spiritalium donorum. Habet namque Ecclesia nonnullos, qui sunt oculi, futura prævidendo : sunt et aures, magistrorum præcepta humiliter suscipiendo, et nares, bona a malis discernendo, et os quidem admonendo et exhortando, et manus, aliis ministrando ; pedes vero sunt, pro salute aliorum discurrendo. Ille nempe supernus ordinator sic qualitatem ordinavit membrorum, ut invicem sibi omnia subderentur. Nam oculi non sibi solum vident, sed omnibus membris. Sic et cætera. Similiter et qualitatem disposuit animarum, ut per humilitatem invicem sibi omnia membra Ecclesiæ subderentur : verbi gratia, ille quicunque, dum cernit te habere gratiam, quam ipse non habet, subditur tibi, similiter et tu illi. Unde Petrus Apostolus, *unusquisque*, inquit, *sicut accepit gratiam* (*I Petr.* IV, 10), etc. Multis formis gratia, quæ tunc recte dicitur, administratur, si gratia, quam habes, per humilitatem alteri tribuitur. Hinc idem Paulus ait : *Per charitatem Spiritus servite invicem* (*Gal.* V, 13). Tunc nos perfecte charitas a jugo peccati liberat, cum aliorum gratias, quasi proprias deputamus, et nostras aliis, quasi illorum proprias administramus. Hæc etiam qualitas, propter unitatem ac concordiam, ab ipso ordinatore in regionibus disposita invenitur, dum hæc abundat frumento, aut vino, illa vero oleo, sic et de cæteris. Invenitur nihilominus in mundi elementis. Unde mundus unus, nisi ex diversis elementis ? Nam si semper calor esset, ut in æstate, aut semper frigus, ut in hieme, terra fructus producere non posset. Quapropter ipsa diversitas elementorum quamdam facit temperiem. Sic et in metallis, dum aurum, vel argentum pretiosius est ferro, ferrum vero utilius est ambobus.

Sequitur. *Si dixerit auris : Non sum oculus*, etc. Per oculum, et manum sublimes in Ecclesia designantur ; per aurem, mediocres ; per pedem vero, minimi. Hi quoque, quia parvam gratiam acceperunt, non se debent dejicere, neque despicere, neque credere non attinere ad corpus : nam, quia membra sunt, ad corpus utique attinent. Sequitur : *Si totum corpus oculus*, etc. Et est sensus : Si unus omnes gratias accepisset, quomodo Ecclesia corpus Christi fieret ? Sequitur : *Nunc autem posuit Deus membra*, etc. Quis jam non videat quo Apostoli intentio tendat ? Videlicet a similitudine corporis humani, transit ad manifestandam veritatem corporis spiritalis, id est, Ecclesiæ. *Unumquodque eorum*, dicit, *sicut voluit ;* quia unicuique gratiam, quam voluit, contulit.

Sequitur : *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus ?* Hoc est : Si omnes omnia dona haberent, unde ex diversis membris unum corpus fieret Ecclesiæ ? Et ideo sequitur : *Nunc autem multa quidem membra*, etc. sequitur : *Non potest dicere oculus manui : Opera tua non indigeo :* videlicet, quia manus non sibi solum, sed omnibus membris laborant. Sic et pedes non sibi ambulant : unde et mox sequitur : *Aut caput pedibus : Non estis necessarii*. Per oculum videlicet, et caput, sublimes in Ecclesia designantur ; per manum, mediocres ; et per pedes, minimi. Sed qui sublimes sunt, non possunt dicere mediocribus, aut parvis : Non estis nobis necessarii ; quia, nisi adsint isti, qui serviant, eorum decidit dignitas : istorum nempe exercitio illi sublevantur, et obsequio : verbi gratia, habet rex corpus, duces videlicet, comites atque tribunos : inter hæc membra habet et pedes, milites ; sed non potest dicere : Non estis mihi necessarii, cum magis his indigeat, velut pedibus, qui præ aliis membris necessariores sunt, quoniam, si nec oculos, nec aures, aut nares habeat, pedibus ambulare potest, et cibum quærere. Et ideo subjunxit : *Sed multo magis quæ videntur membra corporis nostri infirmiora esse, necessariora sunt, et quæ putamus ignobiliora esse*, etc. Infirmiora et ignobiliora membra pedes appellat, quos, cum videantur esse ad comparationem aliorum infirmi et ignobiles, *abundantiore honore circumdamus*, quoniam et pannis et calceamentis tegimus. Similiter et qui per pedes signantur, quanquam ignobiles videantur, exhortatione tamen et admonitione provocandi sunt, ne forte se dejiciant, credentes non attinere ad corpus : quibus non debet esse curæ,

quæ membra sint, tantum ut ad corpus attineant.

Sequitur : *Et quæ inhonesta sunt nostra*, etc. Inhonesta membra, pudenda appellat, quæ hominum aspectus declinant. Beatus vero Augustinus dicit : Absit ut in corporibus electorum aliquod dicamus inhonestum, ne ipsa genitalia membra ; sed quia usus eorum est inhonestus, Apostolus ea dixit inhonesta : qui usus non ex natura descendit, sed ex transgressione priorum hominum ; ante quippe honesta erant, sicut et cætera. Quapropter, quia noluit homo subjici Deo, ideo his subditur sub injuria : cum cæteris membris utatur ad votum, hæc vero sæpe sine voto moveantur. (634) Et pulchre, quia per ea soboles procreantur. Hæc enim majorem habent honestatem ; quia, cum nec caput, nec oculos, nec cætera operiamus, pudenda sæpe nitidis vestibus circumdantur. Per quæ illi designantur, qui discalceati, ac tetris induti vestibus incedunt, qui majorem habent honestatem ; quia, quo sunt abjectiores, eo mundioris vitæ, et in conspectu Dei gratiores, et ideo laudibus sunt præferendi.

Honesta nostra nullius egent, id est, sublimes, velut caput, aut oculi : quia qui viget sensu, callet ingenio, non est necesse, ut laudetur. Sequitur. *Sed Deus temperavit corpus*, etc. Deus corpus temperavit ; quia singulis membris singula tribuit officia, sic et in corpore Ecclesiæ. Ad quid hoc ? *Ut non sit schisma in corpore*, hoc est, ut unumquodque suum invicem officium subministret. Membra quippe Ecclesiæ tunc recte habentur, si non pervertuntur, id est si alter non velit superbe alterius gratiam assumere, suam negligens : quod si facit, et suam reddit inutilem, et alterius non meretur accipere.

Sequitur : *Sed idipsum pro se invicem sollicita sunt membra*. Mystice : Si aliquis in Ecclesia malum quodlibet incurrit, et animæ periculum : omnes fideles ita compatiendo tristari de malo ipsius, sicut de proprio : similiter et de profecto lætari. Præmissam similitudinem exponens, subjunxit : *Vos estis corpus Christi*, etc. Nota quia dicit, *membra de membro*. Aliud est membrum ad corpus, ut brachium ; aliud, membrum ad membrum, ut manus vel digiti ad brachium. Hoc etiam exponens dicit : *Et quosdam* A *quidem posuit Deus in Ecclesia*, etc., Prophetas, non illius Veteris Testamenti, sed Novi intelligit, ut (655) Agabus et filiæ Philippi virgines (636).

Sequitur : *Tertio doctores*. Illi in Veteri Testamento doctores dicebantur, qui legem pueris insinuabant, quæ consuetudo transivit ad ecclesiasticum populum ; sunt enim nonnulli, qui, licet non sint alicujus majoris ordinis tamen aliis divina mysteria dilucidant. *Deinde virtutes et gratias curationum ;* ut supra *opitulationes ;* vel qui infirmi sunt, et ab aliis juvantur, vel qui infirmo juvant, *Gubernationes*, illi sunt qui regendis præferuntur animabus, ut abbates in monasteriis. Nota, quia ultimum *genera linguarum* posuit, videlicet quia illi hoc majus omnibus judicabant, ut ostenderet B quod non solum majus non esset, sed etiam minus ; nihilominus et instrueret eos quod non ea desiderare deberent, quæ et mali habere queunt, et in quibus solummodo salvari (557) nemo potest sed ea potius ardenter inhiarent, quæ et mali habere non possunt, et sine quibus nemo salvari meretur,

(658) Et ideo, cum dixisset : *Nunquid omnes apostoli*, etc., subjunxit : *Æmulamini charismata meliora Æmulamini autem charismata.*, etc. Manifestata varietate gratiarum, hortatur et monet Apostolus Corinthios majora charismata æmulari, id est, majora dona sequi. Majora namque charismata appellat prophetiam, quæ ad utilatatem totius prophetiæ attinet (639-40). Illi enim majus donum varietatem linguarum esse putabant, æstimantes non aliud majus Et volens Apostolus illos ab hoc subtrahere, ideo C dicit, *æmulamini*, etc.

(Cap. XIII.) Et ut longius eos traheret, cum dixisset *æmulamini*, non statim fecit finem, sed subjunxit : *Si linguis hominum loquar*, etc. Linguæ enim hominum septuaginta duæ sunt ; sed quæ sunt linguæ angelicæ, cum non habeant corporeas linguas quoniam et ipsi incorporei ? Sed per exaggerationem loquitur, quasi diceret : Si etiam linguas angelicas loqui possetis, absque charitate non prodesset. Sive linguam angelicam forte appellat linguam doctorum nam differt humana lingua a doctorum, ut sit sensus ; Si etiam linguis doctorum loquamini, absque charitate non prodest. Sed solet quis quærere quibus linguis post hanc vitam homines loquantur ; sed non

(634) Ante verba *et puchre*, desiderari videntur D verba textus — *abundantiorem honestatem habeant*, cui subjicitur interpretatio.

(655) Agabus propheta, et unus e septuaginta Jesu Christi discipulis, qui prædixit famem, quæ sub Claudio evenit, Act. xi, 28, et carcerem Pauli, Act xxi, 10, Martyrio coronatum Antiochiæ Græci perhibent, et ejus festum die octava martii celebrant, quod Latini die nona Februarii celebrabant nono sæculo.

(636) De his S. Philippi apostoli filiabus, quas non satis distinxisse videtur Caius vetus Ecclesiæ Romanæ sacerdos, et confudisse cum S. Phillippi diaconi filiabus, vide Euseb. hist. eccl. I. iii, ci. 31, et Sozomenum lib. vii, c. 47.

(657) Verbum *salvari* addendum censui ex seqq.

(638) In autog. marg. hic legitur c. LXI.

(639-40) Quamvis verba *quæ...attinet*, minus aptum sensum reddant, non tamen visum est ea emendare quia, et si obscuriorem, sensum tamen aliquem reddere valent ; ad eorum tamen intelligentiam adeantur ea quæ paulo post leguntur in ea verba epistolæ — *qui loquitur lingua semetipsum ædificat*, c. XIV, ubi inter linguam et prophetiam tantum interesse ait, quantum refert inter salutem unius et multorum, imo omnium ; exinde enim eruetur melius fortasse hic legi posse — *prophetiam, quæ ad utilitatem totius Ecclesiæ attinet*. Confirmatur autem hæc lectio ex iisdem verbis hujus epistolæ xiv, 4 ; *Qui lingua loquitur, semetipsum ædificat ; qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.*

invenitur, et forte ideo, quia nulla erit ignorantia ; nam officium linguæ ideo concessum est, ut suos actus homines aliis manifestent, quia ignorantur : tunc vero non erit necesse, quia deerit ignorantia.

Factus sum velut æs sonans, etc. Æs enim irrationabile elementum est, et nisi tangatur, non sonat ; cum vero sonuerit, nullius ædificationis atque utilitatis existit ; similiter qui omnibus linguis loquitur absque charitate nullius est utilitatis. *Et si habeam prophetiam*, id est, ut futura prædicam, *et noverim mysteria omnia*, id est, divina, *et omnem scientiam*, humanam, *et habeam omnem fidem*. Nota quia eamdem appellat fidem omnem, quam Dominus in Evangelio grano sinapis assimilat (*Matth.* XVII, 19 ; *Luc.* XVII, 6), non propter mediocritatem, sed propter integritatem et vivacitatem. Et ita hic mentio montis fit, veluti et ibi (*Matth.* XVII, 19).

Charitatem autem non habeam, nihil sum. Non negat se substantialiter esse, sed in ministerio prædicationis nihil se esse dicit. *Et si distribuero*, etc. Nota quia distributionem facultatum martyrio conjungit ; ubi ostenditur magni meriti esse distributio. Sed quia solent quidam simulate hoc ipsum agere, ideo subjunxit : *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Sed simulate duobus modis intellige : quia sua tribuit, aut martyrium adit, vel certe appetitu humanæ laudis, aut fingendo se amicum, cum sit inimicus.

Charitas patiens est, etc. Nominaverat superius charitatem ; nunc vero membra charitatis ostendens, dicit : *Charitas patiens est*, etc. Patiens, mala perferendo ; *benigna*, bona tribuendo. Charitas Græcus sermo est, et interpretatur *dilectio*. Dilectio autem dicitur, eo quod duos inter se liget. *Charitas non æmulatur*, id est, non invidet, quia visibilia contemnit ; sive non æmulatur, id est, non inflat, quia caret superbia. Mater enim inflationis superbia est *Non agit perperam*, id est, perversa, vel distortuosa, quia in illum intentionem suam collocat, in cujus regulis nil distortuosum invenitur. *Non inflat*, id est, non superbit. *Non est ambiosa*, id est, temporalia contemnit, sive honorem regiminis parvi pendet. *Non quærit quæ sua sunt*, id est, temporalia et transitoria non concupiscit, sive, quia sua, quæ sine offensione habere poterat, largitur. *Non cogitat malum*. Magna est virtus charitatis, quoniam non solum non operatur malum, verum etiam nec cogitat ; tamen, si ad mentem veniret, resecat. Quoniam sunt nonnulli qui non operantur, sed tamen cogitando pereunt. *Non gaudet super iniquitate*, tam facientis quam patientis, quia illorum damna veluti sua deputat. *Congaudet autem veritati*, tam facientis quam sustinentis. *Omnia suffert*, vel sustinet, aut patienter perferendo, aut exspectando, ut impleantur ea quæ promittuntur. Et hoc est quod subdit, *omnia credit*, id est, implenda, in divinis libris quæ promittuntur. *Omnia sperat* vera esse quæ dicuntur (641). *Charitas nunquam excidet*, id est, non patitur casum vel ruinam ; nam humilitas nunquam cadit, charitas namque absque humilitate esse non potest Humilitas enim, quo cœlestia penetrat, eo se terrenis inhærere putat ; et quo altiora conscendit, eo se in infimis consistere æstimat. Si enim superioribus jungatur, *excidit* (642) legendum ; si autem inferioribus, *excidet*.

Sive prophetiæ evacuabuntur, etc. Aliter enim *prophetiæ evacuabuntur*, aliter *cessabunt linguæ*, et aliter *scientia destruetur*. Duo prædicta cessabunt, quia in hac præsenti vita finientur ; scientia vero destruetur, quia in futuro augmentabitur. Et qualiter, subdit : *Ex parte enim cognoscimus*, etc. Bene hoc dicit, quia nullus mortalis, ac in præsenti vita positus, perfecte cognoscere potest ; multa enim hic cognoscuntur, sed tamen non omnia ; et ideo dicit ; *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus*, id est, futura prædicimus : *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* ; non ipsa scientia, quæ nunc habetur, in futuro evacuabitur quod ex parte est, sed imperfectio ejusdem scientiæ destruetur, quia augmentabitur. Et talis est ista locutio, quemadmodum si nubes opponatur soli, et ipsa claritas abstrahatur ; si vero subtrahatur nubes potest quis dicere : Evacuata est charitas solis ; non quod ipsa claritas sit evacuata, sed augmentatio claritatis dicitur evacuasse imperfectionem ejusdem claritatis. Et hoc ipsum submissa similitudine manifestat, dicens : *Cum essem parvulus*, etc. Hanc præsentem vitam assimulat ætati parvuli, futuram vero ætati viri. Et bene, quia tantum distat inter hanc præsentem vitam et futuram, quantum inter ætatem parvi et magni. Sicut enim pueritia non destruit infantiam, et adolescentia pueritiam, sed vires augmentat : ita nec scientia futura destruit istam, sed augmentat. Subjunxit etiam alteram similitudinem ad prædictum attinentem sensum, dicens : *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, etc. Ille enim qui per speculum videt non rem veram, sed rem veræ similitudinis prospicit. Similiter et ænigma aliud aliquid ostendit. Nam ænigma est obscura sententia quodlibet aliud demonstrans, id est, non veritas, sed similitudo est rei, ut sunt allegorici sensus. Ergo per speculum in ænigmate videmus, quia non perfecte gaudium vitæ futuræ cognoscimus. *Tunc autem facie ad faciem* ; quia nostrum gaudium, lætitiam et finem nostri desiderii videbimus. Idipsum manifestat, subdendo : *Nunc cognoscimus ex parte*, etc. Id est, cognoscam sicut cognoscor, et videbo ut videor, ut Joannes : *Videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III, 2).

Nunc autem manent, fides, etc. id est, hac in

(641) Verba *omnia... dicuntur*, aliqua videntur transpositione vitiata. Legendum enim putarem : *Omnia sperat, id est implenda, in divinis*, etc., *omnia credit vera esse, quæ dicuntur* ; hoc enim modo verba *credit et sperat* relationem suam propriam sortiri poterunt.

(642) Et ita Vulg. habet, *excidit* nempe.

præsenti vita ; in futura vero, duabus sublatis, charitas manet, *et ideo major*. Nam fidei succedit spes, spei vero visio, quæ visio charitas est, et ideo major, quia ista hic finiuntur; illa vero manet. Notandum, quia magna distantia est inter res temporales et spiritales : temporales enim,cum non habentur, multum desiderantur ; si vero habeantur, fastidiunt atque vilescunt : spiritales autem,cum non habentur, minus desiderantur ; cum vero habentur,magis magisque desiderium in nobis accendunt. Inde animadvertendum quia, si nunc, cum non videntur, et non habentur, tamen diliguntur ; quantum tunc diligentur, cum quisque eas electorum habuerit? Et hoc sciendum quia majus quisque electorum inveniet, quam credere ac sperare possit. Et ideo necesse est ut nemo fidelium se tantum æstimet credere,aut sperare hic posse, quantum illic inveniet.

(643) (Cap. XIV.) Sequitur : *Sectamini charitatem.* Post laudem charitatis, hortatur et monet, ut sectentur charitatem, quasi diceret : Jam quia tantam ac talem agnovistis charitatem, ut in ejus bono omnia bona consistant, et sine ea nullum bonum esse queat : hortor,ut sectemini eam. Post admonitionem hortatur, ut etiam spiritalia æmulentur. *Æmulamini*, inquit, *spiritalia* (subaudiendum est, dona). Spiritalia namque varietatem gratiarum vocat. Sed quia illi audientes spiritalia,possent genera linguarum intelligere,quæ præ omnibus charismatibus majora judicabant, et erga ea plurimum avidi erant ; ideo mox subdit : *Magis autem,ut prophetetis.*

Sequitur: *Qui enim loquitur lingua*, etc., iste *non hominibus loquitur ;* quia non ab hominibus intelligitur, *sed Deo* ; quia ab ipso intelligitur,qui etiam occulta cordis novit. Et ideo subjungit : *Nemo enim audit*, hoc est intelligit : *spiritu autem*, id est, voce sola, *loquitur mysteria*. Verum qui lingua loquitur, Deo loquitur ; ideoque adjunxit : *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ;* quia ab hominibus intelligitur. Quid etiam loquatur, manifestat *ædificationem et exhortationem, et consolationem* Multum scilicet ædificantur homines, dum quæstionum solutionem audiunt ; capiunt etiam exhortationem,ut proficiant in melius ; magnam nihilominus sumunt consolationem, quia spe futurorum bonorum patienter perferunt adversa. Unde idem in epistola ad Romanos : *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* xv, 4).

Sequitur : *Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat.* De illo dicit, qui, quod loquitur, intelligit. *Qui autem prophetat, Ecclesiam ædificat*. His quoque verbis ostendit multum quidem distare inter linguam et prophetiam, tantum videlicet interesse, quantum refert inter salutem unius,et multorum,imo omnium Verum quia ipse superius gratiam linguarum inter varietatem donorum annumeravit ; ideo condescendens concedit illis loqui linguis, dicens : *Volo autem vos omnes loqui linguis*. Et ut hoc minus donum ostenderet, addidit : *Magis autem prophetare ;* quasi diceret : Sic ad majora vos provoco, ut minora non prohibeam.

Sequitur : *Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis*. Multum quippe erga hunc locum beatus Augustinus laborat. Dicit enim intelligi debere, per linguas, in Scripturis divinis, occulta atque profunda ; lingua vero, membrum corporis denominans, aut significans res aliquas, non tamem efficiens : ergo per membri motum occultæ res designantur. Nam multæ sunt res,et significationes in Scripturis divinis, quæ non idipsum sunt, sed aliud significant. Hæ quoque per linguam designantur ; quia ipsa translative ponitur. Ergo major est ille, qui prophetat, hoc est, qui occulta diducidat atque manifestat, quam qui lingua loquitur, hoc est, qui proferre quidem occulta, sed manifestare non potest. Sunt namque corporalium imaginationes ; sed major est, qui eas interpretari potest, quam qui videt : verbi gratia, vidit Pharao imaginationes (*Gen.* xl, 41), vidit et pincerna, et pistorum princeps ; sed Joseph his omnibus major. Ille etiam, qui in utraque re viget,non solum aliis, sed eo major, qui tantum interpretationem dicit, velut Daniel, qui in utroque polluit : ipse etenim et sapientibus Babylonis mortis sententiam incurrentibus, quia probati sunt, quod conjecturam dicere nequirent, cum somnium nescirent,ostendit Nabuchodonosor non solum interpretationem, sed somnium, et, quod his majus est, cogitationes. Ait enim : *Tu, rex, cogitasti in stratu tuo quid futurum esset post te* (*Dan.* ii, 29), etc. Ille etiam, qui licet loquatur lingua, tamen interpretari potest,propheta interior non est ; et ideo subjunxit : *Nisi forte interpretetur*. Se ipsum etiam illis præbuit exemplum, dum subjunxit : *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens*, etc. , quasi diceret. In me discite exemplum, quia, si venero ad vos ignotis linguis loquens, nihil vobis prodero, nulliusque ero ædificationis, nisi aut prophetas vobis exposuero, aut moralia docuero, aut aliqua occulta revelavero. Et hoc est quod dicit : *Nisi loquar aut in revelatione, aut scientia*, etc. Sed hæc omnia ad unum profectum referuntur, quoniam ille docet qui intelligit, et ille prophetat qui revelat mysteria : quæ ideo agit, quia scientiam habet.

Postquam se præbuit exemplum,adjunxit et aliud de irrationabilibus ac insensibilibus. *Tamen*,inquit, *quæ sine anima sunt vocem dantia*, etc. Ac si aliis verbis diceret : Si *tibia*, aut *cithara*, aut aliquid tale, non distinctum, sed confusum dederit sonum, nullius erunt utilitatis, quia aures non demulcent audientium. Multo magis vos nullius eritis ædificationis, aut utilitatis ; nisi ita loquamini, ut intelligamini. Sequitur : *Etenim si incertam vocem det tuba*, etc. Nota quia incertam dicit,quoniam quidem variis modis soliti erant homines tubis canere : canebant enim, ut incitarent ad bellum,sive ut moverent castra, vel figerent : quod monstratur et in libro Levitico, et Jesu Nave, atque Machabæorum, sive in

(643) In autog. marg, hic logitur cap. LXII.

ad Abraham, dominum eum vocat. Sed oritur quæ- A tio, quare dicat mulieres in ecclesia tacere, cum alibi doceat eas servare opus pietatis in eadem doctrina. Sed solvitur ita : In Ecclesiis prohibuit; alibi concessit. Et hoc est, quod dicit : *Domi viros suos interrogent.* Superfluum videretur in ecclesiis prohibere, nisi alibi concessisset. *Turpe est enim mulieri in ecclesia*, etc. Non solum illis, sed etiam viris. Et si subditæ debent esse viris, multo magis sacerdotibus.

An a vobis verbum Dei processit? etc. Tumidi namque erant Corinthii, dicentes credulitatem suam magis prodesse apostolis, quam sibimetipsis ; quemadmodum si quis habeat rem aliquam venalem contemptam ab omnibus, emptor extremus pro munere deputet. Ad hoc respicit, cum dicit : *An ex vobis*, B etc.; quasi diceret : Non solummodo vos credidistis ad meam prædicationem, sed etiam, etc. Et jungitur illi loco superiori, ubi legitur : *Sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.* Et ne doctrina illius, veluti puri hominis, contemneretur, subjunxit : *Si quis videtur propheta esse*, etc. ; quasi diceret; Nolite meam doctrinam, veluti puri hominis, contemnere, sed quasi Dei recipite ; quia Domini sunt mandata. Tangit etiam pseudoapostolos, qui non Domini, sed suam docebant. Terret etiam illos, subdendo : *Si quis ignorat, ignorabitur ;* id est, reprobabitur.

Itaque, fratres. Post multas correptiones, fratres eos appellat, ut subleventur. *Æmulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere.* Vide quam temperate loquitur. Ita enim ad prophetiam provocat, ut C loqui linguis non prohibeat. Nos enim soliti sumus dicere : Æmulamini bonum, et prohibete malum ; sed Apostolus supra varietatem linguarum inter cætera dona dinumerat, quod donum majus esse putabant. Noluit illos prohibere, ne ipsi stimulati putarent eum invidentiæ causa semetipsos prohibere velle. Et ideo hoc dicit, quasi diceret : Ita ad majora provoco, ut minora non contradicam.

Omnia autem honeste, et secundum, etc. *Honeste*, sicut ipse docuit ; *secundum ordinem*, sicut ipse fecit. Et si viderimus aliquem in ecclesia quodlibet operari, possumus uti hoc, id est, *omnia honeste*, etc.: nam non solum in his quæ ad Deum attinent, iste ordo servandus est, sed etiam in his quæ ad humanam consuetudinem attinere videntur.

(650) (Cap. XV.) Sequitur : *Notum vobis facio,* D *fratres, Evangelium*, etc. Postquam instruxerat mores, et vitam Corinthiorum, reprehendit et pravas consuetudines eorum : in qua hactenus intentione perseverat. Superius, non longe tamen, reprehendit eos, quia feminæ eorum, et non velatæ incedebant, et non velatæ Deum orabant, et quia libere mulieres eorum in ecclesia loquebantur, et quia in unum convenientes pugnaciter mysteria corporis et sanguinis Domini sumebant. In hac intentione adhuc perseverat. Erat etiam apud illos hæc prava traditio : Quoniam nonnulli eorum Christum resurrexisse credebant, de aliorum resurrectione dubitabant. Pseudo tamen apostoli Christum resurrexisse negabant, quia et natum non (651) credebant. Quapropter tractat, et versatur intentio Apostoli erga manifestationem mandati, et disputat adversus eos, qui tam Christi, quam aliorum negabant resurrectionem ; maxime tamen adversus eos, qui Christum credebant resurrexisse, de aliorum tamen resurrectione dubitabant. Bonus magister, qui non veretur ea quæ docuerat suis replicare discipulis. Hæc enim liberalitas non datur, nisi perfectis magistris. Cæterum imperfecti, ac mali, in recordatione eorum, quæ gesserunt, vel docuerunt, confunduntur. Et nota, quia promiscue loquitur : quædam conveniunt recedentibus, quædam vero in fide permanentibus. Nam, quod dicit, *notum facio*, illis qui recesserant ; quod ait, *in quo statis*, illis qui in fide permanserant, convenit. Verum, ne se excusatos redderent, quasi non accepissent, quia prædicavit, subjunxit : *Quod et accepistis :* et, ne acceptum rejecisse viderentur, addidit : *In quo et statis ;* subdidit etiam : *Per quod et salvamini ;* hoc est, per quod salutem consequi vos creditis.

Sequitur : *Qua ratione prædicaverint vobis*, etc. Et est sensus : Ea certe vobis prædicavi, ut omnium credaretis resurrectionem ; et, *si tenetis, non frustra credidistis ;* si autem non retinetis, *frustra*, inquam, *credidistis.* Ubi ostendit fructum salutis maxime in fide contineri resurrectionis. Sequitur : *Tradidi enim vobis in primis*, etc. Quod vero dicit, *in primis*, duobus modis potest accipi : vel in primis tradidit, quod in primis accepit ; vel quod in primis accepit, non in primis, sed quo ordine voluit, tradidit. Quod autem dicit, *accepi*, intelligendum est, vel per revelationem, vel per prophetiam, vel per legem. Quid illud sit, ostendit : *Quia Christus mortuus est*, etc. Cum vero dicit : *Pro peccatis nostris*, ostendit nil ad eum mortem attinuisse, sed nostræ redemptionis causa mortuum fuisse. *Secundum Scripturas dicit*, ut ostendat concordiam Novi et Veteris Testamenti : qui noluit hic suam narrationem confirmare exemplis ; quia cupebiat transire ad manifestandam aliorum resurrectionem ; præsertim quia de resurrectione Christi non hæsitabant : at vero de morte ipsius prædixit Isaias : *Sicut ovis*, inquit, *ad occisionem ducetur* (*Isa.* LIII, 7), etc.; et item : *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras* (*Ibid.*, 5), etc. ; ipse etiam de sepultura ejus : *Dabit*, inquit, *impios pro sepultura* (*Ibid.*, 9), etc. ; et item : *Erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* XI, 10). De resurrectione autem Oseas : *Die*, inquit, *tertia, resuscitabit nos* (*Ose.* VI, 3), etc.

Sequitur : *Et quia visus est Cephæ.* Nota, quia non dicit primo, ne contrarius evangelistis videretur,

(650) In autog. marg. hic legitur cap. LXV.
(651) Partic. *non* addidimus ex his, quæ habentur infra col. 399, non longe ab initio, ibi : *Pseudoapostoli... negabant eum natum.*

Sequitur : *Et post hæc, undecim*, quando abfuit Thomas (*Joan.* xx, 24).

Sequitur : *Deinde plusquam quingentis fratribus.* Notandum, quia hæc apparitio non legitur in Evangeliis. Evangelistæ quoque decies solummodo narrant eum apparuisse ; unde liquido monstratur, quia multis aliis vicibus apparuit quam evangelistæ commemorent. Illi ergo eas solum describere curaverunt, quas ad instructionem, et omnium salutem sufficere decreverunt. Quod ait : *simul*, utrum undecim, an viritim viginti, non satis claret. Sequitur: *Ex quibus multi manent ;* quasi dixisset : Qui interrogati, veritatem ostendere queunt. *Deinde visus est Jacobo.* Revera non illa est hæc apparitio, qua cum aliis eum viderat, sed singularis. Ipse vero in multis argumentis se ostendere voluit ; hoc est, viritim Petro, nunc Jacobo, nunc etiam mulieribus, ac deinde discipulis omnibus, et aliis cæteris, ut quo ejus resurrectio manifesta fieret, eo in cordibus credentium nulla dubietas remaneret. *Deinde apostolis omnibus.* Forte et supra dixerat undecim apostolis : hic septuaginta vult intelligi quoniam et ipsi missi.

Sequitur : *Novissime autem omnium*, etc. Nam, quia dicit *novissime*, omnes illæ aliæ apparitiones ante factæ credendæ sunt, sive ante, sive post ascensionem. Novissime videlicet ; quia post omnes credidit, et quia jam non in terra, sed in cœlo præsidens. Abortivum dicimus, quod non suo tempore nascitur. Abortivum se dicit Apostolus ; quia non in præsentia Domini credidit, vel certe, quia imperfectum eum, id est mortuum synagoga genuit ; C sive quia Ecclesia de ejus conversione diffidebat.

Sequitur : *Visus est mihi* in via (*Act.* ix, 3), visus est in templo. Sequitur : *Ego enim sum minimus apostolorum ;* non merito, inquam, non opere, non gratia, sed tempore. *Qui non sum dignus vocari apostolus.* Quare ? *Quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Nota, quia, cum non commisisset post baptismum quæ defleret, ea quæ ante baptismum commiserat, jam dimissa deflebat. Meminerat, inquam, Domini dicentis per prophetam (652) : *Ego sum, ego sum, qui deleo ut nebulam peccata tua, et peccatorum tuorum non recordabor amplius* (*Isai.* xliii, 25) ; tu vero memor esto. Ubi solerter attendendum est, quantum nos oporteat ea, quæ post baptismum D commisimus, deflere. Melius est enim ea, quæ ante baptismum commisimus, deflere, quam ea, quæ post baptismum commisimus, oblivioni tradere. Hoc magnum malum est, illud vero magnum bonum. Hoc enim agebat Apostolus, quia Domini reminiscebatur sententiæ, dicentis : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* xxiii, 12 ; *Luc.* xiv, 11). Et, qui se dejiciebat, ut exaltaretur decebat.

(652) Isa. xliii, 25, 26. Vulg. : *Reduc me in memoriam.*

(653) Notetur hæc sententia.

Sequitur : *Gratia Dei sum id quod sum ;* quasi diceret : Multa sunt merita, sed mala : et, quia pro malo redditum est illi bonum, ait : *Gratia Dei sum id quod sum ;* id est, quod sum fidelis, quod Apostolus, quod doctor gentium in fide, et veritate, non mei est meriti, sed divinæ gratiæ. His verbis condemnat, et reprimit eorum temeritatem, qui et libero se jactantur arbitrio : at ille, qui divina commendatur gratia, ne alienus a libero videatur arbitrio, inquit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit*, sive egena. Quare non vacua ? Quia meum velle prævenienti gratiæ sociavi (635). Subjunxit et verba ad eumdem sensum attinentia : *Sed plus omnibus laboravi.* In eo namque, quod dicit, *plus*, monstratur quia major est illi data occasio laborandi quam cæteris apostolis, eo quod officium apostolatus B accepit in gentibus. Cæteri quippe apostoli, qui officium apostolatus in circumcisionem acceperant, cum Judæi notitiam legis, et prophetarum haberent, et unum Deum esse nossent, facilius poterant cordibus eorum inculcare Deum habere Filium, qui missus a Patre, carnem susceperit, et patiendo genus humanum redemerit ; esse etiam et Spiritum sanctum. Huic scilicet prima necessitas incumbebat, ut idola destrueret ; deinde unum esse Deum creatorem omnium ostenderet ; exinde Filium habere, qui missus etiam a Patre, suscepta carne, patiendo, genus humanum redemerit ; esse et Spiritum sanctum : tria vocabula, tresque personas, unum tamen esse Deum. Ac per hoc plus omnibus laboravit. Quapropter, ne sibi hoc ascribere videretur, mox addidit : *Non autem ego* : ubi, cum dicit, *non ego*, non se ostendit non laborare, sed absque gratia laborare non posse. Unde et mox addidit : *Sed gratia Dei mecum.* Quibus verbis ostendit (654), quia nec gratia sine libero arbitrio, nec liberum arbitrium sine gratia hominis salutem operatur. Attamen operatur gratia sine libero arbitrio, præveniendo, quemadmodum istum de cœlo vocando.

Sequitur : *Sive enim ego, sive illi*, etc. De quibus dicit ? De illis videlicet, quibus se plus dixerat laborare. Quibus verbis ostendit, quia non sibi minor auctoritas foret in prædicatione, *sic prædicamus*, ut omnium, inquam, resurrectionem crederetis. *Sive ego, sive illi*, ideo dicit, ut a generali omnium doctrina, et fide puderet eos fore alienos.

Sequitur : *Si autem Christus prædicatur in vobis, quod resurrexit a mortuis*, etc. Egregio vero argumento concludit eos, ut aut utrumque negent ; hoc est, ut, si Christum credunt resurrexisse, credant et aliorum resurrectionem ; et, si negant aliorum, negent et Christi. Unam namque ex altero confirmat Apostolus. Iste enim syllogismus non est dialecticorum, sed rhetorum, et dicitur imperfectus, quia

(654) En sententiam divi Augustini circa gratiam et liberum arbitrium.

constat ex propositione, assumptione et conclusione. Perfectus syllogismus constat ex propositione et conclusione ; ut si dicas : Est omnis virtus utilis ? Et respondeas, utilis ; et assumas : Est castitas utilis ? Et respondeas : Utilis ; et post hæc concludas : Ergo et castitas virtus est. Apostolus quoque proposuit, et conclusit, quasi dixisset : Resurrexit Christus ? Illi si dicerent, resurrexit, concluderet ipse : Resurgent et cæteri. Et item : Non resurgent alii ? Si responderent, non, ille concluderet : Neque Christus resurrexit. Pseudo quippe apostoli negabant Christum resurrexisse : quia et negabant eum natum : qui, ne ab amatoribus humanæ sapientiæ despicerentur, qui stultum judicabant Deum hominem factum, et passum, decipiebant simplices, et suæ partis faciebant. De talibus dicit Joannes : *Qui non confitetur Christum in carne venisse, hic est antichristus* (*I Joan.* IV, 3). Et item : *Qui negat Filium, nec Patrem habet* (*I Joan.* II, 23). Hi etenim, licet aliquos decepissent, et suæ partis eos fecissent, erant tamen nonnulli inter eos, qui Christum resurrexisse credebant, de aliorum resurrectione dubitabant. De illis dicit : *Quomodo quidam.* Non omnes, sed multi tamen erant hoc errore decepti.

Sequitur : *Si autem Christus non resurrexit* (subauditur, neque cæteri) : et, si ita est, *inanis est ergo prædicatio nostra*, etc. : facit enim adversus illos. Nam quis libenter audiat hoc se negare, et inutile judicare, quod prius crediderat, et bonum approbaverat ? Et ideo dicit : *Inanis est fides vestra*, ut cum hoc audirent, confunderentur, et ad pristinam fidem reverterentur. Ad hoc etiam respicit, quod inferius ait : *Adhuc estis in peccatis vestris.* Quis enim libenter audiat se esse in peccatis, quorum se veniam credidit consecutum ? Et idcirco dixit : *Adhuc estis in peccatis*, ut illi non æque ferrent, et confusi ad pristinam fidem reverterentur. Quapropter dicit : *Invenimur et falsi testes Dei*, etc. Non dicit, inimici, quia inimicus dicitur qui contraria sentit, vel minus dicit. Isti falsi esse poterant, quia magna de Deo dixerant, si hoc verum esset, quod illi dicebant, ac si aliis verbis dicat : Nos quidem falsi, quia et ipse falsus ; quia tertia promisit die resurrecturum, et vobis per aquam baptismatis veniam daturum : si ita est, ut dicitis, quia adhuc estis in peccatis. Sequitur : *Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* Ideo hoc dicit, ut sicut non æque ferre potuerunt, audierunt se hoc negare, quod prius crediderant ; et adhuc esse in peccatis, quorum veniam se consecutos sperabant ; sic non æque ferrent, dum audierint frustratam spem suorum charorum. Quod dicit, *dormierunt*, duobus modis : vel qui sub hac spe ab hac vita transierunt, vel qui corpora sua sub hac spe martyrio tradiderunt.

Sequitur : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes essemus*, etc. Et est sensus : Non tantum in hac, sed potius sumus in futura sperantes : quoniam Christus et in hac vita suos salvat, et post hanc feliciter remunerat. *Nam si in hac tantum vita sperantes essemus, miserabiliores omnibus essemus hominibus* quoniam pagani saltem hic suis delectationibus fruuntur ; nobis vero quid jejunia, quid oratio, quid vigiliæ, quid casta vita prodessent ? Solent nobis pegani dicere : Vos, qui in Christum creditis, quid magis habetis ? Hujus vitæ bonis non magis abundatis. Sed magis, inquam, habemus ; quia vitam credimus futuram, quæ incomparabiliter melior est, quam ista.

Postquam eorum confessionem exprobravit, aggressus est manifestare resurrectionem. Ait enim : *Nunc autem Christus resurrexit, primitiæ dormientium ;* quia primus ipse ad immortalitatem transivit ; quia etsi alii ante eum resurrexerunt, ad corruptionem redierunt. Nota, quia *per hominem*, et mortem dicit et resurrectionem, sed non tamen per eum resurrectio, per quem mors : facit enim primi, et secundi Adæ mentionem. Primus Adam suo peccato invenit mortem ; secundus Adam, id est, Christus, sua justitia resurrectionem. Qui essent hi duo, ostendit, cum subjunxit : *Sicut in Adam omnes moriuntur*. Ipse quia peccando mortem incurrit, omnes, qui ex eo descendunt, mortem incurrunt et animæ, et corporis. Quod vero dicit : *Ita et in Christo omnes vivificabuntur*, ne contrarium videatur, quia non omnes vivificantur, sic intelligendum est : quia omnes, qui vivificantur, in Christo vivificantur.

Manifesta resurrectione, quia ejusdem voluit ordinem demonstrare, subjunxit : *Unusquisque in suo ordine :* qui ordo non malis, sed dabitur in Christo vivificatis. *Primitiæ Christus*, ut supra. Sequitur : *Deinde qui sunt Christi :* qui sunt, *qui in adventu ejus crediderant* (subauditur, resurgent). Cum dicit : *Deinde finis*, ostendit quia et resurrectio, atque judicium malorum, ad istam vitam pertinebunt. Finis non erit consumptionis, sed consummationis.

Sequitur : *Cum tradiderit regnum Deo* (quia homo), *et Patri* (quia Filius). Sed iste sermo, id est, *tradiderit*, multos scandalizavit minus intelligentes, qui dixerunt quia, cum tradiderit, desinet regnare. Quod si ita est, ergo et Pater desiit regnare, quia omnia Filio tradidit, sicut ipse dicit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* XI, 27). Sed quis non agnoscat quam stultum sit hoc dicere ? Ergo tradidit Pater, et non amisit, quia cum Filio possidet ; tradet Filius, et non amittet. Quid igitur est tradere ? Manifestare, inquam ; ut qui prius in suis regnabat per fidem, regnet per apertam manifestationem, et qui prius eum videbant per speculum et ænigmata, tunc facie ad faciem.

Sequitur : *Cum evacuaverit omnem principatum*, etc. Evacuabit principatum, etc. ; quia ostendit unum esse principem, et regem ; et omnem principatum, etc., sive in cœlis, sive in terris, ab illo esse ; et non illis, sed in solo isto esse confiden-

dum (655). Non defuerunt qui in hoc loco aereas potestates intellexerunt, quas ille evacuabit ; quia diabolum cum suis omnibus satellitibus condemnabit, dicendo : *Ite, maledicti*, etc. Hi vero jam ultra non habebunt potestates principandi in hominibus, et suis viribus subdendi, et virtutes : quia non habebunt facultatem uspiam progrediendi, vel vagandi ; sed una erit omnium civitas.

Sequitur : *Oportet autem illum regnare*, id est, convenit, et expedit : *donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* (*Psal.* CIX, 1) ; hoc est, vel illos subjiciat fidei qui sunt ejus inimici, ut conversi fiant amici ; id est, omnes, qui prædestinati sunt, convertantur ; vel certe omnes contrarios fidei puniat. Sane sciendum, quia *donec* non pro finito accipiendum est (656). Solet etiam accipi pro conjunctione, ut illud : *Sicut oculi ancillæ* (657). Potest et hic pro conjunctione accipi. Sequitur : *Novissima autem inimica destruetur mors*. Ad ordinem resurrectionis respicit, sive, ut nonnulli dicunt, mors diabolus appellatur : *destruetur mors* ; id est, mortis auctor punietur. Unde est illud : *Infernus, et mors missi in stagnum ignis* (*Apoc.* XX, 14).

Omnia subjecit sub pedibus ejus. Omnia, inquam, subjecit, ut ipse ait : *Data est mihi omnis potestas* (*Matth.* XXVIII, 18), etc. ; et Apostolus inquit : *In nomine Jesu omne genu flectatur* (*Philipp.* II, 10), etc. Attamen sciendum, quia altera creaturarum subjectio est, altera vero Ecclesiæ : illæ quoque Creatoris dominationem sentiendo ; hæc vero sui Redemptoris gratia fruendo, et eidem membra capiti inhærendo. Sequitur : *Cum dicat : Omnia ei subjecta sunt*, etc., usque ubi ait : *Tunc et ipse Filius subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia*. Hic erigit Arius aures, et dicit, quia recte Filius minor Patre dicitur ; quoniam et Apostolus dicit fore subjectum. At vero quicunque hac sententia scandalizatus non erit ; quia subjectio non semper pro minoratione ponitur, sed aliquando etiam pro charitate. Idem Apostolus dicit : *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est* (*I Cor.* XIV, 32). Nunquid minoratione ? Non ; sed charitate. Ille etiam, qui incomparabiliter major omnibus est, subjectus dicitur parentibus suis (*Luc.* II, 51) ; non, inquam, minoratione, sed charitate. Sic et charitate subjectus est Filius Patri propter unitatem ; quia una est eorum potestas, una est essentia, etc. Sed quia qui Pater est, a nullo est ; Filius vero, quia a Patre est, et Deus de Deo, et lumen de lumine : propter hoc dicitur ei subjectus. Alii vero dicunt quod, sicut in membris suis esurire, sitire, et compati dicitur ; sic et in eisdem dicitur subjectus. Ecclesia quidem subdita est Deo, sed non ex toto : et, quia membra, et caput unum sunt corpus, cum fuerint omnia membra subjecta, tunc et Filius in eisdem subjectus est Patri. Alii vero dicunt quod, quemadmodum secundum humanitatem minor Patre dicitur, secundum eamdem subjectus dicatur. Nam neque divinitas in humanitatem, neque humanitas versa est in divinitatem, sed ab ipsa est divinitate assumpta, quia ipsa humanitas semper manebit. Ideo dicit : Tunc erit igitur Filius Patri propter humanitatem assumptam subjectus ; sed quia in dextera ejus sedet (*Act.* VII, 55 ; *Rom.* VIII, 34 ; *Coloss.* III, 1), non minor eo credendus est.

Sequitur : *Ut sit Deus omnia in omnibus* ; hoc est quantum ad societatem, beatitudinem, immortalitatem, et cætera attinet, ipse erit in omnibus, id est, omnibus : ipse namque totus erit cibus, potus, tota satietas, et quidquid dici potest, quod ad beatitudinem attineat, totum ipse erit. Cœperat Apostolus loqui de resurrectione, et cœpta intentione perseverans dicit : *Alioquin quid facient qui pro mortuis baptizantur* ? Quibus verbis apertissime evidentissimam, atque certissimam mortuorum ostendit resurrectionem. Nonnulli enim adeo certi erant de resurrectione, ut si mors aliquos eorum charos occupasset, priusquam baptizarentur, ipsi, timentes ne forte non resurgerent, aut certe male resurgerent, baptizarentur pro eis. Et ideo dicit : *Quid facient ?* Ac si dicat : Si ita est, frustratur eorum spes ; unde et in sequentibus, quod *et pro illis baptizantur*. Notandum sane, quia hoc exemplo non approbabat eorum factum, sed certam ostendit resurrectionem. Alio vero sensu, *quod pro mortuis*, potest intelligi, corporibus suis.

Sequitur : *Ut quid et nos periclitamur omni hora !* Quasi diceret : Si mortui non resurgunt, quare nos quotidie periclitamur ? hoc est, diversas passiones, et persecutiones, et adversitates patimur ? Sed nota, quia non dicit, ut quid nos, sed, *ut quid et nos :* quæ particula secernens se, suosque ab illis, ostendit eos, qui pro mortuis baptizabantur, non esse catholicos, nec religiose agere. Illud sciendum, quia multum erat sollicitus Apostolus pro Corinthiorum profectu, atque salute ; ex ideo dicit : *Quotidie morior per vestram gloriam*. Pelagius dicit quia *per* non semper pro juramento accipitur : nam cum dicimus, per puerum misi, et similia, non juramenti est Augustinus vero dicit quia particula, quæ apud Græcos in hoc loco ponitur, pro juramento accipitur ; ut sit sensus : Testor et juro per vestram gloriam. Quapropter quærendum est, cur Apostolus tam in hoc, quam in aliis locis frequenter juret cum Dominus dicat non esse jurandum. Sed, quia ille prohibet, hic jurat, monstratur juramentum non esse malum : attamen nemo eo debeat uti, ne forte per ipsius assiduitatem incurrat perjurium : quod ipse Dominus manifestat, dum non dicit quod amplius malum est, sed a malo (*Matth.* V 37).

(655) In autog. *confitendum*. Videsis, lector, quomodo rectius.

(656) Id est, non ut temporis terminus, sed ut *semper ;* subjectio enim inimicorum non solum Christi imperium non finiet, sed potius augebit.

(657) Psal. CXXII, 2 : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Sequitur : *Quam habeo in Christo Jesu* : ac si dicat : Ego quidem per salutem vestram sollicitus sum ; vos autem sive velitis perficere,sive non, ego tamen mei laboris mercedem habeo, gloriam in Christo Jesu repositam. Sequitur : *Si, secundum hominem, ad bestias pugnavi Ephesi,* etc. Bestiales quippe homines, bestias appellat, qui, cum intelligerent ad prædicationem Apostoli templum Dianæ evertendum,popularem adversus eum excitaverunt seditionem ; sive illos appellat bestias, de quibus dicit Psalmista : *Ne tradas bestiis animas confitentium sibi* (*Psal.* LXXIII, 19). Bestias vero dæmones vocat. Anima quoque sæviores (658) bestias non habet.Nam sive hos, sive illos intelligas, adversus utrosque pugnabis.Quid enim mirum,si feroces homines bestias appellat, cum ipse Neronem vocet leonem ? *Dominus*, inquit, *eripuit me de manu leonis* (*II Tim.* IV, 17); hoc est, Neronis ; quoniam bis fuerat ei oblatus.Quod vero ait,*secundum hominem*,intelligendum est secundum humanum sensum et æstimationem.

Sequitur : *Manducemus et bibamus*, etc. Hoc in Isaia legitur (*Isa.* XXII, 13). Loquitur propheta his verbis adversus Epicureos, qui resurrectionem negabant (659). Epicurus namque dixit: Cum mortuus fuero, jam non ero : qui etiam summum bonum esse dixit,homines suis satisfacere desideriis, propter quod et porcus appellatus est. Pseudo quoque apostoli,etsi Christi resurrectionem credebant,cæterorum quippe negabant : et ideo illorum sumens vocem dicit : *Manducemus et bibamus*; etc. ; ac si dicat : Si resurrectio mortuorum non est, ergo donec vivimus,nostris desideriis satisfaciamus. Et ne eorum deciperentur doctrinis,subjunxit : *Nolite seduci*. Sed quia poterant dicere : Ita nos parvos æstimas,ut decipi nos posse credas ? ipse addidit: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*.Quibus verbis ostendit,quia sæpe consortia pravorum hominum,sanctos,et probos mores dissipant ; et idcirco vitanda sunt,maxime tamen in primordio fidei, et alicujus religionis,et bonorum operum ; quia dona tenera sunt, ceu arbusta, et paries necdum a suo exsiccatus humore,facile quidem possunt everti.

Sequitur : *Evigilate juste* (660). Vigiliam scilicet,non tam corporis, quam mentis docet. Hoc enim monet, ut oculos mentis semper apertos habere studeamus, ad evitandas dæmonum insidias In quibusdam vero exemplaribus invenitur : *Evigitate justi, et sobrii estote*,etc. Sed, sive *juste*, sive *justi* legatur, quam justitiam commendet attendendum est,utrum divinam, an humanam. Bumana quoque justitia est aliena non rapere : quæ justitia sicut non condemnat,sic etiam non justificat.Ergo non hanc,sed divinam commendat Apostolus, qua sola homines justificantur. Illa est, inquam, divina, quæ non solum aliena non rapit, sed sua potius largitur. Nota, quia non solum monuit eos juste vigilare, sed etiam nolle peccare. Sic enim dicit : *Nolite peccare*. Duobus quidem modis homines peccant: illicita committendo,et jussa non implendo ; et quia his modis Corinthii peccabant, monendo dicit : *Nolite peccare*.

Sequitur : *Ignorantiam enim Dei quidam habent*. Ad hoc respicit, quod paulo superius dixit : *Manducemus et bibamus*, etc. : pseudo quoque apostoli ignorantiam Dei habent, quia amissa fide resurrectionis, nihil post hanc vitam esse credebant. Sequitur : *Ad verecundiam* (661) *vobis loquor*. Illis vero, quia his, qui ignorantiam Dei habent, fidem accommodaverunt ; ideo dicit : *Ad verecundiam*, etc. : quatenus audientes verecundarentur, et confusi ad pristinam fidem reverterentur. Assumpsit itaque illorum vocem Apostolus, quos ignorantiam Dei habere dixerat, et ait : *Sed dicit aliquis*: *Quomodo resurgent mortui ?* etc, Hoc etenim solent quærere, qui resurrectionem negant. Sequitur : *Insipiens, tu quod seminas* ? etc. Bene nempe eum, qui resurrectionem negat, insipientem vocat, quoniam nihil insipientius quam eum, qui omnia ex nihilo creavit, mortuorum corpora de terræ pulvere resuscitare posse negare. Illud sane notandum, quia non legalibus,non etiam propheticis adversus eos utitur exemplis, quoniam erant insipientes, sed de insensibilibus, et irrationabilibus creaturis. *Ut enim tu, quod seminas*, etc. Quasi diceret : Sicut illud, quod tu seminas,prius moritur,et post vivificatur, sic et homo. Sequitur : *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas*, etc. Et est sensus : Sicut tu non corpus, sed nudum granum seminas ; et postea cum corpore, hoc est, multiplicate resurgit ; sic et nudum corpus in sepulcro ponitur, et postmodum cum multiplicatione resurget, non numerorum, sed meliorationis.

Sequitur : *Deus dat illi corpus prout vult*, etc. In eo enim, quod ait, *vult*, sive unicuique seminum, ut voluit, monstratur ; quia non alia ex terra nascuntur, quam quæ Deus in initio creavit : similiter et non alia corpora, quam quæ in sepulcris ponuntur, resurgent : quod Job evidenter ostendit, cum dicit: *Rursus circumdabor pelle mea* (*Job.* XIX, 26), etc.

(662) Sequitur : *Non omnis caro, eadem caro*, etc, Ac si dicat : Quid mirum, si ex terræ pulvere mortuorum corpora Deus resuscitat, qui ex una massa, atque impensa, diversas rerum species creavit, et condidit ? Quo in loco reprehendendi sunt philosophi gentilium, qui dicunt se stellarum cœli numerum, atque ærenæ maris, et guttarum, ad liquidum comprehendere posse. Hic enim admoniti sunt ut

(658) Autog. *seniores*. Fortasse etiam recta hæc lectio.Antiquiorem enim inimicum dæmonibus anima non habet.

(659) Jam enim Epicureorum opinio esse poterat,quamvis Epicurus eorum auctor non nisi aliquot sæculis post Isaiam in mundum venerit.

(660) Vulg. *justi*.

(661) Vulg. *reverentiam*.

(662) In marg. legitur Dominica XI post Pent.

semetipsos comprehendant,si queant ; si autem se comprehendere queunt, ad alia convertantur. Hi quoque, quia humiliter divinæ sapientiæ se subdere noluerunt,ad veræ scientiæ indagationem pervenire non promeruerunt.

Per varietatem quoque corporum varia designantur merita resurgentium. Deus enim, sicut ex una massa, atque impensa diversas species animalium creavit, sic et unius naturæ homines resuscitabit : attamen nou omnes æqualis erunt meriti.Quid enim mirum, si in diversis naturis varietas inveniatur, cum in una eademque natura hominum magna sit varietas,adeo ut unusquisque suo vultu agnoscatur?

Sequitur : *Et corpora cælestia,et corpora terrestria.* Dederat quidem similitudinem de rebus terrenis;dat et de cœlestibus. Scilieet per cœlestia vult intelligi corpora rrsurgentium, et per terrestria, morientium. Et ideo dicit : *Alia cœlestium gloria*, etc.Cœlestia quidem corpora sunt sol, et luna, et stellæ. Unde et mox sequitur dicens : *Alia claritas solis*,etc. Per varietatem namque istorum corporum, resurrectionis similiter designatur varietas. Nam, sicut claritas solis major quam lunæ, quam stellarum, sic et varia erunt resurgentium merita.Et ideo dicit *Sicul stella a stella differt.* Illud tamen notandum, quis faciet hanc veritatem : nunquid vitia ? Non, sed virtutes : quia illud regnum vitia possidere non queunt.

Sequitur ; *Seminatur in corruptione;* quia corpus ad hoc sepelitur, ut corrumpatur : *surget in incorruptione ;* quia reddetur incorruptum. Sequitur : *Seminatur in ignobilitate*: quoniam nihil ignobilius quam vermibus scatere, in terra poni, et similia : *surget ad gloriam :* quia transibit ad immortalitatiem. Sequitur: *Seminatur in infirmitate :* quoniam nihil infirmius, quam sensibus omnibus carere ; adeo ut, si moveatur, non sentiat : *surget in virtute* quia per Dei virtutem resuscitabitur.

Sequitur : *Seminatur corpus animale.* Animale, animatum intellige : neque enim animale corpus ipsam animam intelligere debemus, sicut et spirilale, non ipsum spiritum.Si autem spiritale corpus spiritus esse intelligeretur, non Dominus diceret discipulis : *Palpate, et videte* (*Luc.* xxiv, 39) etc. : ergo animale corpus, mortale, et spiritale, immortale. Hunc locum libri Genesis verba exponunt, quibus dicitur : *Spiravit Dominus in faciem hominis spiraculum vitæ*, etc. *In nnima vivente* (763) dicit, quia animalis factus est : hoc est,mortalis sic conditus est, ut mori posset,si vellet : qui si non peccasset, quandoque absque mortis carnis corruptione ad gloriam angelorum transisset;sed,quia mortalis ipse factus est, peccando omnes quos genuit, mortales genuit. Omnes nos animalia simul, et mortalia habemus.Tali etiam corpore venit ad nos Dominus Jesus, qui cœlesti corpore potuit venire, si vellet ; sed, quia redimendi eramus ejus passione, mortali corpore ad nos dignatus est venire : quod, eadem celebrata tertia die vexit ad immortalitatem.

Sequitur : *Si est corpus animale*, id est, mortale, *et spiritale*, id est, immortale. Quia, sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Sequitur : *Sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in anima vivente* (*Gen.* ii, 7),etc. Ubi animadvertendum,quia adeo se humiliavit Dominus Jesus,ut non solum fragilitatem nostræ carnis suscipere,sed et homo vocari dignatus esset.Sequitur : *Sed non prius quod spiritale,* etc. Præcedit *animale*,hoc est,mortale : quia prius moritur, postea resurget.Fecerat paulo superius duorum hominum mentionem, hoc est, primi Adæ, et secundi : ut eorumdem distingueret merita subjunxit : *Primus homo de terra, terrenus* ; videlicet, quia ex terræ pulvere fuerat creatus : *secundus homo de cælo, cælestis*, scilicet, quia non ex admistione maris et feminæ, sed ex Spiritu sancto et Maria virgine fuit conceptus,et natus.Illud tamen sciendum. quia non defuerunt, qui illum non veram carnem ex Maria sumpsisse, nec verum humanum corpus habuisse dixerunt (664); propterea quia cœlestem eum vocat Apostolus.Illi ergo audiant necesse est, quod idem dicit : *Qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Illos dicit cœlestes qui ipsum imitantur,quos non dubium est homines esse : ergo, si isti eum imitando cœlestes fiunt, non est contrarium si et ille cœlestis dicatur qui ex Spiritu sancto et Maria virgine conceptus fuerat et natus.

Sequitur:*Qualis terrenus,tales et terreni*;quia corruptibilis corruptibiles,mortalis mortales,peccator genuit peccatores.Sequitur : *Qualis cœlestis,tales et cœlestes ;* quoniam,sicut ipse ex Spiritu sancto,et Maria virgine conceptus est,et natus: sic etiam per gratiam ejusdem spiritus,et aquam baptismatis homines spiritales,et cœlestes efficiuntur,Unde idem Apostolus: *Quotquot in Christo baptizuti estis* (*Gal.* iii, 27). *Rom.* vi. 3), etc. Sequitur : *Igitur, sicut imaginem terreni*, etc. Quid est hoc, quod dicit ? Monet quidem ut, sicut fuimus imitatores primi Adæ, moriendo studeamus esse secundi, resurgendo. Illud vero notandum, quia quisque, cujus rei cultor est, illius dicitur imaginem portare.Ergo non primi hominis imaginem solummodo,moriendo (665),portamus, aut,resurgendo,secundi ; sed etiam in moribus. Quapropter illi,qui aut immunditia polluuntur aut in fastu eriguntur superbiæ, aut cæterorum vitiorum peste corrumpuntur, imaginem primi hominis portant ; illi vero,qui mentis,et corporis puritatem, humilitatem, patientiam, cæterarumque pietatem virtutum studentservare, secundi hominis imaginem non cessant portare.

Sequitur : *Hoc autem dico, fratres.* etc. Hic quo-

(663) *Gen.* ii, 7,. Vulg. *In anima viventem.*
(664) Apollinaris scilicet discipuli, et alii.
(665) Autog. *resurgendo.*

que quærendum est,quare dicat carnem,et sanguinem regnum Dei non possidere, cum ipse superius resurrectionem corporum docuerit, et diversis eam similitudinibus confirmaverit : sibi namque ipsi videtur esse contrarius. Sed tamen non est. Nam, si alicui contrarium videtur, noverit, quia in Scripturis divinis unus idemque sermo varias solet habere significationes, veluti tentatio, et multa alia. Et caro similiter in eisdem Scripturis variis modis ponitur. Ponitur quidem pro culpa, ut illud : *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Gal.* v,17), 17), etc.;et pro mortalitate, ut illud : *Memoratus est quia caro sunt* (666), etc. Ponitur etiam pro veritate naturæ, ut illud : *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Isa.* XL., 5 ; *Luc.* III, 6). Sic et in hoc loco caro corruptionem significat. Possidebit ergo caro regnum Dei per veritatem naturæ, sed non possidebit per culpam, et corruptionem.Nemini quidem laborandum est in hoc loco, quia ipse Apostolus exponit, dum subjungit : *Neque corruptio incorruptelam.*

Sequitur : *Ecce mysterium vobis dico.* Mysterium Græcus sermo est : Latine dicitur occultum,vel invisum. Ecce promittit se mysterium dicere, et forte hoc est quod sequitur : *Omnes*, inquit, *resurgemus*, etc. His verbis ostendit, quia et bonorum simul,et malorum erit resurrectio: sed justorum solummodo immutatio. Sequitur : *In momento,in ictu oculi.*Momentum dicitur a motu siderum : est enim brevissima pars horæ. Iiis quoque verbis certissimam,ac velocissimam monstravit resurrectionem : neque enim aliis verbis potuit eam velociorem ostendere, quam ut sic cito,velut est palpebrarum tactus,et in momento celebrari diceret. Quod autem ait, *in novissima tuba*, et *canet enim*, non intelligendum est, quod ipse auctor ressurrectionis corporeus sit,aut corporem vocem emittat ; aut certe angelus, qui minister erit resurrectionis, tuba corporea canat ; srd talis vox intelligenda est, quæ a tali creatura emitti possit, hoc est, spiritali, quam omnes quidem mortui audient, et resurgent. Quopropter adjunxit : *Et mortui resurgent incorrupti.* Ipse quoque distinguens bonos a malis dicit : *Et nos immutabimur.* Sequitur : *Mortale hoc oportet induere immortalitatem*, etc. Oportet, id est, convenit, et expedit, ut quod promisit, adimpleatur.

Cum autem mortale hoc induerit imortalitatem, usque, *absorpta est mors in victoria.* Hoc enim secundum antiquam Septuaginta interpretum translationem in Osee scriptum invenitur (*Ose.* XIII, 14). Apostolus autem credendus est tam hic.quam et in aliis locis exempla, juxta veritatem Hebraicæ bibliothecæ hoc testimonium posuisse, cum Hieronymus ad integrum didicerit Hebræam linguam,et in ejus non inveniatur translatione, Quapropter, ne contrarium hoc videatur credendum est posuisse hoc testimonium juxta translationem Septuaginta interpretum,quæ jam diffamata erat per totum orbem, ne forte suos scandalizaret auditores. Illud autem sciendum, quia hæc vox, qua dicitur, *absorpta est mors*, triumphatorum erit : cumque divicta morte, ad immortalitatem transierint, illudendo dicent : *Ubi est, mors, victoria tua ?* Evacuata est, quia tu, quæ vincebas in morientibus,vinceris nunc in surgentibus.Ubi est etiam victoria tua,qua totum genus humanum possidebas, adeo ut etiam Filius Dei veniens tecum confligeret, et non te declinando,sed potius suscipiendo superaret ? Sequitur : *Ubi est stimulus tuus*, sive aculeus, quo totum genus humanum vulnerasti, et venenatum possedisti ? Tua namque victoria temporalis fuit ; nostra vero æterna est. Protulit vocem triumphatorum, et eamdem exposuit, cum subjunxit : *Stimulus autem mortis peccatum.* Non ideo dicitur stimulus mortis peccatum quod mors fecerit peccatum, sed quod peccatum genuerit mortem : sicut dicitur lignum vitæ, aut scientiæ, non quod fecerit vitam, aut scientiam,sed quod per illud servari possit utraque sic etiam dicitur poculum vitæ. Sequitur : *Virtus vero peccati lex est* ; quia quo aliquid lege prohibetur, eo delectabilius habetur. Prolata, et exposita voce triumphatorum, monet eosdem gratias Deo agere ; quia non suis viribus,sed divina gratia adjuti mortem vicerunt. *Per Jesum Christum* dicit ; quia omnis victoria in ipso constat : ipse namque primus mortem vicit, et suis exemplum vincendi tribuit.

Itaque, fratres mei dilecti. Post multas correctiones, non solum fratres,sed et dilectos appellat, ut saltem hoc remedio sublevati ad pristinam fidem reverterentur. Sequitur : *Stabiles estote immobiles* (667) ; et quia non sufficit in fide stabilem esse,addidit, *abundantes :* et, quia potest homo in malis abundare,subjunxit : *In opere Domini* ; et,quia non satis est ad tempus in opere Domini abundare,adjunxit, *semper*. Sequitur : *Scientes quod tabor vester non sit inanis* ; ac si diceret : Sicut scio me quoque mei laboris mercedem recepturum, sic et vos scientes estote vestri laboris vos recepturo mercedem, quoniam labor in Domino inanis esse non potest.

(668) CAP. XVI.) Sequitur : *De collectis autem, quæ fiunt in sanctis*, etc. Collecta est diversarum opum collectio.Collectæ dicebantur,quæ per singula Sabbata colligebantur, et mittebantur pauperibus, qui erant Jerosolymis:de quibus et in Actibus apostolorum legitur,quia vendebant omnia sua et defe-

(666) Psal. LXXVII, 39, Vulg. *recordatus.*

(667) In aliquibus Vulg. *stabiles estote, et immobiles :* in aliquibus vero legitur, *stabites estote, immobiles* absque partic. *et :* in autog.nostro legebatur, *stabiles estote, quia immobiles.* Particulam *quia* expungendam duximus, quæ nullum reddere videbatur sensum : nisi forte lectori potius arrideret legere *stabiles estote, qui jam mobiles*, id est, in fide resurrectionis minus constantes apparuerant.

(668) In antog marg. hic legitur cap. LXVI.

rebant ad pedes apostolorum (*Act.* IV, 34, 35), et dividebantur unicuique, prout opus erat. Quibus pretiis consumptis, pauperes ultra quid venderent, vel unde sustentarentur, non habebant: et ideo decreverunt sancti apostoli, maxime Paulus et Barnabas, ut per singulat regiones facerent collectas, quas mitterent sanctis, qui erant Jerosolymis: et de ipsis dicit: *De collectis autem, quæ fiunt*, hoc est, pro sanctis. Primitiva quoque Ecclesia ad Jerusalem cœperat; unde scriptum est: *De Sion exibit lex* (*Mich.* IV, 2; *Isa.* II, 3), etc. Gentiles vero, quia ab eadem doctrina evangelicam fidem, ac sanctarum Scripturarum notitiam acceperant, dignum erat, ut collectas facerent, et eorumdem pauperum inopiam sustentarent. Unde idem alibi: *Si spiritalium*, inquit, *eorum participes facti sunt gentiles* (*Joan.* XV, 27); et in hac Epistola: *Si nos vobis spiritalia seminavimus* (I *Cor.* IX, 41), etc. Poterat illis esse ordinatio Ecclesiarum Galatiæ ad salutem; et ideo dicit: *Sicut ordinavi*, etc. Sed quia minus nota esse poterat, ideo eamdem manifestare curavit. Ait enim: *Per unam Sabbati*, etc. Unam Sabbati, primum Sabbati vocat, hoc est diem Dominicum: unde in Evangelio: *Una Sabbati* (*Matth.* XXVIII, 1; *Marc.* XVI, 2; *Luc.* XXIV, 1; *Joan.* XX, 1). Die quoque Dominico monuit fieri collectas, quando ad communem exhortationem, et profectum conveniebant. Decebat, ut eo etiam die convenirent ad sanctorum pauperum sublevationem. Quæri etiam potest, quare non omni die, aut tempore jussit fieri collectas. Idcirco, quia noverat quod et magis colligeretur, et minus gravaret per intervella temporum. Sequitur: *Unusquisque apud se ponat*, hoc est, in secreto thesauri sui *recondens*. Et quia voluntarium munus certum est Deo esse acceptum, ideo in eorum posuit arbitrio, dicens: *Quod sibi placuerit.*

Sequitur: *Ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Multa quoque erant inter eos corrigenda; et ideo monuit, ut prius colligerentur, ne in illis occupatis, quæ corrigenda erant, corrigere, non posset. *Cum autem præsens fuero*, etc. Nota quia in eorumdem posuit arbitrio, ut, quos ipsi probarent, illos per epistolas mitteret Jerusalem perferre collectas. Quatenus dupliciter grati haberentur, et munerum assignatione, et epistolarum commendatione.

Sequitur: *Quod si dignum fuerit, ut et ego eam*, etc. Et est sensus: Si multum collectum fuerit, dignum erit ut et ego eam, quia decet episcopum multa secum deferre, ut multorum inopia sustentetur. *Mecum* (669) *ibunt*, dicit, ut lætiores fierent, dum se cum episcopo proficisci debere audirent. Sequitur: *Veniam autem ad vos*, etc. Notandum, quia non solum adventum suum promittit, sed et diutinum. Quare ergo diutinum promittit? Ideo, ne forte, dum audirent eum juxta transisse, et ad eos non venisse, stomacharentur, et indignarentur, scandalizati, deteriores redderentur. Et hoc est, quod ait: *Nolo vos nunc in transitu videre;* ne forte causa itineris, et non manendi, videretur ad eos declinasse. Alio vero sensu, dum se Macedoniam pertransire dicit, et apud Corinthios diu manere, latenter illos laudat, et istos reprehendit, ac si dicat: In Macedoniam pertransibo; quia nihil tale est illis, ut causa corrigendi necesse sit morari. Apud vos multa sunt, quæ corrigenda sunt; et ideo *manebo*, vel certe *hiemabo*.

Sequitur: *Spero autem me aliquantum temporis manere apud vos*, etc. Animadverte quam caute promiserit illis diutinam sui præsentiam; ait enim: *Si Dominus permiserit.* Sed quare sub tanta cautela? Videlicet, ut si ad eos venisset, et diu mansisset, intelligerent divina dispensatione actum fuisse; si vero non venisset, similiter divina dispensatione actum intelligerent, et non Apostolo, sed sibi imputarent. Hæc etiam cautela nobis commendatur. Sequitur: *Permanebo Ephesi*, etc. Quare? *Ostium*, inquit, *apertum est*, etc., quasi diceret: Multa corda ardentia, et desiderantia fidem ad suspiciendam evangelicam doctrinam parata sunt.

Sequitur: *Sed adversarii multi.* Nam, sicut multi Spiritus sancti gratia incitabantur ad credendum, ita multi dæmonum instinctu, ad persequendum. Ostium quippe ipse est qui dicit: *Ego sum ostium* (*Joan.* X, 7, 9), etc.; et item: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Quid est ergo, dicere, *ostium mihi apertum est*, nisi aliis verbis dicere. Sinus divinæ miserstionis laxatus est suscipere credentes? Sequitur: *Si venerit Timotheus*, etc. Promisit suum, promisit et Timothei adventum: ipse enim non erat ibi, quia missus fuerat ad alias Ecclesias; venturus tamen erat Corinthum. Nam quia episcopus erat et magni meriti cooperator, Apostolus, ideo plurimum sollicitus erat pro illo, ne forte aut pseudoapostoli, aut male credentes insidias illi præpararent, et laqueum incideret mortis. Sequitur: *Opus enim Domini operatur;* ac si diceret: Illum, qui tanti meriti est quanti et ego, et qui coapostolus meus est, dignum est ut honorifice suscipiatis.

Sequitur: *Deducite autem illum in pace*, etc., quasi diceret: Illum, quem cum fratribus omnibus exspecto, et qui tantæ est auctoritatis, dignum est, ut non solum honorifice suscipiatis, sed ut comitatu ad me deducatis, ut in pace veniat.

(670) Sequitur: *De Apollo autem fratres* (671), *notum vobis facio*, etc. His namque verbis ostendit Apostolus se satisfacere voluisse precibus Corinthiorum. Manifestat etiam, quamvis latenter quia ipsi petierunt, ut ad eos dirigeret Apollo, quoniam de ipsis erat. Quod vero distulit venire ad eos, ostendit idem Apostolus non ad se attinere, sed

(669) Autog. *multum.*
(670) In autog. marg. hic legitur cap. LXVII

(671 Vulg. *fratre.*

potius ad ipsum ; quatenus hæc audientes, quare distulerit ad eos venire, intelligerent, videlicet, quod audierit inter eos dissensiones, et scandala; et idcirco hæc intelligentes, suos errores corrigerent, suosque etiam mores mutarent, et Timotheum venientem honorifice susciperent, ut, reverso eo bona de illis narrante, idem Apollo occasionem eundi ad eos sumeret.

(672) Sequitur: *Vigilate.* Non tam corporis,quam potius mentis docet vigiliam. Sequitur: *State in fide.* Hæc enim tam illis convenit qui recesserant, quam his qui in eadem permanserant. Sequitur: *Viriliter agite.* Viri quoque in sacris Scripturis pro perfectis, mulieres pro imperfectis accipi solent : et ideo dicit, *viriliter*, non, more mulierum, enerviter, ac molliter: *Confortamini*, hoc est, in ea fide, ac ipse invicem consolando corroboramini. Ad hæc etiam attinet, quod sequitur: *Omnia vestra in charitate fiant*: quasi dixisset: Unusquisque non suam solummodo quærat salutem, sed fratrum omnium.

(673) Sequitur: *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, et Fortunati*, etc. Hi quoque *primitiæ Achaiæ* dicuntur, quia primi ex ea crediderunt: *in ministerium etiam sanctorum si ipsos ordinaverunt*, quia suppteto sua suorumque necessitate quæque habere poterant, pauperibus erogare decreverant. In eo vera, quod dicit, *ut et vos subditi sitis*, non tam eos subditos, quam potius imitatores eorum, ut alios subditos habeant, optat. Sequitur: *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ*, etc. Isti enim id, quod decrat illis, prædicando, et in fine confirnando suppleverunt. Sequitur: *Refecerunt enim et meum spiritum*, quia quæcunque mihi necessaria sunt,subministraverunt:*et vestrum*, quoniam vestræ charitatis causa hoc egerunt. Sequitur : *Cognoscite ergo qui ejusmodi sunt* ; hoc est, honorate, honorem impendite. Quibus verbis ostendit, quod hi, qui in Ecclesia majoris studii sunt, vel certe, ut doceant, vel ut sua pauperibus tribuant, majori honore digni habendi sunt ; unde idem alibi : *Presbyteri duplici honore digni habeantur* (*I Tim.* v, 17), etc.

(672) In. autog. marg. hic legitur cap. LXVIII.
(673) In autog marg. hic legitur cap. LXIX.

Sequitur: *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Dignum quippe est, ut specialis Ecclesia a generali suscipiat salutationem. Præmissa generali salutatione, subjunxit specialem. Sequitur: *Salutant vos multum in Domino Aquila, et Priscilla*, etc. Isti enim maritus et uxor intelligendi sunt. Hi etiam Paulo conjuncti erant ; et quia magnæ fidei, magnique erant meriti, ideo salutationem eorum direxit : domesticam illorum ecclesiam eos appellat, qui tam eorumdem doctrinis, quam et alimoniis sustentabantur.

Sequitur: *Satutant vos fratres omnes.* Dignum certe est, ut ab omnibus fratribus aliis omnibus salutatio dirigatur, id est, salus optetur. Post omnes quoque salutationes, subjunxit et suam, dicens: *Salutatio mea manu Pauli.* Quam propria manu confirmat, cum subjunxit: *Si quis non amat Dominum Jesum Christum*, etc. Quibus verbis eos percutit, qui amore hominum divisi, alii Petriani, alii Pauliani dicebantur. *Anathema* Hebræus sermo est; interpretatur autem perditus, sive alienus. *Maran Atha* vero, non tam Hebræus, quam Syrus. Sed propter linguæ unitatem fieri potest, ut si compositum linguæ unitatem fieri potest, ut si compositum ex Hebræo et Syro, et interpretetur : *Dominus noster venit:* ut sit sensus : Si quis non amat Dominum, sit anathema, Maran Atha: hoc est, in adventu illius sit perditus, et a consortio justorum alienatus. Adventus quippe ejus,sicut erit glorificatio honorum, ita erit et condemnatio malorum. Et hoc non optantis voto dicit Apostolus, sed potius Spiritu prædicentis. Sequitur : *Gratia Domini Jesu vobiscum.* Et est sensus: Hoc opto, ut illa gratia sit vobiscum quia creati estis, quaque etiam redempti.

Sequitur : *Charitas mea cum omnibus vobis.* Charitas quoque Pauli erat sic aliorum optare salutem, quemadmodum suam (674). Et ideo, *in Christo Jesu*, quasi diceret : Ea charitate vos diligite, qua ego vos diligo ; hoc est, ut non solum vestram, sed omnium desideretis salutem. *Amen*, sermo est confirmationis, quo omnia confirmat superiora.

Finit, Deo gratias.

(674) In autog. marg. hic legitur cap. LXX.

EPISTOLA SECUNDA AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Beati Pauli apostoli secundam Epistolam ad Corinthios lecturi, scire debemus intentionem illius penetrare nos posse, si nos cum illo peregrinos esse recolamus. (675) Omnis enim, qui ad cœlestem patriam tendit, peregrinus est mundo: et quandiu hac vita utitur, quasi in aliena patria commoratur. Verumtamen, quia hæc vita ineffabilibus plena est periculis, atque diversis calamitatibus, idcirco paucorum est vere, perfecteque Deum nosse, aut diligere : hoc est, perpaucis est *præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9) ; id est perpauci sunt, qui ita perfecte Deum cognoscant, ut nec in Dei, nec in proximi dilectione offendant. At tunc hi, quibus est præceptum lucidum illuminans oculos, agnoscunt, quia *universæ viæ Domini misericordia, et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Quibus? Requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus (*Ibid*).

(675) In autog. marg. legitur hic cap. LXXI, scilicet numeratis hujusce cum primæ Epistolæ capitibus.

(676) Hæc quoque Epistola testamentum Dei est, et multa in ea Dei testimonia continentur. Illi ergo quibus est præceptum Domini lucidum illuminans oculos, et qui requirunt testamentum Dei, et testimonia ejus, quique etiam suam agnoscunt peregrinationem, hujus possunt Apostoli penetrare intentionem, quoniam alibi corpore detinentur, et alibi mente delectantur, quemadmodum ipse Apostolus. Quapropter illi, qui corpore, et mente mundo inhærent, impossibile est, ut ipsius Apostoli intentionem penetrare possint.

Sciens autem Apostolus suam, quam ad plebem Corinthiorum corrigendam, propter multos illorum errores, dixerat, profecisse epistolam, parat dirigere secundam ad corroborandum eorum obedientiam. Ita tamen confortat eorum obedientiam, ut illorum denotet contumaciam, qui adhuc suos pravos actus corrigere noluerant. Illud tamen sciendum, quia hac spe sublevatus est Apostolus, quia audivit eos maxime ea correxisse quæ attinent ad ordinem, et dignitatem ecclesiasticam : et ideo non diffidebat, ut paulatim eorum corrigerentur vitia. Nam, quia omnia, quæ ad ordinem ecclesiasticum attinent, correxerant, spes dabatur apostolis, ut vitia et mores corum in futuro corrigerentur.

Festinavit etiam hanc illis secundam dirigere Epistolam, quoniam in prima durius fuerunt increpati, nimiumque contristati : quatenus, dum se ab Apostolo diligi audirent, erga bonos actus devotiores fierent, et in fructu pœnitentiæ proficerent, quoniam vera pœnitentia est malum deserere, interveniente dolore. Hæc tamen maxime causa fuit describendi, ac dirigendi Epistolam ; quia doctores eorum pro aliorum peccatis durius fuerant increpati, et multum contristati. Qui etiam ne durius, aut ægre ferrent, se ipsum illis proposuit exemplum, quasi dixisset : Non durius, non ægre feratis, si pro aliorum peccatis fuistis increpati ; cum ego quotidie diversis periculis, ac morti subjaceam. Qui etiam, ut se ostenderet bona de illis sentire, sic exorsus est, dicens : (Cap. I.) *Paulus apostolus*. Jamjamque securus de eorum conversione, et emendatione, se quoque Apostolum, non tamen vocatum dicit. Nam quia deviaverunt, vocatum audierunt : et, quia se correxerunt, solummodo apostoli audiunt (677). Is enim, ut sui apostolatus auctoritatem confirmaret, et ratam ejusdem dignitatem esse monstraret, subjunxit : *Per voluntatem Dei*. Nam non omnes, qui apostoli dicuntur, per voluntatem Dei sunt. Sive ideo, *Dei*, ut ostenderet se non solum ab homine Christo apostolum factum, sed etiam a Deo. Sic etiam ipse Dei Filius loquitur Judæis. *Omnia*, inquit, *quæ placita sunt ei, facio semper* (*Joan.* VIII, 29). Paulus vero per voluntatem Dei se vocatum dicit apostolum, quia per omnia voluntatem Dei implebat. Illi ergo, A qui, cum ad aliquem ecclesiasticæ dignitatis gradum perveniunt, et per omnia voluntatem Dei adimplere student, ad eumdem divina voluntate venisse credendi sunt.

Sequitur : *Et Timotheus frater*. Animadvertendum, quia se Apostolum, Timotheum fratrem dicit, quoniam ambo servi, ambo apostoli ; sed tamen non unius dignitatis. Illud etiam sciendum, quia hic separatim Timotheum nominat ; Philippensibus scribens, sibi conjungit, et ambos servos vocat. Sic enim ait : *Paulus et Timotheus servi Christi Jesu*. Ideo hæc egit Apostolus quia illi in nullo deviaverant, et propterea tanta auctoritas non erat eis montranda : isti vero, quia, in multis erraverant, multa illis erat auctoritas demonstranda. Nota etiam, quia B cum illo scribit secundam, per quem direxerat primam. Quare hæc ? Videlicet, ut ostenderet quod, illo narrante, bona de ipsis audierit.

Sequitur : *Ecclesiæ Dei*, etc. Corinthus metropolis est Achaiæ provinciæ, et ideo, dum scribit Ecclesiæ Corinthiorum, scribit et totius provinciæ habitatoribus. Propter hæc et subjunxit : *Cum sanctis omnibus*, etc. Attamen illud est animadvertendum, quare Ecclesiam Corinthiorum sanctis omnibus junxerit ; videlicet, quia audivit eos profecisse. Alio vero sensu, quod ait, *cum sanctis omnibus*, potest dictum (678) de sacerdotibus, quorum primum est invocare nomen Domini. Nam, ne viderentur a minus intelligentibus prætermissi, cum fuissent nomine Ecclesiæ comprehensi, ideo subjunxit : *Cum sanctis* C *omnibus*. Similiter Philippensibus scribens, ait : *Cum episcopis, et diaconibus*. Sequitur : *Gratia vobis*, etc. Unum est opus Patris, et Filii ; propterea dicit : *A Deo Patre, et in Domino Jesu Christo*.

(679) Sequitur : *Benedictus Deus*, etc. Talibus verbis textum suæ Epistolæ aggressus est ordinare. Ubi notandum, quia more solito mysterium rectæ fidei monstrare curavit. Loquitur enim de Deo Patre, et donis ipsius, et Domino Jesu Christo, locuturus deinceps de Spiritu sancto, quamvis et in donis ipsius Spiritus sanctus intelligatur. Quod autem dicit : *Benedictus Deus, et Pater*, etc., duobus modis potest distingui et intelligi. *Benedictus Deus*, D rerum creator omnium, qui est *et Pater Domini nostri Jesu Christi* ; hoc est, Verbum, quod erat Deus in principio apud Patrem. Sed hoc non ideo dicimus, ut alius sit sermo suscipiens, et alius homo susceptus ; sed propter distinctionem naturæ, nunc excelsus, nunc humilis prædicatur. *Pater misericordiarum*. Nota quia a re ipsa, hoc est, ab ipsa sua intentione inchoat, dicens : *Pater misericordiarum* quatenus, dum illi audirent Deum non solum esse rerum omnium creatorem, sed Patrem misericordiarum, sublevarentur, et consolationem caperent.

(676) In autog. marg. hic legitur cap. LXXII.
(677) Subintelligendum fortasse *nomen*, vel aliud tale.
(678) Subauditur *esse*, vel *intelligi*.
(679) In autog. marg. hic legitur cap. I.

Animadverte etiam quia non misericordiæ Patrem, sed misericordiarum esse dicit, scilicet quia non solum in baptismate peccata remittit, sed etiam in pœnitudine, et cordis contritione; sive quia non solum peccata dimittit, sed et pristini gradus dignitatem reddit; sive quia non unius, aut paucorum, sed multorum, imo omnium peccatorum est relaxator.

Sequitur : *Et Deus totius consolationis.* Animadverte quia, cum *Deus totius consolationis* dicit, multas vult ostendere tribulationes, quoniam aliæ sunt, quæ a malis hominibus, aliæ vero, quæ a diabolo inferuntur. Ipse namque, quia ab his omnibus liberat, ideo Deus totius consolationis esse dicitur. Quod mox manifestat, cum subjunxit : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Consolatur quippe suos causa salutis aliorum. Et hoc est, quod ait : *Ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Sane sciendum quia duo sunt genera tribulationis : unum videlicet, quod a persecutoribus, et quibuslibet malis hominibus infertur; alterum vero genus, quod ex pœnitudine nascitur. Hoc quoque non minus illo, quoniam illud cum lætitia ferri potest; hoc vero, quantum non nisi cum tristitia habetur; quia, dum homo recordatur suorum peccatorum, pro eis timet puniri. Apostolici quoque viri, ideo a tribulatione, quæ a persecutoribus inferebatur, liberabantur, ut aliis afflictis in pœnitudine consolationem possent subministrare. Et hoc est quod dicit, *ut possimus et ipsi consolari eas*, etc. ; ac si diceret : Ideo liberamur a persecutoribus, ut vobis afflictis consolationem subministremus, ostendentes quod Deus neminem in se credentium, velit perire.

Sequitur : *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis*, etc. Talis est sensus, quasi dixisset ; Christus autem in omnibus tribulationibus præsens nobis adest, pro cujus amore patimur, opem suæ miserationis indulgens, et potenter ab ipsis tribulationibus eruens : nam quot a persecutoribus ingeruntur passiones, tot a Christo administrantur consolationes; unde Psalmista : *Secundum multitudinem dolorum* (*Psal.* XCIII, 19), etc. Sequitur : *Sive autem tribulamur, pro vestra tribulatione, et salute*, etc. Sane notandum, quia generaliter loquitur Apostolus : et hæc locutio generalis est, quia omnibus convenit apostolis viris : sed cum dicit, *sive tribulamur, pro vestra tribulatione, et salute*, subaudiendum, *tribulamur*. Tribulabantur namque a persecutione, quam patiebantur omnes apostolici viri, causa salutis suorum auditorum; quia sua eos prædicatione ab fidem traxerant : speciale quippe odium hoc erat adversus eos, quia sua illos doctrina a cultu idolorum abduxerant. *Sive exhortamur, pro vestra exhortatione, et salute*, subauditur (680), exhortamur. Sciendum est namque quia, sicut causa salutis suorum auditorum tribulabantur, sic et eorum causa salutis ab eisdem tribulationibus eruebantur, et suis reddebantur ; quatenus ipsi in fide corroborarentur. Illud sane sciendum, quia sanctorum prædicatorum afflictio, tribulatio, ac passio, scandalum poterat esse auditorum; quia, dum suos doctores videbant vi oppressos, ac diversis laceratos tormentis, illi quoque, qui infirmi erant in fide, scandalizari poterant ; eo quod ipsorum promissionem crederent frustratam : econtra illi qui jam corroborati erant in fide, dum eos pati cernebant, optabant se socios fieri tribulationum ac passionum, ut possent esse consortes consolationis : Et ideo dicit : *Spes nostra firma est pro vobis.* Et, quasi interrogassent quæ est spes tua firma pro nobis, respondet ipse : *Scientes quoniam, sicut socii passionum estis*, etc. ; quasi aliis verbis dixisset : Adeo firmi sumus de vobis, ut credamus quia non solum de nostris tribulationibus non scandalizabimini, sed potius gaudebitis socios vos fieri passionum, ut possitis esse, et consolationis. Illud sane sciendum, quia hoc non solum illo tempore agebatur, sed et nunc agitur. Verbi gratia : est aliquis in Ecclesia recte credens, recteque vivens, cui si aliquæ accidant tribulationes, persecutiones, et adversitates, illi, qui in ecclesia infirmi sunt, dum hæc vident, vitam illius, quam prius veneratione habebant, despectui ducunt : quod de amicis Job legitur actum : ipsi enim sancti vixerunt, et Job sancte vivere crediderunt, donec percussum eum non viderunt; mox vero ut tentatus, percussus, et omnibus est temporalibus bonis nudatus, in increpationem proruperunt, credentes ejus bona non vere esse bona, sed simulata. Hæc etiam nunc in Ecclesia actitari solent. Quapropter monentur hi, qui infirmi sunt in fide, ut adeo crescant in ea, et corroborentur, quatenus recte credentes possint dicere de illis : *Spes nostra firma est pro vobis*, etc.

(681) *Nolumus autem vos ignorare*, etc. Cœperat Apostolus semetipsum proponere exemplum suis, quia nimium fuerant redarguti, et increpati, et ob hoc contristati : et adhuc in cœpta intentione perseverans, dicit : *Nolumus vos ignorare*, etc. ; quasi diceret : Quare ægre ferre debetis, si pro peccatis aliorum estis redarguti, cum ego causa salutis aliorum diversis tribulationibus subditus existam? Ut illi audientes erubescerent, non patientes ferre increpationem sui magistri.

Asia. Asiam minorem intelligere debemus. Dicit enim Augustinus : Si ad numerum referas, tertia pars est mundi ; si ad magnitudinem, medietas est: jungitur namque, ex occidentali (682) parte, Macedoniæ ; ex septentrionali, mari Pontico ; ex mediana, Ægyptiaco mari ; ex orientali, Propontico mari : ac per hoc insula est, diversas tamen habens provincias, id est, Bithyniam, Pamphyliam, Lyduximus.

(680) In autog. *subauditur, et salute exhortamur ;* quam transpositionem verborum, tanquam ab amanuensis calamo perperam injectam, emendandam duximus.

(681) In autog. marg. hic legitur cap. II.

(682) Autog. *orientali.*

ciam,(683),etc.: et dicta est a quadam femina,nomine Asia, quæ apud antiquos imperium tenuit Orientis, et interpretatur, elata, sive elevata. Et bene ibi tatia patitur Apostolus, quia superbis humilitas ecclesiasticæ pacis conditur.

Quoniam supra modum gravati sumus, etc. Adeo orta fuerat persecutio adversus apostolos eo tempore, ut de vita temporali desperarent; et hoc est : *Tædet nos vivere. Sed ipsi in nobis ipsis*, etc. Quærendum est quale responsum dederat eis mors, vel quale dare potest. *Responsum mortis* habuerant, quia destituti humano solatio, divinum solummodo exspectabant. *Ut non simus fidentes in nobis*. Bene dicit non fidentes esse in semetipsis, quia illi solent liberari, qui in Domino confidentes redduntur. *Sed in Domino, qui suscitat mortuos*. Adeo namque ortæ fuerant persecutiones, ut ereptio ipsorum, resuscitatio diceretur. In quo confisi essent, manifestat subdendo : *Qui de tantis periculis eripuit nos, et eruit;* id est, non solum de præteritis, sed etiam de præsentibus liberavit : et quia etiam de futuris liberat, subjunxit : *Quoniam et adhuc eripiet*. His verbis ostendit se adhuc passurum, et divina gratia eruturum, quomodo manifestat, *adjuvantibus etiam vobis*. His verbis ostendit se in labore futurum : nam illis adjutorium necesse est inferre, qui in labore consistunt : qualiter, manifestant, cum dicit : *In oratione*. Ubi ostenditur, quia multum valet assidua oratio. Quod non solum hic, sed etiam alibi manifestatur. Legitur enim, quod Petrus oratione liberatus fuisset de carcere : nam ita dicitur : *Et Petrus quidem servabatur in carcere* (*Act.* XII, 5), etc. In quo facto monentur sublimiores, ut non dedignentur orationibus minorum sublevari, cum iste tantæ auctoritatis non dedignabatur. Quis enim tantæ auctoritatis? Nullus.

Ut ex multarum personis facierum, ejus (684), etc. In quibusdam exemplaribus invenitur *ex multarum personarum facierum;* in quibusdam, *ex multarum facie;* in quibusdam, *ex multarum personis*. Sed talis est sensus, id est : Ex multorum hominum conventu, dum a tribulationibus liberamur gratia Dei, et vobismetipsis reddimur, *per multos*, vel a multis grates referantur Deo. Alio sensu, dum multis causa salutis illorum reddimur, et nostra prædicatione ad fidem trahimus, per multos, vel a multis grates referantur. His verbis ostendit Apostolus, quia causa salutis illorum liberabantur, quorum etiam causa afficiebantur. Et cum superius dixisset : *Adjuvantibus vobis in oratione*, et nunc dicit : *Per multos gratiæ agantur*, manifestat se velle, ut, dum illi in tribulatione detinerentur, orarent ut liberarentur, et liberatis, grates Deo referrentur. Ista etiam salutaris regula, quæ tunc servabatur, etiam nunc actitari debet. Nam cum prædicatores in tribulatione detinentur, debent auditores orare, ut liberentur, et liberatis gratias Deo referre. Nam omnis infirmitas, aut debilitatio in capite consistit; et, si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra.

Nam gloria nostra hæc est, id est, *testimonium conscientiæ nostræ*. Ideo hæc dicebat, quia securus de sua conscientia existebat. Non enim causa lucri, aut appetitu humanæ laudis prædicabat,sed officium sui apostolatus implebat. (685) Et hæc vox perfectorum est; unde monentur, ut ita vivere studeant, ut hæc rite dicere possint. Et quid appellasset gloriam suam, incipit manifestare, dicendo : *Quod in simplicitate, et sinceritate*, etc. Simplicitas enim caret omni duplicitate, et sinceritas omni corruptione. His duabus virtutibus contrariæ sunt duæ pestes; id est, duplicitas et corruptio. Et, ut ostenderet quod istæ duæ virtutes non in sapientia carnali consisterent, ideo subjunxit : *Non in sapientia carnali*. Sed ubi manifestat, dicens : *In gratia Dei*. Et his verbis tangit illum sensum, quem latius in præcedenti Epistola exposuerat. Reprehenderat enim pseudoapostolos, qui causa lucri prædicabant, et timentes offendere personas, Deum hominem factum, natum et passum negabant. Nolebat enim Apostolus a Corinthiis accipere, ne similis illis videretur, quorum erat reprehensor, sive, ne libertatem increpandi amitteret; et quod ab aliis Ecclesiis accipiebat, a Corinthiis accipere nolebat. Et ideo dicebat : *Abundantius autem ad vos*. Et quia ab aliis accipiebat, dicebat : *In gratia Dei conversati sumus;* et quia ab istis non, dicebat : *Abundantius ad vos*. Nolebat enim accipere, ne daret occasionem accipiendi, sive ne libertatem increpandi amitteret.

Sequitur : *Non alia scripsimus vobis* (686), etc. His verbis non alia se Apostolus scripsisse significat, quam quæ ipsi scriptis ejus legerant, et factis cognoverant : his namque duobus indiciis uniuscujusque devotio, et propositum manifestatur. In quo facto monentur prædicatores, ut semper ea doceant, et agere studeant, quæ ad salutem suorum auditorum sufficiant.

Sequitur : *Spero autem quod usque in finem cognoscetis*, etc. Hanc scilicet spem ex eorum sumpsit correctione. Audierat enim illos ea maxime correxisse, quæ ad ecclesiasticum attinent ordinem. Ex qua correctione, spe assumpta, credebat eos in futuro etiam cætera corrigere. Quapropter ait : *Spero quod usque in finem cognoscetis*. Potest et ad ipsum referri, quod ait, *spero*, etc., ut sit sensus : Spero quod in cœpto proposito, quem et scriptis, et factis agnovistis, me quoque usque in finem cognoscetis. Sed, si ad illos refertur, provocat eos his verbis ad perseverantiæ bonum; si autem ad se, et ipse de perseverantiæ bono confidit, quoniam bonum opus cœptum nil valet, nisi compleatur perseverante fine. Hinc est quod in Veteri Testamento cauda simul, et

(683) Autog. *litiam.*
(683) Vulg. *Ut ex multorum personis ejus*, etc.
(685) In autog. marg. hic legitur cap. III.
(686) Vulg. *scribimus vobis.*

caput in sacrificio offerebatur. Caudam simul, et caput in sacrificio offerre, est bonum opus cœptum perseverante fine complere. Unde et Dominus : *Qui perseveraverit* (*Matth.* x, 22), etc. Quod autem sequitur : *Sicut et cognovistis ex parte*, si ad suam refertur personam, ideo dicit, quia nullius hominis meritum in hac vita ad integrum quis cognoscere valet ; ad hæc etiam respicit, quod ait : *In die Domini*, etc. ; si autem ad Corinthios refertur, ideo ex parte dicit, quia jam multa correxerant.

Sequitur : *Quia gloria vestra sumus*, etc. Agnito Apostoli affectu, gloriabantur in eo Corinthii, quasi in clarissimo patre, et probatissimo magistro. Ipse quoque, agnita eorum obedientia, gloriabatur in illis, quasi in devotis filiis, et obedientibus, atque honestis discipulis. Magistri ergo tunc sunt gloria subditorum, cum tantæ sunt sanctitatis et meriti, ut ab Ecclesia venerationi habeantur. Auditores vero tunc gloria sunt magistrorum, cum ita obedientes existunt, ut per singulare obedientiæ bonum a cunctis venerentur. Quapropter utrisque necesse est, ut ita vivere studeant, quatenus sibi invicem gloria esse queant. Sed quando hæc gloria manifestabitur ? *In die Domini nostri Jesu Christi ;* id est, in die judicii. Ibi enim quæ fuerit omnium prædicatorum doctrina, et subditorum obedientia, manifestabitur : *Quoniam nihil erit opertum, quod non reveletur* (*Matth.* x, 26), etc.

Sequitur : *Et in hac confidentia volui prius venire ad vos*, etc. Si ad superiora hæc sententia respicit, de spei confidentia dicit ; si autem ad inferiora, quæ sit, idem ostendit. *Ut secundum*, inquit, *gratiam haberetis*. Quod vero dicit, secundam, duobus modis potest intelligi. Primam quippe habuerunt in susceptione Epistolæ, secundam haberent in ejus corporali præsentia. Epistola ejus imago fuit ; præsentia corporis, veritas ; et ideo qui susceperunt eum in similitudine, susciperent eum in veritate. Alio modo primam gratiam habuerunt, quoniam prius eum cum gaudio susceperunt, et ad prædicationem ipsius crediderunt ; secundam gratiam haberent, si denuo corporaliter eum susciperent. Quam ipse ostendit, cum dispositionem suam eisdem manifestare incipit : *Et per vos*, inquit, *transire in Macedoniam*, etc. Magnæ namque dignitatis, meriti, ac gratiæ esse prædicarentur, si toties, et tandiu Apostoli præsentia perfruerentur.

Sequitur : *Cum hæc ergo voluissem, nunquid levitate usus sum ?* Animadvertendum est, quia Apostolus promiserat se venturum ad eos ; sed quia non venit, ne videretur in malum mendacii incurrisse, incipit levitatis vitium tergere, et ideo dicit : *Nunquid levitate usus sum ?* Subauditur *non :* quasi dixisset aliis verbis : Ille, qui non implet quod promittit, levitate uti videtur ; sed ego usus non sum levitate, quia utilitatem præposui voluntati. Nam quare ad eos non venerit, quanquam latenter, ostendit tamen, quod non ad se, sed ad illos attinuerit.

Sequitur : *Aut quæ cogito, secundum carnem cogito ?* Non. Et est sensus : Ille secundum carnem cogitando, quod promisit, non implet, qui aut alicujus personæ veneratione, aut lucri terreni, aut cujuslibet vanitatis, vel levitatis causa differt implere quod promisit : spiritalis econtra, spiritaliter cogitando, non implet quod promisit, quia profundius aliquid de salute animæ intelligit ; et ideo utilitatem voluntati præponit. Nam carnale est, voluntatem utilitati, spiritale vero, utilitatem voluntati præponere. Quapropter intelligens Apostolus magis ad eorum attinere salutem, si non veniret ad ipsos, ideo distulit venire.

Sequitur : *Ut si apud me EST, et NON ?* Subauditur, non. Et est sensus : Apud illos est *est, et non*, qui, quod manifestandum est non manifestant, et qui voluntatem utilitati præponunt. Apud me vero non est *est, et non ;* quia nulla falsitas, nulla mutabilitas ; et quia non sumus vobis mentiti. Beatus papa Gregorius de hoc loco taliter loquitur, quasi dixisset : Apud me non est *est et non ;* hoc est, aura mutabilitatis non moveor, quia levitatis vitio non succumbo.

Sequitur : *Fidelis Deus*. Fidelis, inquam, quia non est apud eum *est et non*. Nota quia, dum dicit fidelem, vult ostendere se, suosque similes esse fideles : ac si dicat : Si ille fidelis, ergo fideles et nos, per quos ipse loquitur. Et ideo subjunxit : *Quia sermo noster, qui fit* (687) *apud vos*, etc. Quibus verbis suam doctrinam ostendit esse veram ; quia doctrina Apostoli, doctrina est Domini.

Sequitur : *Dei enim Filius Dominus Jesus Christus, qui in vobis prædicatus est*, etc. Primum in hoc loco quærendum est quis sit iste Silvanus, vel cur sit Timotheo præpositus. Silvanus enim ipse est, qui et Sileas (688), quippe in Actibus apostolorum frequenter commemoratur : de quo etiam legitur, quia de Jerosolymis directus est ab apostolis Antiochiam cum epistolis (*Act.* xv, 27), propter diversitatem ciborum, et ut legalia onera a cervicibus auferret credentium. Nam, sicut Saulus indicat Paulum, sic et Silvanus Sileam. Hi quoque viri non solum Corinthiis, sed et Thessalonicensibus prædicaverunt. Sed quærit forte aliquis : Quare tam in hac, quam et in illa Epistola Silvanus præponitur Timotheo ? Noverit ille, qui hoc quærit, quia ideo forte præponitur, quoniam prius Apostolo, et ejus prædicationi inhæsit, et prius factus est particeps ejus tribulationis : quod et liber Actorum apostolorum manifestat. Legitur enim, quia, cum susceptum

(687) Vulg. *fuit*.

(688) *Silas* juxta Vulg., seu Sillas. Vide Act. xv, 22. Item initia geminæ Epist. ad Thessal. ; I Petri v, 12 ; Act. xv, 27, 41 ; Act. xvi, 11. Ado testatur Macedoniæ obiisse hunc divi Pauli fidelissimum socium, ut eum divus Petrus cit. Ep. vocat ; quique verisimiliter inter septuaginta discipulos adnumerandus videtur : eumque martyrii palmam obtinuisse, Silam, et Silvanum, tanquam duos distinctos viros Græci die 13 Julii colunt.

officium voluisset peragere assumpsit Sileam secum (*Act.*, xv, 40). Post hac legitur, quia, cum peragrassent Syriam (*Ibid.*, 41), et Ciliciam confirmantes Ecclesias, venerunt Derben. etc. Timotheus vero, quamquam ab Apostolo sit ordinatus episcopus, et multum ab eo laudetur, merito tamen supponitur. Iste etiam ordo servatur in Ecclesia : quoniam episcopi juxta suum ordinem sedes habent

Christus igitur Dei Filius non habet *est et non*, quoniam nulla est in illo falsitas, nulla etiam mutabilitas, sicut scriptum est : *Apud quem non est transmutatio* (*Jac. I*, 17), etc *Sed EST in illo fuit ;* id est, quia manet in eo inconvulsa veritas, incommutabilis bonitas, Unde et ad Moysen dicit : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). etc. Illi quippe veraciter est esse, cui non aliter, aut dissimiliter est esse, sed hoc illi est esse, qui est ; creaturæ vero, quia non a se habent esse, ab illo accipiunt, ut pro modulo suo esse possint. Illi ergo, cui non est aliter, aut dissimiliter esse, sed id est illi esse, quod est, non aliud est contrarium, nisi illud, quod non est. Quocirca, sicut omne bonum ab illo est, ita et omne, quod naturaliter est, ab illo est ; ergo et omne bonum ab illo· Item : Omnis igitur creatura bona, et omne bonum a Deo, et omnis croatura ab illo est. Itaque notandum est quia, quantum ad dignitatem, et libertatem doctorum attinet non debet illis esse *est et non*, sed *est* in illis esse debet : hoc est, quia non voluntatem utilitati, sed utilitatem debent præponere voluntati. Dei enim Filius Dominus Jesus Christus non habet *est et non* ; quia non aliud vult, nisi quod utile est, et utile ejus non est coactum, veluti hominis : nec est etiam aliquid adversus eum ambignum, sicut apud homines. Et ideo subjungit Apostolus, dicens : *Quotquot enim promissiones Dei sunt in illo EST*, etc. Talis est sensus, quasi dixisset : Omnis veritas Christus est, *et ideo per ipsum amen Deo*, quia per ipsum omnis veritas : nam amen veritas interpretatur : quæ veritas per Christum est manifestata, et ab apostolis prædicata, et diversis signis, et miraculis est confirmata. Quod omne, quod Christus promisit verum sit, impleatur, hujus sententiæ conclusio talis esse potest, quasi dixisset : Omnium promissionum veritas Christus est, quæ per nos prædicatur, et impletio sequitur. Pulchre quidem subjunxit : *Ad gloriam Dei* (689) ; quoniam multum ad gloriam Dei attinet, si omnia ab illo, et per illum, et in illo esse noscuntur, et intelliguntur.

Sequitur : *Qui autem confirmat nos vobiscum, Dominus Christus* (690), subauditur, est : iste enim Hebræus erat, et gentibus loquebatur. Ergo talis est sensus : Dominus Christus est, qui nos et vos in ea fide, quæ patribus est promissa, confirmat. *Quia ipse et pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* in 24). et duos parietes ex diviso venientes in una sui fide consociavit, *in uno homine, faciens pacem his qui longe sunt, et his qui prope* (*Ibid*, 15, 17).

Sequitur : *Et qui unxit nos Deus.* Unxit nos, inquam, cœlestibus, et spiritalibus donis, et charismatibus, ut essemus *genus electum, regale sacertium* (*I Petr.* II, 9), secundum quod ait Petrus apostolus. Illi namque, qui in Veteri Testamento ungebantur, fidelium gerebant figuram. Sequitur : *Et qui signavit nos.* Hoc enim pro magno dixit ; id est, specialiter et singulariter præ omnibus creaturis elegit, ac dilexit. Nos vero quod charum habemus signamus. Nota, quod his verbis unum ostendit opus Patris, et Filii, quoniam eos Pater dicitur ungere, et signare, quos Filius dicitur confirmare. Ergo, quos confirmat Filius confirmat et Pater ; quia, quos ungit et signat Pater, ungit et signat Filius ; et quibus Pater dat Spiritum suum, dat et Filius, quia Patris, et Filii unus Spiritus. Unde idem in Epistola ad Romanos : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VII 9). Et hoc notandum, quia, cum de perfectione hominis loqueretur (*Ibid.*), totius Trinitatis fecit mentionem quia summa perfectionis in Trinitate consistit.

Sequitur : *Et dedit pignus Spiritus*, etc. Sane notandum, quia pignus pro re credita, vel promissa datur ; et cum res promissa, vel credita redditur, recipitur pignus. Datur etiam pignus pro magnitudine rei creditæ, vel promissæ. Ubi solerter animadvertendum, quantum dabitur electis jam immortalibus, cum tantum eis tribuatur adhuc mortalibus : hoc est, quanta erit merces et remuneratio regni cœlestis, cum etiam nunc tanta gratia sancti Spitus administretur electis. Et hoc sciendum, quia ideo pignus datur, ut certior homo reddatur. Gratia ergo Spiritus sancti ideo tribuitur electis, ut certiores sint de promissione regni cœlestis.

(691) Sequitur ; *Ego autem testem invoco Deum*, etc Laboraverat Apostolus superius, ut crimen levitatis a se tergeret, et se immunem a mendacii crimine ostenderet. Jam nunc incipit manifestare quare ad eos non venerit, cum dicit : *Ego autem testem invoco*, etc. Quibus verbis ostendit quod non penes eum, sed pene illos fuerit, quod ad eos venerit Ostendit etiam, cum dicit : *Parcens vobis*, quod multi erant incorrecti inter eos, quorum peccata necdum erant excocta pœnitudine : quapropter non venit ad eos, ut illis locum, et tempus pœnitendi concederet, quatenus cum veniret, non haberet quod parceret. Nam ut hæc arctius eorum mentibus inculcaret, testem Deum in animam suam ; id est, super animam, invocavit. Et bene quidem ; quia Dei solum est animæ secreta cognoscere, secundum quod scriptum est : Homo videt in facie Deus autem in corde. Idcirco etiam dicebat, testem Deum invoco, parcens vobis, quatenus qui digni erant, hoc audientes, non scandalizarentur, ejus se

689) Vulg. *ad gloriam nostram.*
(690) Vulg. *qui autem confirmat nos vobiscum in Christo·*
(691) In autog. marg. hic legitur cap. IV

præsentia indignos judicantes ; illi vero, qui erant indigni, ita studerent vivere quatenus ipsius præsentia digni fierent.

Non quia dominatur fidei vestræ, His verbis ostendit Apostolus rem esse voluntariam, non coactam ; nam coactæ rei necesse est dominari ; voluntariæ vero vel spontaneæ, veluti fidei, non est necesse dominationem adhibere ; et ideo subjunxit : *Nam fide statis*, quasi diceret : Non est necesse dominationem adhibere. quemadmodum sacerdotes Judæorum dominationem exercebant in populo ; nam fide statis. Non longe, *sed adjutores sumus gaudii vestri*. Quærendum est quare se dicat adjutorem gaudii esse cum superius nimium se dixisset in prima Epistola contristatum. Sed ideo, quia sicut tristitia est in casu, ita lætitia est in correctione, et emendatione, quasi diceret : Quia tristitiam habui in vobis cadentibus, gaudeo vobis resurgentibus, exhortationem adhibendo, et salutaria antidota submi-
nistrando. In quo facto monentur prædicatores, ut suis studeant resurgentibus adjutores esse, scribendo exhortando, et salutaria antidota præbendo. *Nam fide statis*. Hunc enim locum exponit Gregorius, et alteram intentionem Apostoli fuisse manifestat, quasi diceret : In eo quod fide statis, similes vos nobis esse cognoscimus. Obliviscebatur enim Apostolus prioratus sui auctoritatem ; unde se parvulum nominat in sequentibus, dicendo : *Tanquam parvuli facti sumus in medio vestri* (*I Thess.* II, 7) ; et : *Nos autem servos vestros* (*II Cor.* IV, 5) ; quoniam deerat culpa. Apparente vero culpa, sui prioratus auctoritatem recordatur, dicendo : *Quid vultis ? In virga veniam ad vos* (*I Cor.* IV, 21), etc. Ubi dicit ipse Gregorius, quia tunc summus locus recte regitur, cum prælatus magis vitiis quam fratribus dominatur. In quo facto monentur prælati, cum culpam parant reprehendere ita vitia feriant per displinam, quatenus per naturam similes se esse cognoscant ; nam natura omnes æquales genuit, sed quod unus alteri præfertur, culpa fecit. Unde necesse est, ut prælati bonis se similes esse præbeant ; malis vero prioratus sui auctoritatem ostendant. Hanc intellexit intentionem Apostoli fuisse ; qui sensus inconvulsus a doctoribus est servandus.

(692) CAP. II.) *Statui autem*, etc ; id est delibe-
ravi, et decrevi. His verbis ostendit apud se quidem eos nolle contristari ; sed velle, ut ipsi tristentur, et corrigantur, quatenus, ipse veniens, in eis quod reprehenderet non haberet. *Si enim ego, contristo vos*, etc. Contristaverat enim eos in prima Epistola ; nunc dicit : *Si ego contristo vos ;* sed talis est sensus : Vos, qui me contristatis, cadendo, poteritis me lætificare, resurgendo. *Et hoc ipsum scripsi vobis* Scripserat enim in prima Epistola ; scribit etiam in secunda. Quare manifestat : *Ut non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam*. Tristitiam namque super tristitiam habere est, de quorum tristatur transgressione, non lætari de succedente emendatione ; nam non minor tristitia est de non succedente emendatione, quam de trangressione. Quasi diceret : Ego, qui ab extraneis affligor, et tristor, saltem in vobis, veluti pater in filiis, requiescam. *De quibus oportuerat me gaudere*. Duobus modis oportuerat me gaudere : de vobis in cœpto proposito permanentibus, sive de vobis corrigentibus, et emendantibus. *Confidens sum*, etc. Duobus modis confidens sum ; quia credo intelligere, tunc vestrum rectum esse gaudium, si me sentiatis gaudere ; sive confido ita diligi a vobis, ut meum gaudium vestrum esse deputetis.

Nam ex multa tribulatione, etc. His verbis ostendit quo affectu, et quo amore erga Corinthios detineretur. Ostendit enim quod nulla angustia, vel tribulatio eum a Corinthiis separare posset. *Per multas lacrymas*. Quare per multas manifestat, dicens : *Ut non contristemini*, etc. ; quasi diceret : Nolo vos contristare, sed ostendere quam charitatem habeam in vobis, ut in abundantiore sollicitudine, abundantiorem intelligatis charitatem. Et hoc est, quod dicit : *Abundantius in vobis*.

Si quis autem constristavit, etc. Sed quare dicit se contristatum, et non contristatum ? Talis est sensus quasi diceret : Contristatis me, et non contristatis, quia vobis peccantibus, data est mihi occasio increpandi ; quatenus mea increpatio et invectione meliores efficeremini. Et hoc exponit, cum dicit *ex parte ;* quasi dicat : In tantum me contristastis. quantum cecidistis, et damnum habuistis. *Ut non onerem omnes vos*. Duæ partes erant, una stans, et altera cadens ; sed stantibus videtur Apostolus loqui, quos non onerat ; et si illos non onerat, onerat cadentes, ideo, quia quo magis plures de facinore cujuslibet scandalizantur, eo gravius peccant.

Sufficit illi qui ejusmodi est, etc. *A Pluribus* dicit quia a multis fuerat increpatus et objurgatus. Omnes enim uno animo consurrexerant ad ejus increpationem et expulsionem : et ideo dicit, *suffici ;* quasi diceret ; Sufficit ad ejus correptionem, expulsionem, et confusionem, et emendationem, quia a multis redarguitur, quia tantum quis abhorret suum delictum, quantum alios cognoscit abhorrere
Ita et econtra magis donetis etc. Quasi diceret : Sicut omnes uno animo ad ejus expulsionem et increpationem surrexistis ita econtra omnes æque animo, vel magis, ad ejus receptionem et sublevationem consurgite, ut illud : *Nolo mortem peccatoris Ezech.* XXXIII, 11) ; et *Quacunque hora peccator ad me conversus fuerit* (*Ibid.*, 12), etc. Specialiter enim tunc Apostolus illum præceperat ejici, qui uxorem patris violaverat (*I Cor.* V, 1). Sed tamen hæc sententia ad omnes attinet, qui tunc expellebantur, et nunc expelluntur. Ejecerat enim illum in prima Epistola : in secunda præcipit recipere, quoniam noverat cum in processu temporis dignum fructum

(692) In autog, marg. hic legitur cap. V.

pœnitentiæ fecisse : nam, nisi cognovisset, nequaquam recipere jussisset ; nam pœnitentia quæ cum dolore fuerit oblata fructu non carebit : quod manifestatur in David et in Achab (693). *Ne abundantiori tristitia absorbeatur ;* quasi diceret : Suscipite illum, ne forte a limine Ecclesiæ projectus dicat : Jam quia projectus a limine Ecclesiæ sum, consortio bonorum non fruor, de spe cœlestium donorum non præsumo ; quid restat, nisi saltem delectationibus temporalibus fruar? Unde valde necesse est ut causa proprii delicti fratri condescendamus, ne ille qui ideo fuerat ejectus ut reciperetur, non receptus, ad blasphemiam et ad barathra infidelitatis desperatus trahatur.

Sequitur : *Propter quod obsecro*, etc. Charitatem dicit illam qua intellexerat se remissionem consecutum omnium delictorum. Charitatem vero confirmare in illo, est affectum pietatis ostendere, qua et remissionem peccatorum se consecutum agnoscat, et de spe regni cœlestis præsumat. Sequitur : *Ideo enim hæc scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum*, etc. His verbis ostendit quod ipsi jam cœperant esse obedientes : maxime ob hoc, quia ea correxerant quæ ad cultum fidei et ordinem ecclesiasticum attinebant. Et ideo ascripsit, ut istum reciperent, quatenus probaret si in omnibus obedientes essent, quia illa vera est obedientia, quæ in nullo præcipientis voluntati resistit.

Sequitur : *Si cui aliquid donatis*, et rel. Et est sensus : Vobis rogantibus ego donavi, debetis et vos me rogante donare. Sciendum sane quia non tanta providentia erat in istis, quanta in Apostolo. Nam ipse, quidquid agebat, spiritaliter agebat, quia Spiritu sancto plenus erat : isti vero intelligebant mox donandum esse quod Apostolus petebat ; nam si ille rogantibus illis donavit, multo magis, illo rogante, ipsi debuerant donare. Et hoc sciendum, quia ipse incitaverat eos ut ejicerent illum qui crimen commiserat fornicationis, et ut duri adversus eum essent, et ideo tam studiose rogabat ut susciperent eum. Et quia illis rogantibus donavit, ideo dicit *propter vos*. Et ut gratum suum opus ostenderet, dicit, *in persona Christi ;* ubi suum opus Christi esse monstravit, cujus fungebatur legatione. Unde ipse dicit : *Quæcunque solveritis super terram* (*Matth.* XVIII, 18), etc. Quare vero donaverit manifestat, dum subjunxit : *Ne circumveniamur*, inquit, *a Satana*. Sciendum vero quia circumvenitur a Satana vel nimium remissus, vel nimium severus. Verbi gratia : sunt nonnulli qui suis auditoribus volunt videri lenes, blandi et affabiles et ideo eorum errata non corrigunt ; hi tales a Satana circumveniuntur. Sunt item qui nimio legis zelo accensi adeo persequuntur suos, ut ad desperationem pertrahant : et isti a Satana circumveniuntur, id est, decipiuntur, illi quidem falsa pietate, isti nimia crudelitate. Et quia in utraque parte periculum instat, valde cavendum est, ut, juxta Salomonem, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinemus (*Prov.* IV, 27 ; *Isai.* XXX, 21).

Sequitur : *Non enim ignoramus cogitationes ejus.* Hunc locum beatus papa Gregorius ita exponit. Dicit enim : Hæ sunt hostis antiqui versutiæ, ut per immoderata bona fallat incautos. Nam inde solet in corde alterius malum generare rixæ, unde alterum videt neglectum pietatis fecisse. Quoniam perfecte bonum esse non potest, quod ita agitur, si non attendat quod mali ex altera parte oriatur : nisi forte tale sit illud bonum, quod absque alterius scandalo fieri non possit, et non fecisse peccatum sit. Adducit beatus papa Gregorius illum qui crimen commisit ad testimonium, et intelligit eum jussisse tradere diabolo, dum præcepit Satanæ tradere. Dicit enim quia magna magisterii arte actum est, ut ille coactus substerneretur in pœna, qui sponte substratus est in culpa, et qui auctor fuit malitiæ in culpa, esset flagellum disciplinæ in pœna. Exponit etiam ipse quæ dicit Apostolus : *Si cui donastis, et ego*, quasi dixisset : Vestris bonis actibus meum bonum conjunxi, quia meum esse volo, si quid boni erogatis (694).

Sequitur : *Et ego, si cui donavi*, etc., quasi dixisset : Vestris bonis meum bonum sociavi, quia propter vos misericordiæ opus impendi. Et ut ostenderet ubi hæc compaginatio fieret, subjungit, *in persona Christi*. Sed quia poterat aliquis ei dicere : O Apostole, quare te ita humilias, quare te ita subdis, ut Corinthiorum bona tuis assimiles, et tua illorum? ideo subjunxit : *Ne circumveniamur a Satana*. Et ut monstraret quam acuto mentis sensu sagaces diaboli insidias penetraret, subjunxit : *Non enim ignoramus*, etc. Et est sensus : Deo auctore acuti sudes sumus, quia acuto mentis ingenio sagaces diaboli insidias penetramus, ne forte quod bene mens inchoat, ipse in malitiæ finem convertat. Hæc enim in libris moralibus dicit beatus papa Gregorius, in illo videlicet loco, ubi legitur : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur* (*Job.* XL, 18) ; et paulo post : *In oculis suis capiet eum, et in sudibus suis perforabit nares ejus* (*Ibid.*, 19) ; ubi per sudes subtilissima vult intelligi sanctorum consilia, et per nares occultas diaboli insidias.

(695) Sequitur : *Cum venissem autem Troadem*, etc. (696). Narrat enim Apostolus Corinthiis iter suum, cum dicit, *cum venissem Troadem*. Nam quare venerit, manifestat. Non videlicet causa vanitatis, sed *propter Evangelium Christi*. In quo facto monentur prædicatores, ut non discurrant causa vanitatis, sed suorum auditorum salutis.

Sequitur : *Non habui requiem spiritui meo.* Quare non habuerit requiem manifestat : *eo quod non invenerim Titum*, etc. Sicut quibusdam placet, requiem non habuit, quia cum direxisset Titum Corinthum,

(693) Scilicet ob contrarium pœnitentiæ exitum. Sive *Achaz* legendum, cujus etiam desperatio, potiusquam pœnitentia, dignum habuit finem.

(694) Autog. *rogatis*.
(695) Hic in autog. marg. legitur cap. VI,
(696) Autog. *Troadæ*.

plurimum sollicitus erat pro eo : quoniam ignorabat utrum prospera de Corinthiis, an adversa nuntiaret. Quod autem dicit : *Et ostium mihi apertum est*, talis est sensus, quasi dixisset multorum hominum corda parata erant ad credendum : nam per ostium fides designatur : unde Joannes in Apocalypsi : *Vidi ostium apertum in cœlo* (*Apoc.* IV, 1). Per cœlum Ecclesia, per ostium fides designatur. Troadæ enim multi erant parati ad credendum, sed plures erant qui credentium æmulatione Apostolo resistebant; et ideo requiem non habuit, quia utrumque negotium ferre non valuit, hoc est, et non credentibus resistere, et credentes in fide confirmare. Quapropter valefaciens credentibus, relictis Troadensibus, sive Trojanis, profectus est in Macedoniam, quia inde venturus erat Titus, et ipsa propinquior erat Corintho. Nam quod tale fuerit ejus iter, liber Actorum apostolorum manifestat. Dicit enim quia, cum peragrassent Mysiam, venerunt Troadem, etc. (*Act.* XVI, 8). Macedonia namque regio fuit Alexandri magni Philippi filii, quæ plena fertur esse venis auri et argenti ; fertur et in ea esse mons Olympus, cujus summitatem nec venti nec pluviæ pulsant.

Sequitur : *Deo autem gratias*. Dixerat se multa quidem perpessum, et nunc gratias Deo agit. In quo facto nos monemur, ut de omnibus tam adversis quam prosperis gratias Deo agamus. Egit enim gratias Deo, ut illos ad imitationem sui provocaret, vel ut eos ad prælia armaret. Sequitur : *Qui semper triumphat nos in Christo Jesu*. Deo quippe Apostolos in Christo triumphare est, videlicet in fide Christi victores reddere. Nam ipsi quidem non solum tropæum, sed et triumphum in fide Christi acceperunt. Sane sciendum quia apud antiquos magna distantia erat inter tropæum et triumphum. Nam tropæum Græco verbo dicitur ab insectatione, triumphus vero, ab exsultatione ; unde et triumphus dicitur exsultatio, et triumphantes (697) exsultantes. Si autem sermo Latinus est triumphus, ut quibusdam placet, ergo a tribus generibus laudum dicitur, quoniam hi qui inimicos non solum fugabant, sed etiam interimebant, laudabantur tam a ducibus quam a consulibus, necnon et a plebe : qui etiam palmam auream accipiebant, quia plenam victoriam habebant; illi autem qui tropæum, hoc est, semiplenam victoriam habebant, coronam auream accipiebant.

Sequitur : *Et odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco*. Odorem quidem famam nominis Christi appellat, quæ pulchre per odorem designatur ; nam res invisa odore dignoscitur : sic et fama nominis Christi invisibiliter ad aures pervenit credentium, et Deus, qui erat invisibilis, per invisibilem agnitus est prædicationem. Iste nempe odor per Christum est manifestatus, et per epistolam prædicatus : Unde ipse Deus Deo, Dominus Domino, et Filius dicit Patri : *Sicut misisti me in mundum, et ego misi eos in mundum* (*Joan.* XVII, 18). Hoc etiam signis et prodigiis est confirmatum, quia Deus invisibilis propter signa et prodigia, ad prædicationem eorum invisibiliter credebatur. Et hoc sciendum, quia consuetudinem legis servat Apostolus : nam quidquid in lege devota mente offerebatur, in odorem suavissimum Domino adolebatur. Similiter et fama nominis Dei, quæ a Christo est manifestata, quasi odor suavissimus per Apostolos longe lateque in mundo aspergebatur et respirabat. Sequitur : *Quia Christi bonus odor sumus Deo*, etc. Ille, qui bene de Christo asserit et sentit, Christi bonus odor est, *tam his qui salvi fiunt, quam et his qui pereunt ;* qui vero mala de ipso male sentit, vel asserit, malus odor est, tam credentibus quam et non credentibus : credentibus, quia male credunt ; non credentibus, quia non credendum esse intelligunt. Beatus vero Augustinus dicit quia cœperat Apostolus manifestare iter suum Corinthiis ; deinde ostendit eis se multa perpessum ; deinde gratias agit Deo, maxime ob hoc, quia talis inventus est, ut ipse triumpharet eum in Christo, et post hoc dicit odorem notitiæ Dei per se manifestari in omni loco. Ubi quærendum quis sit iste triumphus, vel quis sit iste odor. Iste quidem triumphus, sive odor, victoria martyrum est, et cruoris effusio, et ipsorum constantia, quam dum infideles videbant, occasionem dicendi accipiebant ; nisi verum esset Evangelium Christi, nequaquam tam constantes essent in martyrio, neque tantorum hominum sanguis effunderetur, neque tam hilariter diversa tormenta paterentur. Ac per hoc occasionem credendi accipiebant, maxime ob hoc, quia eorum confessio non erat delicata, non deliciis affluens, sed in fame, et siti, et reliquis. Sicque etiam odor notitiæ Dei per mundum respirabat.

Verum quia poterat quis apostolis objicere, dicens: Quare, si vos bonus odor estis in omni loco, non omnes credunt ? Ille vero sciens hoc sibi objici posse, ipse sibi objecit, et exposuit, dicens : *Aliis quidem odor mortis in mortem*, etc. ; quasi dixisset: O Corinthii, nos, qui semper bonus odor sumus, *aliis tamen odor mortis in mortem, aliis autem sumus odor vitæ in vitam*. Quoniam quidem liberum hominibus datum est arbitrium, ut bonum non esset coactum, sed voluntarium ; quod nisi esset, non, inquam, foret (698) vel unde boni præmiis remunerarentur sempiternis, vel mali pœnis plecterentur æternis. Et iterum : Nos, qui semper bonus odor sumue, pro vitio non suscipientium, odor mortis in mortem, pro virtute nempe suscipientium, sumus odor vitæ in vitam ; mortem vero, et vitam, non illam, qua cómmuniter morimur et vivimus cum jumentis, et pecoribus, sed illam mortem, de qua scriptum est : *Anima, quæ peccaverit* (*Levit.* V, 1), etc. ; et vitam illam, de qua idem Apostolus : *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita nostra* (*Coloss.* III, 4), intelligere debemus. Quid enim mirum, si de apostolis dicitur, quod aliis sint odor mortis in mor-

(697) Autog. *tripudiantes*.
(698) Autog. *floret*. Vide num *floret* fortasse, vel *floreret*.

tem, etc., cum et de Christo scriptum sit : *Positus est hic in ruinam?* etc. (*Luc.* II, 34 ; *Isai.* VIII, 14.) Quid etiam mirum si de apostolis dicatur, et Christo, cum hoc de solo intelligere possimus? Sol quippe radios suos diffundit per omnia ; illuminat scilicet tam munda quam et immunda ; lucet tam odoriferis floribus quam et stercoribus : verumtamen radii ipsius non coinquinantur. Sic et Christus, qui mutari non potest, etc. : is natura mutari non valet ; non credentibus est in ruinam ; credentibus vero, in resurrectionem. Sic etiam apostoli, qui ejus vice funguntur ; aliis, sicut dicit Apostolus : *Sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* Quasi iterum dixisset ipse : O Corinthii, non parvipendatis ; si aliis sumus odor mortis, in mortem, etc. ; quoniam, nisi nos prædicaremus, nec vita obedientiæ bonos, neque mors inobedientiæ sequeretur malos. Illud sane sciendum, quia ipse sonus evangelicæ prædicationis suscipientibus odor vitæ est ; quia, dum eum suscipiunt, per ipsum ad vitam transeunt : non suscipientibus autem odor est pestis ; quia, ceu homines per pestem transeunt ad mortem, sic et illi, qui auditum verbi Dei non suscipiunt, mortem sibi generant, et ad eam transeunt. Unde Dominus per Ezechielem : *Si annuntiaveris*, inquit, *impio peccata ipsius*, etc. (*Ezech.* III, 19.)

Sequitur : *Et ad hæc quis tam idoneus?* Hoc est, quis ita idoneus, ut odorem notitiæ Dei manifestet, quemadmodum nos? Nos, inquam, pseudoapostoli, quibus fidem accomodastis. Aliter : Quis tam idoneus ad hæc? Id est, quis tantæ est prudentiæ, aut intelligentiæ, ut possit manifestare quare ad nostram prædicationem alii credant, alii non ; alii velint, et possint ; alii nec velint, nec possint? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?

Sequitur : *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* In hoc loco tangit pseudoapostolos, qui verbum Dei adulterabant : ipsi namque, derelicto verbi Dei sensu, secundum humanum sensum prædicabant : vel certe in ipso verbo Dei aliter, quam erat, sentiebant. Adeo quippe amatores erant Judaicæ sectæ, ut male de Christo sentirent ; et ideo minus notos (699) ostendit. Item qui adulter est, in coitu non prolem requirit, sed voluptatem diligit : ergo illi adulterant verbum Dei, qui in ipso non boni operis fructus sed humanæ laudis requirunt fetus. Item adulterare verbum Dei est, non Dei laudes, sed suæ sapientiæ ostentationem quærere.

Sequitur : *Sed ex sinceritate ;* hoc est ex simplicitate et cordis puritate. Ex sinceritate et simplicitate verbum Dei loqui est, hoc, quod loquitur, a Deo se habere intelligere. *Coram Deo* loqui est, dum loquitur, divinam præsentiam suæ menti præferre. Sed quia sunt qui, licet a Deo intelligant habere quod loquuntur, verumtamen humanos favores divinæ præsentiæ præferunt ; ideo non solum dixit : *Ex Deo*, sed etiam addidit : *Coram Deo.* Illud etiam notandum, quia in fine hujus capituli totius Trinitatis fit mentio : *ex Deo*, sancti Spiritus ; *coram Deo*, Patris ; *in Christo*, Filii.

(700) (CAP. III). *Incipimus iterum*, etc. Dixerat superius : *Deo autem gratias, qui semper triumphavit nos*, et cætera, quæ sequuntur, usque ubi dicit : *Non sumus adulterantes verbum Dei.* Statim subjunxit : *Incipimus iterum*, etc. Magna dixerat superius, et tale aliquid, ut extolli videretur : et ideo dicit : *Incipimus iterum*, ne extolli videretur, quasi diceret : Non ideo nosmetipsos vobis laudamus, ut commendari a vobis velimus, sed ut a falsorum doctrina subtrahamini. Sed quare dicit, *iterum?* Quia ea intentione multa dixerat in prima Epistola, id est *non sum liber ;* aut, *solus ego, et Barnabas*, etc. Et ideo dicit, *iterum*, quasi diceret : Non causa nostræ laudis nostram auctoritatem ostendimus, sed vestræ salutis, ut pseudoapostoli, quibus fidem accommodastis, nullius auctoritatis esse ostendantur, et illos relinquatis, et me sequamini. Nonnulli interrogative volunt hunc locum esse pronuntiandum, quod dicit, *incipimus* (701), etc. Maxime ob hoc, quia subjunxit Apostolus : *Aut nunquid egemus, sicut quidam*, etc., ac si diceret : Non egemus. Illi enim, quos gratia, fama, seu familiaritas commendat, non egent aliorum epistolis commendari ; econtrario, quos nil tale commendat, egent. Apostoli enim, quia gratia, patratione miraculorum, virtute signorum, sinceritate prædicationis commendabantur, non egebant commendatione : econtra pseudoapostoli, qui his omnibus carebant, commendatione egebant. De talibus dicit Dominus : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui devoratis domos viduarum* (*Matth.* XXIII, 14), etc. Sunt etiam nonnulli presbyteri, episcopi in Ecclesia consistentes, quos neque fama, neque doctrina commendat : et ideo alterius laude egent, quatenus commendentur. *Ad vos, aut ex vobis. Ad vos* dicit, quia aliorum epistolis Corinthiis commendabantur : *ex vobis*, quia ab ipsis aliis. Et his verbis ostenditur quia illi huc illuc discurrebant, quatenus non solum substantias, sed etiam salutem auferrent ; apostoli vero non solum substantias non tollebant, sed etiam salutem afferebant.

Epistola nostra vos estis, etc. Epistola enim signum est salutis. Corinthii namque Epistola erant in cordibus apostolorum, quia jugis erat memoria eorum in ipsis, et indesinenter eorum salutem optabant ; unde in prima Epistola : *Signaculum mei apostolatus vos estis* (*I Cor.* IX, 2). Et bene illi dicuntur esse Epistola, quorum jugis est memoria in cordibus aliorum, qui etiam indesinenter eorum optant salutem. *Quæ scitur, et legitur*, etc. *Ab omnibus hominibus* bene dicit, quia omnibus notum erat, quod illis

(699) *Minus notos*, fortasse *minus idoneos*, ex his, quæ paulo superius : *ad hæc quis tam idoneus?*

(700) In autog. marg. hic legitur cap. VII.

(701) Ita scilicet in Vulg. legitur.

prædicantibus credidissent. Sive, *Epistola Christi vos estis ministrata a nobis*, quia nobis prædicantibus credidistis, et Spiritum sanctum percepistis : *non atramento, sed Spiritu Dei vivi*. Illa enim res, quæ destruitur, et obliteratur, atramento dicitur commendari : illa vero quæ manet, Spiritu Dei vivi. Fides enim, quia perpetua est, et ea, quæ ab apostolis promittebantur, Spiritu Dei commendantur; doctrina vero pseudoapostolorum, quia transitoria, atramento. His enim verbis distantiam facit verorum et falsorum prædicatorum legis, et gratiæ. *Non in tabulis lapideis*. His enim verbis notat Apostolus legem. Vetus namque lex in tabulis lapideis scripta fuit, quarum fractio abolitionem litteræ legis significabat. Et bene in tali elemento, quia illi in duritia cordis erant mansuri. Sed nunquid lex hoc voluit ? Non. Sed quia futurum erat, portendebatur. *Sed in tabulis cordis carnalibus*. Tabulas carnales appellat tabulas cordis. Et bene ; quia caro sentit, cor discernit. Per has erge tabulas significabatur meritum, et dignitas illorum, qui in Christum erant credituri. Nam distantia erat inter hoc et illud. Illis namque extrinsecus data est lex, ut terrificaret ; istis intrinsecus, ut justificaret. Et illi, volendo, volendo, nolendo, sub lege erant, ne punirentur ; isti sponte sub lege, ut justificentur. Et, sicut duritia cordis illorum nomine lapidis significatur hic, ita in sequentibus, nomine velaminis, cæcitas cordis ipsorum. Et tantum distat inter istius legis prædicatores, et illius, quantum inter ipsa duo Testamenta. Unde in sequentibus dicit Apostolus magis mysterium prædicasse, majorem etiam Moyse gloriam habere.

Sequitur : *Fiduciam autem talem habemus*, etc. Qualem fiduciam haberet ad Deum per Christum ostendit, cum subjunxit : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid*, etc. Sane sciendum, quia secundum hanc præsentis temporis dispositionem, nisi a Deo regamur, subsistere non possumus, multo minus salvari : et si boni aliquid nequimus cogitare, multo minus operari, præsertim cum ipse dicat : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Si vero nulla nobis inesse potest facultas alicujus bonæ cogitationis, multo minus alicujus rei perfectionis. Quod vero dicit : *Non quod sufficientes simus*, etc., talis est sensus, quasi dixisset : Nos pauci, et idiotæ ad fidem mundum convertere, ac trahere non poteramus, nisi illo juvante. Illud etiam animadvertendum, quia verba præmisit humilitatis, eo quod esset magna dicturus. Nam, quia magna dixit, et dicturus erat, ne videretur extolli, et propriam quærere gloriam, ut elationis crimen tergeret, præmisit humiliter : *fiduciam*, inquit, *talem habemus*, etc. Quod autem dicit : *Sufficientia nostra a Deo est*, hoc est, omnis nostra facultas ab illo est, *qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti* : dum enim se suosque similes dicit idoneos, notat pseudoapostolos ; quoniam nonnulli eorum adeo erant amatores Judaicæ sectæ, ut legem carnaliter servandam docerent. Et est sensus Novi Testamenti sumus ministri, non Veteris, sicut Moyses, aut ipsi sunt, qui legem carnaliter docent servare. Ideoque addidit : *Non litteræ, sed spiritus*, id est, non legis litteræ, sed spiritus gratiæ servientes. Quare non ? Quia *littera*, inquit, *occidit*. Sed quæri potest quare dixerit litteram occidere, cum adjunxerit vivificantem spiritum ? Forte dicit aliquis, propter illud unum Decalogi mandatum, quod dicit : *Memento ut observes diem Sabbati ;* eo quod, qui carnaliter Sabbatum observat, moriatur ? Sed quis tantæ est imperitiæ, ut dicat propter hoc unum mandatum litteram occidere ? Ergo propter totam legem hoc dicit. Nam quale est, quod alibi dicit : *Concupiscentiam nesciebam* (*Rom.* vii, 7), etc. *Occasione autem accepta, peccatum*, etc., tale etiam est, quod hic dicit, litteram occidere. Occidit quippe, quia jubere potest, non tamen juvare. Nam, dum præcipit malum non esse agendum, quod agitur, et bonum agendum, quod non agitur, occidit. Talis namque lex debuit dari superbis in suis viribus confidentibus, suoque etiam conatu salvari credentibus, quatenus hac lege conclusi, atque coarctati quærent gratiam qua salvarentur. *Littera occidit ;* quia, dum solummodo jubet, mortificat : spiritus autem vivificat ; quia, non tantum jubet, sed etiam juvat, ipsos quippe peccatores justificat. Illa tantum auditorem, hæc magis requirit factorem.

(702) Sequitur : *Quod si ministratio mortis*, etc. Hic Faustus Manichæus erigit aurem, qui legem malam dixit, adeo ut ipsum Moysem malum diceret. Ait enim quia, nisi lex mala esset, non eam Apostolus ministram mortis vocaret. Ipse vero non attendit intentionem, neque sensum Apostoli intellexit. Nam qui legem ministram dicit mortis, idem alibi dicit : *Lex quidem sancta* (*Rom.* vii, 12), etc. : quique non est sibi contrarius, licet verba inter se dimicent. Lex enim ideo ministratio mortis dicitur, quod, dum peccatum manifestat, concupiscentia augmentatur. Tres namque sunt gradus : peccatum ostendit, concupiscentiam auget, suosque etiam cognitores gravius delinquere facit ; quoniam in scientia major est transgressio. Unde ipse alias dicit : *Ubi non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* iv, 15) ; et ideo dicit : *Quod si mortis ministratio fuit in gloria*. Et quasi interrogatus, quæ fuerit ipsa gloria, ostendit, *ita ut non possent filii Israel intendere*, etc. Quod satis aperte liber Exodi declarat, dicens : *Quia ex consortio sermonis Dei clarificata est facies Moysi* (*Exod.* xxxiv, 29), etc. Si ergo hæc mortis ministratio fuit, multo magis *ministratio spiritus est*. Sed quia novimus quæ illa fuerit gloria, quæ sit ista videamus necesse est. Illi enim gloriam vultus Moysi videre non poterant, quia peccatores erant, et in infidelitate erant permansuri. Hæc enim illa est, quam viderunt apostoli in monte (*Matth.* xvii, 4) ; *Marc.* ix, 1 ; *Luc.* ix, 28) ; Petrus videlicet, Jacobus, et

(702) In autog. marg. hic legitur cap. VIII.

Joannes : quæ ut major illa inconparabiliter esse monstraretur, Moyse, et Elia recedentibus, solus Jesus mansit in gloria.

Sequitur : *Nam si ministerium damnationis gloria est* (703), etc. Notandum quia tam damnationis quam *justitiæ ministerium* dicit in gloria ; quia, si lex, quæ suos etiam juste transgressores puniebat magnæ gloriæ, meriti,ac dignitatis fuit, multo majoris incomparabiliter gloriæ,meriti,atque dignitatis est gratia, quæ legis transgressores dignos morte conversos tamen justificavit. *Nam nec clarificatum* (704), *quod claruit*. Adhuc erigit Faustus aurem, asserens legem malam. Dicit enim quia, ut ostenderet Apostolus non vere dixisse legem clarificatam ideo subjunxit : *Nam nec clarificatum*.Qui non considerat,quoniam,si lex mala esset, non ejus gloriæ, major gloria compararetur, sive non suos puniret transgressores, quia non essent. Quapropter animadvertendum, quam caute locutus sit Apostolus. Non ait tantum : *Nec clarificatum, quod claruit*, sed addidit : *In hac parte* ; ac si dixisset : Habuit lex gloriam,suo tamen tempore; sed ad comparationem vero hujus partis, ejus gloria non est gloria. Verbi gratia : luna quoque noctis tempore gloriam habet lucis ; orto vero sole, cum lucem non amittat, gloriam tamen amittere videtur.

Si enim quod evacuatum est, per gloriam est, etc. Nota, quia lex evacuari dicitur,non tamen per abolitionem,sed melioratione,et augmentatione, sicut infantia, et pueritia, a juventute, et ceu lucerna nocte accensa, a claritate solis ; et similia. Illud quoque sciendum, quia sunt quædam in lege, quæ non aliter discutienda sunt quam scripta habentur sicut ipse Decalogus, quem qui allegorice discutit, ostium vitiis pandit,quia omnem profectum moralitatis destruit : quædam vero sunt, quæ tantum historialiter ; quædam autem utroque modo discutienda sunt. Sed sive uno,sive utroque modo accipias,lex tamen evacuatur;quia ejus intellectus permutatur,et non ipsa jubens sed gratia juvans requiritur. Bona etiam,quæ lex promittit,quia temporalia, et transitoria sunt,evacuantur ;quæ vero gratia promittit. cœlestia, et spiritalia sunt ; propter hoc etiam perpetuo manebunt. Et ideo dicit : *Multo magis quod manet, in gloria est.*

(705) Sequitur : *Habentes igiiur talem spem* (videlicet ut ministratio Spiritus multo magis sit in gloria) *multa fiducia utimur:* in eo scilicet confidentes qui idoneos nos fecit ministros. Hanc spem habentes, multa fiducia utimur,*ut, non,sicut Moyses pouebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus* (*Exod.* XXXIV, 33), ipse nobis interposito velamine loquatur sed abjecto velamine audiamus eum aperte loquentem. Quapropter eo majorem dignitatem suscepimus, quo ipsum Deum loquentem audimus.Ipsi enim servum loquentem, nisi interposito velamine, audire non poterant ; nos autem loquentem ipsum Dei Filium audire meruimus. Quibus verbis vult demonstrare Apostolus, quod nos, qui tantam dignitatem a Deo accepimus, vicem compensare debeamus ; hoc est, ut eo ardentius ei servire studeamus,quo majorem dignitatem ab illo accepimus. Et hoc sciendum, quia cœperat loqui de distantia legis,et gratia prædicatorum ejus,et hujus.In cœpta adhuc intentione perseverat. Sequitur : *Sed obtusi sunt sensus eorum.* Tandiu obtusi sunt,quandiu manet duritia : *Usque in hodiernum diem*, ideo dicit : quia quando hoc scribebat Apostolus, sive dirigebat, magna adhuc pars illius populi in infidelitate manebat. Et, ut ostenderet quod velamen illud, quo facies Moysi tegebatur, duritiam cordis eorum significaret,ideo subjunxit : *Idipsum autem velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum.* Sed quia hoc velamen in Christo revelatur,ideo subjunxit : *Quoniam in Christo evacnatur* : hoc est, in fide Christi: quia Christus finis est legis, Et hoc est, quod in subsequentibus dicit : *Cum autem conversus fuerit ad Deum.* Conversio ista, Christi fides,et confessio est intelligenda : nam converti ad Deum,est in Christum credere ; ergo et Christus Deus.

Quod autem dicit : *Quandiu legitur Moyses*, etc., hoc est,quod in Epistola ad Romanos dicit: *Cæcitas ex parte contigit in Israel* (*Rom.* XI, 25). Quod vero sequitur : *Cum conversus fuerit*, etc. ; hoc est,quod ibi dicit : *Donec plenitudo gentium introeat*, etc. Sequitur : *Dominus autem Spiritus est.* Nemo enim ignorat Spiritum sanctum Deum esse. Monstratur his quoque verbis quod Christus per Spiritum sanctum dederat legem.quæ tam Spiritus vicitur,quam spiritalis. Hæc enim lex non oculis cernitur, sed mente comprehenditur;non auribus corporis auditur, sed corde intelligitur, Attamen ad quam personam voluerit referre quod dicit : *Dominus Spiritus est*,incertum est ; quia Pater Spiritus,quomodo et Filius dicitur.

Sequitur : *Ubi Spiritus Domini,ibi libertas :* quasi dixisset : Libertas enim non est in illa lege, quæ in lapide scripta fuit, aut velamine tergitur, aut cujus gloria transiens est ; sed est in lege,quæ est spiritalis. Sane sciendum, quia ibi est vera libertas,ubi perfecta est charitas. Unde dicit beatus papa Gregorius,quia ibi est vera libertas,ubi nulla est peccandi voluptas.Ergo ille,qui timore a peccato retrabitur, hac libertate non fruitur ; quia, si impune posset, omnino peccaret. Quapropter ipsa ejus voluntas testis est, quoniam ideo non peccat,eo quod se peccare impune non posse agnoscat.Et hoc sciendum, quia iste hac libertate non fruitur, sed etiam ille, qui bonum timore operatur (706).

(703) Vulg. *Nam si ministratio damnationis.*
(704) Vulg. *Glorificatum.*
(705) In autog. marg. hic legitur cap. IX.
(706) Quæ præcedunt notari valde digna sunt. scilicet cum manifestent quæ fuerit de charitatis erga Deum necessitate,et de servili timore ad peccatorum remissionem plurimis ab hinc sæculis gravis hujusce viri sententia.

Sequitur : *Nos autem.* De se suisque sociis dicit, ac se dixisset : Illi velata facie, nos autem *revelata* id est, illuminata, *golriam Domini speculantes* ; hoc est, per speculum, vel de specuto contemplantes. Hanc enim ambiguitatem sermo Græcus, qui in hoc loco ponitur, non habet sed talem habet sensum, quasi dixisset : Speculantes, hoc est, a longe contemplantes. Et hoc est, quod sequitur : *A claritate in claritatem* gratiæ (707); sive a claritate filiorum, in claritatem similitudinis Dei, ut, sicut dicit Joannes, *Videamus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2).

Sequitur : *Tanquam a Domini Spiritu* (subauditur, ducti), quasi dixisset : Ducimur veluti decet Deum ducere. Ubi solerter attendendum est quanta erit dignitas, ad quam ducimur, cum pervenerimus : cum tanta gratia nobis concedatur, ut unusquisque nostrorum pignus Spiritus sancti accipiat.

CAP. IV.) (708) Sequitur : *Ideo hanc ministrationem habentes* Ministrationem dicit prædicationis officium, de quo supra, *idoneos nos fecit ministros* Et ne suis meritis hæc videretur ascribere, subjunxit : *Juxta quod misericordium consecuti sumus ;* quasi diceret : Non nostris meritis, sed ejus miseratione prædicationis officium suscepimus, et ideo in pressuris et persecutionibus, quæ nobis accidunt *non deficimus.* Illi ergo in pressuris deficiunt, qui non secundum misericordiam prædicationis officium suscipiunt, sed secundum suum prædicant libitum.

Sequitur : *Sed occulta dedecoris abdicamus.* Dedecus enim ad turpitudinem attinet. Valde namque inhonestum, ac turpe est, accepta fide Christi peccare, quasi aliis verbis dixisset Apostolus : Non solum non deficimus, sed occulta dedecoris abdicamus ; hoc est, non solum pravas actiones, sed etiam pravas, et inhonestas cogitationes in nobis exstinguimus. Et hoc sciendum, quia hæc verba videntur esse narrantis ; attamen subintelligi potest sensus exhortantis. Quapropter monentur illi, qui ad fidem Christi transeunt, ut non solum prava opera a semetipsis repellant ; sed et turpes cogitationes exstinguant.

Sequitur : *Non ambulantes in astutia.* In astutia ambulare, est sensum verbi Dei auferre, et humanum intruducere. Sequitur: *Manifestatione veritatis* Manifestatio veritatis contraria est astutiæ, sive adulterio, quemadmodum veritas falsitati, sive mendacio. Et hoc notandum, quia adeo se dicit assertorem veritatis, uti omnium hominum conscientiis notus esset, hoc est, non solum bonorum, sed et malorum quod in veritate Evangelium Cbristi prædicaret ; quia ipsi etiam, qui ejus prædicationem suscipere nolebant. vera eum prædicare intelligebant : quoniam ipse nullam cuique occasione prava de se suspicandi tribuebat; quia neque causa quæstus, neque humanæ laudis prædicabat. Nam causa quæstus non prædicabat quia nihil ab illis accipiebat ; neque humanæ laudis, quia semetipsum mortificabat. Magnum est quod sequitur : *Coram Deo,* Magnum esset, si hoc solummodo de hominibus diceret ; sed, quia homines falli possunt, ideo subjunxit quod majus est incomparabiliter. Certus namque, et securus, quod in manifestatione veritatis Evangelium prædicaverit, et ideo ad confirmationem sui, testem Deum invocabat.

(709) *Quod si etiam opertum est,* etc, Dixerat enim superius se non in astutia ambulasse, neque verbum Dei adulterasse, sed in manifestatione veritatis, adeo ut omnium conscientiis se commendasset etiam coram Deo. Et quia poterat aliquis respondere : Quare dicis omnium hominum conscientiis tuam prædicationem commendatam, cum non omnes audientes credidissent ? Ad hæc respondit, dicens : *Quod si etiam opertum est,* etc. ; Non te moveat quod dixi omnium hominum conscientiis meam prædicationem commendatam, cum non omnes crediderint : nam, etsi *opertum est Evangelium,* in illis est opertum qui non crediderunt ; in his vero, qui crediderunt, Deo revelante manifestum est. Et volens adhuc ostendere in quibus sit opertum, subjunxit : *In quibus Deus hujus sæculi.* Erigit in hoc loco Manichæus aurem, et deum sæculi diabolum, vel malum intelligit : nam duas esse naturas asserebat bonam, et malam : bonam a Deo, malam a diabolo. Unde et Moysen diabolo servisse firmabat, dicens legem diabolo datam· quoniam iram operatur. Sed sciendum, quia ita dicitur diabolus deus sæculi, quemadmodum per Psalmistam: *Dæmonia dii gentium* (*Psal.* XCV,5) ; et Paulum : *Quorum deus venter est* (*Philipp,* III, 19). Ubi ostenditur, quia nec venter nec dæmonia, nec etiam diabolus dicitur, nisi deus sæculi, vel princeps dicitur sæcularium hominum, non per hoc, quod homines sunt, sed per hoc quia mali sunt.

Sed quia iste sensus vicinus est errori, ipsum Deum verum intelligere debemus, et ita distinguere: *in quibus Deus,* id est, Omnipotens, Creator, et Verus, *excæcavit,* etc. Et si cui dure videtur quod Deus dicitur excæcasse, animadvertat quod alibi dicat : *Ego veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX,39) ; et Paulus : *Tradidit eos Deus* (*Rom.* I, 24), etc. Sed tunc dicitur Deus illuminasse, vel non tradere, quando liberat: et tunc cæcare, quando non liberat. Sed quod ex hac massa perdita salvat, gratuita miseratione : quod vero damnat, occultissimo et æquissimo judicio suo.

Ut non fulgeat eis illuminatio, etc. Id est, ut non illuminentur, credendo luci Evangelii. Cujus Evangelii ? *Gloriæ.* Cujus gloriæ ? *Christi.* Cujus Christi *Qui est imago Dei,* qui est figura Dei, vel character; ut illud : *Qui cum sit splendor gloriæ* (*Hebr.* I,3), etc. Splendor ejus dicitur, sive imago ; quia adeo in nullo distat a Patre, ut qui videt Fillium, videat et

(707) In textu Vulg. *gratiæ* verbum non legitur.
(708) In autog. signum hic tale prostat, quod initium capitis innuere videtur.
(709) In autog. marg. hic legitur cap. X.

Patrem, sicut ipse : *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9).

Non enim nosmetipsos prædicamus, etc. ; id est, propter nos, sed propter *Jesum Christum ;* id est, propter amorem ipsius ; quia non causa quæstus, vel lucri prædicamus. Pseudo namque apostoli, etsi Jesum prædicabant, non tamen propter eum ; quia causa lucri, vel suæ laudis docebant. *Nos autem servi propter Christum*, etc. Tantæ humilitatis erat, ut servum se nominaret. Sed et servos posuit propter ministros ; sed, ut humilius loqueretur, dixit servos, propter Jesum dicit ; id est, propter amorem Jesu, ut ostendat se non causa dignitatis, vel eorum meritis se servum nominasse. Sed sciendum, quia sancti aliquando honores refugiunt, ne extollantur ; aliquando requirunt ut imitentur, ut Apostolus hic. Nam cum se servum, et in sequentibus parvulum nominet, alibi dicit : *In quo quis audet, in insipientia dico* (*II Cor.* XI, 21) : ubi etiam dicit se usque ad tertium cœlum raptum. Quare hoc, nisi ut imitaretur ? Et notandum, quia ideo se laudat, ut falsos excludat : nam, si se tacuisset, illos commendasset.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris, etc. Tenebras corda infidelitatis appellat, quæ ipsi quoniam, in infidelitate manendo, habuerunt ; lumen vero spiritalis intelligentiæ doctrinam dicit. Et est sensus : De his tenebris dixit, id est, jussit lumen spiritalis doctrinæ emanare ; sive de tenebris litteræ legis, spiritalem intelligentiam jussit procedere. Quare, manifestat, dicens : *Ad illuminationem scientiæ* ; id est, ut alios eadem doctrina illuminaremus (710) *in facie Christi* ; id est in vice, sive in persona Christi ; nam facies pro persona ponitur : unde in quibusdam exemplaribus (711) persona invenitur, non facies.

Habemus autem thesaurum istum, etc. Aggreditur Apostolus ostendere quare se supra idoneum dixerat magistrum, et quare persecutiones pateretur : et hoc adversus pseudoapostolos, qui dicebant nullius meriti et fidei eum esse ; et ob hoc persecutiones pateretur. Thesaurum itaque, spiritalem intelligentiam nominat ; vasa autem fictilia, fragilia corpora. Et est sensus : *Habemus thesaurum*, etc. ; id est spiritalem intelligentiam in fragilibus corporibus gestamus. Unde sæpe evenit, ut inde infirmemur unde alios salvamus. Quare ? Ut quo in fragilibus corporibus mysteria divina gestamus, eo *sublimitas virtutis Dei* excellentior ostendatur. Et bene per thesaurum spiritalis intelligentia ostenditur : quia, sicut thesaurus non hominibus manifestatur a quo habetur : ita et spiritalis intelligentia in cordibus fidelium inculcatur, in infidelibus vero occultatur. *In omnibus* sive locis, vel temporibus, quia multa subaudiri possunt, *tribulationem patimur*, id est, pressuras ; *sed non angustiamur*, quia spe futuræ vitæ dilatamur. *Aporiamur*, derivatur a verbo Græco, quod est *uporia* ; id est, anxiamur. Et est sensus : Anxiamur, *sed non destituimur ;* id est Deo relinquimur. In quibusdam exemplaribus invenitur : inopiam patimur, sed non destituimur, quoniam a Deo pastore pascimur.

Persecutionem patimur, a malis, et pravis hominibus ; *sed non derelinquimur*, a Deo : *dejicimur*, a potentibus, et sublimioribus, præcipitamur ; veluti quis de monte, vel de tecto, ut exstinguatur ; *sed non perimus*, quia non extinguimur causa vestræ salutis. Nam quod isti prædicta omnia sustinuissent et alacres crediti fuissent, liber Actorum apostolorum manifestat, ubi legitur : *Ibant gaudentes* (*Act.* V, 41), etc. : et ubi Paulus, et Sileas, cum flagellati fuissent, et in carcerem missi, et pedes eorum ligno vel nervo fuissent astricti, alacriores, et lætiores ad Deum laudandum relicti existebant. *Semper mortificationem Jesu* (*Act.* XVI, 25), etc. Quid est hoc totum dicere, nisi quasi aliis verbis dicat, parati sumus mori propter Jesum ; *ut vita Jesu in corporibus nostris manifestetur*, id est, ad immortalitatem transeamus ? Et sciendum quia quotidie Jesus moritur, crucifigitur, resurgit in membris suis, et membra ipsius in ipso vivificantur.

(712) Exsequitur eumdem sensum latius aliis verbis dicendo : *Semper enim nos qui vivimus*, etc. *Propter Jesum* dicit, propter corpus Jesu, quia Ecclesia corpus est Jesu : *ut et vita Jesu*, etc. ; id est, ad immortalitatem transeamus. *Ergo mors in nobis*, etc. Quasi diceret : Dum nos vobis etiam prædicamus, qui vivitis, sævitiam, et persecutionem tam gentium, quam Judæorum adversum nos excitamus, adeo ut ad mortem trahamur. Potest etiam increpative proferri, ut sit sensus : *Ergo mors in nobis*, etc. ? Non. Id est, non semper nos moriemur, et vos vivetis : et adversus illos, qui pseudoapostolis fidem accommodaverant, qui dicebant Apostolum nullius auctoritatis esse, et ob hoc persecutionem pati ; quasi diceret : Nunquid semper vestri prædicatores vivent, et nos moriemur ? Non. Mutabitur ordo : et illi, qui nunc vivunt, morientur, et nos, qui morimur vivemus.

Sequitur : *Habentes eumdem spiritum fidei* ; id est, spiritum Patrum. Nam cum dicit *eumdem*, patriarchas, et prophetas vult intelligi, et omnes illos, per quos doctrina sacra est administrata. Ostendit enim his verbis se quoque ea fide salvari, qua et Patres : quia quod illi futurum, isti quoque factum credebant. Voluit namque suam narrationem confirmare exemplo, et ideo subjunxit : *Sicut scriptum est ; Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 10). David enim loquebatur, verumtamen quod credebat : quoniam quidem nemo sanæ mentis hoc aliis vult affirmare, quod ipse non credidit. Sequitur : *Et nos credimus*, etc. Et est sensus : Quia credimus, propterea, quod credimus, loquimur.

Et quasi interrogasset aliquis : quid credis, quod

(710) In autog. *illuminaret mihi*, quod tanquam mendam corrigendam duximus.

(711) Scilicet in Græcis.

(712) In autog. marg. hic legitur cap. XI.

etiam te loqui dicis? Ipse vero quasi respondens subjunxit : *Scientes quoniam suscitavit Jesum*. Erant autem nonnulli inter Corinthios, qui de resurrectione dubitabant : et ideo adversus eos de eodem loquitur. In qua intentione diutius versatur, adversus quos in prima Epistola fuerat loquutus. In eo vero. quod ait, *qui suscitavit*, non obstat, sive Patrem, sive totam intelligas Trinitatem.

Ut ostenderet igitur Apostolus, quia resurrectio, quæ celebrata est in Capite, celebrabitur et in membris et quæ precessit in Capite, sequetur et in membris, subjunxit : *Et nos cum Jesu suscitabit*. Qui etiam, ut monstraret, quia quorum una est fides, erit et una omnium in domo pacis habitatio, addidit : *Et constituet vobiscum*. Sequitur : *Omnia enim propter vos* (subauditur, sustineo). Quare sustineret pro ipsis, ostendit, *ut gratia*, inquit, *abundans per multos*, etc. ; quasi dixisset : Deus quippe neminem vult suis donis privari, neminem quoque perire : quia non lætatur in perditione morientium, sed potius omnes vult salvos facere. Quapropter, ut multæ sibi gratiarum referantur actiones, ipse quidem multa in se credentibus intulit dona, et credituris promisit. Quapropter, sicut valde inhonestum, ac turpe est, hominem cœnam magnam, et opulentam facere, et multos invitare, et ad extremum paucos habere : sic quoque valde est inhonestum, atque indignum. Deum scilicet paucos habere laudatores. Ad hoc igitur ; id est, ut multos acquireret, quotidie Apostolus laborat. Quamobrem animadvertendum est quanti meriti ipse, quantæque fuerit dignitatis, qui etiam vitam parvipendebat temporalem ; quatenus multos acquireret, qui Deo gratiarum actiones referrent.

Sequitur : *Propter quod*, hoc est fide resurrectionis, vel certe, ut multos acquiramus, in pressuris, et passionibus *non defecimus*. Verum quia poterat aliquis dicere : quomodo non deficitis, cum multi exstinguantur ex vobis ? Ideo subjunxit : sed *licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur*, et rel. : ac si dixisset : quo magis qui foris est atteritur, eo magis interior homo relevatur (713) : et, quo exterior majora patitur pericula, eo interior majora his acquirit lucra, atque accumulat præmia. Sequitur : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, ac leve*, etc. Quid est enim in præsenti ? Tribulationes quippe corporales, persecutiones, et similia. Bene ergo momentaneæ ac leves dicuntur, quia cito transeunt, et quasi ad momentum prætereunt : attamen *supra modum æternum gloriæ pondus operatur*. *Supra modum* dicit, quia nulla est comparatio. Nullo, inquam, pacto terrena cœlestibus, temporalia æternis, caduca queunt comparari mansuris. Sciendum sane, quia metaphoram servat, dum momentaneo, ac levi, gloriæ pondus comparat. Hujus loci sensus et in Epistola ad Romanos continetur, ubi ait : *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis* (*Rom.* VIII, 18), etc. Ipse quoque, tribulationes in quibus gloriæ pondus operentur, ostendit, cum subjunxit : *Non contemplantibus nobis quæ videntur*, etc. Et est sensus : Non solliciti sumus de temporalibus, quæ transeunt, sed de æternis, quæ manent. Et hoc exponit, cum subdit : *Quæ enim videntur, temporalia sunt*, etc. Et est sensus : Nos solummodo necessariis contenti, aciem mentis in semper mansura dirigimus.

(74) (CAP. V.) Sequitur : *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*, etc. Terrestrem domum mortalia corpora vocat. *Non manufactam*, eadem corpora, sed jam immortalia reddita. Et est sensus : Ideo in persecutionibus et passionibus perseverantes sumus, et eas hilariter sustinemus, quia certi de resurrectione sumus ; quoniam, si ab hac vita migraverimus, ad immortalitatem transibimus. In eo vero, quod dicit : *Domum æternam non manufactam*, vult intelligi terrestrem manufactam : quæ pulchre manufacta dicitur, quoniam mortalia corpora visibilibus incrementis administrantur. Illa vero cœlestis non manufacta dicitur, quia eadem corpora Spiritu Dei invisibiliter spiritalia efficientur.

Sequitur : *Nam et hoc* (715(; id est, ad hoc, vel propter hoc *ingemiscimus, habitationem nostram, quæ in cælo est*, id est, immortalitatem, *superindui cupientes*. Qualiter vero superindui, manifestat : *si tamen vestiti Christo* (716). Unde ipse : *Quotquot in Christo baptizati estis* (717), etc. Vestiti etiam fide, ac piis operibus, et *non* ab his *nudi inveniamur*.

Sequitur : *Num et qui sumus in hoc tabernaculo ;* hoc est, mortali corpore, *ingemiscimus gravati ;* scilicet, persecutionibus, et diversis calamitatibus : *eo quod nolumus exspoliari* ; id est, fidem negare, ut Christo nudemur : *sed supervestiri ;* id est, non solum immortalitate, sed etiam immutatione donari. Unde idem alibi : *omnes*, inquit, *resurgemus* (*I Cor.* XV, 51), etc. Sequitur : *Ut absorbeatur quod mortale est, a vita* ; hoc est, vita absorbeat mortem. Sed quando hæc implebuntur ? *Cum mortale hoc induerit immortalitatem* (*Ibid* 53), etc. Ipse etiam, ut ostenderet eum, qui tantum illis perseverantiæ donum tribuebat, subjunxit : *Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus* (subauditur, est). Sequitur : *Qui dedit nobis pignus spiritus sui ;* videlicet, ut certiores nos de promissis redderet.

(718) Sequitur : *Audientes* (719) *igitur*. Et est sensus : Inter varia pericula, et plurima adversa, semper sumus audientes, quiescentes. *Quoniam dum sumus in corpore*. etc. Sed oritur quæstio, quomodo

(713) In autog. *revelatur*, et fortasse bene, quia, ut ita dixerim, cortice attrito, quod intus est, clarius revelatur.

(714) In autog. marg. hic legitur cap. XII.

(725) Vulg. *nam et in hoc*.

(716) Vulg. verbum *Christo* non habet.

(717) *Gal.* III. 27. Vulg. *quicunque enim* in Christo baptizati estis, Christum induistis. etc.

(718) Hic in autog. marg. legitur cap. XIII.

(719) Vulg. *audentes*.

dicat : *Peregrinamur a Domino ;* cum ipse in Actibus apostolorum dicat : *In ipso vivimus,movemur et sumus* (*Act.* XVII, 28). Sic hoc verum est, quomodo ergo peregrinamur a Domino ? Peregrinamur, quia, etsi ipse præsens adest, non tamen eum videmus. Cum autem ad eum venerimus,et aperte viderimus, a corpore peregrinabimur.Quod ipse etiam exponit, cum subjungit : *Per fidem enim ambulamus*, etc.

Sequitur : *Audemus autem et bonam voluntatem habemus ;* hoc est, *audemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum*. Et quare audemus ? Quia et bonam voluntatem habemus (720). Sed unde hæc tanta audientia Apostolo ? Ex bona voluntate scilicet, et piis operibus. Quapropter hæc vox imperfectorum esse non potest, qui se malam voluntatem sciunt habere,et malam in judicio causam. Hinc etiam ipse alibi dicit : *Dissolvi, et essé cum Christo multo magis melius* (*Philipp.* I, 23), etc. Sequitur : *Et ideo contiendimus ;* hoc est,laboramus, pugnamus, et omnis noster conatus ab hoc certat, ut, *sive absentes,sive pvæsentes,placere illi* possimus ; absentes vero, mortales,præsentes appellat immortales. Illud autem sciendum, quia,si absit disciplina ecclesiasticæ pacis,utrumque possumus implere ; hoc est,tam absentes,quam præsentes Illi placere ; quoniam qui hic illi placent, illic non ei displicebunt. Hinc etiam exponit quod supra dixerat : *Peregrinamur a Domino ;* quia, sicut absentes peregrinamur ab illo, ita illi præsentes peregrinabimur a corpore.

(721) Sequitur : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal*. Sane sciendum, quia secundum magnitudinem illius,qui præsidet,timor est habendus,et mentis discussio.Et ne forte aliquid subjungeretur, adjunxit : *Christi, quia Pater non judicat quemquam* (*Joan.* V, 22), etc. Demonstrat etiam his verbis Apostolus,quia,sicut ipse alibi ait : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* X 31).

Sequitur : *Ut recipiat unusquisque propria corporis*, etc. Hic summopere quærendum est, quare dicat unumquemque propria corporis recipere, cum absque illius membrorum officio solo mentis consensu plurima agantur,quæ nos a regno cœlesti excludere possunt,ut est illud : *Dixit insipiens in corde suo* (*Psal.* XIII, 1), etc.Sed non est contrarium,quia ita solvi potest : ea quippe unusquisque recipiet, quæ tempore corporis,vel in mortali adhuc corpore positus egit. Nam quandiu in mortali corpore manet, ea agere potest, vel unde remuneretur, vel unde damnetur. Cum enim moritur,deserit corpus, quod tamen in fine sæculi recipiet. Verumtamen non ultra bonum,vel malum licentiam agendi habebit, sed recipiendi quod egit.

(722) Sequitur : *Scientes ergo timorem Dei, hominibus suademus ;* id est, in cordibus hominum inculcamus : videlicet ut corrigant actus suos, deserant malum, et faciant quod est bonum. Nos ergo, si aliter vivimus quam prædicamus, *Deo manifesti sumus*. Hoc quoque dicendo, tangit causam prælibando, quam apertius manifestat, dum subjungit : *Spero et in conscientiis vestris manifestos nos esse*. Quasi dixisset.Novi pseudoapostolos de nostra parte multa vobis mala dixisse.Aiunt enim nos non tantæ esse auctoritatis,nec tanti meriti, quanti sunt ipsi, nec esse doctos ab his qui Dominum sunt secuti, quemadmodum ipsi. Et hoc ideo vobis dicunt, ut facilius vos ab apostolica subtrahant doctrina. Sed ego certus sum, quod vos magis credatis conscientiis, quam eorum latratibus, seu obtrectationibus. Et hoc ideo dicebat,quia nullam dederat illis occasionem prava de se suspicandi ;quia nec causa quæstus prædicat, quoniam nihil ab illis accipiebat ; nec etiam causa humanæ laudis : non enim palam nihil ab illis accipiebat,verum nec in occulto, ut a plebibus veneraretur,et intrinsecus subdolus,atque impostor haberetur.

(723) Sequitur : *Non iterum commendamus nos vobis ;* quasi dixisset : jam diximus vobis, et nunc iterum dicimus, quia hoc non propterea loquimur, ut nos commendare velimus,sed causa vestræ salutis dicimus. Et quasi interrogasset aliquis : Si te non vis commendare, quare ergo dicis ? Et ideo dicimus : *Ut occasionem demus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis adversus eos, qui in facie gloriantur, et non in corde* (subauditur, quod respondeatis. vel, quod dicatis). Pseudo namque apostoli gloriabantur in genere, in nobilitate,in sapientia,et instructione : sed omnis eorum gloriatio extrinsecus erat,quia non studio placendi Deo prædicabant ; Apostolus autem magna de se illis nuntiabat, ut illos excluderet ; quia,si de se taceret, illi viderentur commendari.

Sequitur : *Sive mente excedimus, Deo*, etc. Iste locus duobus modis potest intelligi : Sive mente excedimus ; id est, si in superbia, et elatione vobis prædicamus, *Deo*, relinquimur : *sive sobrii sumus ;* hoc est, si in simplicitate, et sinceritate prædicamus, *vobis*, Corinthii, prodesse cognoscite. Aliter : *Sive mente excedemus* ; hoc est,dum magna contemplamur, *Deo* rapimur : *sive sobrii sumus*, id est temperati, et moderati, parva quidem, et humilia prædicantes, *vobis* sumus.

Sequitur : *Charitas Christi urget nos*. Charitas namque Christi, sicut quorumdam mentes ad contemplandum cœlestia sublevat, ita et per compassionem ; et humiliter, ut proximis condescendant, revocat. Sequitur : *Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est*. Et est sensus : Sicut charitas Christum,ut nos redimeret, traxit ad passionem,ita et nos trahit ad condescensionem.Quod vero dicit : *Omnes mortui sunt*,duobus modis potest intelligi. *Mortui sunt ;* id est in Adam mortales facti ;

(720) In autog. marg. hic legitur Dominica XII. post Pen.

(721) In autog. marg. hic legitur cap. XIV.

(722) In autog. marg. hic legitur cap. XV.

(723) In autog. marg. hic legitur cap. XVI.

et ideo unus pro omnibus mortuus est, ut illos ad immortalitatem revocaret : sive omnes mortui erant anima ; et ideo unus vivus, id est, peccati carne mortuus est,ut illos vivificaret. *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant ;* id est, qui vivunt redempti, et renovati,non sibi vivant, id est,non suis desideriis satisfaciant. Aliter : *Ut qui vivunt*, spe cœlestium promissionum, *non sibi vivant,* spe temporalium rerum.

(724) Sequitur : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Ex hoc* dicit ; hoc est ex quo tempore ille resurrexit, et formam tribuit, ut qui vivunt, non sibi vivant *neminem nos secundum carnem novimus.* Et quare dixerit *secundum carnem* manifestavit cum subjunxit : *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Hic erigit Manichæus aurem, qui negat Christum veram carnem sumpsisse. Dicit enim quia, si veram carnem habuisset,nequaquam diceret Apostolus, *et si novimus.*Sed beatus Augustinus dicit : Notandum quia non dicit Apostolus, etsi suspicati sumus, sed *novimus.*Rem enim, quam dubiam habet, suspicatur, non eam quam habet cognitam.

Sed hic oritur quæstio cur dicat Apostolus : *Sed nunc jam non novimus,*cum ipse Dominus resurgens a mortuis, suis dixerit discipulis : *Palpate, et videte* (*Luc.* XXIV, 39), etc. Sed non est contrarium. Nam sciendum quia caro in Scripturis divinis ponitur tam pro mortalitate, quam pro naturæ veritate. Ergo habet Deus Christus carnem secundum veritatem naturæ, sed non habet secundum fragilitatis mortalitatem : *Quia resurgens a mortuis jam non moritur* (*Rom.* VI, 9), etc. Si ergo ita de Christo intelligi potest, quare superius dixerit : *Neminem novimus secundum carnem ?* Numquid ipse non erat in carne, aut illi, quibus loquebatur ? Erant, et non erant in carne. Non erant, quia non in spe sæcularium rerum aut temporalium honorum manebant ; eo quod se diu non permansuros intelligebant ; sed in spe habentes, quandoque se ad immortalitatem transituros, credebant : nam, quod sub spe certum erat, quasi jam factum habebant. Quod vero res, quæ sub spe certa habetur,quasi jam facta teneatur, idem ipse manifestat, cum dicit : *Si consurrexistis cum Christo* (*Coloss.* III, 1), etc. Non illa, qua Christus resurrexit,ipse resurrexit ; sed tunc sub spe certus manebat, quia quæ præcessit in Capite, sequeretur in membris ; et iterum : *Qui salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis* (*Tit.* III, 5), etc. Nunquid illa salvatio resurrectionis, quæ in baptismate præfiguratur,in eodem baptismate celebratur ? Non. Sed spe, cum sit futura, quasi jam facta tenetur. Dixerat paulo superius : *Ex hoc jam neminem novimus secundum carnem.* Quare hoc dixerit, ostendit : *quia etsi cognovimus secundum carnem, non novimus Christum*, etc. ; ac si aliis verbis diceret : Non illum secundum carnem novimus, quia novum scimus, et ob hoc etiam neminem secundum carnem novimus,quoniam novitas,quæ in illo est in re, est et in membris ipsius,verumtamen in spe. De hac novitate dicit cum subjungit : *Si qua ergo in Christo nova creatura.* Novam creaturam ecclesiasticum populum vocat, qui novus est, vel per baptismatis renovationem, quam habet in re, vel per futuræ resurrectionis renovationem, quam habet in spe, cujus etiam reparatio, baptismatis est renovatio : quæ tunc quoque erit perfecta, quando victores dixerint : *Ubi est, mors, victoria tua ?* (*I Cor.* XV, 55), etc.

Sequitur : *Vetera transierunt*, id est spes temporalium rerum et terrenarum promissionum transiit ; quia vetus lex temporalia bona, et regna promittebat terrena : et ideo recte dicuntur transisse. Nunc vero, quia Evangelii gratia non promittit terrena, sed cœlestia, non temporalia, sed æterna, non transitoria, sed mansura, ideo sequitur : *Ecce facta sunt omnia nova.*

Sequitur : *Omnia autem ex Deo.* Pulchre quidem dicit : *Omnia ex Deo*, quia licet passio crucis ad personam Filii proprie attineat, nostræ tamen redemptionis et renovationis opus, totius est Trinitatis. Item : *Omnia ex Deo ;* hoc est, tam nova quam et vetera ; quia pro temporum varietate, seu qualitate, utraque Testamenta ab illo sunt data. Ergo utriusque Testamenti unus Deus. Et hoc adversus illos, qui alterum Deum Novi, Alterum Veteris Testamenti dixerunt.

Sequitur : *Qui reconciliavit nos sibi per Christum.* Primus homo creatus astutia diaboli fuerat deceptus : sed, ne in æternum periret, misit Deus Filium suum, ut eum sibi reconciliaret ; quatenus per eum redimeret hominem,per quem etiam fecerat hominem. Sequitur : *Et dedit nobis ministerium reconciliationis.* Dixerat se reconciliatum ; dicit etiam se accepisse reconciliationis mysterium ; quoniam talis erat ordo,ut prius Filium suum mitteret, qui hominem redimeret,et sibi reconciliaret, quem,peractis omnibus,ad quæ venerat,assumpsit, et vice ejus, reconciliationis ministerium, hoc est prædicationis officium apostolis tradidit.Quod tunc factum est, quando dixit : *Euntes docete* (*Matth.* XXVIII, 19), etc.

Sequitur : *Quoniam quidem Deus erat in Christo,* hoc est Pater in Filio. Sed nunquid ita erat in Filio, veluti in patriarchis, et prophetis ? Non. Nec etiam sicut in angelis. Quia in illis per gratiam,in isto per naturam.Unde ipse dicit : *Pater in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* XIV, 10) : et item *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* XVII, 11) ; et item : *Qui me, misit mecum est* (*Joan.* VIII, 29), etc. Sequitur : *Reconcilians sibi mundum.* Mundum quoque electos appellat, de quibus Dominus : *Non veni ut judicem mundum* (*Joan.* XII, 47, etc. Per totum namque mundum est mundus;et mundum persequitur mun-

(724) In autog. marg. hic legitur cap. XVII.

dus, coinquinatus mundum, perditus redemptum, damnatus salvatum. Ex hoc quoque mundo perdito est mundus electus ; unde Dominus : *Ego vos* inquit, *elegi de mundo* (*Joan.* xv, 19), etc. *Non reputans illis delicta*, et gratis, et indebite per gratiam baptismatis peccata illis dimisit, nullis precedentibus meritis.

Sequitur : *Et posuit in nobis verbum reconciliationis*. Hoc est, quod superius dixerat, ministerium reconciliationis. Propter quod et subjungit : *Pro Christo ergo legatione fungimur*, hoc est vice Christi. Sequitur : *Reconciliamini Deo*. Sed unde fit hæc reconciliatio ? Videlicet ex inimicitiis. Verumtamen has inimicitias peccata genuerunt, non quidem natura.

Sequitur : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Sed quærendum est quare dicat : *Peccatum fecit*, cum de illo scriptum sit : *Qui peccatum non fecit* (*Isa.* LIII, 9 ; *I Petr.* II, 22), etc. : sed talis est sensus : Peccatum pro nobis fecit, quia hostiam illum pro peccatis nostris obtulit. Nam hostia, quæ pro peccato in Veteri Testamento offerebatur, peccatum dicebatur. Item, peccatum pro nobis fecit, quia per carnem, id est, per similitudinem carnis peccati habentem in nobis peccatum damnavit. Unde idem Apostolus alibi : *Mittens*, inquit, *Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati* (*Rom.* VIII, 3), etc.

Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, hoc est in Ecclesia, quæ est corpus ejus, cujus etiam caput ipse est. Nota, quia justitiam Dei dicit. Judæi namque, ipsa suam exquisierunt justitiam, non sunt effecti justitia Dei, quia non sunt etiam subjecti. Dei dicit justitiam, non nostram, et in ipsa, non in nobis ; quia sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, et non in se, sed in nobis factus est, sic et nos ejus justitia, non nostra, et in ipsa, non in nobis facti sumus. Beatus vero Augustinus dicit, quia in mendosis exemplaribus invenitur sic scriptum : *Eum, qui non noverat peccatum*, etc. ; in veracioribus vero : *Qui non noverat peccatum, factus est peccatum* ; sed non est contrarium quod legitur : *Eum qui non noverat*, si superiora consideremus. Superius enim de Patre locutus est, dicens : *Deus erat in Christo*, et similia, et de ipso dicit : *Fecit* ; si vero legatur solummodo : *Qui non noverat*, melius sonat, *factus est*, quam *fecit*. Illud tamen notandum, quare dicat : *Qui non noverat*. Si non noverat, quomodo fiducialiter arguebat ? Sed omnino possumus dicere noverat, et non noverat. Noverat quidem per sapientiam, sed non noverat per experientiam. Cui credere debuit primus homo ? Huic credere, ut non agnosceret peccatum per experientiam : qui si non fecisset, nullo modo agnovisset.

(CAP. VI.) (725) Sequitur : *Adjuvantes autem*, etc. Dixerat superius se ministerium, et verbum reconciliationis accepisse, et ideo pro Christo legatione fungi, propter quod etiam obsecrasse se ostendit : et ideo aggreditur nunc exhortari, ut suum adimpleat officium : ait enim : *Ajuvantes autem* sumus, videlicet orando, et exhortamur admonendo.

Sequitur : *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Multi gratiam Dei in vacuum recipiunt. Illi enim, qui divinæ inspirationi suæ voluntatis effectum jungunt, gratiam in vacuum non recipiunt ; similiter et qui sapientiam a Deo percipit, si in ea, ut Deo placeat, desudet, gratiam Dei in vacuum non suscipit ; similiter potest intelligi de fide, et cæteris, quæ homo cœlitus percipit. Nam sciendum quia, si homo voluntatem propriam amisisset, exhortatio non prodesset, et si sola voluntas sufficeret, nequaquam idem Apostolus alibi diceret : *Et gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor.* xv, 10).

Voluit namque Apostolus suam narrationem confirmare exemplo, ideoque subjuxit : *ait* (subaudies, Isaias) : *Tempore accepto exaudivi te* (*Isa.* XLIX, 8), etc. Tempus quippe acceptum, et diem salutis, statum appellat vitæ præsentis, in qua quisque suam potest operari salutem. Ipse namque, quod esset hoc tempus, exposuit, cum subjunxit : *Ecce nunc tempus acceptabile*, etc. (726). *Ecce nunc* dicit, propter tempus Dominicæ Incarnationis, quia propheta de illo prædixerat in persona Dei Patris, quasi dixisset : *Tempore accepto*, id est Filii mei Incarnationis. Prædestinaverat namque Deus Pater maxime tempore Incarnationis unigeniti Filii sui, gratiam, et salutem præstare credentibus. Huic salutifero tempori et diei succedit nox, in qua nemo poterit operari, de qua Dominus in Evangelio : *Veniet nox* (*Joan.* XIX, 4), etc. Hinc et Salomon : *Piger propter frigus arare noluit* (*Prov.* XX, 4), etc. ; et item : *Vade ad formicam, o piger* (*Prov.* VI, 6), etc.

Sequitur : *Nemini dantes*, id est, tam fidelium, quam infidelium, Judæorum videlicet, et Gentium. *Ullam offensionem* dicit tam in parvis malis, quam in magnis. Sequitur : *Ut non vituperetur ministerium nostrum*. Tunc enim vituperaretur, si aliter quam prædicabant viverent. Vituperatur etiam nunc Christiani ministerium, si aliter, quam deceat, vivat.

Sequitur : *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos*, etc. Nota quia non dicit, in quibusdam, sed *in omnibus*. Sunt nonnulli, qui sunt studiosi in parvis solummodo bonis, alii vero tantum in magnis : ideo dicit : *In omnibus*. Dei quippe minister in omnibus se ita exhibet, ut Deo placere possit. Ergo qui sapientiam, aut divitias, aut cætera, quæ a Deo dantur, habet, ita studiosus in illis existat, ut Deo placere queat. Sequitur : *In multa patientia*. Nota, quia non dicit in patientia, sed *in multa*. Nam ubi multa sunt adversa, multa necessaria est patientia, Quia magna quidem virtus est patientia, qua salvati sunt Corinthii ; quia nisi patienter eos sustinuisset Apostolus, quos in tantis flagitiis receperat, omnino

(725-26) In autog. marg. hic legitur cap. XVIII.

perirent; patientia autem Dei mundus salvatus est. Sequitur : *In tribulationibus*. Multum quippe tribulabantur, sed a Deo de tribulationibus eruebantur. *In necessitatibus*. Necesse quippe erat, ut etiam in tribulationibus Evangelium prædicarent; sive *in necessitatibus* dicit, aliarum rerum. *In angustiis*. Angustiabantur quippe diversis persecutionibus, sed dilatabantur spe regni cœlestis. Sequitur : *In plagis*. Plagæ dicuntur, quasi flagæ, eo quod flatu ingerantur. Nam quod diversis plagis fuerit attritus, idem ipse manifestat, cum dicit : *Ter virgis cæsus sum* (*II Cor.* XI, 25); et item : *Quinquies quadragenas una minus accepi* (*Ibid.*, 24). *In carceribus*. Nam quod ipse in carceribus fuerit reclusus, liber Actorum apostolorum ostendit. Sequitur : *In seditionibus*. Seditio attinet ad cives, bellum ad hostes. Seditio dicitur, eo quod cives inter se dissidendo dimicent. Et quod seditio fuerit orta adversus eum, præfatus liber manifestat. Sequitur : *In laboribus*. In laboribus se, ut Dei ministrum exhibuit, quia sibi cibum propriis manuum laboribus acquirebat, sive in evangelica prædicatione plurimum laborabat, Sequitur : *In vigiliis*. Vigilabat namque per noctes etiam laborando, ut sibi cibum acquireret ; vel certe vigilabat, quia non satis erat illi per dies prædicare, nisi etiam prædicando noctes pervigiles duceret. Unde legitur in Actibus apostolorum : Quia, cum nocte protenderet sermonem, quidam puer cecidit de cœnaculo, et mortuus est (*Act.* XX, 9). Sequitur : *In jejuniis*. Videlicet tam in spontaneis, quam et necessariis, in quibus utrisque Deo gratias referebat. Sequitur : *In castitate* non solum corporis, sed evangelicæ prædicationis : et quia utrinque servabat, multos in se adversarios, maxime pseudoapostolos excitabat. *In scientia*. Nota quia scientiam inter cætera dinumerat : verumtamen non humanarum litterarum, quam in prima Epistola denotat, sed scientiam dicit sensum Legis et Evangelii. *In longanimitate*. Longanimus dicitur a longanimitate. Et dicitur longanimus, eo quod longum habeat animum ad multa mala perferenda. *In suavitate*, se quidem ministrum exhibuit, quia, etsi peccatores increpabat, verumtamen post emendationem verba exhortationis subjungebat, ut illos de amaritudine ad dilectionem sui traheret. Nam ille verissime suavis est, qui neque verborum levitate, neque mentis commotione alios ad iracundiam provocat. *In Spiritu sancto* (subauditur, exhibeamus nos, ejus gratiam sequentes, et voluntatem illius in omnibus adimplentes). Sequitur : *In charitate non ficta*. Ille fictam charitatem habet, qui eum, quem se diligere dicit, in tribulatione positum derelinquit. Hanc charitatem non habebat Apostolus, quia omnia aliorum damna, et persecutiones, quasi proprias deputabat ; sic enim ipse dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* (*II Cor.* XI, 29), etc. Sequitur : *In verbo veritatis*. Veritas Christus est : ergo in verbo veritatis dicit, evangelicæ scilicet prædicationis. Sequitur : *In virtute Dei*. Potest hoc referri ad superiora, ut sit sensus : Exhibeamus nos in omnibus in virtute Dei, hoc est, per virtutem ; quia nostris viribus non possumus, sive ad inferiora, *in virtute Dei per arma justitiæ a dextris, et a sinistris* simus præliantes. Arma dicuntur, eo quod minuant armos, quorum duo sunt genera : unum quo tegitur armus ; alterum, quo cæditur inimicus. Et quia tam in bono quam et in malo ponuntur, ideo addidit : *Justitiæ*. Ergo per arma justitiæ dicit, id est, per copiam virtutum. Dextræ nomine, prospera ; sinistræ vero significari adversa, secundum morem sacræ Scripturæ solent. Iste ergo, veluti fortissimus miles armis munitus, inter cuneos hostium incedens, hinc inde adversarios prosternebat; quia neque erigebatur prosperis, neque dejiciebatur adversis. Quid esset quod dixit, *a dextris, et a sinistris*, manifestat subdendo : *per gloriam, et ignobilitatem*. His, inquam, qui gloriam, et decus in Evangelio intelligebant, se quoque Apostolus irreprehensibilem, atque veracem fore declarabat : econtra, quibus dedecus, atque inhonestas Evangelium erat simili modo se irreprehensibilem ac veracem esse monstrabat. Sequitur : *Per infamiam, et bonam famam*. Fama dicitur, eo quod fando discurrat per aures. Fama est, quandiu non est manifesta : cum autem manifesta est, jam non fama, sed res est. Et est fama tam bonarum quam et malarum rerum. Credentibus vero bonæ erat famæ, quia magni meriti eum esse dicebant ; non credentibus malæ famæ erat, quia seductorem eum esse dicebant. Ipse vero illæsus inter utramque partem incedens, neque istorum laudibus elevabatur, neque illorum obtrectationibus præcipitabatur. Sequitur : *Ut seductares et veraces*.

Adeo credentibus veraces, et magni meriti esse videbantur, ut dii crederentur ; infidelibus autem videbantur seductores, id est, deceptores. Et quid mirum, cum de Domino dictum sit : *Recordati sumus, quia seductor ille adhuc vivens* (*Matth.* XXVII, 63), etc. ? Sequitur : *Sicut qui ignoti, et cogniti*. Cogniti quippe erant fidelibus, qui tanti eos meriti, et dignitatis agnoscebant ; ignoti autem erant infidelibus, qui quales essent, non agnoscebant. *Quasi morientes*, etc. Dicit enim Augustinus : In illis rebus est *quasi*, in quibus non est veritas, vel quæ transitoria sunt ; quemadmodum si quis somnians dicat : Putabam me esse quasi in quodam loco. Isti quasi morientes erant, quia ita persequebantur, ut de spe istius vitæ præsentis desperarent. *Et ecce vivimus*. Vivebant isti, quia non extinguebantur, ut liber Actorum apostolorum manifestat. Legitur enim : Quia cum venisset Paulus Lystris, et lapidatus esset, ut mortuus æstimaretur, ille surrexit, cæpit prædicare (*Act.* IV, 18) ; sive morientes, quia adeo persequebantur, ut cedere se putarent ; sed vivebant, quia non cedebant : si enim cessissent, anima morerentur. *Ut castigati*, etc. Ut superius. *Quasi tristes*, etc. : id est, severitate vultus se ostendentes, spe vero vitæ futuræ gaudentes. *Sicut egentes*, etc. Egentes erant, quia pauperes. *Multos* locupletes facie-

quia donis spiritalibus abundabant. Nam locu- A similitudinibus, atque exemplo prophetico confir-
privatur a loculo. Loculus dicitur sacculus
. Locupletes enim erant isti, quia multos ha-
loculos, id est, dona spiritalia, unde alios
nt. *Tanquam nihil habentes*, etc. Hoc erat
um sanctis, ut absque sollicitudine, et no-
possessionis omnia possiderent, adeo non so-
arum rerum, sed dominorum dominarentur,
etibus apostolorum legitur, quia vendebant
et offerebant pretia, etc. (*Act.* VI, 34).

Os nostrum patet. Postquam dixerat supe-
eminem nosse secundum carnem, et sub-
at quare, id est, quia si cognovimus, jam
vimus Christum secundum carnem, subjun-
tiam se accepisse ministerium reconciliato-
ide et pro Christo dicit se legatione fungi,
junxerat admonitionem, et exhortationem, B
undus Deo reconciliatur: prorupit in laudem
hiorum, dicens : *Os nostrum;* et est sensus :
emendatio, correctio, atque salvatio adeo
tam reddidit, ut tacere non possim. *Cor
m dilatatum est.* Duobus modis dilatatur cor,
lucia bonæ conversationis, aut spe resurre-
; quasi diceret : Adeo vestra emendatio, at-
rrectio nos lætos reddidit, ut et cor nostrum
tum sit, et os patefactum, quatenus tacere
ossimus. Ubi ostenditur quia obedientia, et
tio bonorum subjectorum, ita lætos reddit
tros, ut talia eis proferant, qualia se ab eis-
ion putabant audire.

angustiamini, etc. His verbis ostenditur quia
prædicatoribus bona prædicantibus non obesse C
nt mali auditores ; et ideo dicit Apostolus :
ngustiamini *in nobis*, quasi diceret : Si vos
orrexistis, non nobis obest, qui bona prædica-
sed vobis, qui facere contemnitis. Et hoc
iod subdit : *Angustiamini in visceribus vestris;*
m autem *habentes remunerationem* (subaudi-
ritis). Quasi diceret : Si eumdem cursum,
nos, cocurreritis, eamdem habebitis remu-
ionem : et qui eamdem et tanquam pater
moneo, *dilatamini.* Sicut enim sacculum,
i capiat quod pretiosum est, extendimus, ut
e possit, ita monet Apostolus dilatari Co-
ios, ut capaciores reddantur ; quatenus ea
sa, quæ dicturus erat, capere possent. Et
dicit : *Dilatamini*, quasi diceret : Capaces estis, D
capaciores estote, ut capere possitis et vos.
enim dicit, vos, sed, *et vos;* quasi dicat :
nos dilatati sumus ab bona proferendum, vos
amini ad capiendum.

nolite jugum ducere, etc. Jugum enim pro
tate ponitur, ideo quia eodem junguntur boves
diquo, et equi ad currum. Et est sensus :
e *jugum ducere*, etc. ; id est, nolite societate
alium perfrui. Et volens suam narrationem

mare, subjunxit : *Quæ enim participatio justitiæ*, etc. Lex enim justitiam prædicat, quæ contraria est iniquitati. Et est sensus : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* Nulla. Ita et nulla debet esse societas fidelium, etc. Quæ sequuntur ad superiora referuntur. *Aut quæ societas luci ad tenebras?* Lux enim veritatem prædicat, et ipsa veritas lux est, quæ lux fugat tenebras erroris ; et ideo nulla societas esse potest. *Quæ autem conventio Christi ad Belial? Belial* namque interpretatur *sine jugo*, significat diabolum, qui similis esse Deo voluit, nolendo ferre jugum ipsius. Lex namque in figuris et obscuritatibus litteræ prædicat Christum, qui fugat diabolum de cordibus fidelium, qui Deo similis esse voluit et ideo nulla conventio.

Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Notandum quia nil magis contrarium est Christiano, quam idololatria, et idola : nam ista homines a Deo separare solent, et ad negationem trahere. Et ideo, quanquam omnia vitia detestanda sint, istud præcipue, quod homines a Deo separat. Et ideo eodem conclusit, subdendo : *Vos enim estis templum Dei*, etc. ; quasi diceret : Si vos credendo templum Dei estis, illi non credendo templum sunt diaboli ; et ideo cavete, ne, per infidelitatem, illius efficiamini. *Templum Dei vivi* dicit, ad distinctionem mortuorum. Sequitur : *Quoniam inhabitabo*, etc. Ad confirmationem sui iste egregius prædicator fidelis in verbo, et veritate, testimonium propheticum sumit. Ubi monentur prædicatores, sua dicta aliorum studeant confirmare exemplis. Sed quæri potest quare dicat : *Inhabitabo*, et *ambulabo ;* cum ille ubique sit, et omnia sint in illo. Sed talis est sensus : Ambulat ille, et inhabitat in cordibus electorum, cum ab infidelitate ad fidem, et per incrementa in virtutibus proficere facit. Nam sicut habet iste exterior homo suos pedes, sic et interior homo, quibus gradi possit. Magnum namque iter est, de infidelitate ad fidem transire, et per incrementa in virtutibus proficere ; quod nullo modo fieri potest subito, nisi per intervalla temporum. Sed sciendum, quia illi solummodo proficiunt, qui ejus perfrui gratia merentur. Generalis est iste sensus ; sed videndum est quis sit specialis. Primum omnium considerandum si sit, hæc vox Christi est : nam propheta in ejus voce loquebatur, dicens : *Quoniam inhabitabo* (*Levit.* XXVI, 12), etc. Sed qualiter inhabitasset, Jeremias post ostendit. *Hic in terris visus est, et inter homines conversatus* (728). Sed apertius ponit evangelista, qualiter, dicendo : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), etc.

Et ero illorum Deus. Quod ille *Deus*, idem Jeremias : *Hic Deus noster, et non æstimabitur alius*

7) In autog. marg. hic legitur cap. XIX.
8) *Jer.* XXXI, 9, 11. Textus hic, qui videtur in autog. Jeremiæ tributus, Baruch est III, 38.

ad eum. Et ipsi erunt mihi populus (729); ecclesiasticum dicit, id est, Ecclesiam. Isaias : *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his veluti vestimento vestieris* (*Isai.* XLIX, 18). Si enim electi vestimenta Christi sunt, et vestiuntur ab illo : ergo populus ejus est Ecclesia.

Propter quod exite, etc. ; quasi diceret : Si Deus inhabitat, et Deus vester est, et vos populus ; *Propter hoc exite de medio eorum*, non corpore, sed mente, non vagatione loci, sed devotione. Et quasi interrogassent qualiter est exeundum, respondit : *Et immundum ne tetigeritis.* Hinc dicit Augustinus : Exponit Apostolus his verbis, quod superius dixerat : *Exite.* Sed quis tangit immundum ? Ille utique, qui aut immundum (730) patrat, aut patrantibus præbet assensum. Et hinc, quod in Veteri Testamento legitur : *Qui tetigerit mortuum, immundus erit* (*Levit.* XI, 24 ; *Num.* XIX, 11 ; *Deut.* XIV, 8), propter hoc dixit : Nam opus misericordiæ est mortuum sepelire.

Et ego recipiam vos, quasi diceret : Si infideles vos expulerint, vel vos egressi fueritis, ego vos recipiam. Et talis est sensus, qualis ille, ubi legitur : *Extra synagogas vos facient* (731), etc. *Et ero vobis in patrem*, quasi diceret : Si perversi parentes, et infideles vos expulerint, me patrem habebitis sempiternum. *Et vos eritis mihi in filios, et filias.* Filios, et filias dicit, sive propter utrumque sexum, sive propter fortes, et infirmos. *Dicit Dominus omnipotens.* Ut superiora confirmet, ideo hæc subjunxit. Nam mos est prophetarum talia subdere, ut nos certiores de superioribus reddant.

Sed quis erat iste, qui hoc dicebat ? Christus ; ergo omnipotens. Et quod omnipotens, ipse manifestat : *Quæcunque Pater facit, hæc eadem et Filius* (*Joan.* V, 19). Ergo ea non potest Filius, quæ nec Pater. Sed idoneus est iste Filius, qui dicit apostolis : *Deo omnia possibilia sunt* (*Matth.* XIX, 26). Et si omnia, ergo et ipse omnipotens, quia Deus.

(732) (CAP. VII.) Sequitur : *Has igitur promissiones.* Facit enim superiorum promissionum mentionem, hoc est, ut ipse sit nobis in Patrem, et nos ei in filios, et filias : et ideo exhortando sequitur : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis.* Sane notandum, quia non dicit solummodo, *ab inquinamento*, sed *omni* ; quia multa sunt genera inquinationis, quæ tam a diabolo, quam a membris ipsius inventa sunt. Quapropter qui Deum patrem habere desiderat, et ejus filius esse cupit, non solum ab omni opere coinquinationis se abstineat, sed etiam ab ipsa carnis delectatione. Sed quia multa sunt, quæ solo mentis consensu fiunt, et nos a societate filiorum Dei excludunt, ideo addidit : *Et Spiritus*, id est, mentis.

Sequitur : *Perficientes sanctificationem.* Egregium quoque servat ordinem. Præmisit promissiones ; deinde subjuxit exhortationem, dicendo : *Mundemus*, etc. ; post emendationem monuit habendam sanctificationem ; quia sanctificatio non esse potest, nisi ubi munditia est. Iste ordo in Scripturis servatur divinis. Hinc Jacobus apostolus dicit : *Abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ* (*Jac.* I, 21), etc. Hinc Psalmista : *Declina a malo* (*Psal.* XXXVI; 27), etc. Hinc Dominus ad Jeremiam : *Ecce posui te, ut evellas* (*Jer.* I, 10), etc. Et, quia sanctificatio sine timore Dei esse non potest, subjunxit : *In timore Dei.* Et quod sanctificatio sine timore Dei non sit, evangelista manifestat, cum dicit de Simeone : *Justus, et timoratus* (*Luc.* II, 25) ; nam sicut justitia sine timore esse non potest, sic nec sanctificatio.

Sequitur : *Capite nos.* Melius in Græcis exemplaribus, unde hoc translatum est, habetur. Verbum enim, quod in hoc loco positum est, talem habet sensum, quasi dixisset Apostolus : Capaces nostri estote. Et potest duobus modis intelligi, ut sit sensus : Vim dictorum nostrorum capite ; quod etiam respicit ad hoc, quod supra ait, dilatamini ; sive alio modo, *capite nos*, hoc est vitam nostram et conversationem imitamini. Et quasi interrogasset aliquis : Quæ est conversatio tua, quam sequi debemus ? Ideo subjunxit : *Neminem læsimus*, etc. ; quasi dixisset : Hoc in mentibus vestris conferte, hoc ad memoriam revocate, quia talis fuit nostra conversatio apud vos. Hic verbis denotat illos quorum falsis doctrinis fuerant decepti. Illi enim læserant eos, quia dominati sunt eorum ; unde inferius dicit : *Libenter suffertis, si quis in faciem vos cædit* (*II Cor.* XI, 19, 20). Corruperunt eos in fide, falsa docendo ; circumvenerunt eos, substantiam eorum et salutem pariter exhauriendo. Et, ne putarent ipsi quod, causa condemnationis eorum, se excusarent ; quia sæpe, dum se homo excusat, alios condemnat, ideo subjunxit : *Non ad condemnationem vestram dico ;* quasi dixisset : Non ideo me excuso, ut vos condemnem ; quia qui parcit, non condemnat, sed causa vestræ salutis, ne illis qui vos deceperunt fidem accommodetis.

Et quia voluit eos certos reddere, quod non causa eorum damnationis se excusaverit, ideo prætarita bona illis ad memoriam revocavit. Dicit enim : *Prædiximus enim quod in cordibus nostris estis*, etc. ; quasi dixisset : Ex præteritis bonis agnoscite quod hoc non causa vestræ damnationis diximus : nam quos in vita, et morte socios habere cupimus, con-

(729) Iterum Jeremias pro Baruch, qui hoc habet dicto III, 36.

(730) *Immundum* sane in autog. scriptum legitur, sed litteris superius, et infra adjectis, necnon punctis aliquot obliterationem aliquorum characterum significantibus, emendatio innuta videtur, ut loco *immundum* legatur *idolum*, vel etiam *malum.*

(731) Joan. c. 16 v. 2. *absque synagogis* legitur in Vulg.

(732) In autog. marg. hic legitur cap. XX.

demnare nolumus.In hoc facto monentur prædicatores,ut, cum suos increpant auditores, ne forte ipsi putent se causa amaritudinis, et vindictæ increpatos, præterita bona ad memoriam illis revocent.

(733) Sequitur: *Multa mihi fiducia est apud vos*,etc Sed unde hanc fiduciam sumpsit Apostolus ? Ex prima Epistola, qua directa, audivit eorum emendationem ; et ideo fiducialiter gloriabatur, dicendo: *Multa mihi gloriatio pro vobis*. Sequitur *: Repletus consolatione*, etc : ac si dixisset : Qui nimium fui contristatus de vestro casu,nunc repletus sum consolatione de vestra emendatione, *et superabundo gaudio* de vestra correctione. Monentur et in hoc facto prædicatores,ut, sicut tristantur de casu suorum, sic gaudeant de ipsorum emendatione. Animadvertendum est etiam quanta charitas erat in mente Apostoli, qui omnia adversa parvipendebat in comparatione emendationis Corinthiorum.

Sequitur : *Nam cum venissemus Macedoniam* etc. Narrat Apostolus Corinthiis persecutiones, et adversitates, quas pro aliorum passus est salute. Sed quare ? Videlicet, ut illos ad imitationem sui traheret,quatenus, dum suum doctorem pro aliis pati viderent,non pigeret eos, et pro ipso adversa sustinere.Solent etiam doctores adversa, quæ patiuntur,diversis pro causis, suis auditoribus manifestare. Sciendum quia caro,veluti brutum animal, dolet inter adversa ; spiritus vero rationalis lætatur, quia spe regni cœlestis sublevatur. Caro illius requiem non habuit, quia, una recedente tribulatione, altera succedebat.

Sequitur : *Sed omnem tribulationem passi. Omnem* dicit, hoc est multam : nam quæ fuerit liber Actorum apostolorum manifestat. Dicit enim, quia recedentes a Troade (*Act.* xvi, 11), cum venissent Macedoniam (*II Cor.* i, 16). quæ propinquior erat Corintho, et inde esset Titus venturus (*II Cor.* ii, 13), multi ad eorem prædicationem crediderunt; sed maximam consolationem habuerunt in quadam femina (*Act.* xvi, 14),quæ credidit cum omni domo sua.Tunc contigit Apostolum spiritum pythonis expulisse a quorumdam hominum ancilla quæ divinando magnum quæstum dominis præstabat (*Ibid*, 16) : propter quod comprehensus, et prius quam Titus veniret,multam tribulationem passus(*Ibid.*19).

Sequitur : *Foris pugnæ*,hoc est, flagra, et ictus : *intus timores*,videlicet,quia multum solliciti erant, et timebant,ne ipsorum auditores scandalizarentur, dum talia viderent suum pati doctorem. Aliter : *Foris pugnæ*, hoc est, concursus fidelium, et infidelium : *intus timores* : quia in carcere positi timebant ne atrocioribus pœnis plecterentur, quoniam nemo est qui non timeat.

A

B

C

D

Sequitur : *Sed qui consolatur humiles*. Et est sensus : Deus humilium est consolator, juxta illud : *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* xxxiii,19) ; et item : *Prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate* (*Psal.* cxliv, 18). *Qui ergo consolatur humiles,consolatus est nos in adventu Titi* quod particeps factus est nostræ tribulationis : magna namque consolatio est socios habere in tribulatione.

Sequitur : *Non solum in adventu ejus*. Et est sensus : Non solum consolati sumus, quia particeps factus est nostræ tribulationis, sed etiam quia de vobis bona nobis retulit ; *vestrum* videlicet *desiderium*, in melius proficiendo ; *vestrum fletum*, impetendo (734) ; *vestram* etiam *æmulationem pro me* ac si dixisset ; Revertens narravit quod vos, agnita charitate mea,æmulantes me quoque defendatis adversus eos qui de me multa mala vobis dixerunt. Sequitur : *Ita ut magis gauderem* ; hoc est, qui de vestro casu multum fui tristatus, magis gauderem de vestra emendatione, sive magis gauderem de vestra emendatione, quam de Titi consolatione.

Sequitur : *Si contristavi vos, non me pœnitet*. Et est sensus : Ideo non me pœnitet, quia qui causa peccati aliorum fuistis increpati, et illos correxistis et vos in melius profecistis. Sequitur : *Et si pœniteret*, etc. ; ac si dixisset : Si exigente charitate fieri posset ut me pœniteret vos contristatos propter duritiam primæ Epistolæ, non me pœniteret,quia illa *ad horam vos contristavit*. Et ego *nunc gaudeo* propter vestram emendationem. Ad hoc attinet quod sequitur : *Non quia contristati estis*, etc. *Sed contristati estis secundum Deum*,etc.Hæc verba exsultantis sunt. Multum namque corde lætabatur Apostolus, quia omnia, quæ erga Corinthios egerat, ad profectum eorum et laudabilem finem pervenerant ; et ideo dicit : *Ut in nullo detrimentum patiamini* ;ac si dixisset : Plurimum nempe gaudeo, quia omnia ad profectum pervenerunt.Moraliter etiam hoc ipsum nunc agi debet ; verbi gratia,cum quis docere aliquid bonum incipit,non agnoscit finem; si vero contigerit,ut ad laudabilem finem perveniat, necesse est, ut gaudeat, et Deo gratias referat.

Sequitur : *Quæ enim secundum Deum tristitia est* etc.Tristitia secundum Deum est,quia confunditur peccator et tristatur, timens ne a Deo puniatur. Quamobrem accepta consolatione concurrit ad emendationem.*Hoc quoque pœnitentiam operatur in salutem stabilem*, quia facit pervenire ad remissionem peccatorum. Sequitur : *Tristitia sæculi mortem operatur*. Tristitia sæculi est,quia peccator se quoque denudatum, atque rectum (735) veretur. Tristatur enim, quia timet ne puniatur, vel a judice terreno, vel si deest terrenus,timet puniri a Deo. Iste enim,

(733) In autog. marg. hic legitur cap. XXI

(734) Fortasse *in petendo*, vel *in patiendo*, vel etiam uti jacet ; passive scilicet, *impetum sustinendo*.

(735) Fortasse *reum*, vel *reatum*, vel etiam ut jacet ; scilicet, comparationem recti,vel ab illo punitionem veretur.

dum in vitali versatur tristitia,nulla accepta consolatione,præcipitat se in desperationem.Sive tristitia sæculi est in damnis terrenis, vel certe in aliorum rebus conspectis,et non acquisitis.

Sequitur : *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos*, etc. In hac vero sententia,quantum ad latinitatis regulam attinet, *sed* superflua est ; et ideo intelligenda est posita esse pro *et* ; juxta regulam quoque linguæ Græcæ habet compositionem,et constructionem.Sane notandum, quia dixerat paulo superius se constristatum secundum Deum : et ut ostenderet quem fructum tristitia secundum Deum genuerit, subjunxit et cætera : *Ecce enim hoc ipsum* etc. ; ac si dixisset : Videte quia tristitia secundum Deum magnam in vobis opperatur *sollicitudinem*.Et pulchre dicit : *Sollicitudinem* ; quia in pœnitentia multum sollicitus est homo,ne forte denuo peccet: et ubi sollicitudo est, torpor, et ignavia repellitur. *Sed defensionem*. Quasi dixisset : Non solum sollicitudinem,sed etiam defensionem : non tantum mali; quia mali operata est confessionem; sed potius veritatis : *Sed indignationem* illam intellige, qua in se indignabantur propter peccata ; vel certe aliorum intellige,quam in se excitaverunt,cum se emendare oœperunt. Sequitur : *Sed timorem*. Ille vero,qui in pœnitudine est, multum timet,ne forte non sit sibi a Deo remissum peccatum.Timorem vero an castum an servilem dicat,incertum est: verumtamen utrumque intelligere possumus.Sequitur : *Sed desiderium* hoc est, in melius proficiendi, Sequitur : *Sed æmulationem*,bonorum scilicet operum ; quasi dixisset: Qui hactenus fuistis imitatores malorum, studete æmulatores esse bonorum. Sequitur: *Sed vindictam* vel ulciscendi in semetipsis peccata, vel certe ulciscendi malos ; quia qui malos punit,bonos non perdere quærit (736). Tangit enim prælibando more solito causam, quam apertius manifestat,cum subjungit : *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio* (subintelligitur, iniquitatis). Corinthii vero increpati ab Apostolo,incitati sunt ut malos a consortio sui repellerent : et ideo abjecerant omnes quos ipse per Epistolam denotaverat. Et dum hoc egerunt, incontaminatos se esse monstraverant. Quasi dixisset : Dum malos repulistis, incontaminatos vos negotio iniquitatis esse monstrastis, quia qui contaminatus est,libertatem increpandi amittit,

Sequitur : *Igitur, etsi scripsi, non propter eum qui fecit injuriam*.His verbis illum denotat,qui patri injuriam intulit, conducendo uxorem (*I Cor.* v, 1), Item cum dicit : *Nec propter* (737), *qui passus est*, omnes illos denotat, qui injurias, et fraudes patiebantur,de quibus ipse in prima : *Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus* (*I Cor.* vi, 8). Nam si in aliquo dissidentes erant, aut si aliqua mala ingerebant,ad infidelium trahebantur judicia. Ac si aliis verbis dixisset : Non solum propter illos scripsi, sed etiam *ad manifestandam sollicitudinem nostram*. Magnam nempe pro illis sollicitudinem habebat ; quia, dum inquinatos inundabat, oppressos relevabat, abjectos revocabat, omnium se curam habere monstrabat ; quoniam uno pœnitente multi contristantur,uno afflicto multi scandalizantur;quia si compatitur unum membrum,compatiuntur omnia membra.

Et hoc notandum quia tria dicit ; hoc est, *pro vobis*, *et ad vos*, *et coram Deo* ; ut ostenderet nihil suæ deesse sollicitudini. Et hoc sciendum quia sunt nonnulli, qui sunt solliciti pro aliis ; sed non ad illos, quia non ab his, quæ ad perfectam illorum sollicitudinem perducunt : sunt vero alii, qui pro aliis, et ad illos solliciti sunt ; sed quia non est simplex eorum intentio, ideo non *coram Deo*.

Sequitur : *Ideo consolati sumus ;* hoc est, de vestra emendatione,vel pro nostra sollicitudine.Sequitur : *In consolatione autem nostra, abundantius gavisus sum super gaudio Titi*. Sollicitus enim erat ipse tam aperte, quam et latenter, suos dirigere discipulos, ut suorum agnosceret conversationem auditorum ; et ideo, cum direxisset Titum, et ipse invenisset eos emendatos, et carrectos, gavisus est; et ideo dicit: *Gavisus sum super gaudio Titi ;* quasi dixisset aliis verbis : Quia Titus, qui valde tristatus est de vestro, casu, inveniens vos correctos, gavisus est, et ego gaudeo, quia illius gaudium, meum est. *Quia refectus est*, id est repletus *ab omnibus vobis*. Cum enim dicit: *Ab omnibus vobis*, ostendit eos habere concordiam, atque unionem,quos in prima Epistola ostendit habere divisionem, adeo ut diceret: *Divisus est Christus* (*I Cor.* i, 13.)

Sequitur: *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum*. His verbis ostendit aperte, quod multa dixerit Tito bona de Corinthiis, priusquam eum direxerit, quæ ab illis didicit, per quos direxit Epistolam, aut per alios, quia multi sæpe discurrebant. Et non est *confusus* Apostolus, quia non aliter, quam ipse dixerit, reperit Titus.

Sequitur: *Sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus*, etc. Nota, quia ea repetit, quæ superius dixerat: *Non est apud me EST et NON*. Et est sensus : Sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et omnia, quæ Tito prædixi, vera fuerunt. Sequitur : *Et viscera ejus abundantius in vobis sunt ;* hoc est omnia membra ejus vos desiderant. Verbi gratia, sicut omnia membra, sua in invicem desiderant officia ; id est, sicut auditus desiderat visum, et visus olfactum, etc. : sic et omnia membra ejus vos desiderant, *reminiscentis omnium vestrum obedientiam*. Et est sensus : Quia vestra obedientia grata ei fuit, et vos gratos reddidit, adeo vos diligit, ut vestra memoria nunquam ab ejus mente recedat.

(736) In autog.ita legitur : *Quia,qui malos punit, bonos perdere quærit* ; fortasse, *bonos reddere*, vel *bonos facere, non perdere quærit*, vel tandem *bonos non perdere*, uti legendum nobis visum est.

(737) In vulg. *eum*,

Sequitur : *Quomodo cum timore et tremore excepistis eum.* Cum enim directus fuisset eis Titus studio videndi conversationem eorum, et subito inter eos apparuisset, timuerunt, recolentes, quia pro multis vitiis fuerant increpati ab Apostolo. Intellexerunt enim, quia idoneum ministrum direxit ad eos, qui omnem eorum conversationem sibi renuntiaret ; et ideo ita cum timore exceperunt eum, et obedientes ei exstiterunt, quasi ipse Apostolus venisset ad eos.

Sequitur : *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis* ; quasi dixisset : Non solum gaudeo de illorum correctione, qui ceciderunt et surrexerunt, sed et de vestro profectu, qui in fide stetistis. Sive aliter : Gaudeo quia, qui ea corrigere cœpistis, quæ ad cultum fidei et ordinem ecclesiasticum attinent, etc., quæ sunt digna correctione, corrigetis.

(Cap. VIII.) *Notam autem, fratres.* Superius Corinthiis persecutiones, et pressuras, quas passus fuerat in Ecclesiis Macedoniæ, deinde diverat : *Si gravisus sum super gaudio Titi* : post hoc suam orationem et locutionem laudibus conclusit ; nunc vero aggreditur aliud, dicens : *Notam vobis facimus, fratres*, etc. (758-39) Sed quærendum est, quare suam locutionem de opere misericordiæ (740) ? Sed sciendum, quia egit hoc Apostolus ingeniose, et admirando modo ; hoc est, ut dum eos laudibus mulceret, ad opus misericordiæ facilius provocaret. Moraliter sic monendi sunt superbi, et potentes, hoc est, ut si qua sunt in illis bona, laudibus proferantur vel quæ inesse poterant, dicantur ; ut quæ corrigenda sunt, facilius corrigantur. Propter hoc exemplum Ecclesiarum Macedoniæ protulit, ut dum alios in opere misericordiæ devotos audirent, eosdem non devotos esse puderet. Moraliter monentur doctores, ut, quoties auditores suos ad bona provocare volunt, sanctorum exempla illis proponant, ut ad bona, quæ cupiunt ocius eos trahere valeant. Præfata etiam intentione fratres eos appellat. Pulchre dicitur : *Gratiam Dei, quæ data est ;* quia gratia a Deo datur, et non aliis, nisi Ecclesiis, datur.

Sequitur : *Quod in multo experimento tribulationis. abundantia gaudii ipsorum supersit* (741). Et est sensus : Dum nos multa adversa pati viderunt, non scandalizati sunt, aut in fide titubaverunt, sed potius experimento tribulationis nostræ, plenitudinem gaudii susceperunt, quia non abs re tantam constantiam in persecutione esse intellexerunt. Aliter : Dum nos pati viderunt, etiam ipsi incitati sunt, ut nobiscum pati gauderent ; et qui passi sunt, ideo passi sunt, quia in eisdem tribulationibus, sub spe futuræ resurrectionis, plenitudinem gaudii esse intellixerunt.

Et altissima paupertas eorum, etc. Altissimam dicit profundam et magnam. In quibus verbis ostendit eorum propositum et devotionem, quasi dixisset ; Cum, eorum tenuis sit substantia, adeo ipsi devoti exstiterunt, ut ultra quam virtutes suppeterent, et facultas sineret, ipsi parati essent dare ; et ideo dicit : *Abundavit in divitias simplicitatis.* Simplices divitias dicit, quia ipsi, non causa humanæ laudis, aut redimendi suos prædicatores, ne increparentur ab eis, tribuerunt, sed studio placendi Deo. Nam qui causa humanæ laudis tribuunt, non simpliciter faciunt, et illi, qui a talibus accipiunt, libertatem increpandi amittunt, quia scriptum est : *Xenia et dona excæcant oculos judicum* (*Eccli.* xx, 31).

Sequitur : *Quia secundum virtutem testimonium illis perhibeo*, etc. Præposterus est ordo, nam talis esse debet : testimonium illis perhibeo, quia *secundum virtutem* tribuerunt, *et super virtutem voluntarii fuerunt*. Et ut ostenderet quomodo, subjunxit : *Cum multa exhortatione* ; quasi dixisset : Fecerunt quod potuerunt, et magis quam facultas sineret tribuere voluerunt ; sed nos judicavimus non esse accipiendum, ne forte, si inopiam paterentur, pœniteret eos, et fructum mercedis perderent : illi vero cum exhortatione, et lacrymis, et precibus deprecati sunt, *ut gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos* (subauditur, susciperent) ; nos vero, quia vidimus spretis omnibus temporalibus in solis cœlestibus suspensos, quod prius non accipiendum judicavimus, postea accipere decrevimus.

Sequitur : *Et non sicut speravimus ;* hoc est, magis fecerunt, quam sperassemus. Sequitur : *Sed semetipsos dederunt primum Deo ;* hoc est, et pristinos errores corrigendo, et vitam, et mores mutando. Sequitur : *Deinde nobis*, videlicet sumptus necessarios ministrando. Et quia simpliciter hoc egerunt, ideo subjungit : *Per voluntatem Dei.*

Sequitur : *Ita ut rogaremus Titum*, etc. ; quasi dixisset : Ita et vos devoti exstitistis, ut Titum rogaremus venire ad vos. Sed quare Titum, et non alterum ? Quia notus et gratus erat illis, et in multis per ejus exhortationem profecerant, quatenus et in hoc opere misericordiæ per eum proficerent. Moraliter : Cum aliquis docendus est, aut ad aliquod bonum provocandus, talis eum debet docere, qui ei gratus sit, et quem ipse diligit.

(742) Sequitur : *Sed sicut in omnibus abundatis fide*, etc., *et hac gratia*, hoc est, misericordiæ opere *abundetis*. Nam id quibus abundarent, manifestat ; *fide*, quia jam corroborati erant ; *et sermone*, quia genera linguarum habebant ; *et scientia*, quia sapientes erant ; *et omni sollicitudine*, quia fuerant increpati, et ideo solliciti erant, ne denuo increparentur ; *et omni charitate vestra in nos*, hoc est, circa nos.

Sequitur : *Non quasi imperans dico.* Et est sensus : Non extorqueo, ut cogo, aut vestrum opus non sit voluntarium, sed coactum. Sequitur : *Sed propter aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis*

(738-39) In autog. marg. hic legitur cas. XXII.
(740) Subauditur *inceperii*, vel aliud simile. »
(741) Vulg. *fuit*.
(742) In autog. marg. hic legitur cap. XXIII.

ingenium bonum comprobans. Duobus modis potest intelligi.Uno modo,quasi dixisset: Ut propter aliorum fidelium studium, vestrum ingenium bonum comprobetur, hoc est,ad opus misericordiæ incitetur : sive *aliorum* dicit, id est,pauperum, qui erant Jerosolymis ; quasi dixisset : Ne forte pauperes,qui sunt Jerosolymis,propter inopiam solliciti sint, bonum ingenium vestræ charitatis esse comprobetur ; id est, incitemini, ut vestris divitiis illorum indigentiam sublevetis.

Sequitur : *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi;*quasi diceret: Nostis exemplum,quod gratis tribuit ; *quoniam propter vos egenus factus est*, etc. ; quasi dixisset : Ille sua propter vos sprevit ; quare vos non vestra propter illum tribuatis? Item : Et si ille sua,quare vos non vestra, sed illius eidem propter vos non reddatis? Item : Ille, *cum esset dives*, factus est pauper, non ut cresceret,sed ut vos cresceretis : nam factus est, quod vos eratis, ut vos faceret quod ipse erat : nam ipse factus est pauper, ut vos suæ divinitatis divitiarum faceret participes. Item factus est pauper, ut una sua paupertate, et hic divites faceret in fide, et postea regni cœlestis hæredes.Facit etiam locus iste adversus Photinum. Sequitur : *Et consilium in hoc do.* Dixerat superius : *Non quasi imperans dico.* Tale est et quod dicit : *Consilium do ;* quasi diceret : Non exigo; sed consilium do.Consilium ergo tanti doctoris non est parvipendendum. Quasi interrogasset aliquis : Quare das consilium ? Ostendit ipse : *Hoc enim vobis utile est ; quia non solum facere*, etc.Quibus verbis ostendit posse esse opus non voluntarium,certe aut tædio deprecantis,aut imperio jubentis.Et sciendum quia laudat eos vituperando : nam laudat, cum dicit : *Cœpistis ;* vituperat cum dicit : *Ab anno priore ;* quasi diceret : Tarde cœpistis. Egit veluti doctus medicus,qui adhibet medicamen infirmo ; et unum idemque medicamen fovet sana,et mordet putrida.

Sequitur : *Nunc vero et facto perficite ;* quasi dixisset : Voluntas vestra opere monstretur. Nam finis uniuscujusque rei attendendus est ; quia,sicut bonum opus coactum non est a Deo acceptum, sic etiam nec remissa voluntas. Sequitur : *Ut quemadmodum promptus est animus*, etc. ; quasi dixisset : Vestram promptam voluntatem opere complete. Et quia provocaverat eos ad opus misericordiæ,ne tantum videretur exigere a paupere,quantum a divite, sequitur : *Ex eo quod habetis*, tribuite. Sane sciendum quia, si tantum det dives, quantum potest, et pauper quantum potest, æquales sunt. Si vero tantum tribuat dives,quantum potest,et pauper magis quam sinat facultas, ipse utique pauper præcedit divitem,quemadmodum illa vidua paupercula,quæ sicut legitur in Evangelio,misit totum victum suum in gazophylacium *Marc.* XII, 41). *Si enim voluntas prompta est,* hoc est, devota, *secundum id quod habet*, hoc est, secundum magnitudinem facultatis tribuat, et Deo *occepta est.* Non enim exigendum est ab ea hoc quod non habet.Hinc est quod et Tobias admonens filium suum dicit : *Fili si multum tibi est multum tribue.* etc. (*Tob.* IV, 9)

Sequitur : *Non enim, ut aliis sit remissio*, etc. Hæc verba condescendentis sunt. Noverat enim illos esse infirmos, et ideo condescendit, quasi dixiset : Non do vobis consilium tantum tribuere,ut aliorum inopiam sublevetis, et vos inopiam patiamini : quoniam scriptum est : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum : sed ex æqualitate ;* hoc est, ut illorum inopiam sublevetis, et vos inopiam non patiamini.Hoc sciendum, quia qui hic infirmis condescendit, alibi ad majora fortes provocans dicit : *Qui parce seminat* (*II Cor.* IX, 6), etc. *In præsenti tempore* ideo dicit : Quia in hac præsenti vita hoc sit alternatim, hoc est, ut alii sint divites,alii pauperes. Sequitur : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat*, etc, *Illorum* dicit, hoc est, pauperum, qui erant Jerosolymis. Sancti vero apostoli,cum prædicatores direxissent ad gentes, hoc etiam illa injunxerunt, ut memores essent pauperum ; et ideo monebant fieri collectas, quibus inopia sanctorum pauperum sublevaretur. Nam sciendum quia non erat una fidelium Judæorum et fidelium gentium conditio,quanquam una esset sedes. Illi enim, abrenuntiatis, omnibus temporalibus, venerunt ad fidem ; isti vero,hoc est, gentiles, cum domibus suis, et paternarum rerum possessione. Illi elegerant quod majus fuerat, hoc est, omnibus vigiliis,jejuniisque vacare ; isti quoque adhuc in terrenis nogotiis versabantur. Quapropter monebant eos, ut suis divitiis illorum sublevarent inopiam, quatenus ipsorum divitiis possent participare ; quasi diceret : Vos, o divites,vestris terrenis divitiis inopiam illorum sublevare studete,quatenus illorum divitiis in futuro sublevari mereamini : nam quos nunc pauperes videtis,quandoque divites cernetis ; et vos, qui nunc divites estis,si in tribuendo negligentes fueritis, pauperes eritis. Quicunque sua hic tribuunt,ut in futuro majora recipiant,sic agunt quasi terræ cultores, qui ideo eam colunt, ut uberiorem recipiant fructum. Sequitur : *Ut fiat æqualitas*, ac si dixisset : Sicut in Deo æqualitas est, *qui æque solem suum oriri facit super bonos et malos*, etc. (*Matth.* V, 45), sic et in vobis sit æqualitas, ut et ipsi vestrarum sint participes divitiarum, et vos illorum bonorum.

Verum quia voluit suam narrationem confirmare exemplo, subjunxit : *Sicut scriptum est : Qui multum non abundavit* , etc. (*Exod.* XVI, 18). Hoc scriptum est in Exodo : præceptum namque est filiis Israel, dum manna singuli juxta mensuram per singula capita colligerent *gomor ;* et inde dictum est : *Qui multum, non abundavit.* Nam qui diffidens ne forte altero die non possit manna invenire, plusquam *gomor* colligebat,non abundabat ;quoniam vermibus scaturiebat : et qui minus colligebat, sufficiens ei erat. Et sciendum quia.quod tunc agebatur, agitur et nunc.Nam quicunque timore futuræ paupertatis suas retinent divitias, ipsa diffidentia vermes illis procreat, qui non morientur ; unde Dominus ; *Ver-*

mis eorum non morietur, etc. (*Isai.* LXVI, 24)

Sed videndum est qua intentione Apostolus hoc protulit testimonium ; ea videlicet, ut divites non falsa spe decipiantur, credentes se sic esse divites in futuro, quemadmodum nunc sunt ; quia, si multum habent, salus tamen, aut vita non in eorum abundat divitiis : pauperes etiam qui modicum habent, non se dejiciant, quia non illis oberit, sed magis proderit ipsa paupertas.

Gratia autem Deo, etc. Refert Apostolus Deo grates, qui dederat *sollicitudinem* Corinthiorum *in corde Titi*, et ipsi ei obedientes exstiterant : *et eamdem* dicit, quam et ego habeo, veluti pater. Iste enim verus pater erat, quia sua eos prædicatione ab infidelitate ad lucem fidei traxerat ; et qualem sollicitudinem ille, qui pater erat, habebat, talem et Titus ; et ideo dicit *eamdem*. In quo facto monentur prædicatores, ut si viderint quempiam suorum sollicitudinem habere animarum, et ipsos, quorum sollicitudinem gerit, obedientes existere, grates Deo referre studeant, veluti Apostolus hic.

Quoniam exhortationem quidem suscepit, id est consolationem, ut qui primum venire recusaverat, nunc sponte venire festinet. *Sed cum sollicitior esset*, etc. Sollicitus exstiterat primum audiendo ; sollicitior postmodum redditus est videndo, adeo ut *sua voluntate* ad eos proficisci desideraret. ***Misimus etiam cum illo fratrem***, etc. Istum, qui minus erat notus, laude commendat ; Titus vero, qui etiam familiaris effectus minime laudis egebat. Sed quia dicit : *Cujus laus est in Evangelio*, et cætera quæ sequuntur, doctores eum fuisse Lucam dicunt ; ob hoc, quia mirabiliter Evangelium scripsit ; deinceps librum Actorum apostolorum, ut ipse : *Primum quidem sermonem*, etc. (*Act.* I, 1).

Comes peregrinationis dicitur, id est evangelicæ prædicationis ; *in hac gratia*, id est prædicationis et reconciliationis, *quæ ministratur a nobis* ; quasi diceret : Hanc gratiam prædicationis accepimus, ut aliis ministraremus (743), et ideo *ministratur a nobis*. *A Domini gloria* (744) dicit, id est a salvatione animarum ; quia quo plures salvantur, eo ei gloria augmentatur. *Et destinatam nostram voluntatem ;* id est dispositam et ordinatam implere, Sed vide quantæ dilectionis erat. Nam ille parvipendebat tribulationes et adversitates istius vitæ præsentis, ad comparationem evangelicæ ministrationis (745). *Devitantes hoc*, etc. Iste namque idoneus doctor, et sufficiens prædicationi, vitabat ut non vituperaretur de hoc opere misericordiæ unde agitur, si non tribueretur ; sive cavebat vituperationem illarum Ecclesiarum, quæ ab aliis tractæ fuerant ad fidem, ne ipse vituperaretur, quia sua prædicatione eos ad fidem traxerat. Ideo idoneos curat ministros dirigere, qui sua sapientia et scientia eos non solum ad perfectionem bonorum operum cæterorum, sed etiam ad opus misericordiæ provocarent : sive cavebat vituperationem illorum, quia adeo erant amatores Judaicæ sectæ, ut carnaliter legem observarent, ne ipsi dicerent : Nou sunt isti veri Christiani, quibus majora etiam tribuunt Judæi.

Providemus enim bona, etc. *Coram Deo ;* quia salutem animarum prædicabat : *coram hominibus ;* quia tam idoneos ministros direxerat, qui non corda Corinthiorum scinderent, sed sua scientia ac sapientia non solum ad cætera bone, sed etiam ad opus misericordiæ provocarent.

Misimus autem cum illis, etc. His verbis ostendit eos Apostolos profecisse ; quasi diceret : O Corinthii, in hoc vos potestis agnoscere profecisse, cum tot et tales ministros suscipere promeremini. Quidam volunt istum intelligere fuisse Apollo ; ob hoc, quia in prima Epistola dicit se rogatum, ut eum dirigeret illis (*I Cor.* XVI, 12) ; sed incertum est quis fuerit. *Nunc autem multo sollicitiorem :* quasi diceret : Sollicitus fuit primum, sed sollicitior radditus est, *multa utendo confidentia in vos, sive Tito* narrante bona de vobis, sive cæteris narrantibus, quos etiam *Apostolos Ecclesiarum*, *gloriam Christi* appellat. Vam multi ibant, et revertebantur, sive ab 'apostolis missi, sive sua sponte pergentes, qui eis referre possent. *Socius meus*. Socius ei erat Titus, quia episcopus ordinatus ; cæteri fratres, qui adjutores Evangelii erant. In hoc, quod Apostolus tales direxit, monentur prædicatores, cum aliquem ad bonum trahere cupiunt, talem dirigant, cujus mens nullius morbo corrupta sit vel corrumpatur.

Ostentionem ergo, etc. His verbis commendat eos Apostolus, ut obedientes et devoti erga illos existant ; quasi diceret : In hoc vestram conversationem, et fidem agnoscere potero, si eos honorifice susceperitis *in facie Ecclesiarum*, id est, in visione Ecclesiarum.

(CAP. IX.) *Nam de ministerio*. etc, Videtur enim Apostolus quasi aliud locutionis genus aggredi Nonnulli dicunt hactenus Apostolum locutum de eleemosyna terrenarum rerum, nunc de eleemosyna verbi Dei, quæ major est terrenis ; et ideo sedule hæc eleemosyna adhibenda est erga credentes. Nonnulli dicunt hactenus allocutum fuisse laicos ; nunc alloqui sacerdotes, quibus utrumque genus misericordiæ commendatum est. Nonnulli dicunt a principio istius sermonis usque ad finem de eleemosyna terrenarum rerum locutum. Sed si de ista, quare tam frequenter repetit ? Solet enim quis repetere causam quam agnoscit et operatur, ut arctius in aliorum cordibus inculcet. Quod manifestatur in Petro, quem cum Dominus agnosceret sui ardoris amorem (746-47) habere, eum interrogavit utrum se diligeret (*Joan.* XXI, 15). Sive repetit, ut ostendat

(743) Videtur hoc verbum correctum in autog, ut legatur *manifestaremus*.

(744) Vulg. *ad Domini gloriam*.

(745) Item emendatum legitur ita : *manifestationis*.

(746-47) Fortasse melior lectio *sui amoris ardorem*.

quem affectum habeat erga suos auditores. Ea intentione Apostolus repetit, subdendo : *Scio enim promptum animum vestrum*, etc. ; et : *Ex abundanti est mihi scribere vobis :* id est, dilatum est cor meum ad scribendum vobis. *Quoniam Achaia parata est*, etc. Ea intentione, qua Macedones ad exemplum protulerat, ea etiam Achaicos ; id est, ut eos puderet imitari nolle. Sed nunquid et isti non erant Achaici ? Erant. Sed quasdam Ecclesias affines ad exemplum profert. Et quid est dicere : *Vestra æmulatio procavit plurimos*, nisi quasi aliis verbis dicat : Vestra correctio emendatio plurimos ad emendationem, id est, imitationem provocavit ? Adeo ut dicerent : Si Corinthii, qui ceciderunt, ita surrexerunt, ut ab Apostolo laudentur, multo magis nos possumus nostros mores corrigere, ut Deo et Apostolo placere possimus, qui non cecidimus.

Misimus autem fratres ; prædictos appellat, *ut ne quod gloriamur*, etc. Laudaverat Apostolus Corinthios Macedonibus ; et, ne ipsi aliter invenirent, quam Apostolus dixerat, idcirco curavit idoneos, ministros dirigere, qui eos ad opus misericordiæ provocarent, ne aliter Macedones invenirent. Et ideo subjunxit : *Ut, quemadmodum dixi, parati sitis*, etc. Bene dicit : *Erubescamus nos*, quia, si aliter invenirent Macedones, erubesceret Apostolus. maxime Corinthii ; quia magis solet erubescere ille qui alium videt suimet causa erubuisse, quam si ipse propria causa erubesceret. *Ut non dicamus vos* (748) *in hac substantia ;* id est. in hoc opere misericordiæ non negemus vos esse.

Necessarium ergo existimavi. Quasi diceret : O Corinthii, non parvipendatis quod tot et tales dirigam ministros ; nam ego necessarium duxi tales dirigere, *ut præpararent repromissam benedictionem.* Idonei namque debent esse, qui benedictionem præparant. *Repromissam* dicit illam, unde superius : *Quoniam et Achaia ab anno priore parata est. Benedictionem* dicit esse, quia illi, qui tribuunt aut à Deo, aut ab illis, quibus tribuunt, benefici promerentur. Nam unusquisque secundum cujus præceptum tribuit, ipsius contemplatione perficitur. Ex cœpta Dei causa, quantum, ad humanum morem attinet, Apostolus honestatem commendat : *sic quasi benedictionem*, etc.

Superius infirmis condescendens, dicebat : *Non ut aliis sit remissio*, etc. ; nunc fortes hortatur dicendo : *Qui parce seminat, parce et metet.* Quia condescendens Apostolus infirmis superius dixit : *Non ut aliis sit remissio*, etc. ; nunc vero ascendens provocat fortes, potentes, ac divites ad majora pietatis opera, dicens, ut præparent repromissam benedictionem, sic *non quasi avaritiam.* Quibus et rebus terrenis protulit similitudinem, dicens : *Hoc autem dico : Qui parce seminat*, etc. ; quasi dixisset : Sicut qui parum seminat, parum et metit, sic et vos, si parum dederitis, parvam æternæ felicitatis remunerationem recipietis. Sane sciendum, quia sape solet Apostolus suis auditoribus diversas proferre similitudines ; nunc militis, nunc agricultoris, nunc quoque medici, nunc negotiatoris ; similiter nunc seminatoris congruam in qualitate et quantitate ponit similitudinem. In qualitate videlicet, quia quod seminat, hoc et metit : id quantitate autem, quia quantum quis seminat, tantum et metit. Illud autem notandum, quia parcum appellat avarum, a quo quasi extorquetur, et exigitur, ut inferat : qui idcirco tardus est tribuere, quia fructum mercedis non videt.

Sequitur : *Et qui seminat in benedictionibus*, etc. In benedictionibus namque seminare est, cum cordis hilaritate, sub spe futuræ remunerationis, misericordiam peragere, juxta illud Salominis dicentis : *In omni dato hilarem fac vultum tuum* (749), quod etiam de elcemosyna verbi Dei intelligi potest ; quoniam qui suis auditoribus eleemosynam verbi tribuit, ex cordis sinceritate, ne forte fructu privetur, necesse est administrare. Sane notandum quia, si in benedictionibus metet qui in benedictionibus seminat : ergo econtra qui in maledictionibus, hoc est, tristitia seminat, in maledictionibus et metet ; quoniam scriptum est : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI, 8).

At vero Corinthii, quia longo ante tempore se promiserant collectas facturos, idcirco taliter loquendo subjungit, dicens : *Unusquisque prout destinavit corde suo ;* hoc eet, ut deliberavit, decrevit, atque disposuit (subauditur, tribuat). Verumtamen non eum pœniteat, ne forte fructu privetur ; et ideo subjungit : *Non ex tristitia aut ex necessitate.* Poterant autem Corinthii ex tristitia, aut ex necessitate tribuere, dum videbant alias Ecclesias collectas facere ; quoniam pudebat eos aliter agere. Poterant enim dicere : Ecce aliis tribuentibus, si nos non retribuerimus, denotabimur, et deteriores aliis judicabimur. Quapropter, ne opus pietatis fructu careret, monentur ab Apostolo, ut non ex tristitia, aut necessitate id ipsum procedat. Moraliter : Multi sunt in Ecclesia, qui dum vident generalitatem aliquid bonum agere, ne denotabiles habeantur, pudet eos aliter agere. Sequitur : *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Scilicet ex omnibus illis, qui sua tribuunt, eos diligit Deus, qui cum cordis hilaritate tribuunt, ipsosque etiam præparat ad remunerandum. Ubi etiam attendum quia, si eos diligit, qui cum cordis hilaritate largiuntur, eos utique odio habet, qui cum tristitia cordis tribuunt.

Sequitur : *Potens est autem Deus gratiam abundare facere in vobis.* Optat his verbis Apostolus gratiam Dei illis adesse, quatenus sicut omnia vitia gratia ejus vicerant, sic et in opere misericordiæ perfecti ac devoti invenirentur, ipsius fulti præsidio. Sequi-

(748) In Vulg. verba hæc. *ut non dicamus vos*, parenthesi sejuncta leguntur.

(749) Textus hic in libro Eccli., per Jesum filium Sirach XXXV, 11, scriptus legitur, non per Salomonem.

tur : *In omnibus semper omnem sufficientiam habentes*, etc. Imprecatur etiam gratiam Dei illis, ut in omnibus abundent bonis ; adeo ut nihil egeant eorum, quæ ad animæ attinent salutem : quod tunc fit, quando homines eligunt sufficientiam ; hoc est, quando, suppleta sua, suorumque necessitate, quæ superabundant, pauperibus tribuunt, *sicut scriptum est : Dipersit, dedit pauperibus* (*Psal.* CXI, 9), etc. Magnopere quippe hoc exemplo provocat eos ad opus misericordiæ. Ubi etiam attendendum quod dicit : *Dispersit, dedit pauperibus*, etc. Si enim *justitia illius manet in æternum*, qui pauperibus tribuit, multo magis ejus, qui tribuit justis. Itaque distat inter pauperes et sanctos : pauperes quidem sunt, qui publice egent ; sancti vero, qui jejuniis omnibus atque vigiliis insistunt, ut Anna (750) ; vel certe qui sua distribuunt, ut apostoli. Sane sciendum quia justitia dicitur quasi juris status. Ille ergo justitiam operatur, qui omnia temporalia communiter omnibus a Deo data intelligit. Ille, inquam, imitator justitiæ Dei existit, qui ad imitationem ipsius, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, etc., quæ, queis superabundat, tam amicis, quam et inimicis indifferenter tribuit.

Sequitur : *Qui autem administrat semen seminanti*, etc. Nota quia Dei sunt semina, atque nascentia, quoniam ipsius nutu et seminantur, et nascuntur ad sustentationem hominum. Et hoc sciendum, quia his verbis magnam subministravit illis tribuendi confidentiam ; ac si dixisset : Si ejus sunt semina, atque nascentia, quare pigri estis ea quæ illius sunt illi tribuere ? Nam, si tribueritis, debitorem vobis eum facietis. Et quia duo dixerat, duo repetit : *Et multiplicabit semen vestrum*, etc. Et est sensus : Qui administrat semen, multiplicabit et ipsum, et qui præstabit panem, *et augebit incrementa frugum*. Itaque nolite segnes esse seminare, hoc est, pauperibus erogare, quoniam si semel seminaveritis, bis metetis. Bis namque metere est, et in hac præsenti vita temporalium rerum abundantiam, quibus pauperum inopiam sublevemus, et in futura, æternæ remunerationis præmium suscipere. Nota quia fruges justitiæ dicuntur ; verumtamen fruges, fruges justitiæ justis sunt, qui eas bene dispensant ; injustis autem utique fruges sunt injustitiæ.

Sequitur : *Ut in omnibus locupletati*, etc. Locupletes nempe in omnibus sunt, qui abundant tam temporalibus, quam spiritualibus bonis. *In omnem simplicitatem* dicit ; quia qui tribuunt, simpliciter hoc ipsum agere debent ; hoc est, non eos, quibus tribuunt, sibi velle esse subjectos, neque aliquod per hoc quærere obsequium : nam quicunque aliquid horum cupiunt, suam, inquam, mercedem recipiunt ; unde Dominus : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). In eo vero, quod ait, *quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo*, talis est sensus : Simplicitas, administratio (751) gratiarum actionem per nos operatur Deo ; hoc est, nobis exhortantibus et vobis tribuentibus, alii incitantur, ut gratias Deo referant.

Sequitur : *Quoniam ministerium hujus officii*, etc. Officii ministerium dicit ministerium videlicet collationis. Et est sensus : Quicunque hujus officii ministerium implet, non solum ob hoc remunerabitur, quia sanctorum sublevat inopiam, sed etiam ob hoc, quia alios, qui vident, provocat, ut gratias Deo referant. Itaque duarum mercedum munere ditabitur. Sequitur : *Per probationem ministerii hujus*. Et est sensus : Hac probatione manifestabitis vos verissime esse Christianos, si hujus ministerii, hoc est, collationis impletores fueritis. Sequitur : *Glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ*. Et est sensus : In obedientia confessionis vestræ, hoc est, per impletionem vestræ promissionis, eritis glorificantes Deum *in Evangelio Christi*. Sequitur : *Et simplicitate communicationis*. Simplicitatem communicationis dicit mentis quoque sinceritatem ; hoc est, ut non aliud quæratur, quam quod quærendum est. *In illos* dicit, qui erant Jerosolymis ; *et in omnes* dicit, de illis, quibus ipsi tribuebant, vel certe qui videbant, et in aliis locis habitabant.

Sequitur : *Et ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos*. Ostendit his verbis Apostolus, quanquam latenter, quod non solum sanctorum, qui erant Jerosolymis, meritis, et precibus Deo commendarentur Corinthii, sed etiam et aliorum omnium, qui videbant, et suis necessitatibus, non sibi tunc cupiebant esse subjectos causa salutis ipsorum ; et ideo dicit : *Pro vobis, desiderantium vos*. Quis enim sanctorum non desideret aliquem suis necessitatibus esse subjectum causa salutis ejus ? Nam, si ille qui tribuit, eum cui tribuit, velit sibi esse subjectum, amittit utique mercedem. Et ideo sancti semper cupiunt homines suis necessitatibus esse subjectos, ne perdant mercedem. Propter quid eos desiderent, ostendit subdendo : *Propter eminentem gratiam Dei ;* hoc est, ut gratia Dei eminenter sit in vobis ; quoniam quo eritis humiliores, eo eminentiores. Aliter : *Propter eminentem gratiam*, videlicet, scientiæ, et charitatis, et similium ; ut sit sensus : Ut qui jam in aliis omnibus abundatis, et in hac gratia largitatis abundetis.

Sequitur : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus*. Notandum quia in gratiarum actione sermonem de opere misericordiæ terminat, quem etiam a laudibus inchoaverat. Et est sensus : Gratias ago Deo, qui vos sua miseratione ineffabilibus suis donis ditavit. Si vero ad superiora referatur, talis est sensus : Gratias agentes Deo, qui vobis immeritis inenarrabilia sua dona contulit.

(CAP. X.) *Ipse autem ego Paulus*, etc. Erant enim nonnulli inter Corinthios, qui eum minoris esse auctoritatis putabant, et hæc suspicio poterat impedire ejus exhortationem prædictam de opere

(750) De qua in Evangelio Lucæ II, 36, 37.

(751) Fortasse *simplicitas administrationis, gratiarum*, etc.

misericordiæ. Ideo inseruit auctoritatem Apostolus, dicendo : *Ipse autem ego*, etc. ; quasi diceret : Ipse ego pater, et prædicator, et doctor, qui vos per totum textum istius Epistolæ monui, veluti pater filios ; sive, ipse ergo, qui non alter sum præsens corpore, absens autem in Epistola ; sive, ipse ego *qui in facie quidem humilis inter vos, absens autem confido* in vobis. *Obsecro vos*, etc. : quasi diceret : Per illius *mansuetudinem* et modestiam vos obsecro, qui, cum posset suos ulcisci inimicos, patienter toleravit. Sed cum dicit, obsecro et confido, videtur alloqui bonos, sed tamen propter malos. Et quid confideret, manifestat, subdendo : *Rogo autem, ne præsens audeam*. Erant enim nonnulli inter Corinthios, qui adhuc incorrecti manebant ; erant etiam et pseudoapostoli, a quibus fuerant decepti ; et ideo taliter loquitur, quasi diceret : Rogo vos, ut ita congregetis vos, ut cum venero, non habeam quod reprehendam, aut excommunicando, aut ab unitate separando, sed veluti pater in filiis lætus *per eam confidentiam*, etc. Quos appellasset, manifestat, dum subdit : *Qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus ;* id est, in carne consistendo, carnaliter vivere ; sive legem legendo, non recte sentire. Nam dicebant Apostolum non recte sentire ; et ideo ei fidem non accommodari debere. Et ad hæc duo respondit, subdendo : *In carne enim ambulantes*, etc. ; id est, in carne mortali consistendo, mortificatis desideriis carnalibus, secundum divina præcepta vivimus, sive eamdem legem, quam Judæi, habentes, spiritaliter intelligimus.

Nam arma militiæ nostræ, etc. ; quasi diceret : Arma nostra non sunt scutum, gladius, materialia, atque visibilia, *sed potentia Deo*. Potentia sunt, quia hoc possumus verbis, quod alii gladiis nequeunt ; sive potentia, quia his armis adversus regnum iniquitatis dimicamus. Nam sicut Christus adversus regnum iniquitatis dimicat, ita et nos donis ipsius ditati, et arma habemus, et sumus, et ad destruendum regnum iniquitatis laboramus. Et quare potentia Deo, subdit : *Ad destructionem munitionum*. Munitionem namque appellat doctrinam pseudoapostolorum, qui suis calliditatibus atque versutiis eam muniebant, sed tamen arietibus apostolorum ipsa est munitio destructa, quemadmodum murus visibilis arietibus dissipari solet. *Consilia destruentes*, etc. Altitudinem enim antiqui hostis appellat insidias, quæ consiliis se inserunt hominum, et quasi munitionem faciunt, sed tamen apostolica doctrina destruitur. Isti enim volentes suam statuere scientiam, humilii se Dei subdi noluerunt scientiæ. *Et in captivitatem redigentes*, etc. ; id est, superantes sumus pseudoapostolos, qui *omnem intellectum* præparatum ad *obsequium Christi*, captivant, et sibi subdunt. Est etiam alter melior sensus : Manifestata veritate, falsitatem destruere.

Et in promptu habentes, etc. In promptu, id est, in propatulo : quasi diceret : *In promptu habentes* sumus *ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia*. Nam obedientia fidelium condemnat inobedientiam non credentium : quod tunc fit, quando illi, qui erant affirmatores falsitatis, incipiunt esse assertores veritatis.

Quæ secundum faciem sunt, videte ; id est, quæ in aperto et manifesto sunt, animadverite. Et quæ sint illa subdit : *Si quis confidit Christi se esse*, etc. Erant enim nonnulli inter Corinthios, qui dicebant se Christi esse, id est, pseudoapostoli, adversus quos loquitur Apostolus, dicendo : *Si quis confidit*, etc. ; quasi diceret : Si Christi vos esse dicitis, et nos ipsius sumus. Sed multum se humiliat, quoniam non se præfert. Quantæ enim temeritatis est ille homo, qui vult se Apostolo coæquare ? Et si ille, multo magnæ temeritatis, qui se etiam vult præferre. Sed qui se hic humiliat, auctoritatem mox subjungit sui Apostolatus, dicens : *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero*, etc. ; quasi diceret : Si ego, qui me humiliavi, auctoritatem mei Apostolatus manifestans, non erubescam, dicendo de me dictum fuisse : *Vas electionis est iste mihi* (*Act.* IX, 15) ; quia non facio contra illud : *Laudet te alienus* (*Prov.* XXVII, 2), etc. : quoniam non causa meæ laudis, sed vestræ salutis, ne pseudoapostolis fidem accommodetis, dico. Qua nempe intentione, post exhortationem collattonis, sui apostolatus inseruerit auctoritatem, manifestum est. Qui quoque in ipsa intentione commendationis suæ autoritatis perseverans, dicit : *Ut autem non existimer tanquam terrere vos* (subauditur, volens) *per epistolas* (subauditur, dico). Hos illi namque per epistolas terrent, qui nulla gratia commendantur, quique etiam nullam habent auctoritatem, nullum officium, nullumque magisterium ; ideoque terrent absentes, quia timent præsentes. Econtra non erat talis Apostolus, neque hi, qui cum eo erant : ipse enim auctoritate commendabatur, quia et Spiritus sancti gratia erat repletus, et a Domino ad prædicationis officium directus ; idcirco omnia secundum Spiritus sancti dispositionem agebat. Subjungit et verba æstimantium se absentes per epistolas terrere ; *quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes*, etc. Sane sciendum, quia *præsentia* sanctorum tumentibus, ac superbis videtur esse *infirma*, et eorum *sermo contemptibilis*. Quare ? Quia sanctorum natura est nolle suam auctoritatem ostendere, nisi coacti. Et ideo quo eos infirmos conspiciunt, eo nullius esse auctoritatis putant. Econtra aliter fideles sentiunt. Nam quo eos ipsi abjectiores inspiciunt, eo sublimiores et majoris esse auctoritatis intelligunt, et idcirco magis eos timent.

Sequitur : *Hæc enim cogitet, qui ejusmodi est ;* hoc est, qui hujuscemodi est æstimationis, *quia quales sumus per epistolas absentes*, etc. ; ac si aliis verbis dixisset : Non sum alter, et alter ; quia non sum divisus, quoniam non sum præsumptor : nam præsumptorum est minari quod non est minandum, et promittere quod non est promittendum. Nos autem, etsi aliqua minando, aut promittendo dicimus, utique per eum, qui in nobis habitat, implere possu-

mus. Quapropter me humiles humilem sentiunt, superbi vero rigidum et fortem agnoscunt.

Sequitur : *Non audemus nos inserere*, etc. Et est sensus : Non enim audemus jactanter ea de nobis proferre, quæ non sunt in nobis, neque ita Deum contemnere, ut nos pseudoapostolis comparemus, qui non Dei gratia,sed sua præsumptione commendantur.Sequitur : *Si ipsi in nobis metipsis metientes nosmetipsos nobis* (752-53). etc.,quasi dixisset : Sumus enim metientes nosmetipsos in nobis; quia non ultra mensuram divinæ regulæ,hoc est,dispositionis extendimus nos,neque etiam infra ipsam mensuram coarctamus, quia non nos pseudoapostolis comparamus.

Sequitur: *Non in immensum gloriabimur*. Est enim quasi præcedentium verborum expositio.In immensum quoque gloriari est ultra metas divenæ dispositionis extendi.Sequitur : *Sed secundum mensuram regulæ quam mensus est nobis Deus*. Et est sensus : Extendimus quippe nos ad prædicandum,sed secundum terminos,et metas,quas nobis Deus constituit. Sed quia vos infra (754) mensuram divinæ regulæ, hoc est,dispositionis,estis comprehensi, extendimus nos usque ad vos. Et hoc est,quod dicit, *mensuram pertingendi ad vos ;* quasi dixisset : Nos enim non præsumptione ad vos venimus,sed divina admoniti revelatione.Vos quoque nobis prædicantibus credidistis ; unde in prima : *Signaculum apostolatus mei vos estis* (*I Cor.* IX, 2) ; et item : *Per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* IV, 15). Illud etiam sciendum, qui divina revelatione admonitus venit ad Macedones et Corinthios. Hoc sane notandum, quia his verbis ostendit Apostolus regiones et provincias divisas fuisse prædicatoribus,ut unusquisque haberet in quo specialiter gloriarentur.

Sequitur : *Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos*.Superextendi vero est modum divinæ regulæ velle excedere.Nihilominus sciendum quia in tota hac sententia hæc est Apostoli intentio ut ostendat Corinthiis, quod non eum contemnere debent, qui juxta mensuram divinæ dispositionis accepit ut sua cos prædicatione ad fidem traheret : quasi dixisset : non, inquam, vestrum proprium patrem,magistrum atque doctorem debetis contemnere, neque etiam pseudo eidem in immensum gloriantes præferre apostolos. Sequitur : *Usque ad vos pervenimus in Evangelio Christi*. Christi dicit ad distinctionem eorum qui non Christi sed suas falsas prædicabant doctrinas.

Sequitur : *Non in immensum gloriantes*. Quid enim sit in immensum gloriari, mox ostendit,cum subjunxit : *In alienis laboribus*. Apostolus quippe non in alienis laboribus gloriabatur,sed in propriis; quoniam sua prædicatione tracti sunt Corinthii ad fidem.Falsi quoque apostoli in alienis laboribus gloriabantur hoc est, in plebibus, quæ per aliorum prædicationem crediderant qui etiam non audebant (755) transire ad incredulos, qui signa requirebant quia nullum facere poterant ; et ideo transibant ad credentes, qui non signa requirebant. Sequitur : *Spem autem habentes crescentis fidei vestræ*, etc. Et est sensus : Non cedimus persecutionibus,non passionibus quia spem certam habemus,quoniam cum fides vestra creverit, nos quoque a Deo renumerabimur. Et ideo non vestrum aurum,neque vestrum argentum, neque cætera quærimus ; quoniam a Deo remunerationem exspectabimus.

Sequitur : *Secundum regulam nostram in abundantia etiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizare*. Promittit his verbis Apostolus quod non sit contentus manere semper Corinthi;eo quod non sit solummodo usque ad illos extenta mensura regulæ divinæ, sed etiam illa loca transire, et evangelizare, quæ divina comprehensa erant linea ; et ideo dicit : *Quæ ultra vos sunt*. Verum tunc, ut non alienis laboribus gloriaretur, neque super alienum fundamentum construere videretur, ibi se dicit evangelizere,ubi nemo prius jecerat fundamentum et ubi Christus nondum fuerat nominatus. Et hoc est, quod dicit : *Non in alia regula* ; id est, doctrina, vel certe potius plebe. Unde ipse mox subjungit, dicens : *In his, quæ præparata sunt, gloriari*.Illud autem sciendum,quia Apostolus,quoties illis Ecclesiis, quæ aliorum prædicatione venerant ad fidem dirigebat Epistolas, non severitatem minabatur, sed exhortationem,et admonitionem destinabat, et peccatum notabat, ut corrigerentur ; illis autem, qui ipsius prædicatione venerant ad fidem, etiam severitatem minabatur, Quod agendo legis præceptum implebat quo jussum est, ut si quis per campum alterius transiret,haberet potestatem spicas manibus vellere, et confricare, non tamen falcem mittere (*Deut.* XXIII, 25).

Sequitur : *Qui autem gloriatur in Domino glorietur*.Quia dixerat superius non se in immensum gloriari,neque in alienis laboribus subdidit etiam ea, pro quibus aliquis poterat suspicari eum propriam quærere gloriam ; ideoque subjunxit : *Qui autem gloriatur* ; hoc est,qui gloriatur in doctrina,sive in multitudine credentium,seu in profectu auditorum *in Domino glorietur* ; hoc est,totum ad Domini laudem referat, et ad Domini lucrum.

Sequitur : *Non enim qui se ipsum commendat,ille probatus est*, etc. Ille quippe probatur,qui non sua præsumptione, sed Domini gratia commendatur. Pseudo namque apostoli non erant probati, quippe quia nullis etiam virtutibus commendati.

(CAP, XI.) Sequitur : *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ* ; quasi dixisset : Vos o Corinthii, qui longo tempore falsos prædicatores

(752-53) Vulg. *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes,et comparantes nosmetispsos nobis*.

(754) Vid. num loco *infra* legendum sit *intra*.

(755) Fortasse loco *non audebant*, legendum *eludebant*. In autog. enim ita legitur : *Aliaudebant*, quod emendandum censui.

gloriantes sustinuistis,me quoque saltem modicum sustinete. Et nota,quia insipientem se vocat, videlicet quia magna dicturus erat de se, quorum gloriatio poterat videri attinere ad insipientiam.

Sequitur : *Æmulor enim vos Dei æmulatione*. Et est sensus : Non enim invidentia adversus falsos stimulor,sed vos paterno affectu zelans inflammor, ut immaculatos et incontaminatos vos Deo repræsentem. Unde mox subjunxit ; *Despondi enim vos uni viro virginem castam*, etc. Uni viro appellat Christum, virginem castam vel generaliter sanctam Ecclesiam,vel specialiter animam,fidelem quæ dum per aquam baptismatis renascitur, sponsa Christi efficitur ;et,ut nullum alium admittat,quasi arrhabonem, pignus sancti Spiritus accipere promeretur. Illud autem sciendum, quia quæ alterum pulchriorem, nobiliorem, atque prudentiorem suo sponso dijudicat,non jam casta,sed potius corrupta est sponsa. Similiter et anima,quæ Christi sponsa est semetipsam corrumpit, dum magis aurum,aut argentum, et reliqua, quam ipsum diligit. Sed videndum est quam castitatem voluerit intelligi Apostolus, utrum corporis,an mentis. Nam si corporis intelligas, perpauci sunt,qui eamdem custodiunt ; si vero mentis, id est fidei integritatem, multi sunt, qui eam habent. Sciendum quia sunt nonnulli, qui servant corporis castitatem sed non servant mentis virginitatem velut hæretici ; ita sunt nonnulli,qui habent mentis castitatem,sed tamen non habent corporis, veluti sunt conjugati, quibus non obest ipsum conjugium : item, sunt nonnulli, qui servant mentis virginitatem,sed non habent corporis castitatem, quia per abrupta vitiorum discurrunt. Hi quoque, et hæretici una regula constringuntur, quia sicut mentis,sic et corporis declinanda est corruptio. Convenientius (756-57) vero hujus loci exemplum illi loco confertur, ubi legitur in Apocalypsi : *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati* (*Apoc.* XIV, 4) ; ubi per mulieres hæreticos intelligit, per virgines autem universæ Ecclesiæ fideles, *qui sequuntur Agnum quocunque ierit* : videlicet de corruptione ad incorruptionem transeuntes. Beatus vero Augustinus illius loci exemplum secundum corporis virginitatem exponit.Dicit enim quia solumodo centum quatuor millia, qui cum mulieribus non sunt coinquinati,possunt cantare canticum. Canticum namque cantare est, illos qui cum mulieribus non sunt coinquinati,præ omnibus fidelibus de incorruptione corporis gaudere. Et hi sequuntur Agnum, quia virgo est caro agni. Sed quis ab ista laude Petrum separet,vel cæteros apostolos, qui secundum opinionem sanctorum doctorum, præter Paulum et Joannem, omnes conjugati fuerunt ?

Sequitur : *Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua* (*Gen.* III, 4), etc. His verbis ostendit zelum suum, atque ardorem,cum etiam timendo eos admoneat. Serpens enim hoc modo seduxit Evam : nam cum præcepisset Deus protoplastis,ut de ligno scientiæ boni et mali ne comederent, venit ad eos serpens, et dixit : Quare præcepit vobis Deus,ut de ligno scientiæ non comederetis? Respondens Eva dixit : Quia quocunque die comederitis, morte moriemini. Qui dixit eis : Non erit ita ; sed scit Deus, quia quocunque die comederitis, eritis sicut dii, etc. ; quasi diceret : Idcirco vobis præcepit ut terrorem incuteret : tamen non erit facturus Similiter et Apostolus timebat ne hoc modo Corinthii deciperentur : nam pseudoapostoli venientes ad eos dicebant : Quare non observatis legem ? Illi vero respondebant dicentes : Quia data gratia jam non viget.[1] Illi econtra dicebant : Non ideo data est gratia ut lex evacuaretur, sed ut vel sic lex impleretur, quæ sola impleta sufficit ad salutem. Sunt etiam nonnulli in Ecclesia, qui nomine serpentium designantur.Dicunt enim non esse ignem æternum et quod dictum est : *Hi ibunt in supplicium æternum* (*Matth.* XXV, 46), ideo dictum esse, ut homines terrorem haberent : verumtamen Deus non patiatur creaturam suam in æternum perire. Et hi cum sint perditi, alios perdunt. *Nam si is, qui venit, alium Christum prædicat*, etc., usque ubi ait : *Recte pateremini*. Et est sensus : Recte pateremini præferre mihi pseudoapostolos, si aliquid magis contulissent, quam a me collatum est vobis : sed, quia eumdem Christum prædicaverunt, quem nos, et eumdem Spiritum, et idem Evangelium, atque baptismum, non est, inquam,dignum, ut mihi eos præferatis.Attamen sciendum quia oritur quæstio, quare Corinthiis dixerit: *Recte pateremini*, cum Galatis dicat : *Si quis alium Christum evangelizaverit* (*Gal.* VIII, 9), præter quem evangelizavimus, anathema sit, Quomodo illis anathema,cum istis dicat rectum? Solvitur itaque hoc modo.Istis quoque cum essent credentes, non alium Christum prædicare poterant, nisi eum, qui pro nostra redemptione fuerat crucifixus.Illis dicit anathema quia si alium Christum prædicarent, jam non potiorem sed incomparabiliter omnibus deteriorem.

Sequitur : *Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis apostolis*.Superius locutus est adversus falsos apostolos ; nunc vero loquitur pro veris,dicens, *Existimo*.etc.,quasi dixisset : Quare mihi vultis falsos præferre, cum etiam magnos præferre non debeatis;quoniam quidem nihil cæteræ Ecclesiæ magis acceperunt a magnis apostolis,quam vos a me accepistis ? Nihil, inquam, magis acceperant,præsertim cum hic plus omnibus laboraverit,et Dominum tam in vis quam et in templo viderit.

Sequitur : *Et si imperitus sermone,sed non scientia* Sane sciendum quia multis erroribus decepti erant Corinthii. Favebant quippe alii pseudoapostolis,alii autem veris,alii quidem polite loquentibus ; quippe idcirco his omnibus favebant, ut istum dejicerent,

(756-57) In autog. legitur *Veliconnius*, mendosam transpositionem suspicati, ita legendum duximus.

et minoris auctoritatis esse monstrarent. Quapropter cum locutus fuisset adversus falsos, et pro veris nunc vero et loquitur adversus eos, qui in prædicatione eloquentiæ requirebant nitorem. *Si imperitus*, inquit, *sermone*, etc. quasi dixisset: Cur etiam mihi eos vultis præferre, qui in prædicatione eloquentiæ requirunt nitorem? Non, inquam, eos debetis mihi præferre, quia etsi periti sunt, ibi quippe sunt periti, ubi periculum esse potest: ego autem, etsi imperitus sum, ibi sum imperitus, ubi nullum inest periculum; quia si sum imperitus sermone: non tamen scientia. Potest enim aliquis perfectæ fidei, atque scientiæ esse, tardus tamen in locutione. Sciendum tamen quia quæri potest cur se dicat imperitum, cum dicat Festus de illo: O Paule, *multæ litteræ te ad insaniam convertunt* (*Act.* XXXI, 24). Sed sciendum quia, juxta quod ait Festus, multis litteris erat instructus: verumtamen causa humilitatis se dixit imperitum. Sequitur: *In omnibus manifestatus sum vobis;* hoc est, manifestatus sum, quia non vanæ laudis causa, aut terreni quæstus prædicavi, sed causa vertræ salutis. Manifestatus sum etiam, quia non ex verborum inopia, sed potius abundantia; sive manifestatus sum signis atque virtutibus.

Sequitur: *Aut nunquid peccatum feci*, etc.; ac si dixisset: Nullum, inquam, peccatum feci apud vos, propter quod præferre mihi debeatis pseudoapostolos, nisi in hoc forte peccavi, quia quæ vestra sunt non abstuli; et si hanc culpam feci, ignoscite, quæso: propter hoc enim magis illi timebant, quia nihil ab eis accipiebant, propter quod etiam pseudoapostolos, illi præferebant, quoniam magis se ab ipsis diligebant (758): illi namque eo se credebant sanctiores, quo eis erant gratiores; et ideo illi ad tribuendum fiebant libentiores. Et sciendum, quia pulchre dicit: *Humilians:* quid enim humilius, quam accepta potestate non uti? Hæc quoque humilitas multum ad Corinthiorum attinebat libertatem (759): et ideo dicit: *Ut vos exaltemini;* quoniam a dominatione falsorum apostoli liberabantur.

Et quia poterat aliquis dicere: Quomodo te humiliasti, ut nos exaltaremur, inquit ipse, *quoniam gratis Evangelium Christi evangelizavi vobis*. Et est sensus: Nihil a vobis accipiens per annum, et sex menses, annuntiavi vobis Evangelium: et, ne forte incredibile hoc videretur, subjunxit: *Alias Ecclesias exspoliavi*, etc., quasi dixisset: Ab aliis Ecclesiis sumptus accepi, ut vobis prædicare sufficerem. Itaque ne parvum esse videretur, quod (760) ab aliis Ecclesiis ad eorum salutem acceperat, ideo tale verbum posuit, hoc est, *exspoliavi*. Hoc quoque sciendum, quia quo nihil se ostendit accepisse ab illis, eo magis isti gravantur.

Sequitur: *Et cum essem apud vos, et egerem*, etc. Sane notandum, quia non solum tunc nihil ab illis accipere voluit, quando abundabat propriarum manuum laboribus, vel aliarum Ecclesiarum stipendiis, sed etiam nec tunc, quando patiebatur indigentiam. Unde dicit beatus papa Gregorius: Qui enim comprehendere, vel enarrare valet viscera Pauli? Quippe, cum ministraret Corinthiis alimoniam cibi spiritalis nolebat ab eis accipere alimoniam cibi corporalis. Qui enim nostrum aliquem divitem sua nunc prædicatione traheret ad fidem: si videret eum tenacem erga se, non reprehenderet, non etiam increparet? *Nam quod mihi deerat*, etc.; id est labore manuum acquirere non poteram, *suppleverunt fratres*. Nam a prima hora diei usque ad quintam, manibus laborabat, ut sibi victum acquireret; a quinta vero usque ad undecimam prædicabat, et adeo viriliter, ut sibi resistentes paganos superando ad finem traheret. *Qui venerunt a Macedonia*. Sed quare ab istis accipiebat? Quia non erant decepti a pseudoapostolis. Ab istis vero nolebat accipere, ne occasionem accipiendi pseudoapostolis, qui inter eos erant, tribueret. *Et in omnibus sine honore* (761), etc.; id est non solum in cibo, vel in potu, sed etiam in servitio, in obsequio, et in cæteris talibus sine honore fui. Et ne putarent illi ob hoc eum dixisse istud, quod ab eis accipere vellet, ideo subjunxit: *Servavi et servabo;* quasi diceret: Absit ut ego, qui semel deliberavi non accipere, ut accipiam. Sive secundum quosdam: Servabo me quousque pseudoapostolos inter vos habueritis.

Est veritas Christi in me. Quasi dicat: Sicut in Christo non est *est, et non*, ita in me, qui membrum illius existimor. Ego membrum, ille auctor, ego recipiens, ille præcedens, ego subsequens. Quare hoc dixisset, subdit: *Quoniam hæc gloria*, etc. Gloriam suam appellat, accepta potestate non uti. Et hic ostendit, quia quod ille non acceperat, gloria erat, non peccatum; unde superius: *Numquid peccatum feci? Non infringetur*, etc.; id est, quia non accipiam: tunc etenim infringetur, si accepisset. Sed quærendum est, cum superius eos ad opus misericordiæ provocasset, quare nunc dicit: *Non infringetur in me*. Ideo quia non suæ necessitatis causa accipiebat, sed propter pauperes, qui Jerosolymis consistebant. Tunc gloria ejus infringeretur, si suæ necessitatis causa accepisset.

Quare? Quasi diceret: Forte ideo confringetur, *quia non diligo vos*, et ideo non accipiam? Non. Quia ego diligo vos, et magis vos diligo non accipiendo, quam accipiendo: et ut ostendat eos diligere, subdit: *Deus scit;* ut dum illi eum audiunt, qui omnium occulta cordium novit, ad ostensionem suæ dilectionis traxisse, certi de dilectione redderentur. *Quod autem facio, et faciam;* id est, sicut hactenus non accepi, non accipiam: et hoc est, quod superius dixerat: *Servavi, et servabo*. Quare manifestat. *Ut amputem occasionem*, etc. Pseudoapostoli volebant Apostolum accipere, ut illi occasionem acci-

(758) Fortasse *diligi credebant, vel intelligebant.*
(759) Fortasse *liberalitatem.*
(760) In autog. loco *quod* legitur *ne.*

(761) Vulg. *onere:* autog. vero bis *onore* habet. Et ita fere semper verbum *honor* cum derivatis suis sine littera *h* scriptum legitur.

piendi perciperent, quatenus si ille accepisset panem, illi aurum ; et ideo sub obtentu istius occasionis accipere nolebat. *Ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.* Gloriabantur isti de acceptione munerum, quia ea sanctiores esse putabant, quo gratiores reddebantur illis, qui libentius eis dabant: invenirentur illi sicut et apostoli, si accepissent.

(762) *Nam ejusmodi*, etc. *Subdoli;* illi, in quibus latet malum, id est, qui aliud mente tractant, aliud opere patrant, veluti, pseudoapostoli. Illi namque Christum prædicabant, baptismumque, etc. : sed tamen alia intentioue ; ei ideo subjungit : *Tvansfigurantes se in apostolos Christi ;* quoniam causa quæstus et lucri prædicabant ; apostoli vero Christi, causa salutis animarum.

Et non mirum, etc. Quasi diceret : Quid mirum- B si membra transfigurantur, cum etiam caput ? Dia, bolus namque angelus est tenebrarum, et si in ea specie apparuerit, qua est, non recipitur ; et ob hoc *se transfigurat in angelum lucis*, ut facilius se commendet. Et hinc electi solliciti redduntur, ut cum apparet, diligenter perquirant utrum vere sit lucis, nec ne. Hinc est quod Josue videns angelum dixit: *Noster es, an adversariorium* (*Josue* v, 13)? Et apostoli videntes Dominum ambulantem supra mare, *putaverunt phantasma esse, et clamaverunt* (*Marc.* vi, 49 ; *Matth.* xiv, 26) ; et Petrus videns supra fluctus dixit : *Domine, si tu es, jube me venire ad te*, etc. (*Matth.* xiv, 28.) *Quorum finis erat*, etc. Sicut interit venter, et ea quæ ventris, sunt, et cætera transitoria, ita et isti interibunt ; et quem finem habituri C sunt adulteri, bomicidæ,eumdem etiam erit istis simulate bonis (763).

Iterum dico. Dixerat superius: *Utinam sustineretis modicum*, atc. : et statim voluit istud aggredi ; sed tamen Spiritu sancto dictante quædam verba inseruit ; his insertis, derivata intentione, ad cœptum ordinem revertitur, dicendo : *Iterum dico* (*ne quis me putet insipientem*). Hoc ita dicit, quia talia dicturus erat in sequentibus, quæ ad laudem illius attinere videri poterant , quasi diceret : Ne putetis me meæ laudis causa hoc dicere, sed vestræ salutis ; quia necessitate coactus dico. Sive : Non aliquis me putet insipientem, quia veritatem dico, sive quia non totum quod sapio. Et ideo subjunxit : *Alioquin velut insipientem accipite me ;* quasi diceret : Si verba inspexeritis, quia me videor laudare, insi- D pientem me esse putabitis ; si vero intentionem perpenderitis, non insipientem, sed sapientem, quia agnoscetis me facere causa salutis aliorum ; *ut ego*, sicut illi, *modicum quid glorier*, quia illi multum.

Quod loquor, non loquor secundum Deum : id est, quod me laudo, quantum ad vocem, non loquor secundum Deum ; quia qui se laudat, ipsa laude non A promeretur Deum, quia ab eo non accipiet exaltationem, sed humiliationem, et non laudationem, sed defectionem. Et hoc exponit subdendo : *Sed quasi in insipientia*, etc. ; quasi diceret : Quantum ad vocem, *in hac substantia gloriæ loquor*. Insipientia videtur esse ; quia insipientia est homines semetipsos laudare velle, ut illud : *Laudet te alienus*, etc. (*Prov.* xxvii, 2). Quantum ad intentionem non est insipientia ; et ideo dicit : *Quasi insipientia*, non vere.

Quoniam multi gloriantur, etc. His verbis denotat Judæos credentes, de nobilitate generis gloriantes, credentibus se ex gentibus præferentes : et hoc perversum erat, quia non propagatio carnis, sed conversatio, et imitatio facit filios Abrahæ. Ubi ostenditur quantæ temeritatis sunt illi, qui per sacramentum baptismi filii Dei effecti, de nobilitate carnis gloriantur, quæ eos diaboli filios generaverat.

Libenter suffertis, etc. In cœpta intentione manifestat suæ auctoritatis ministerium et dignitatis, qua non solum pseudoapostolos, sed etiam magos (764) videretur excedere, perseverans dicit : *Libenter suffertis*, etc. Insipientes namque illos appellat, qui de nobilitate generis gloriabantur, atque circumcisione, quoniam insipientia est de talibus gloriari. Quod vero dicit, *sapientes*, nonnulli dicunt ironice dictum fuisse, et ob hoc ita pronuntiari debere, ut intelligatur : nam unaquæque res aut sensu, aut pronuntiatione discernitar. Potest enim in similibus verbis dissimilis esse sensus : verbi gratia, si dicam: Per sapientiam tuam fecistt, potest fieri, ut laudando dicas, potest etiam viturperando; et ideo interrogative pronuntiandus est iste locus ut negatio intelligatur. Sunt etiam nonnulli, qui simpliciter hoc ab Apostolo dictum putant quia erant nonnulli inter Corinthios sapientes, quos ille in prima Epistola laudaverat, atque in omnibus divites esse dixerat, qui etiam pseudoapostolos perferebant : et adversus illos loquitur Apostolus, dicendo : *Libenter suffertis*, quasi diceret : Miror cur vos adeo sapientes adeo pseudoapostolos toleratis : nam pseudoapostolos volebant portare, ut gloriosiores haberentur, et ideo dolebat Apostolus, quasi diceret : Quare istos portatis, et me ferre non vultis ? etc. Notandum enim, quia duobus modis electi patienter malos perferunt ; sive, ut eos ad viam veritatis trahere possint ; sive, ut, si non possint, saltem eorum patientia remuneretur.

Sustinetis enim, etc. Quos illi sustinebant, nunc incipit manifestare, subdendo : *Si qui vos in servitutem redigit*, id est, legis, quia ad hoc laborabant ut servituti subderent eos legis ; sive, *in servitutem*, quia illam (765)dominationem exercebant sacerdo-

(762) In autog. marg. hic legitur cap. XXIV.
(763) Forte subintelligendum *habere*.
(764) Vox apud Arabes, Idumæos et Chaldæos philosophum et sapientem referens. Vide Tertull. contra Jud., et lib. iii, contra Marcion. ; sanctum Justin. martyr. ; Dialog. contra Triph. ; sanctum Epiphanium, Epitom. fidei cathol. ; et, in recentioribus, Tostatum, Marianam, Barradium, Grotium, Cornelium a lap., et alios quampl.
(765. In autog. *damnationem*.

tes Judæorum in plebibus, quam nunc episcopi in plebibus exercent. *Si qui devorat* ; il est, si quis vestra consumit: nam illi curam ventris prædicabant ; unde idem Apostolus : *Quorum Deus venter est* (*Philipp.* III, 19). *Si quis accipit* ; id est, si quis rapit quæ vestra sunt ; unde etiam Græci raptores accipitres vocant, et nos illas aves, quæ sollicitæ sunt alias capere, accipitres dicimus. Similiter et isti accipiebant, quia rapiebant. *Si quis extollitur* Extollebantur, quia de superstitione gentis, atque circumcisione gloriabantur. *Si quis in faciem vos cædit.* In facie namque cædere est, aperte derogare atque convicia inferre.

Secundum ignobilitatem dico. Quia talia dicturus erat in sequentibus ; unde poterat videri gloriari : idcirco præmisit, *secundum ignobilitatem* ; quoniam ad stultitiam attinet alicui de semetipso gloriari. *Quasi non infirmi fuerimus in hac parte* ; id est, in parte gloriationis. Quasi diceret : Si illi gloriari volunt, et nos gloriari possumus ; quoniam infirmi in his, unde ipsi gloriantur, non sumus. *In quo quis audet* (gloriari subauditur). Quasi diceret, Si audet aliquis in hoc gloriari, *et ego audeo. In insipientia dico.* Et quia se laudaturus erat, idcirco præmisit, *in insipientia dico.*

Semen Abrahæ sunt, etc., usque ubi dicit : *Ministri Christi sunt.* Et quia dicturus erat, *plus ego* minister, ideo præmisit, *ut minus sapiens.* Et quare dixisset *plus*, incipit manifestare *in laboribus plurimis.* Cœperat loqui pseudoapostolis ; scd tamen ad bonos apostolos referri potest quod dicit : *In laboribus plurimis* ; nam ostendit eos instare laboribus, magis tamen se isto sermone omnia illa sequentia comprehendi, *In carceribus abundantius.* Cum dicit : *Abundantius*, ostendit etiam eos in carcere detrusos ; sed tamen iste abundantius, quia instanti prædicatione odium aliorum adversum seexcitabat, unde in carcere detinebatur. *In plagis supra modum ;* id est, et cætera, et ista super mensuram *In mortibus frequenter*, etc Et quid esset, quod supra dixerat : *In plagis*, etc., nunc exponit, dicendo : *A Judæis quinquies*, etc., id est, quasi transgressor legis. Nam præceptum legis erat, ut si quis transgressor ejusdem existeret, ad majores natu deduceretur, et si decrevissent ut flagellaretur, ipsa flagellatio quadragenarium numerum non excederet, ne forte fœde flagellatus frater jaceret ante oculos ejus (*Deut* XXV,). Postea vero traditum est a majoribus ipsorum, ut triginta novem percussiones darentur, ne loquendo quadragenarius excederetur, et transgressor legis redderetur. Dicit enim Beda quod in libro, quem ei detulerat suus abeas (766) ab urbe Roma in provinciam suam, vidisset pictum tortorem stantem, quadrifidum flagellum tenentem, et unam fidem (767) cum manubrio manutenebat, cum tribus vero percutiebat, et ille prostratus ante eum jacebat. Ac per hoc ostenditur quia in decima percussione trigenarium, in terna vero novenarium explebat. Si enim quatuor percussisset, quadragenarium explesset. Sed si quæras mysterium (768), quare lex hoc præcepisset, notandum quia quadragenarius numerus conflictum istius vitæ præsentis designat. Et bene; quia diffusa per quatuor mundi climata cum decalogo adversus insidias diaboli dimicat, ut vitia patraia tergat. *Ter virgis eæsus sum.* Flagellatus a Judæis quinquies, per unamquamque vicem trigenas, ei novenas acceperat ; flagellatus a gentibus, quia non eamdem legem servabant, virgis eum cæciderunt. *Semel lapidatus sum* (*Act.* XIV, 18). quemadmodum Lystris. *Ter naufragium feci* (*Act.* XVII, 4) ; quia frequenter navigabat, ideo naufragium patiebatur : nam ita solet evenire frequenter navigantibus. *Nocte et die in profundo maris fui.* Si fidem antiquis doctoribus cupis accommodare, non aliter est intelligendum, quam sonat : id est. intelligendum est eum sub undis marinis latuisse. Sed non debet alicui incredibile videri, quod ille ab undis non fuit nectus nec etiam a bestiis et belluis marinis consumptus, quoniam divina miseratione fuit ejectus ; maxime ob hoc, quia Petrus super undas maris ambulavit. Magnum enim fuit illud, sed tamen istud non inferius illo. Sed si vis ad mysterium (769) referre, Paulus naufragiis sub undis marinis latens, divina miseratione erectus (770), significat eruendos, qui non solum exterioribus adversitatibus affliguntur, sed etiam cum ad mortem venerint, vel rebus sæcularibus operti divina miseratione liberantur. Per Petrum namque, qui super undas maris ambulando dubitavit, et ob hoc mergi cœpit, sed mox tamen manu divina sustentatus est, id est sancti designantur, qui injuncta fide adversitatibus istius vitæ præsentis calcantur (771), et si contigerit, ut in aliquo moveantur, veluti homines, divina pietate elevantur. Nonnulli intelligunt profundum maris non longe a terra.

In itineribus sæpe ; quia de loco ad locum discurrebat, ut infideles ad finem traheret, fideles vero in fide corroboraret. *Periculis fluminum.* Potuit enim fieri, ut hiemis tempore isset quo flumina modum excedunt, ut illi volenti transire obstaculum præbuissent, et ob hoc pericula. *Periculis latronum* Videbat enim diabolus aviditatem illius, quod ille sua prædicatione multos salvare vellet : multi etiam erant salvandi, et salvati ; ideo latrones adversus cum excitabat, ut qui in civitate exstingui non poterat, saltem a latronibus extingueretur. Et in hoc ostendit, quia nihil latronibus pretiosum deferebat *Periculis ex genere.* Dolebant enim Judæi quia illum, quem noverant defensorem legis et pa-

(766) Fortasse *abiens.*
(767) Autog. *fidam*
(768) Autog. *ministerium.*
(769) Autog. *ministerium præferre.*

(970) Ex his, quæ sequuntur, fortassis legendum *erutus.*
(771) Autog. *calcant.*

ternarum traditionum æmulatorem (*Gal.* I, 14), adeo ut acciperet epistolas, ut si quos inveniret Christianos (*Act.* IX, 2) etc., agnoscebant his omnibus repugnare : et ideo persecutionem inferebant. *Periculis ex gentibus*. Dolebant enim gentiles eum prædicare Christi passionem, resurrectionem, atque ad cœlos Ascensionem ; et quia unius Dei notitiam in cordibus hominum inculcabat, et idola destruebat, et ob hoc persecutionem inferebant. *Periculis in civitate*. Veluti in Damasco, ubi ita fuit astrictus, ut aditum fugiendi non inveniret, sed in sporta missus per fenestram muri a fratribus deponeretur (*II Cor.* XI, 33). *Periculis in solitudine*. Diabolus adversus eum suscitabat, etc. *Periculis in mari*. Quærendum, cum superius dixisset : *Nocte et die in profundo maris fui*, quare iterum repetit : *Periculis in mari*. Sed jam, quia repetit, debemus intelligere illud periculum, quando Cæsarem appellavit (*Ac.* XXV, 10), et est Romam directus cum cæteris, quibus navigantibus incidit navis in syrtim [*Act.* XXVII, 41), et decreverunt milites pervigiles interficere, ut nullus natando evadere posset ; sed prohibuit centurio propter Paulum (*Ibid.*, 43). *Periculis in falsis fratribus*. Falsos fratres appellat credentes ex Judæis, qui qnanquam credidissent, tamen legales cæremonias observabant ; et ideo falsi, et ipsi persecutionem inferebant Paulo. *In labore*, id est sive manuum, sive prædicationis. Nam a prima hora diei usque ad quintam, operando victum sibi acquirebat ; a quinta usque ad undecimam prædicabat. Et quia potest esse labor absque ærumna, id est sine indigentia et penuria, ut ostenderet extiosum laborem, subjunxit : *Ærumna*. *In vigiliis multis*, sive prædicationis, sive operationis, ut victum acquireret. Et bene vigiliis instabat, quia necesse est, ut qui angustiis fatigatur, vigilet, quatenus Deum promereatur habere liberatorem. *In fame et siti*, sive necesse, sive voluntarium, quia de loco ad locum fugiebat, et ideo non absque fame esse poterat. E: quid esset quod dixerat : *In fame et siti*, subjunxit ; *In jejuniis* (772) *multis*, sive voluntariis, sive necessaris. *In frigore et nuditate*. Habes exemplum in Actibus apostolorum, ubi legitur, quia navigante Paulo (*Act.* XXVIII, 1, 2), cum venisset Melitam (773) insulam, propter frigus, dum focum faceret ex sarmentis vitium, vipera invasit manum ejus,

Præter illa, etc. Illa dicit extrinsecus, quæ superius numeraverat. Et ut leviora ostendat. dixit : *Instantia* ; quia quo crebrius adversitates eveniunt, eo levius tolerantur : *Quotidiana sollicitudo*, etc. Unde hæc consuetudo descendit ? Ex antiqua utique traditione Patrum. Nam ipsi monebant auditores sine intermissione monendos esse debere ; et ideo iste tantam sollicitudinem exercebat. Dicit enim beatus Gregorius : Quis valet viscera pietatis Pauli penetrare ? Ille enim exterius adversitatibus affligebatur, interius vero sollicitudine torquebatur, reminiscens quod monuerat (*Philipp.* II, 4), *non quærentes singuli quæ sua sunt*. Nam iste magis sollicitudine aliorum torquebatur, quam sua. Timebat enim ne ipsi videntes magistrum flagellatum, scandalizarentur. Qui enim verbis explicare valet virtutem ipsius, qui uno eodemque tempore exterius adversitatibus fatigatur, interius vero sollicitudine torquetur ?

Quis infirmatur, etc. Hoc etenim compatiendo dicebat, non simulando. *Quis scandalizatur*, etc. Scandalum enim motum carnis appellat, qui solet fieri duobus modis, aut alterius personæ pulchritudinem inspiciendo, aut ardore propriæ carnis. Sed iste talis non cedat, nec succumbat, audiens sibi Apostolum esse compatientem. Item si aliqua titubatione pulsatur, non diffidat sibi Deum propitium facere posse quoniam Apostolus illi compatitur, et ipse etiam se dicit uri. Sunt nonnulli, qui volunt intelligere fidem, ut sit sensus : Quis infirmatur, vel quis scandalizatur, et ego non patior ? Similiter de charitate et cæteris virtutibus intelligunt. Magna namque dixerat superius, sed tamen ista inferiora non sunt Sed forte dicit aliquis : Quomodo iste justus erat, qui ita sua bona referebat ? Quia Deus suas laudes in divinis Scripturis inserit, non est enim sibi contrarius ille, qui dicit : *Laudet te alienus, et non os tuum* (*Prov.* XXVII, 2), etc. ; sed ideo manifestat, ut agnoscatur. Quoniam si non manifestatur, non agnosceretur ; si non agnosecretur, non amaretur ; si non amaretur, non sequeretur, non remuneraret sequentes. Ea intentione Paulus sua bona referebat.

Sequitur : *Si gloriari oportet*, etc. Est enim sensus : Si necesse est gloriari, non in aliis gloriabor, nisi *in infirmitatibus meis*. Nota quia infirmitates appellat adversa, quæ superius descripserat : *In fame*, inquit, *et siti*, etc. Quare ergo in his gloriatur, cum in eisdem nihil videatur esse gloriosum, sed totum flebile ? At vero, si diligenter attendas, valde gloriosum est in his gloriari, quibus perennis restat remuneratio vitæ.

Sequitur : *Deus et Pater Domini nostri*, etc. Magna quippe de se erat dicturus ; et idcirco affirmationem præmisit, Ea namque dicturus erat, quæ incredibilia videri poterant. Quis enim crederet ei quod principes gentium simul cum Judæis adversus eum insurrexissent, et evadere potuisset ? Sive ideo jurando affirmationem præmisit, quatenus illi, qui minoris auctoritatis eum esse putabant, facilius dictis ipsius fidem accommodarent.

Sequitur : *Damasci præpositus gentis Aretæ* (774) *regis*, etc. Iste quoque præpositus Damasci, quia intellexerat Judæos conspirasse ut occiderent Paulum, quærebat comprehendere eum, ut quod illi cu-

(772) Autog. *in vigiliis*, quam repetitionem uti mendosam vitandam censui, juxta Vulg agendo *in jejuniis*.

(775) Autog. *Miletum*.
(774) *Aratæ*.

piebant implere per malitiam, iste impleret per potentiam; sive ut Judæis faveret, vel certe ut quo pacis perturbatorem exstingueret, eo studiosiorem in officio sibi commisso esse monstraret.

Sequitur : *Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum*, etc. Undique periculis imminentibus sic fuerat conclusus, ut jam nullus pene inveniretur evadendi locus; et ideo a fratribus per fenestram dimissus est, et in sporta, ut vel sic effugeret persequentium manus. Unde dicit beatus papa Gregorius : Quærit forte aliquis quomodo iste justus, qui sic studiose persequentium rabiem, mortemque declinat? Sed omnino justus, quod ideo mortem declinavit, quia in ea nullum fructum esse futurum intellexit. Declinavit quippe mortem, non tamen ut sibi vitam servaret, sed potius ut aliis vitam subministraret. Quod ita sit ipse ostendit qui dicit : Non solum alligari in Jerusalem paratus sum, sed etiam mori (*Act.* xx, 22); et quod Romam passurus venit. Hinc etiam dicit idem prædictus papa, quia omnia nostra quæ agimus, sub magno discretionis moderamine agenda sunt. Multum namque necesse est solerter attendere. Si magnitudo fructum præcedat, non, inquam, potest absque periculo sui declinare labores; si vero magnitudo præcedat laboris, absque sui periculo potest mortis declinare labores. Hoc enim considerabat Apostolus; et ideo mortem studiose declinabat. Egit quippe, ut miles fortissimus, qui undique obsidione conclusus campum certaminis petit, ut sacræ fideiadversarios sua prædicatione substerneret plures. Attamen sciendum quia ille absque sui periculo declinat labores, qui aliorum patienter tolerat mores.

(Cap. XII.) Sequitur : *Si gloriari oportet*. Propterea tamen, quia effugit manus eorum. *Non tamen expedit;* quia non prodest, quoniam Deus non propitiatur gloriatione, sed humiliatione. Sequitur : *Veniam autem ad visiones*, etc. Nota quia sibi infirmitates, Domino ascribit revelationes.

Sequitur : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim*, etc. Nota quia magna necessitate coactus ea manifestavit, quæ per quatuordecim annos silentio texit. Animadverte etiam quia hominem dicit, ne phantasia putaretur. *In Christo* dicit, ne a diabolo factum crederetur. Quod autem dicit : *Tertium cælum*, non illud intelligere debemus, ubi luna sita est, sed usque ad tertium dicit, ut ostendat supra omnem creaturam et omnia elementa. Cœlum ergo spiritale intelligendum est firmamentum, et supernum solium. Hæc quoque revelatio quia bis facta est, ideoque subjunxit : *Et scio hujusmodi hominem*, etc. Paradisum quippe cœlestem appellat Jerusalem, quæ est mater nostra, et ubi sunt angelicæ potestates, et sanctorum animæ cujus etiam introitus latro audivit (775-76). Illi itaque, qui diffidunt celebrata resurrectione corpora esse posse in cœlo, vel in paradiso, audiant quia Apostolus se nescire dicit, utrum in corpore, an extra corpus fuerit, qui dum se ignorare asserit, esse posse ostendit, *Arcana verba* secreta dicit : *quæ non licet homini loqui* : vel non licet, quia non potest; vel certe, si potest, non est fas. Illud quoque solerter est attendendum quomodo verum esse potest quod Dominus dicit : *Non enim videbit me homo* (*Exod.* xxxiii, 20), etc.; et si cui adhuc mortalium ejusdem visio concedatur, sed penitus verum est, quia qui viderunt eum, mundo quidem mortui sunt. Beatissimus vero Augustinus dicit : Quæri potest quid se dicat Apostolus nescire, vel quid scire. Sed faciamus connexionem verborum, ut forte ex ea agnoscere valeamus quid sciat, vel quid nesciat. Talis ergo est ordo verborum; quia hominem raptum ad cœlum, vel in paradisum, hoc se scire dicit, sive in corpore, sive extra corpus, hoc se dicit nescire. Quoniam verum est quod dicit, aut utrumque sciebat, aut utrumque nesciebat (777). Sed sciendum quia corporeus fuit paradisus, aut cœlum, quod ei ostensum est : ergo corporalibus oculis vidit, quoniam res corporalis corporalibus, spiritalis vero spiritalibus oculis solet videri. Si vero spiritalis res corporalibus oculis videtur, non jam illo effectu, nec illa visione qua corporales corporalibus, spiritales autem videntur spiritalibus; sed potius quadam speciali visione, quæ omnes alias transcendit; verbi gratia, spiritalis res spiritalibus videtur oculis, ut est justitia, et similia. Quis enim quærit in justitia, quid sapiat, quid oleat, et similia? Nemo hoc requirit, et spiritalis est (778). Moyses vero loquebatur cum Deo facie ad faciem; sed tamen intelligebat non hoc esse Deum, quod videbat, eo quod esset incorporeus; et ideo, quod erat, videre requirebat. Dicit quoque beatissimus Augustinus, quia forte hoc nesciebat Paulus, et hos scire quærebat, utrum ad tempus mortuo corpore, anima quoque evocata hoc viderit, an certe manens in corpore, sicut prophetæ, in exstasi mentis agnoverit. Attamen sciendum quia, si certum, et si solidum fuit, quod ei ostensum est, quod verissime credendum est, illa utique visione, quod dictum est vidit, quæ alias omnes transcendit.

Sequitur : *Pro ejusmodi gloriabor* (subauditur, homine); *pro me autem nihil*. Ideo hoc dicit, quia sic locutus est, quasi de altera persona. Sequitur : *Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens*. Quare non? *Veritatem enim dicam*. Hic jam aperte ostendit quare supra dixerat : *Ne quis me putet insipientem*. Sane sciendum quia qui dona sibi cœlitus collata manirat; nam si vidit, ergo scivit se corpore adfuisse : vel utrumque nescivit, id est falsum est eum quidquam vidisse : cui objectioni ex absurdo respondere aggreditur iis verbis. *Sed sciendum*.

(775-76) Fortasse *introitum latro adivit*. Sensus scilicet satis clarus est, quamvis in verbis error irrepserit.

(777) Verba hæc objectionem sapiunt, et ita sonare videntur. Si verum est quod dicit Apostolus se vidisse, uti verissimum, utrumque scire debuetis agnoverit.

(778) Fortasse *res etenim spiritalis est*.

festat, non est insipiens, et qui occultat ea, non est imprudens. Sequitur : *Parco autem*. Notandum quia multo majora noverat Apostolus, quæ, ne extolli videretur, noluit ostendere; et ideo dicit : *Parco autem*, hoc est, celo. Quare? *Ne quis me existimet supra id quod videt me* (779), videlicet in operatione, *aut audit aliquid ex me*, scilicet in prædicatione. Beatus papa Gregorius dicit, quia sub magna providentia (780) suam temperavit prædicationem : nam quædam dixit propter suos auditores, quædam tacuit, ne ipsis extolli videretur; quædam dixit, ut suis vitam tribueret, quædam vero tacuit, ut sibi suam salvaret.

Sequitur : *Ne magnitudo revelationum extollat me*, etc. Notandum quoniam non dicit, quia magnitudo revelationum extulit me, sed, *ne extollat;* quoniam non ideo *datus est*, ut culpa, quæ inerat, tergeretur, sed, quæ inesse poterat, præcaveretur. Illud autem sciendum quia, sicut dicit beatus papa Gregorius, Deus sub provida dispensatione corda suorum disponit sanctorum. Itaque sic eos multiplicibus suis donis ditat, et multorum vitiorum victores esse donat, ut aliqua in eis sinat, contra quæ pugnare sentiant, et experiantur, quatenus dum parva superare nequeunt, agnoscant se non suis viribus magna superasse, instar populi Israel, qui multis gentibus exterminatis, Philistiim exterminare nequiverunt; unde scriptum est : *Relicti sunt Philistiim, ut experiretur Israel* (*Judic.* III, 4). Et hoc sciendum quia quinque modis flagellat Deus hominem, quod in hoc loco monstratur.

Sequitur : *Datus est mihi stimulus carnis meæ*, etc. In hoc loco diversi diversa sentiunt, alii per stimulum pressuras, alii capitis dolores, nonnulli vero carnis intelligunt concupiscentiam. Beatissimus vero Augustinus, qui inter cunctos Romanæ eloquentiæ doctores facundior exstitit, sic ait : Paulus discipulus Christi, non Pelagius discipulus antichristi, dicit sibi inesse malum concupiscentiæ, et apertissimis verbis concupiscentiæ malum ostendit : et cum suæ carnis incentivum, et sibi civile bellum inesse agnosceret, nullum inveniens locum evadendi, nisi gratia Dei exclamavit, dicens : *Infelix ego* (*Rom.* VII, 24), etc. Ecce iste intellexit se nonnisi gratia Dei liberari. Pelagius vero suis viribus se et malum deserere, et ad bonum consurgere posse credit. *Ne magnitudo revelationem*, etc. Dicit idem ipse Augustinus : O terror et tremor! quis jam non timeat extolli, si talis, et tantus timet ne extollatur. Sequitur : *Datus est mihi stimulus*, etc. Antidotum salutare, quo superatur venenum, et quod dicam hoc esse nisi theriacum (781), quod conficitur ex vipereo veneno? Datus est enim huic stimulus concupiscentiæ, ut expelleretur elationis tumor, datus est Satanas, ut superaretur Satanas. Ac per hoc sic perforata est maxilla Behemoth (782), quod est diaboli : nam, sicut dicit beatus papa Gregorius, unde conterit, inde salvat; quia unde tentat sanctos, ut perdat volens, inde probatos salvat nolens.

Sequitur : *Propter quod ter Dominum rogavi*, etc. Si enim rogavit, et non est exauditus, ubi est, quod Dominus ait : *Antequam me invocetis, dicam vobis : Adsum*, etc, (*Isa.* LVIII, 9); et item : *Quodcunque petieritis, dabo vobis?* (*Matth.* XXI, 22; *Joan.* XIV, 13.) Nunquid non præsens erat, dum non exaudiebat? Erat utique, veluti medicus, qui resecat vulnus infirmi, cum infirmus sub manibus ejus clamet, magis præsens adest non parcendo, quam si parceret; similiter et Dominus magis præsens adfuit non exaudiendo, quam si exaudiret : nam si non exaudivit ad votum, exaudivit tamen ad salutem. Magis enim exaudivit istum, quam dæmones, quos dimisit ire in porcos (*Matth.* VIII, 30; *Marc.* V, 11; *Luc.* VIII, 32).

Sequitur : *Sufficit tibi gratia mea*, quasi dixisset : Tu laboras, tu hæsitas, tu times ne pereas; sed sufficit tibi gratia mea, id est sufficit tibi vocatio, ac prædestinatio mea : prædestinatus es, perire non poteris (783); et ideo noli timere : *Nam virtus in infirmitate perficitur;* hoc est, quia quo magis homo persecutionibus atteritur, eo magis revelatur (784).

Sequitur : *Libenter igitur gloriabor;* ac si dixisset; quia audire promerui quoniam virtus in infirmitate perficitur, *gloriabor ego libenter in infirmitatibus meis*. Quare? *Ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi*, etc. Dixerat superius : *Libenter gloriabor*, etc.; ideo subjunxit : *Propter quod*, id est propter hoc, quod virtus in infirmitate perficitur, *placeo mihi*, etc. Animadvertendum quia multa dixerat superius : quædam etiam dicturus erat in sequentibus, sed tam illa, quæ superius, quam quæ in sequentibus, prævalent infirmitati. Et quia illa, quæ superius dixerat, attinere ad laudem illius videri poterant, idcirco oculos mentis in infirmitatem infixit, cujus nomine infirmitatis omnia prædicta comprehendit. *In contumeliis*, id est non in honore; *in necessitatibus*, id est non in divitiis; *in persecutionibus*, id est non in requie, vel refrigerio; *in angustiis*, id est non elatione vel altitudine; *pro Christo*, id est non pro flagitiis, vel peccatis ista sustineo, quemadmodum latrones hæretici patiuntur. Unde Dominus : *Beati, qui persecutionem patiuntur* (785), etc.

Cum enim infirmor, etc. Iste enim, quo verberi-

(779) Vulg. *in me*.
(780) Forte *prudentia*.
(781) In autog. *Sisidriacum*.
(782) *Job* XL, 10 et seq. Behemoth animal grande sive elephantem, sive aliud, generice Hebraice significat. Patres tamen diabolum communiter hoc nomine intelligunt.
(783) Valde notanda verba, quæ prædestinationis vim tam clare demonstrant.
(784) Autog. *revelatur*.
(785) *Matth.* V, 10, ubi de persecutione *propter justitiam* agitur.

bus affligebatur, eo roborabatur; quia in sanctis, quo magis exterior homo afficitur,eo interior roboratur. Hinc est quod sancti martyres adeo fortes in tribulationibus existebant.*Factus sum insipiens*,etc. Nota quia insipientem se dicit et coactum, quia causa necessitatis, id est suorum auditorum causa salutis se laudaverat; et ideo dicit : *Vos me coegistis*. Et sciendum quia stultorum est sponte gloriari, non sanctorum.Ad hoc attinet quod subjungit :*Ego autem debui a vobis commendari*, quasi diceret : Pseudoapostolis,qui mei sunt obtrectatores, et persecutores,resistere debuistis. *Nihil enim minus habui* (786),etc. Quasi diceret: Nihil minus habui Petro, Andrea et cæteris ; quia plus omnibus laboravi. Nam si ad doctrinam referas, non aliud docuerunt quam ego ; si ad patrationem miraculorum non majora similiter :nam etsi minor sum tempore, non tamen dignitate,vel merito. His verbis ostendit quod sint præferendi majores tempore illis, qui majores sunt merito : verbi gratia,nunquid non Joannes ante prædicavit,quam Christus? Vel nunquid Christus Joannem,et non Joannes Christum baptizavit ?Sed non ob hoc major.Et nunquid non Andreas ante Christum secutus,quam Petrus?,Sed tamen et Petro Ecclesiam commisit, dicendo : *Tu es Petrus*,etc. Habes etiam exemplum in Veteri Testamento. Moyses enim minor fuit ætate Aaron, sed ei tamen Deus apparuit in rubo,dicens : *Ego sum Deus Abraham* (*Exod.* III, 6), etc. ; maxime cum ille eloquentior (*Exod.* IV, 10), etc. Hoc ipsum etiam canonica auctoritas monet,quod illi, qui majores sunt sapientia et merito,præferendi sint majoribus tempore ; similiter iste. *Tametsi nihil sum*, etc.Ita enim se humiliat, ut erigat ; et ideo cum dixisset : *Nihil sum*, subjunxit : *Signa tamen Apostoli*(787). Et nota quia *in omni patientia* dicit. Hac patientia toleraverat ille Corinthios, et medicamento prodigiorum et signorum eorum correxerat errores ; quasi diceret : In eo quod homo sum, nihil sum; in eo quod apostolus, aliquid sum.

Quid est enim? etc. ; quasi diceret : Non magis cæteræ Ecclesiæ aliquid acceperunt a Petro, vel Andrea, quam vos a me, nisi forte unum, id est, quod *non gravavi eos*, sumptum accipiendo. Sed si hoc ipsum peccatum fuit, ignoscite mihi ; id est, *donate mihi hanc injuriam*. Sciendum enim quia stultorum est opus dignum laude reprehendisse. Ostendit eos esse stultos. Et ne illi putarent quod ille in primordio suæ prædicationis, qui non acceperat, postmodum accipere vellet, ideo subjunxit : *Ecce tertio*, etc.; (788) quasi diceret: Ne putetis me accipere velle, qui hactenus non accepi : *Non enim quæro quæ vestra sunt*, etc. His verbis provocat eos ad amorem sui, ut illi audientes se quærere, diligerent eum ; quasi diceret : Pseudoapostoli, quæ vestra sunt quærunt, nolite diligere ; ego qui vos, quod majus est, me diligite. *Nec enim debent filii*. His verbis ostendit se esse patrem; quantum enim ad humanum attinet usum, parentes thesaurizant filiis, non filii parentibus, sed sibimet, vel filiis; in spiritualibus vero e contra filii parentibus, non parentes filiis, sed filii parentibus, quia necessaria subministrant Et quia talis est usus, ideo hoc dicebat, quasi diceret: Cum talis sit consuetudo tam in carnatibus, quam in spiritalibus, ego contraria egi, quia nil accepi, sed *alias Ecclesias exspoliavi* (*II Cor.* XI, 8), ut vobis prædicarem. Et ad hoc attinet quod subjungit : *Ego autem libentissime*, id est, devotissime *impendam*, id est, quidquid possum ab illis Ecclesiis accipere, ut vobis prædicare sufficiam. *Et superimpendar*, id est, ab aliis morti tradar pro vestra salute. Hac charitate nulla major Unde Dominus : *Majorem charitatem* (*Joan.* XV, 13), etc. *Licet vos plus diligens*, etc., ex superioribus pendet. Dixerat superius : *Superimpendar* ; et ideo subjunxit : *Licet vos*, etc., plusquam alios meos,vel plusquam alii a cæteris apostolis, minus diligar a vobis quam a cæteris meis, vel quam alii a suis.

Sed esto : ego vos gravavi, etc. ; id est præsentialiter censu non gravavi : *Sed cum essem astutus*, etc. ; quasi diceret: Non ideo non accepi, ut magis accipere vellem ; nam dolus dicitur fraus, sive simulatio;ille namque dolosus est, qui aliud mente cogitat, aliud extrinsecus agit. Tunc ergo Apostolus eos dolo capere vellet, si propter magnum minus accipere nollet.

Nunquid per aliquem eorum, etc. : quasi diceret : Nullus ex his quos misi vobis, dixit : pecuniam dignam personæ tribuite, si illum peccatum habere vultis : non poteritis eum pacatum habere, nisi dignam pecuniam dederitis ; et si aliquis dixisset Paulo, peccavi, torqueret.

Rogavi Titum, etc. ; quasi diceret : Non circumvenit vos Titus, quia nihil vobis quæsivit, quemadmodum nec ego ; quia quorum una est devotio, etiam una voluntas.Et ideo subjunxit: *Nonne eodem spiritu ambulavimus* ? Id est, eadem doctrina, *et iisdem vestigiis*, quia nihil accepimus.

Olim putastis, etc, ; quasi diceret : Jamdudum est quod vos putastis nolle nos accipere munus propter munus, et non (789) simplicis esse intentionis. Sed hunc errorem pseudoapostoli inferebant, dicentes : Ideo nolit accipere parva, quatenus accipiat magna. Et ob hoc subjungit ille affirmationem jurationis, dicens : *coram Deo*, etc. ; quasi diceret : Quod non accipio, non causa majoris lucri, sed vestræ salutis ; sive vestræ salutis (790) rigorem meæ prædicationis non flecto, quia multum prodest illi qui increpatur, si non

(786) Vulg. *nihil enim minus fui ab iis.*
(787) Vulg. *apostolatus.*
(788) In autog. marg. hic legitur cap. XXVIII; nullibi autem cap. XXV, XXVI et XXVII.
(789) Autog. *nos.*
(790) Subintelligitur forte *causa.*

accipiat ab eo magister; nam dum non accipit, credit eum non pacatum habere posse,nisi emendet.

Sequitur : *Timeo enim ne forte cum venero*, etc. Ostendit quoque his verbis, quoniam adhuc multi erant inter eos incorrecti ; et ideo dixit timorem, quo eos terreret, ne forte, cum veniret, inveniret eos tales, quales non vellet, hoc est, incorrectos,et ideo suæ auctoritatis dominationem in eis exerceret, et ipsi invenirent eum talem qualem non vellent, hoc est, rigidum ac severum. In quo facto monentur prædicatores, ut si qua de sibi subjectis plebibus reprehensibilia audiunt, prius timorem dirigant, ut corrigantur, ne forte veniant, et incorrectos invenientes dominationem suæ auctoritatis in illis exerceant.

Sequitur: *Ne forte contentiones, æmulationes*, etc. Quare timeret, his verbis manifestavit, scilicet, ne hæc quæ sequuntur in illis invenirentur. hoc est contentiones, quæ dicuntur quasi ab omni intentione, eo quod juxta intentionem suam, non studio veritatem discendi, sed potius vincendi, aliquid homo defendat. *Æmulationes* quippe sunt invidentiæ. Verumtamen, sicut dicit beatus Augustinus, distat inter æmulationem et invidentiam. Æmula id est, cum homo dolore torquetur pro re aliqua, quam alter adeptus est, et ipse non adipiscitur, et hujuscemodi est ipsa res, quæ nonnisi ab uno possideri possit : invidentia vero est, quando quis dolore torquetur pro alterius felicitate, et dolet pro aliqua re, quam alter acquirit, et ipse etiam non desiderat eam. *Animositates* quippe sunt anxietates : quoniam animosus dicitur anxiosus, vel suspiciosus, hoc est zelotypus. *Dissensiones* vero sunt divisiones, dissidia, atque divortia. *Detractiones* quidem dicuntur,quasi retractiones,quoniam ille detractor est, qui alterius bonum dicit esse malum, vel certe magnum dicit parvum ; nam, dum hoc agit, bonam fratris famam obscurare contendit, et quasi a corde alterius retrahit, ut non eum talem credat, qualem prius crediderat. *Susurrationes* autem, vel susurrones, a sono auriun dicuntur, quoniam ille susurro, est,qui non in facie, sed in aure loqnendo, detrahit. *Inflationes* quoque dicuntur tumores, quia inflatus dicitur quasi ventosus ; quoniam,quemadmodum uter vento extenditur, ita et mens ejus amaritudine, vel indignatione, vel certe aliqua elatione, quasi vento,inflatur, Sequitur. *Seditiones*. Sciendum quia distat inter seditionem, et bellum, atque incentivum Seditio quidem attinet ad cives, bellum ad hostes,incentivum vero refertur ad pugnam, quæ excitatur propriæ carnis ardore. Hæc quoque omnia licet diversa sint, tamen ad unum tendunt finem, hoc est, ad charitatis divisionem. Quapropter quia ipsi divisi fucrant,ne denuo essent ideo illis Apostolus timorem direxit, quatenus ab his omnibus se caverent.

Sequitur : *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos*, etc. Ostendit enim in hoc loco, cum dicit, *et lugeam multos*, quod jam nonnulli pœnitudine correcti ad sanctæ Ecclesiæ societatem fuerant revocati. Verumtamen multi adhuc manebant incorrecti, pro quibus timebat humiliari.Quis enim pater non lætetur in dilectis filiis, vel quis non tristetur de malis ? Et ideo illis direxit timorem, ut corrigerentur, ne forte veniens, si eos inemendatos inveniret, humiliaretur et lugeret, *quia non egerunt pœnitentiam*, quam si egissent, veniam consecuti fuissent. Facit et adversus Novatianos, qui, postquam in fornicationis malum labitur, negant eum per pœnitentiam resurgere posse. Frustra nempe pœnitentia injungeretur,nisi veniæ fructus sequeretur. Et hoc sciendum, quia tria dicit, *fornicationem, immunditiam et impudicitiam* ; sed his omnibus impudicitia est detèrior, quoniam impudicitia esse dicitur quasi monstruosa immunditia, quæ agitur in incertis, vel in his quæ fiunt contra naturam, sicut ille qui uxorem patris duxerat (*I Cor.* v,1). Pudicus quidem dicitur verecundus, impudicus autem inverecundus ; hoc est,qui amisso pudore versatur in detestandis stupris. Immunditia dicitur quidquid contrarium est munditiæ. Fornicatio autem in hoc loco illa intelligenda est, quæ in corpore agitur, immunditia vero etiam illa intelligi potest quæ agitur corporis delectatione vel mentis deliberatione.

(Cap. XIII.) Sequitur : *Ecce tertio hoc veniam* (791-92) *ad vos*. Bis venerat, et nunc tertio se venire promittit,quia paulo superius se dixerat paratum. Sed quæri potest quare suo adventui legis testimonium junxerit. Videlicet quia secundum legis præceptum aliquis sub duobus aut tribus testibus vel justificatur, vel condemnatur (*Deut.* xvii, 6). Verum quia his eos admonuit,ut corrigerentur,ideo hoc protulit testimonium,quatenus si non se corrigerent, sibi jam non ultra parcendum intelligerent Unde et mox subjunxit : *Prædixi enim, ut prædico*, etc. Prædixit *præsens* quidem, et *absens iis qui ante peccaverunt,et cæteris omnibus;* illis qui necdum ad integrum se correxerunt, vel certe, *si venero iterum, non parcam*. Parcit enim Apostolus quasi non parcendo,quoniam ideo præmittit timorem, ne forte inveniat unde dominationem exerccat.

Sequitur : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Et est sensus : Experimento vultis probare si possim, et ideo non vultis vosmetipsos corrigere; Christi namque loquentis in me quæritis probationem,utrum per me possit implere quod dico, quatenus si impleverit, deinceps timeatis, et si non impleverit, securi maneatis. In eo vero quod ait, *qui in me loquitur*, ostendit suam loquelam atque doctrinam Christi esse.

Sequitur : *Qui in vobis non infirmatur*,ete. Et est sensus :Si in vobis non infirmatur,multo minus in

(791-92) Vulg. *venio*.

nobis, et in nobis potens erit (793). Christus quippe in illis non est infirmatus, quia inter eos per apostolos multa fecerat signa, quoniam viderant cæcos illuminatos, leprosos mundatos, etc. Quasi dixisset Apostolus : Si non est infirmatus Christus in vobis, quare ergo non timetis, quoniam potest implere quod dico ? Quoniam poterat ad hæc aliquis respondere, ac dicere : Quomodo non est infirmatus, cum sit crucifixus ? subjunxit, atque ait : *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra* (794), etc. Quasi diceret : Ex infirmitate nostræ carnis crucifixus est, passus, mortuus, et ascendens in cœlos, aditum regni cœlestis patefecit, quatenus ab hac vita migrantes absque ulla dilatione, ejusdem regni intellige (796), felicitatem subire possini. Quod vero dicit, *ex virtute Dei*, sive Patris, sive ejusdem Filii. Sequitur : *Nam et nos infirmi sumus in illo*. Hæc enim vox apostolorum est, et perfectorum tantummodo virorum. *Infirmi sumus in illo*, hoc est, pro illo pressuras patimur, et affligimur. *Sed vivemus cum eo ex virtute Dei in nobis*. Quasi dixisset : Nos infirmamur apud infideles, quia quo majora nos pati faciunt, eo infirmiores putant ; in vobis vivimus, quia eo fortiores intelligitis, quo majora pati videtis. Secundum hoc vero quod legitur, *vivemus*, talis est sensus, quia si commorimur, et conregnabimus (*Rom.* VIII, 17).

Sequitur : *Vosmetipsos tentate*, etc., hoc est, in alterutrum vos discutite, nec non et tentationum pericula ante oculos revocate, et cujus estis fidei atque virtutis considerate. Sane sciendum quia est tentatio probationis, est et deceptionis : sed probationis a Deo, deceptionis vero a diabolo, utraque tamen ab homine. Sed hic probationis intelligenda est tentatio. Et hoc sciendum quia ipsa alterna probatio atque discussio plurimum valet, juxta illud Salomonis, *Ferrum ferro acuitur* (*Prov.* XXVII, 17). etc. Sequitur : *An non cognoscitis quia Christus in vobis est ?* Quasi diceret : si tentationum pericula ante oculos revocetis, et cujus estis fidei seu virtutis agnoscetis, utrum Christus in vobis sit, an non, et agnoscere potestis ? Verumtamen si hoc non feceritis, non agnoscetis : quod est reprobum esse ; et ideo dicit : *Nisi forte reprobi estis*.

Sequitur : *Spero autem quod cognoscetis*, etc. His verbis provocat eos ad fidei et sanctæ conversationis soliditatem : quasi dixisset : Si agnoveritis quemadmodum dixi Christum vobis inesse, agnoscetis etiam quia *et nos non sumus reprobi*, hoc est, duplicis intentionis. Quæ sententia ad hoc respicit, quod superius ait, *olim putatis*, etc.

Sequitur : *Oramus autem Deum*, etc. More solito Apostolus orat pro suis, ut nihil mali faciant. Sequitur : *Non ut nos probati appareamus*. Tunc enim probatus appareret, si illos incorrectos inveniret, hoc est, tales ut in eis suam dominationem posset exercere. Sed hoc nolebat Apostolus ; et ideo subjunxit : *Vos quod bonum est, facialis. Nos autem reprobi simus* (796). Sed quid est quod illos optat facere bonum, se autem reprobum esse ? Nunquid malum se optat ? Non. Sed reprobum se dicit, id est, humilem. Tunc enim reprobus esset Apostolus, id est, humilis, si eos emendatos inveniret, quia suam dominationem in eis exercere non posset. Unde et quasi exponendo subjunxit : *Non enim possumus aliquid adversus veritatem ;* quasi dixisset : Si vosmetipsos correxeritis, nostram dominationem exercere non possumus, quia nihil adversus veritatem possumus, quia in vobis est veritas. Si autem vos non corrigatis, possumus adversus vos dominationem nostram exercere, quia *pro veritate* dimicamus, pro vobis tamen.

Sequitur : *Faudemus tamen quando* (797) *nos infirmi sumus, vos autem potentes estis*. Ostendit his verbis Apostolus se de eorum bonis operibus gaudere, ac si dixisset : Si fortiter ac potenter vitiis resistatis, nos quidem gaudemus, quia tunc infirmi, id est, humiles sumus ; si vero vos vitiis non resistatis, nos potentes sumus, vos autem infirmi, quia super vos dominationem nostræ auctoritatis exercere possumus.

Debent etiam et nunc prædicatores hoc agere, hoc est, si eorum auditores potentes sunt, debent esse infirmi : et si auditores infirmi, illi debent esse potentes. Sequitur : *Hoc et oramus,* id est, ut vos sitis (798). Et hoc est quod sequitur : *Vestram consummationem*, id est perfectionem.

Sequitur : *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam*. Incussit enim his verbis timorem, ut corrigerentur, ne forte veniens durius ageret, hoc est, sui apostolatus potestatem severiter in illis exerceret. Et hoc est, quod sequitur : *Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem*. Ecce dicit se habere potestatem acceptam. Et pulchre quidem, *in ædificationem*, quia prædicatores ad hoc potestatem accipiunt, ut corrigendo salvent, non ut non corrigendo perdant.

Finita commendatione suæ personæ, quam cœperat commendare ab eo loco ubi finem fecerat de collectis, in qua commendatione plurimum laboraverat, duabus pro causis, hoc est, ut vel non minoris auctoritatis quam cæteri se esse monstraret, vel certe ut crimen cupiditatis ab se abstergeret, nunc vero aliud aggreditur hoc est, subjunxit exhortationem pariter et narrationem.

(793) Autog. *etiam nobis potuerit*, quam lectionem, uti sensu, meo judicio, carentem, ex Vulg. emendandam censui ; ut sensus nempe is sit : *Qui in vobis non infirmatur ; sed potens est in vobis, et in nobis potens erit.*

(794) *Nostra* in Vulg. non legitur.

(795) Forte legendum *integre*.

(796) Vulg. *nos autem ut reprobi simus*.

(797) Vulg. *quoniam*.

(798) Id est, *potentes*, vel *infirmi*, ut supra exposuit, *juxta opportunitatem ;* vel legendum, *ut vos scitis*.

(799) *De cætero*, inquit, hoc est, de reliquo autem, A præterea, *fratres, gaudete : perfecti estote ; exhortamini*, hoc est, in alterutrum vos monete ; hac enim exhortatione, qua spe futurorum superantur vitia, nascitur perfectio, ex perfectione autem gaudium quia nemo gaudere potest et perfectus esse non valet, nisi vitia superet. Sequitur: *Idem sapite*. Tangit enim hoc, quia et in prima commemoraverat, ubi ait: *Obsecro, ut ipsum dicatis* (*I Cor.* I, 10). Et hoc est quod hic dicit, *idem sapite*, id est, non diversum de me, vel in me, sive in fide, et opere, Sequitur : *Pacem habete*. Commendat illis pacem, propter eos videlicet, qui fraudem et injuriam fratribus ingerebant, et ob hoc ad infidelium judicia pertrahebant, ut ait in prima : *Sed vos injuriam facitis, et fraudatis* (*I Cor.* VI, 8), etc. Sequitur : *Et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum*. Terminata exhortatione, subjunxit narrationem. *Deus*, inquit, *pacis*, etc. Deus pacis dicitur, quia ipse est auctor pacis, juxta illud ejusdem Apostoli : *Christus pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Et Dominus : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Dilectionis Deus est, juxta illud : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII, 34), etc.; et item : *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Ibid.*, 35). Et est sensus : Si pacem et dilectionem habueritis, auctorem pacis perpetuo possidebitis. Hæc enim est pax certa atque secura, quam impii habere non possunt ; unde est illud : *Non est pax impiis, dicit Dominus* (*Isai.* LVII, 2a). Verumtamen etsi habent pacem mali, longe quidem distat C ab ista quam Dominus discernit, dum non talem, qualem mundus dat, ait : *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem* (*Joan.* XIV, 27). In eo etiam, quod ait : *Deus pacis*, etc., voluit Apostolus subintelligi quia si odia et rixas haberent, auctor odii et rixæ, hoc est diabolus, perpetuo eos possideret.

Sequitur : *Salutate invicem in osculo sancto*. Salutatio nempe indicium atque optatio est salutis. Hæc salutatio et hoc osculum ait sanctum osculum, sed illorum osculum corruptionis, et quasi refectionis et satisfactionis est indicium. Quapropter ab Apostolo osculum quod commendatur semper cum additione ponitur.

Sequitur : *Salutant vos sancti omnes*. Ac si dixisset : Non potentes, non principes, sed sancti omnes Hoc autem animadvertendum est, quare illis sanctorum dixerit salutem. Videlicet, ut illos ad bonum sanctitatis provocaret, quatenus qui salutabantur a sanctis ; vel certe ut eos invitaret ad invicem reddendam, quatenus qui salutabantur a sanctis salutarent sanctos. Et nota quia non tantum ait *sancti*, sed addidit *omnes*, quoniam sanctorum est velle omnes esse salvos. Ergo qui omnium salutem non optat, se quoque in hac salutatione non comprehendi intelligat.

Sequitur : *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, etc. B Finita quoque salutatione, subjunxit orationem, *Gratia*, inquit, *Domini*, etc. Illud sane notandum quia in fine hujus Epistolæ unitatis charitas commendatur. Et pulchre quidem in fide, quia summa perfectio in Unitatis Trinitate consistit. Charitas namque Patris nobis Salvatorem direxit, id est, Jesum, cujus gratia sumus redempti. Quæ charitas atque gratia sancti quoque Spiritus communicatione nobis servatur, quippe dilectos a Patre ac redemptos a Filio Spiritus sanctus perpetuo tuetur ac defendit. Facit etiam hic locus adversus Arium, qui ideo etiam dicebat Filium minorem Patre, eo quod ubicumque Patris et Filii fieret mentio, semper Pater præponeretur. Est etiam notandum quia non ait tantum vobiscum, sed *cum omnibus*, videlicet ut ostenderet quam dilectionem haberet, cum non solum correctis, sed etiam incorrectis gratiam optaret. Quasi dixisset : In hoc cognoscere potestis quantum vos diligam, cum non solum correctis, sed etiam nec dum correctis gratiam optem. Sive ideo dicit *cum omnibus*, ut non exciperetur sexus, ætas, conditio, lingua ; sed sicut sanguis Christi omnes redemit, sic et omnes Christi gratiam possiderent. *Amen* vero sermo est confirmationis, qui confirmat omnia.

Finis, Deo gratias.

(796) Hic in autog. marg. legitur cap. XXIX.

INCIPIT

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ARGUMENTUM.

Animadvertite quod sicut in novis temporibus, cum Verbum Dei ex Mariæ virginis carne indutum processit in mundum, aspectus, humanitatis omnibus patebat, perpaucis autem, hoc est, solummodo electis divinitatis dabatur cognitio, ita cum legis et D prophetarum verba ad homines proferuntur, velamine teguntur. Ibi namque caro valeamen erat, hic littera : et sicut sub carnis velamine latebat divinitatis, sic et sub velamine litteræ lateret spiritalis intelligentia : et sicut beati oculi, qui in carne agnoscebant latere divinitatem, ita et illi beati, qui in

in littera spiritalem cognoscunt latere intelligentiam.

Hos quippe beatos oculos minime habebant hi,qui ex circumcisione crediderant, ita tamen,ut a carnalis legis non recederent observatione, et se operibus ejus justificari crederent, quippe etiam Apostolum reprehendebant, dicentes eum non esse verum apostolum, eo quod carne Dominum non fuerit secutus, et contraria cæteris doceret apostolis.

Hac nempe calliditate versutiaque subverterant Galatas,qui etiam spiritales oculos non habebant, quia circumcisionis,aut Sabbati,aut cæterarum observationum legalium mysteria minime penetrabant. Hi namque, si oculos haberent, quibus Verbi cognoscitur divinitas, carnalem sibi suadentibus observantiam responderent,quod Susanna presbyteris trahentibus se ad stuprum : *Si hoc* inquit, *egero, mors mihi est : si autem non egero, non effugiam manus vestra* (*Dan.* XIII, 22). Sic quoque et isti dicerent : si hoc egerimus,id est,si legem carnalem gratiæ prætulerimus, mortem animæ incurremus, alioquin manus vestræ obtrectationis non evademus. Sed melius est catholice vivendo, et legem et prophetas spiritaliter intelligendo, in gratiæ libertate manere quam ab ea recedentes cum vestra gratia offensam Dei incurrere. Quapropter rogandus est Deus et vitiorum omnium caliginem cunctarumque sordium nebulam ab oculis cordis nostri repellat, qua sepæ ipsi solent obcæcari, quatenus mysteria legis et prophetarum, et quod nunc pernecessarium est,intentionem hujus Apostoli penetrare valeamus.

Sciendum autem quia Galli primum a candore corporum dicti sunt,quoniam *gala* Græce,Latine dicitur *lac :* unde sibylla *tunc lactea colla auro nectentes* (800) ; candida dicere potuit,sed proprietatem sermonis servare voluit. Montes quippe et rigor cœli solis ardorem excludunt,et ideo corporum color decolorari non potest. Habet quoque Gallorum provincia ab oriente juga montium ; a septentrione Rheni fluenta, et Germaniam ; a Meridie prærupta Pyrenæi culminis (801) ; ab Occidente mare Oceanum cujus initium est Belgica, finis vero Aquitania : illi enim vocati a rege Bythiæ (802) in auxilium, peracta victoria diviserunt cum eo regnum,et sic admisti Græcis Galligræci vocati sunt,et eorum regio Galliagræcia. Verumtamen pristinum nomen viguit et viget, ut vocarentur ipsi Galatæ, et ipsorum regio Galatia (803). Attamen contrarium videri non debet,si occidentalium partium homines,multis interpositis regnis,ad partes transierunt orientales, et sedes obtinuerunt, cum Orientis et Græciæ examina pene usque ad ultimum Occidentis pervenerunt.Nam, sicut ait Marcus Varro,Marsilia a Phœnicibus (804) condita est, quos et trilingues esse dicit. Rhodum etiam, a quo et Rhodoani sunt, a Rhodiorum conditum est colonis. Et quid mirum, cum et ipsa Italia a Græcis occupata,major Græcia sit vocata ? Ipsos etiam Romanos ex stirpe Æneæ Asiani hominis ortos constat fuisse.Illud etiam animadvertandum dico quod Apostolus singulas in suis Epistolis provincias ex propria qualitate denotat, in quibus hoc ipsum facile agnosci potest. Verumtamen earumdem provinciarum vestigia virtutum, seu vitiorum usque hodie permanent : in singulis Romanorum namque fidem plurimum laudat : *Gratias*, inquit enim, *Deo meo* (*Rom.* VI, 17), etc. : quæ etenim gens facilior ad credendum ? vel qui populus devotior in ecclesiastico cultu ? Attamen denotat eos superbiæ vitio esse detentos : *Noli*,inquit,*altum sapere* (*Rom.* XI, 20), etc. ; et item *Non plus sapere* (*Rom.* XII, 3), etc. ; hoc quippe vestigium in illis usque hodie manet. Corinthios vero multum denotat : reprehendit quippe eorum diversas consuetudines pravas, videlicet qui et feminæ eorum non velatæ orabant (*I Cor.* XI, 5), et quod in ecclesiis convivia celebrabant (*Ibid.* 22) : quodque humana sapientia inflati carnis resurrectionem negabant. Quisque enim Corinthum novit, scit nunc usque hoc manere. Macedones autem similiter laudibus præfert,quia multum devoti exstiterunt erga gratiam hospitalitatis et eleemosynarum largitatem ; unde etiam dicit : *De charitate autem fraternitatis* (*I Thess.* IV, 9), etc Verumtamen reprehendit eos, quia nonnuli eorum otiosi discurrebant : *Audivimus enim quosdam inter vos inquiete ambulare* (*II Thess.* III, 11) ; et item : *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis* (*Ibid.*, 20). Galatas vero, de quibus nunc agitur, notat esse plurimum stultos, quod in illis nunc usque manet ; unde dicit Hieronymus ; quisquis novit mecum normam meorum metropolim, scit profecto Galatas esse stultos, et diversis erroribus deceptos (805). Sciendum est

(800) Virg., Æneid. lib. VIII, v, 660 et 661, *auro innectuntur.*

(801) Autog. *Pirinei fluminis.*

(802) Fortasse *Bithyniæ*, quæ Galatiæ affinis est.

(803) Quæ nunc *Chiangare*. De Galatis, sive de Gallis per universam Asiam ea ætate palantibus, vide secundum Machabæorum VIII. 20 : ubi Macedoniis sociis hæsitantibus,sex millia tantum ex Judæis in Babylonia centum viginti millia Galatarum peremerunt, auxilio ipsis de cœlo dato.

(804) Phocæos appellat Hieronymus, sive Phocenses, juxta Justinum, lib. XLIII. Vid. Pompon. Mel. lib. II, De situ orbis ; Strab. lib. IV Geographiæ ; Aul. Gel. lib. X.

(805) Textum hunc ad litteram in divi Hieronymi Veronensi editione nullibi inveni. Illud certum est, et libet observare errorem irrepsisse in hujusce textus, cujuscunque is tandem sit, transcriptione. Ea scilicet verba, *quisquis novit mecum normam meorum metropolim*,cum nullum sensum apte exhibeant, aliter legenda : fortasse rectius : *quisquis novit mecum normam eorum metropolis, scilicet Ancyræ.* Revera quæ unice huic textui convenire ex divo Hieronymo possunt, in ejus commentariis in hanc Epistolam lib. II, c. 3, pag. 430, tomi VII, præfatæ editionis Veronensis leguntur ut infra : *quod Galatæ stulti et vecordes pronuntiati sint, scit mecum qui vidit Ancyram metropolim Galatiæ civitatem, quod nunc usque schismatibus dilacerata sit quot dogmatum varietatibus constuprata.*

etiam quia est Apostoli intentio in hac Epistola, et in illa ad Romanos, manifestare videlicet et legis abolitionem et gratiæ dignitatem. Sed in hoc differt, quia in illa subtilioribus utitur argumentis, quia ipsi prudentes erant ; in hac vero apertioribus verbis loquitur, quia stulti erant : et non tam (806) eos alloquitur docendo,quam potius increpando,ut quos non suadebat ratio revocaret auctoritas. Et quanquam in omnibus ejus Epistolis,et legis abolitio, et gratiæ dignitas manifestetur, verumtamen maxime in his duabus. Et hoc sciendum quia non eos alloquitur Apostolus, qui ex circumcisione crediderant, et a libertate gratiæ ad legis servitutem transierant decepti a falsis apostolis, qui Paulum non verum Apostolum esse dicebant, maxime quia aliter ageret Jerosolymis, et aliter doceret gentes agere debere, et quod legem cæteri viri apostoli servarent, ipse destrueret. Egerant enim Galatæ sicut ille,qui liberatus de manu gladiatoris se tradit lanistæ. Illorum namque simulatione deceptus est etiam Petrus apostolus,quod in hac Epistola manifestat præfatus Apostolus (*Gal.* II, 11).

(CAP. I.) *Paulus Apostolus*. Magnæ auctoritatis est, quodPaulus in fronteEpistolarum suarum se Christi apostolum nuncupat. Nam, sicut judices terreni principum et regum, quorum familiaritate fruuntur nomina assumunt in epistolis, ut majori veneratione habeantur et majus obsequium illis impendatur,sic et Paulus Christi se Apostolum nominavit, ut cujus esset auctoritatis demonstraretur, et majori veneratione haberetur, et omnes Christiani in fronte Epistolarum suarum terrerentur. Hinc est quod in principio Epistolæ ad Hæbreos non se apostolum nominat, cum in omnibus Epistolis hoc faciat; quia in sequentibus Christum magnum esse pontificem et apostolum descripturus erat. *Apostolus* enim Græce, Latine *missus*, Hebraice dicitur *silas*, cui etiam nomen a mittendo imponitur.Sciendum autem quia Hebræi apostolos et prophetas esse dicunt, ad quos verbum missionis dirigitur, sicut fuit Moyses, cui dictum est: *Veni, et mittam te* (*Exod.* III, 10), etc. : et ipse ait : *Obsecro, Domine, mitte* (*Exod.* IV, 13), etc. ; et sicut fuit Isaias, qui ait : *Ecce ego mitte me* (*Isa.* VI, 8) ; et cæteri prophetæ : recte etiam Joannes Baptista apostolus et propheta dicitur, quia de illo scriptum est : *Fuit homo missus a Deo* (*Joan.* I, 6.).

Sequitur : *Non ab homimibus*. Sciendum est autem quia quatuor sunt genera apostolorum. Sunt enim qui neque ab hominibus, neque per hominem mittuntur,sed a Deo,sicut Moyses,et prophetæ omnes, et apostoli ; item sunt, qui mittuntur a Deo, sed per homines, ut Josue ; item sunt, qui non a Deo, sed per hominem (807) mittuntur,ut illi,quos videmus in Ecclesia, datis muneribus ob vulgi favorem, ecclesiasticos adipisci gradus ; item sunt,qui neque a Deo, neque ab hominibus, neque per homines mittuntur, sed sua veniunt causa,videlicet terreni lucri, et ventris,aut humanæ laudis,ut fuerunt omnes falsi apostoli. Apostolus autem, ut se de excellentiore gradu monstraret, ait : *Non ab hominibus*, hoc est,non ab apostolis ordinatus Apostolus : apostolos quippe ordinabant apostoli ad confirmandas Ecclesias, sicut contra æmulatores legis dirigebant suos ad destruendam fidem Ecclesiæ. Unde ipse dicit : *Neque per hominem*, hoc est neque per Judæum vel Judæos,malus apostolus ordinatus. Sane sciendum quia quibusdam videntur esse superbiæ verba ; verumtamen non sunt, sed potius necessitatis : necessitate namque coactus hoc dicebat, videlicet ut pseudoapostolis locum non daret, et sui apostolatus auctoritatem monstraret. Quibus facit adversus eos,qui eum non esse verum Apostolum dicebant,et ei cæteros apostolos præferebant.Verum ne defensores legis haberent locum dicendi, quia non est verus Apostolus, quoniam aliter,quam Petrus, et reliqui docet, ait ipse : *Noa ab hominibus*, etc. ; ac si dixisset : ab illo didici Evangelium, a quo et Petrus, et reliqui ; et ideo non sum illis inferior. Est etiam notandum quare dicat : *Neque per hominem*. Nunquid negat Christum hominem ? Non, inquam,sed purum hominem negat ; sive negat hominem, quia etsi homo erat, ut Deus tamen præcepta dabat.

Sequitur : *Sed per Jesum Christum*, etc, Sciendum quia Apostolus in hoc loco Arii, Manichæi atque Photini pariter destruit errores. Ubi etiam notandum, quia a Patre dicitur resuscitari *Act.* III, 15), sicut et in Actibus apostolorum legitur ; et tamen a se resuscitari narratur. Cujus quæstionis patet expositio.

Sequitur : *Et qui mecum sunt fratres omnes*. Sane notandum, quia cum in cæteris epistolis nunc Sostenen, nunc Sylvanum, nonnunquam vero Timotheum sibi conjungat,in hac quoque Epistola omnes fratres sibi sociat. Quod ideo egit, quia major tunc auctoritas necessaria erat, quatenus dum omnium fratrum salutationem audirent omnes adversus se sollicitatos et commotos intelligerent, et immane facinus se commisisse agnoscerent, et ad emendationem confugerent ; quoniam multum valet consensus plurimorum ad corrigendum facinus malorum : nam quo quisque a pluribus reprehenditur, eo se et gravius deliquisse cognoscit, et facilius emendatur.

Sequitur : *Ecclesiis Galatiæ*. Notandum quia non dicit Ecclesiæ,sed Ecclesiis, ut ostenderet se non minus urbis plebi,sed totius provinciæ habitatoribus scripsisse. Nota quia illas Ecclesias dicit, quas in sequentibus variis erroribus notat deceptas : unde

(806) Autog. *notam*.

(807) Verba, *ut... hominem*, in superiori margine codicis, eodem charactere, sed minus nigro atramento scripta leguntur,et ex divi Hieronymi Commentariorum lib. I initio excerpta videntur

monstratur quia est perfecta Ecclesia non habens maculam neque rugam ; et est imperfecta quæ, necdum consummatis virtutibus, in nomine tamen Jesu congregata (808), aliquo depravata errore. Similiter et sapiens bifarie dicitur. Est perfecte sapiens, ut illi, de quibus Dominus ait : *Ecce ego mittam ad vos sapientes* (*Matth.* XXIII, 34) : est et imperfecte sapiens (809) ; unde Salomon : *Argue sapientem, et amabit te* (*Prov.* VIII, 9). Profecto non indiget redargutione (810). Et quod de sapientia, hoc de castitate, et fortitudine, et cæteris potest intelligi virtutibus ; quia nonnulli in earum inveniuntur calce, nonnulli vero in provectu.

Sequitur : *Gratia vobis, et pax,* etc. Sciendum est autem quia profundiori consilio, et subtiliori ingenio in hac Epistola, quam in aliis, his sermonibus utitur Apostolus. Gratiam quippe illis imprecabatur, ut ostenderet quia non legis operibus, sed Dei gratia justificari possent : nam si legis operibus justificarentur, gratia jam non esset gratia. Optabat et pacem, ut moneret eos in cœpta libertate debere manere, quia ubi non est pax, nec libertas ulla. Gratia vero est, qua relaxantur peccata, etc.

Sequitur : *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris* Multum quippe valet ad ejus intentionem, quod ait : *Qui dedit*, etc. : nam idcirco hoc ait, ut dum illi audirent Christum pro peccatis traditum, intelligerent se operibus legis justificari non posse ; quia, si legis operibus justificarentur, frustra se Christus pro peccatis tradidisset. Officium namque legis fuit peccata manifestare, non tamen abolere ; Christi vero miserationis, dignitatis, atque potestatis fuit, manifestare pariter, et abolere peccata. Ideoque tradidit se pietas ut nos ab impietate, et justitia ab injustitia, et æquitas ab iniquitate liberaret. Unde mox subjungens ait : *Ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam*. Quæri autem potest quare sæculum nequam dicat. Sæculum quidem cursus est solis, et lunæ, et volubilitas annorum. Hæc enim omnia a Deo creata sunt, et bona sunt. Ergo sic dicitur nequam sæculum, sicut mala bonitas ; et civitas, et infamatus saltus, eo quod sanguis ibi effundatur, et sicut dies mali ; unde Apostolus : *Redimentes tempus* (*Ephes* V, 16), etc. ; et Jacob Pharaoni : *Dies vitæ meæ centum viginti* (811) *annorum sunt parvi et mali*, etc. ; ubi dies angustias et pressuras appellavit, quibus fuerat vexatus.

Apostolus vero, ut traditionem Filii ratam et dignam ostenderet, et eamdem confirmaret, ideo secundum Patris voluntatem factam esse dixit : *Secundum voluntatem*, inquit, *Dei ;* ubi ostendit quia nec Filius sine voluntate Patris, nec Pater cum tradidit sine ipsius ; quoniam sicut una est eorum natura, sic et una voluntas et operatio. Ostendit etiam quia idem Patris voluntatem in omnibus implevit : quod ipse apertius manifestat cum dicit : *Non veni facere voluntatem meam* (*Joan.* VI, 38), etc. Nam et hoc non solum Filius, sed Apostolus egit : *ut non*, ipse ait, *se hominibus placere* (*Gal.* I, 10), etc. Quapropter nemo suam voluntatem, sed illius implere, et nemo suam, sed illius gloriam quærere studeat.

Sequitur : *Cui est gloria* ; etc. Infinitis beneficiis infinitæ laudes debentur. Infinitum quippe beneficium fuit, quod Pater non angelum, non archangelum, sed proprium Filium pro peccatis hominum tradidit ; et ideo infinitas laudes reddens dicit : *Cui est gloria in sæcula sæculorum*. Sæcula sæculorum dicuntur, sicut Cantica canticorum, et Rex regum. Sunt namque sæcula, quæ multorum sæculorum collectione dicuntur sæcula sæculorum. Et quod ait : *In sæcula sæculorum*, pro infinito posuit. Ponitur etiam pro finito, ut illud : *Erit tibi servus in sæculum* (*Exod.* XXI, 6) : in quibusdam exemplaribus invenitur, *in sempiternum*, ubi sæculum, jubilæum annum appellat : nam, sicut (812) finis sæculi terminus erit causarum et rerum omnium temporalium, sic et jubilæus totius erat finis emptionis, venditionis et commutationis. Hinc et Psalmista : *In sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CV, 1 ; CVI, 2). *Amen* vero Hebræus sermo est ; interpretatur autem, *vere, fideliter*, sive *fiat*. Hoc enim sermone confirmavit Apostolus suam præfationem, quo et Dominus illas confirmavit sententias, quas arctius voluit inculcare in suorum cordibus auditorum.

(813) *Miror quod tam cito*, etc. Finita præfatione, aggreditur textum Epistolæ ; qui textus ab increpatione inchoat, dicendo : *Miror*, etc. Notandum est quia verbum translationis in bono et in malo ponitur in bono (814), ut Enoch translatus a Deo (*Eccli.* XLIV, 16) ; in malo, ut Achab a Jezabele (815).

(808) Autog. *congregati*. Videtur mihi desiderari hic verbum *est*, vel aliud æquipollens.

(809) In autog. *est enim perfecte sapiens*, quod emendandum censui : tum ex his quæ sequuntur, ubi de redargutione agitur, qua sapiens non indiget, si perfecte sapiens sit, tum ex citato textu hanc partem distinctionis comprobante. Divus Hieronymus enim, qui initio Commentariorum hujus Epistolæ hanc prodit distinctionem, ita habet : *de perfectis dicitur : Mittam in vos sapientes* Luc XI, 49 ; de insipientibus : *Argue sapientem, et diliget te* Prov. IX, 8. Qui plenæ consummatæque virtutis est, correptione non indiget.

(810) Scilicet *perfectus sapiens*, cujus redargutioni, de qua Salomon citato textu, locus non est.

(811) Gen. XLVII, 9, ubi non *centum viginti*, sed *centum triginta* legitur.

(812) Jubilæus vero annus erat quinquagesimus, Levit. XXV, 10 et 11. Sed super hoc consule Hieronymi vindicias a quæstionum Hieronymianarum lib., a Vallartio in nota positas inferiori, pag. 378 tomi VII sancti Hieronymi operum.

(813) In autog. marg. hic legitur cap II.

(814) Verba *in bono*, quæ in autog. desiderantur, addenda judicavi.

(815) In autog. *Acaph a Zezabele*, quod, tanquam mendam, emendandum censui ; cum nullibi in sacro textu horum nominum mentio : de Achab autem non translato sed perlato in Samariam post mortem, cujus sanguinem canes linxerunt. Vid. III Reg. XXII, 38. Num autem a Jezabele uxore ejus translatum fuerit ejus corpus, silet sacer textus. Divus vero Hieronymus hanc translationem de prævaricatione Achab a Jezabele ipsi suasa, cum scilicet a vero cultu ad idololatriam descivit III Reg. XXI, 26, interpretatur.

Sed illi qui a Deo transferuntur, non inveniuntur, ut de Enoch legitur : translatus est, et non inveniebatur (*Gen.* v, 25 ; *Hebr.* xi, 5) ; illi vero, qui a diabolo, ab inimicis inveniuntur : eo namque translati fuerant Galatæ, de quorum translatione docet (816) Apostolus, et miratur. Est etiam alia translatio, secundum opinionem humanarum litterarum. Cum enim quis ab uno dogmate ad aliud transit, ille utique translatus dicitur: veluti de quodam legitur (817), qui necdum expertus doloris dicebat eumdem nihil esse, fatigatus vero afflictionibus, summum malum dixerat esse dolorem. Miratur enim Apostolus translationem Galatarum, et quod tam cito ; quia non æqua culpa est illorum qui coacte et qui sponte transferuntur, sicut non æqua est illorum, qui diversis tribulationibus afflicti, et qui nullis adversitatibus fatigati, Deum negant. Sive cito translati erant, quia non longe erat tempus, quo illi crediderant, et a prædicatione apostolica recesserant.

Qui vos vocavit, etc. Per hyperbaton iste locus accipitur hoc modo : miror quod sic tam cito transferimini a Christo Jesu, *qui vos vocavit in gratiam suam*. Gratiam dicit, non meritum ; quia gratia divina ab infidelitate ad fidem tracti fuerant ; unde Dominus : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Marc.* ii, 17).

In aliud Evangelium, etc. Quærendum est si aliud est Evangelium, quomodo *non aliud*. Notandum enim quia illa res, quæ est, subsistit ; et quia Evangelium veraciter est, et veritas ibidem continetur : idcirco *non aliud est*. Illæ vero res, quæ veraciter non sunt, nihil sunt. Et quod ita sit, habes exempla : *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt* (*Esther* xiv. 11). Et idem Paulus : *Dico enim omnibus, qui sunt inter vos* (*Rom.* xii, 3) : illos alloquebatur, qui inter illos erant (818).

Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, etc. Nota quia, cum dixisset : *Qui vos conturbant*, non subjunxit : Convertunt Evangelium ; ideo quia ipsi poterant conturbari, natura vero Evangelii nequaquam converti poterat, quoniam immutabilis est.

Sed licet nos, aut angelus de cælo, etc. ; hyperbolice iste locus intelligitur. Non enim ideo hoc dicebat Apostolus, ut ipse commutaretur, aut aliquid aliud angelus prædicasset, sed per exaggerationem loquens dicebat hoc, quasi diceret : Si fieri posset ut ego, aut angelus, de cælo aliud prædicasset quam prædicavi, quod fieri non poterat, nequaquam ab hoc quod semel suscepistis, recedere debueratis. Imprecatur (819) enim Apostolus sibi anathema, ut illud crimen a se repelleret, quod quidam ei inferebant, dicentes eum aliter Jerosolymis agere, aliter gentes docere agere debere. Imprecatur et angelo, ut non (820) magni penderetur prædicatio Petri, et cæterorum apostolorum, si aliter prædicassent. Quoniam, si angelus, qui majoris auctoritatis est, aliter prædicando, anathema incurrisset, multo magis apostoli. Imprecatur etiam Apostolus sibi anathema, quia, si aliquid segnius ageret, commutari poterat, secundum quod ipse dicit : *Ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* ix, 27). Imprecatur et angelo ; quia et ipse mutari poterat, quia, relicto domicilio suo, in hanc ærumnosam vitam projectus in diversas solet species permutari. Et hoc sciendum quia se et angelum nominatim exprimit, cæteros vero sub generalitate manifestat (821), ne videretur eos reprehendere velle ; tamen latenter eos ostendit.

Anathema enim in veteribus libris reperitur. Legitur enim, quia cum cecidisset Jericho, omnia illius Josue sub anathematis nomine constituit (822) Posuit (823) etiam Paulus hoc in suis Epistolis. Utitur etiam in canonibus institutis, ut qui hoc vel illud fecerit, anathema sit. *Anathema* enim et Hebræus sermo est (824), et interpretatur Latine *perditio* sive *alienatio*.

Sicut prædiximus, etc. Ut nonnulli volunt, prædixerat Apostolus, cum adesset corporali præsentia. Dicit etiam per hanc Epistolam, et iterum dicit in eadem, ut arctius ea, quæ dixerat, in eorum cordibus inculcaret. Quia non est sacræ Scripturæ frequenti iteratione repetere, quæ arctius capit inculcare.

Sed non debet videri contrarium, si ille patientissimus, qui commotorum hominum corda tranquillabat, indignatur et stomachatur adversus Galatas, quoniam ideo hoc agebat ; quia veluti pater de filiis, ita et iste de Galatarum trangressione dolebat : quibus etiam convenit interpretatio provinciæ ipsorum : nam Galatia translationem sonat (825).

(816) Fortasse *dicit*, vel *dolet*.

(817) Dionysium divus Hieronymus appellat, quem Metathemenum, sive transpositorem, vel translatum, quia a Stoicis ad Cyrenaicos defecerit, cognominatum ridet Hieronymus.

(818) Scilicet auctor noster vult Apostolum aliquos tantum inter illos tanquam existentes respexisse, et allocutum fuisse, cæteris, tanquam non existentibus, neglectis.

(819) Autog. *increpatur*.

(820) Addita est particula *non*, quæ legitur in textu divi Hieronymi, a quo noster desumptus videtur. scilicet ubi in hæc verba ait : *Ut non magna Petri, et Joannis putaretur auctoritas, cum nec sibi liceret, qui eos ante docuerat, nec angelo aliter prædicare, quam semel didicerant.*

(821) Autog. *manifestare*.

(822) Josue vii, 1 Alibi etiam in sacro textu hujus vocabuli usus ; Num. xxi, 3 ; Deut. vii, 20, et xiii, 17, et alibi pluries.

(823) Autog. *ponat*, fortasse *ponit*, vel *ponebat*.

(824) Ita et divus Hieronymus, qui in hoc verbum ita habet : porro ἀνάθεμα verbum proprie Judæorum est. Re autem vera eo sensu, quo nunc utimur, vox hæc Græca est, quæ redditur, segregatus, separatus, devotus ; nobis autem a communione fidelium avulsum denotat. Significat etiam destinationem rei cujuscunque in destructionem. Vox etiam hæc, quæ et Hebraice *Cherem*, usurpatur in sacro textu pro *re Deo consecrata*, nec in usus profanos convertenda. Levit. xxvii, 28 et 29.

(825) Ita et divus Hieronymus, ubi notat Vallartius ; utique juxta tunc vulgo receptas libri nominum etymologias, ex I ad Cor. Cæterum nemo non sentit, Galatiam Græcum esse vocabulum, non Hebræum,

(826) *Modo enim hominibus*, etc. Notandum enim quia Deo nullus suadere potest, quoniam omnium occulta cordium illi sunt manifesta ; hominibus vero suadere potest. Hic tamen recte hominibus suadet, quia (827) ita hominibus placet, ut eos ad Dei pertrahat servitutem ; ille vero non recte suadet, qui ita hominibus placet, ut finem placendi in ipsis constituat. Denique non putemus Apostolum in his docere humana judicia esse contemnenda : quod si ageret, sibi contrarius esset, quoniam alibi ait : *Scientes autem timorem Dei hominibus suademus* (*II Cor.* v, 11) ; et iterum : *Sine offensione estote Judæis et gentibus* (*I Cor.* x, 32), etc. Monet ut sic quisque hominibus placeat, ut Deo non displiceat, alioquin soli Deo placere studeant ; quia longe aliud est hominibus et Deo, et aliud, solis hominibus placere. *Modo* vero dicit, quia quondam placuerat. Unde subjungit : *Si hominibus placerem*, id est, Judæis, *Christi servus non essem ;* quia qui illis placet, Christo displicet. Hæc est intentio. Attamen generaliter potest referri ad omnes, quoniam qui pro aliqua re injusta hominibus placet, Deo displicet.

(828) Sequitur. *Notum vobis facio, fratres, Evangelium*, etc. Jamjamque ostendit quare se Apostolus factum non ab hominibus, neque per hominem dixerit, sed per Jesum Christum, cum ait : *Notum vobis facio*, etc. ; ac si diceret : Si ignoratis quo (829) didicerim Evangelium, ego vobis notum esse volo, *quia non est secundum hominem*, etc. Quibus verbis non negat Apostolus Christum hominem, sed negat eum purum hominem : quia plus erat quam homo, hoc est Deus et homo. Intentio namque Apostoli hæc est : ostendere videlicet Galatis quod non ab apostolis didicerit Evangelium, sed ab illo didicerit, a quo et Petrus, etc. Iste ergo si ab homine non accepit, a quo Galatæ acceperunt : nunquid non ab homine, quando (830) a Paulo ? Nunquid non Ecclesia ab hominibus, cum ab apostolis accepit Evangelium ? Non, inquam, quia dii erant ; unde scriptum est : *Ego Dixi, dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6), etc. Quicunque Spiritus Dei habet, dicitur Deus. *Revelationem* vero illam, quæ facta est in via, cum pergeret Damascum (*Act.* IX, 2).

(831) Sequitur : *Audistis conversationom meam*, etc. nihilque sonare aliud quam Galatarum regionem, quorum ἀπὸ τοῦ γάλακτος a *lacte* ducitur etymologia.

A Multum quidem potuit Galatis hæc prodesse narratio, multumque in ea ipsi potuerunt proficere, dum audierunt quia qui quondam fuerat legis carnalis æmulator, et non quilibet, sed sævus (832) fidelium persecutor, jam conversus Evangelii existebat prædicator, in quo et illi magis admirari poterant. In hac vero narratione pondus verborum, et gravitas consideranda est. *Audistis*, inquit (833), *conversationem meam*, non gratiam, *aliquando*, non nunc, *in Judaismo*, non in lege Dei ; *quoniam supra modum*, non utcunque, *Ecclesiam Dei* dicit, ut non credebatur (834), non Christi, ut jam putabatur, quia qui tunc despiciebatur, nunc Deus creditur (835), *expugnabam*, hoc est, ut sævus grassator devastabam.

B *Et proficiebam in Judaismo*. Nota quia profectum non legi divinæ ascribit, sed Judaismo. *Supra multos* dixit, non omnes, *et coætaneos*, non senes, ut et zelum, quem habebat in lege, monstraret, et jactantiam declinaret. Sequitur : *Abundantius æmulator exsistens*, etc. In hoc enim major esse poterat admiratio ; quia qui abundantius carnalis legis, *et paternarum traditionum* æmulator, et sævus persecutor fuerat, conversus factus est Evangelii prædicator. Per quod voluit ostendere Galatis suum verum esse Evangelium, quatenus intelligerent quod de tanto Judaismo, et legis zelo, non suis meritis, nisi gratia divina mutari potuisset.

C Sequitur : *Cum autem placuit ei qui me segregavit*, etc. Segregatus legitur non solum hic, sed etiam in Epistola ad Romanos (*Rom.* I, 1). Et Jeremias agnitus est in utero (*Jer.* I, 5). Et de Domino, ut quidam dicunt, scriptum est : *De ventre matris meæ* (836), etc. Est et uterus et venter malus : unde scriptum est : *In iniquitatibus conceptus sum* (*Psal.* I., 7), etc. Et iterum : *Alienati sunt peccatores ab utero* (857). Segregatio ergo et in bono et in malo ponitur. Quapropter de utero matris segregantur a Deo, qui a carnalium parentum consuetudinem divina gratia subtrahuntur, ut hic Apostolus. Sive segregatum se dicit præscientia Dei, quia non solum de utero, sed ante mundi constitutionem segregatus est. Ergo quod præscivit Deus futurum, tunc implevit, cum ei pergenti Damascum in via apparuit (838). Item potest et maler synagoga intelligi, quæ eum

D nempe ab ipso Paulo, cum eam persequebatur, non credebatur Ecclesia, quæ Christi tantum ab ipso putabatur.

(826) Hic in autog. marg. legitur cap. III.
(827) Fortasse *qui*, ut ex sequentium relatione.
(828) In autog. marg, hic legitur cap. IV.
(829) Fortasse a *quo*, vel *quomodo*.
(830) In autog. sic legitur *qñda*.
(831) In autog. marg. legitur cap. V.
(832) Autog. *servos*, quod, tanquam mendam, emendandum censui.
(833) In codice, *inquid*.
(834) In codice *credatur*. Sed emendandum censui ex textu divi Hieronymi, a quo hic desumptus est : *nec ait, Ecclesiam Christi, ut tunc putabat : quem ducebat contemptui, quem persequebatur : sed ut hunc credit, Ecclesiam Dei*. Scilicet auctor noster, divo Hieronymo, cujus est citatus textus, inhærendo, ait : Ecclesiam Dei dicit, ut non credebatur, qualis
(835) Expungendam censui partic. *non*, quæ in cod. nostro perperam verbum *expugnabam* præcedit.
(836) Psal. XXI., 11. Divus Hieronymus : *De utero matris meæ* ; sæpe in textus lectione ab eo in nostro cod. diversitas aliquo.
(837) Psal. LVII, 4, Divus Hieronymus, loco *ab utero*, legit *a vulva*, ut in Vulg. nostra ab ipso correcta habetur. Sæpissime animadverti poterunt hæc differentiæ.
(838) Adnotare hic lubet Attonem nostrum, qui in hac Epistola usque nunc religiose divi Hieronymi vestigia secutus est, noluisse hic ejus opinioni suffragari, ubi ait, hoc ex Dei præscientia evenire, ut quem scit justum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero : et quem peccatorem, oderit antequam

imperfectum genuit. Qui tunc de utero matris est segregatus, cum a Judaismo, cujus fuerat æmulator, est separatus (839).

Sequitur : *Ut revelaret Filium suum in me.* Quod autem dicit, *in me*, ut nonnulli volunt hoc est *mihi ;* ut alii, *per me*. Sive quia homo sapacis est naturæ ad hanc traditionem intelligendam, attamen latet in eo quod habet ; si vero divina miseratione ei quod occultum est manifestetur, ut quæ sunt Dei intelligat, Filius Dei ei revelatur. Quod et Paulo accidisse monstratur.

Sequitur : *Continuo non acquievi carni et sanguini.* Per carnem et sanguinem nonnulli apostolos intelligunt. Unde Porphyrius : Illuminatus Apostolus (840) dedignatus est transire ad homines, ut ab eis aliquid disceret. Sed dicit Hieronymus : absit ut Petrum, ut Andream, aut cæteros, homines dicam, quia dii erant. Sed de illis dictum est de quibus scriptum est : *Non permanebit spiritus meus in homine*, etc. (*Gen.* VI, 3), et item : *Et caro et sanguis non revelavit tibi* (*Matth.* XVI, 17). Et est sensus : *Non acquievi carni et sanguini*, hoc est, non consenti carnalibus, nec misi margaritas meas ante porcos, etc. (*Matth.* VII, 6). Unde melius habetur in Græco, id est *contuli*. Et est sensus : *Non acquievi carni et sanguini*, hoc est, non carnalibus aliquid contuli, quia non me sociavi, sed ipsa mea prædicatione ad fidem trahere curavi. Et quia poterat quis dicere : Si tunc non, acquievisti postea, ideo *continuo* jungendqm est superioribus. Nam si per carnem et sanguinem apostoli essent intelligendi frustra subderet : *Neque veni Jerosolymam*, etc. Attendendum est autem quia hæc narratio contraria videtur Lucæ narrationi. Refert enim (*Act.* IX, 5, 26 *seq.*) quia postquam illuminatus fiducialiter egit in Damasco, reversus est in Jerusalem, et tentabat se discipulis jungere, et cætera quæ de eo ibi leguntur. Verum ne contrarium videatur, fieri potuit ut, cum illuminatus ina Dmasco fiducialiter egisset, orta adversus eum persecutione, reversus fuisset Jerusalem, non ut videret apostolos, sed ut vitaret inimicorum impetum, quasi ad aliam confugiens civitatem. Sive, orta persecutione, relinquens Damascum, abiit in Arabiam ; sed cum ibi nihil dignum sui apostolatus egisset (propter quod et Lucas narrare omisit), reversus sit Damascum. Quod autem nihil dignum in Arabia egit, non pigritiæ fuit, sed divinæ dispensationis, quod prohibitus est, quemadmodum cum vellet pergere Asiam (*Act.* XVI, 6, 7). Deinde multis diebus peractis in Damasco, quos hic

A

B

C

D

tres annos vocat, ascendit Jerosolymam videre Petrum.

Sed forte dicit aliquis : Quid mihi prodest hæc apostolica narratio, qua isse et redisse se dicit ? Sed ne vacare videatur, id cogit nos mysterium quærere. Cum in sequentibus (*Galat.* IV, 24-26) per Arabiam, et montem Sina, et Jerusalem, Vetus Testamentum interpretetur ; ergo illuminatus Apostolus, agnoscens Christum per revelationem, abiit in Arabiam (quæ interpretatur *humilis*, sive *occidua*), hoc est, reversus est ad Legem et Prophetas, qui in defectu erant, quatenus investigaret si et ibi Christum prædictum agnosceret. Agnito ibi, Christo, reversus est Damascum (quæ interpretatur *sanguis populi* vel *osculi*) (341) ; hoc est, reversus est ad passionis mysterium. Corroboratus autem, petiit locum pacis et visionis.

(842) Sequitur : *Deinde post annos tres*, etc. Notandum quia dicit se Jerosolymam venisse, non ut disceret Evangelium, quod per tres annos prædicavit, sed ut videret Petrum. Petrum autem videre non vanitatis causa venit, hoc est (843) si esset calvus, an crinitus, macer, an pinguis, sed spiritali intentione, videlicet, ut principi apostolorum deferret honorem.

Sequitur : *Et mansi apud eum diebus quindecim.* Multum valet ad ejus intentionem. Studiosi numerorum dicunt hunc numerum sacratum esse, et plenam scientiam ac perfectam designare doctrinam. Quindecim sunt psalmorum (844), qui a tribulatione inchoant, pertingentes ad atria domus Domini, quæ etiam quindecim habet gradus. Solemnitas etiam Domini a quinto decimo die inchoat (*Exod.* XII, 14). Et regi Ezechiæ quindecim ancti sunt anni (*Isai.* XXXVIII, 5). Quibus exemplis sacratus monstratur. Ergo hoc numero dierum, quibus mansit apud principem Apostolus, perfecta ipsius monstratur doctrina.

Verum ne diceret aliquis quia, si non didicit a Petro, didicit tamen ab aliis, ideo mox adjunxit : *Alium apostolorum vidi neminem.* At vero non quia contemptui eos habuit, minime vidit, sed quia causa evangelizandi jam dispersi erant. Causa autem videndi Jacobum hæc fuit, quia ab Apostolo ordinatus erat episcopus Jerosolymis. *Fratrem Domini*, non secundum hæreticos filium Joseph post natum Dominum ex Maria, vel ex altera uxore genitam intelligere debemus, sed more Scripturarum consanguinem ipsius Domini. Et cæteri discipuli, fratres Domini (845). Unde ipse ; *Ite, dicite fratribus*

hoc est, ad sanguinem et passionem Christi. Credunt aliqui juxta hanc urbem Abel a fratre occisum, quare ex sanguine Abel loco nomen impositum Damascum : quod in Hebræo Dam-sach saccum sanguinis referat. Quæ tamen rei fides, cæteri viderint.

(839) Autog. *confugerat æmulator et separatus.*

(840) Divus Hieronymus hoc exemplum adducens, ait : *Post revelationem Christi* : fortasse legendum : *illuminatus Apostolus*, ob revelationem Cbristi. In codice compendiose legitur *Apls*. Videsis lector.

(841) Divus Hieronymus : *reversus est Damascum*, peccet (quod tamen theologi Augustinianæ sententiæ consentaneum probant), ne scilicet vel minimum a divi Augustini, quam in præcedentibus Epistolis omnino amplexus est, sententia descire videretur.

(842) In autog. marg. hic legitur cap. VI.

(8423) Interpretationem hanc a divo Hieronymo desumpsit auctor noster.

(844) Desideratur *carmina*, quod vocabulum in divi Hieronymi interpretatione prostat.

)845) Subintellige *appellantur*.

meis (846); et : *Narrabo nomen fratribus meis* (*Psal.* xxi, 23 ; *Hebr.* ii, 12). Sed forte ideo iste frater Domini specialiter dicitur, quia tam fuit sanctitatis, tantique etiam rumoris, ut certatim quique fimbriam vestimenti ejus tangere curarent (847). Iste projectus de pinna templi occisus est a Judæis : cui successit Simeon, qui etiam pro Domino fuit crucifixus ab eis (848).

Quæ autem scribo vobis, etc. Hoc enim quod dicit tam ad superiora quam ad inferiora et omnia quæ scribit referri potest. Si enim simpliciter attendas, hæc verba jurandi (849) sunt, ut omnia vera esse ostendat quæ dixerat. Non enim mentiebatur, quia non erat officium illius mentiendi. Sed sciendum quia non appetit Apostolus juramentum quasi summum bonum ; nec etiam facit contra illud Domini præceptum dicentis : *Sit autem sermo vester : Est est, non non* (*Matth.* v, 37) : quia causa tarditatis suorum auditorum hoc agitur. Si vero altius inspicias, talis est sensus, quasi diceret : Omnia quæ scribo divino conspectu digna sunt, quia omnia justa et vera sunt. Quod ipse manifestat dicendo, *quia non mentior*, quoniam scriptum est : *Oculi Domini super justos* (*Psal.* xxxiii, 16 ; obtutus ejus excluditur a peccatoribus.

Deinde veni, etc. Venit ergo in partes Syriæ; studio fundandi Ecclesias, quia illuminatus noluit otiosus consistere. Syria etenim interpretatur *excelsa*, sive *sublimis*. Venit ergo in partes Syriæ, ut illam quæ erat dejecta sua prædicatione redderet excelsam, et quæ humilis sublimem. Cilicia autem interpretatur *sumpta*, sive *vocatio lamentabilis*. Venit igitur in Ciliciam, ut sua prædicatione eam assumeret, quæ assumptio esse non potest absque lamentatione pœnitudinis. *Eram autem ignotus*, etc. Notus enim erat facie Ecclesiis Syriæ, et Ciliciæ, et Arabiæ, quia gentiles erant, et ipse officium prædicationis in gentibus acceperat. Ecclesiis vero Judææ, non facie notus, sed rumore, sicut ipse dicit : *Tantum autem auditum habebant* (*Gal.* i, 23). Et nota quia Ecclesiis dicit, ideo quia non solum in Jerosolymis erant credentes, sed in cæteris locis, adeo ut Ecclesias facerent, et gentibus nollent conjungi.

Et in me glorificabant (850) *Deum*. Quid velut Apostolus his verbis ostendere? Vult manifestare suam doctrinam, et se verum esse Apostolum ; quoniam ipsi nequaquam Deum glorificarent in ipso, quorum persecutor exstiterat, nisi suo judicio doctrinam illius veram esse cognoscerent.

(851) (Cap. II.) *Deinde post annos quatuordecim*, etc. Dixerat enim superius se post annos tres venisse Jerosolymam, studio videndi Petrum. Hic vero dicit se post quatuordecim annos venisse Jerosolymam, causa conferendi Evangelium. Sed orte movetur aliquis, quare post tot curricula annorum venisset. Sed hanc motionem ipse solvit, cum subdit : *Secundum revelationem*. Tunc enim descendit, quando ei fuerat revelatum, id est, quando expediebat, Sed quare fuerat revelatum ei ? Ideo quia altercatio et dissensio jam orta fuerat in Ecclesiis. Jam enim Galatæ ad servitutem legis transieranf ; et ideo revelatum illi, quatenus collatio Evangelii unum esse suum et cæterorum apostolorum ostenderet, et eos a servitute legis revocaret. Et nota quia Barnabam et Titum sibi sociat, ut in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum. Istos utique secum assumere voluit, ut si aliqua orta fuisset quæstio, haberet testes, quibus sensus et sententias suæ intentionis manifestaret (851). Et animadverte quia non dicit, Didici Evangelium ab illis, sed *contuli*, ut ostenderet se non minoris auctoritatis. Nam conferre, æqualium est ; discere vero, minorum. *Seorsum autem*, etc., ad superiora refertur, ubi dixerat : *Contuli*. Sed forte dicet aliquis : Quare seorsum ? Mentitus fuerat in publico ; volebat verum dicere seorsum ? Sed non est ita. Non enim ministerium illius mentiri ; unde etiam se magistrum gentium dicit esse in fide et veritate (*I Tim.* ii, 7 ; *II Tim.*. vii, 11). Sed quod profundius et subtilius dicturus erat quod illi capere non poterant, quibus fuerat publice locutus, ut illud : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus. I Cor.* iii, 1), etc. ; idciroo cum istis seorsum contulit, quia capere poterant. Sed quid fuit illud profundius ? Abolitio legis et dignitas gratiæ.

Ne forte in vacuum currerem, etc. Certus enim erat Apostolus se non in vacuum currere ; sed propter alios, qui erant incerti, Evangelium conferre voluit, ut certi redderentur ei non in vacuum currere (852) aut cucurrisse.

Sed neque Titus, etc. Talis est intentio, quasi diceret : Si nos compulsi non (853) sumus, qui eramus in egregia civitate inter apostolos et æmulatores legis, et inter eos qui nostrum sanguinem sitiebant, ut circumcideretur Titus : quare vos, o Galatæ, cum nullius violentiam sustulissetis (854), a libertate gratiæ ad servitutem legis transitis ? *Sed propter subintroductos falsos fratres*. Falsos fratres appellat illos, qui ita crediderant, ut a carnali observatione non recederent, quos etiam in sequentibus exploratores nominat. Exploratoris namque est, aliud in facie prætendere, et aliud mente cogitare. Liberta-

(846) Joan. xx, 17, ubi non *ite*, *dicite*, sed *vade*, *et dic*.
(847) Hujus rei auctor divus Hieronymus, in hanc Epist.
(848) Vid. Joseph. Antiq. Jud. lib. xx, c. 16
(849) Fortasse *jurantis*.
(850) Vulg. *clarificabant*.
(851) Autog. *manifestabat*.

(852) Verba *sed... currere*, in imo margine cod. leguntur.
(853) Partic. *non* addidimus, quam et sensus ipse auctoris nostri, et sequentia exposcere videntur.
(854) In cod. legitur *intulistisse*. Quod *intulissetis* referre videtur. Cum autem passionem violentiæ, non actionem exprimere voluisse videatur auctor noster ; ideo hanc lectionem prætuli.

tem suam dicit eos explorare velle ; quoniam volebant agnoscere utrum carnalis legis servatores essent. Et quare manifestat : *Ut nos in servitutem redigerent*, id est, excitata persecutione, nos ad servitutem legis traherent. *Quibus neque* (855) *ad horam cessimus.* Duobus modis iste locus legitur. In veris namque Græcis exemplaribus habetur : *neque ad horam :* in quibusdam Latinis : *Quibus ad horam cessimus.* Sed si secundum Græcos legas, talis est sensus, quasi diceret: O vos, Galatæ, si nos cessissemus (856) ut Titus circumcideretur, haberetis vos occasionem dicendi : Apostole, quare cogis nos a circumcisione, et cæteris observationibus recedere, cum tu tuum dilectum a circumcisione prohibere non potuisti ? Et quare non cessisset, subdendo manifestat. *Ut veritas Evangelii maneat apud vos.* Si vero legas secundum Latinos, *cessimus*, non intelligendum est de circumcisione, sed de persecutione quæ facta est ab Antiochia Jerosolymis super hac quæstione. Fertur enim Antiochenses dixisse salvari non posse absque legis observatione. Et ideo cessisset Apostolus, ut pro re certa et necessaria mitteretur, quatenus hæc ratio majorum judicio firmaretur (857). Et ideo cessit, ut veritas Evangelii maneret apud Galatas. Quod si de circumcisione intelligas, talis est sensus : Cessimus ad horam ut circumcideretur Titus, non tamen ea intentione, qua illi volebant, sed proclamantes circumcisionem nihil valere. Et ideo cessimus, quia instabat periculum, imminebat mors ; et si nos interfecti essemus, veritas Evangelii non maneret apud illos, quoniam non esset qui nuntiaret. Dicit enim beatus Hieronymus : Ista conjunctio, quæ est *autem*, superflua est (858); quoniam non habet quod ei respondeat, vel quod eam concludat ; et ideo ita legendum est : *Sed neque Titus*, etc. *Propter subintroductos*, inquit, *falsos fratres*. Ostendit enim his verbis, a quibus compulsus fuerat circumcidi.

Sequitur : *Ab his autem, qui videbantur esse aliquid*, etc. Tale est, sicut dicit Hieronymus, quasi dixisset : Quanquam Petrus Jacobus et Joannes a Domino fuerint assumpti, et clarificatum eum viderint, et super illos fundamenta Ecclesiæ jecerit ; mihi tamen nihil interest, quia non adversus eos loquor, qui Dominum in carne fuerunt secuti, sed adversus eos, qui legem gratiæ præferunt. Non detraho præcessoribus, neque accuso majores, sed fiducialiter dico quia *Deus personam hominis non accipit*, sed indifferenter omnes ad gratiam salvationis vocat. Et ideo *mea nihil interest*, hoc est, mea auctoritas atque doctrina non distat ab illorum, quia unus est magister, qui me et illos docuit. Verumtamen non me illis præfero, non reprehendo quales fuerint ; quia *Deus personam hominis non accipit*, nec præterita judicat, nec attendit qualis quisque fuerit, sed qualis sit. Quis enim accusabit quem ipse elegit? Aut quis condemnabit quos ipse justificat ? (*Rom.* VIII, 33, 34.) Verumtamen qui illos idiotas, et sine legis gloria potuit doctos et gloriosos facere, potuit et me peritum, et in lege gloriosum, eodem spiritu replere, ut sicut fui gloriosus in lege, sim et in hac parte. Sunt qui intelligunt non de apostolis dictum quales fuerint, sed de his, qui apud eos clari et magnæ erant auctoritatis, æmulatores tamen legis existentes ; et ideo dicat *nihil mea interest*, hoc est, non mihi curæ est quales fuerint, quia nunc male sentiunt.

Sequitur : *Mihi autem qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*, hoc est, qui magnæ erant auctoritatis, nihil insinuare potuerunt. Attamen notandum quia supra dixit : *Contulit*, et nunc dicit : *Nihil contulerunt.* Vult forte his verbis ostendere se aliqua magna illis contulisse, quæ egerat, vel docuerat, et ipsi ea ignorabant ; illos autem nihil sibi contulisse quod eum lateret.

Sed contra (859) *cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium*, etc. Cognoverunt enim Apostoli quod unus idemque esset Dominus et magister, qui illos, et Paulum docuit, et quod ab illo didicerit Paulus Evangelium, a quo et Petrus : et ideo non esset dispar : verumtamen divina actum esset dispensatione, ut duo essent : unus eorum in circumcisione, alter in præputio, ne tarditas fieret fidei. Nam si gentes provectæ ætatis, signo non profuturæ circumcisionis cruciarentur, et a cibis consuetis prohiberentur, ad fidem venire tardarentur. Similiter Judæi, si a circumcisione et antiqua Patrum consuetudine, per quam se gloriosos jactabant et quæ illis quasi secunda erat natura, prohiberentur, certe credere tardarentur. Et ideo Petrus speciale officium prædicationis in circumcisione, Paulus vero accipit in præputio, quatenus quicunque ex Judæis crederent, haberent Petrum (860) quem sequerentur; similiter et credentes ex gentibus, Paulum. Ac per hoc super varia observatione non dispar, sed unum esset Evangelium.

(855) Verbum *neque* supra verbum *ad*, eodem tamen caractere positum inspicitur. Videbitur per ea, quæ sequentur, auctorem nostrum pluribus lectionibus, potissimum scilicet et Latina veteri, quam italicam vocant, et ea, quæ ex Græcis codicibus et Latinis verior, et Hieronymiana appellatur, usum fuisse : huic autem potius se accommodasse.

(856) Loco *certi essemus* legendum censui : *cessissemus*, ut paucos post versus, ubi idem verbum, eademque occasione repetitur, arguere est.

(857) Divus Hieronymus in hanc Epist., a quo desumpta hæc interpretatio. ita habet : *Aut si Latini exemplaris alicui fides placet, secundum superiorem sensum accipere debemus, ut ad horam cessio, non circumcidendi Titi, sed eundi Jerosolymam fuerit. Quo scilicet idcirco subjectioni cesserint Paulus et Barnabas eundi Jerosolymam, seditione ob legem Antiochiæ concitata, ut per Epistolam apostolorum, sua sententia firmaretur, et maneret apud Galatas Evangelii veritas, quæ non esset in littera, sed in spiritu ; non in carnali sensu, sed in intelligentia spirituali, nec in manifesto Judaismo, sed in occulto.*

(858) Divus Hieron. in hanc Epist. II, 3, 4, 5, edit. Vallars., tom. VII colum. 401.

(859) Vulg. *sed econtra.*

(860) Autog. *prævium.*

Sequitur : *Qui operatus est Petro.* Et est sensus : Mea auctoritas non est inferior illius,et meum Evangelium non est dispar, sed unum; quia unus est magister, qui nos docuit : nam ab ipso accepi apostolatum in gentibus, apud quem ille in circumcisione; quia qui illi operatus est, operatus est et mihi. Totius vero hujus narrationis fructus,et utilitas consideranda est.Nam hoc ideo manifestat Apostolus Galatis,quatenus tam ipsi,quamque et omnes præsentes seu futuri agnoscerent sub varia observatione non dispar, sed unum esse Evangelium. Quæri etiam potest quid Petrus, si aliquem inveniret gentilem,vel Paulus faceret,si aliquem Judæum inveniret. Sed respondere possumus quia, licet Petrus speciale prædicationis officium in circumcisione,et Paulus acceperit in præputio,eorum tamen indifferens fuit studium ; et ideo undecunque,et quoscunque possent, ad fidem trahere curabant.

Sequitur : *Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi*, etc.Notandum quatenus dixerat superius: *Qui videbantur aliquid*, quod nunc manifestat, cum dicit, *columnæ*. Isti enim columnæ dicebantur,quia eodem die a Domino fuerant assumpti,tam in clarificatione quam et in filiæ resuscitatione: et uni eorum Dominus : *Tibi dabo*, inquit, *claves regni cælorum* (*Matth.* XVI, 19); alteri vero : *Qui vicerit*, inquit,*faciam illum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* III, 12): Jacob autem et ipse magnæ fuit auctoritatis, sicut de eo multa leguntur.Quæri etiam potest quare isti columnæ, cum Ecclesia dicatur columna; unde idem Paulus : *Ut scias quoniam oporteat te in domo Dei conversari* (*I Tim.* III, 15), etc. Non est contrarium ; quia et corpus est membrorum, et membra corporis.

Notandum quia narrat Petrum accepisse prædicationis officium in circumcisione ; cui etiam conjungit egregios viros, et se accepisse in gentibus, et sibi sociatum Barnabam solum tamen Apostolus (861) sibi reservavit.Quærit forte aliquis cur ei non est conjunctus Titus; videlicet, quia non fuit tantæ auctoritatis ut tam magnis viris vir tamen egregius conjungeretur.

Sequitur : *Dextras dederunt mihi et Barnabæ*, videlicet societatis et consensionis, agnoscentes non dispar, sed unum esse Evangelium.

Ut nos in gentes,ipsi in circumcisionem, etc. Sciendum quia directis apostolis ad prædicandum, hoc præceptum est, ut sanctorum pauperum memores essent, maxime tamen Paulo,qui gentibus est destinatus. Pauperes autem illos intelligere debemus, qui Jerosolymis erant, vel certe illos, ut Hieronymus (862), qui a contribulibus suis exsecrabantur, quia in hominem crucifixum crediderunt; sive illos, de quibus Dominus : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v, 3), etc.; vel certe pauperes virtutibus, ut dicit Origenes, de quibus sollicitus existens aiebat : *Si præoccupatus fuerit homo* (*Gal.* VI, 1), etc. Sollicitum autem se pro pauperibus non solum in hac Epistola, sed et in aliis manifestat.

(863) Sequitur : *Cum venisset Petrus* (864) *Antiochiam*, etc. In cœpta adhuc intentione perseverat, ostendens non dispar, sed unum esse Evangelium. Reprehendit enim Petrum, quia consuetudines servabat Judæorum, quia gentes judaizare cogebat : reprehendit etiam cum non tam pro se,quam potius pro illis,quorum timore inductus est in simulationem, ut dum viderent corrigi apostolorum principem, corrigerentur et ipsi. Et nota quia suspense posuit, *reprehensibilis;* quia non tam a Paulo reprehensibilis erat,quam potius ab illis,qui scandalizari poterant, dum eum se subtrahere videbant. Ab *Jacobo* dicit *quosdam venire* (865), quia ipse Jerosolymis erat episcopus ordinatus, apud quem, et in qua civitate multi erant credentes, æmulatores tamen carnalis legis : qui priusquam vsnirent,Petrus cum gentibus edebat, postquam veniebant,se subtrahebat. Qui adeo susceptus est hac simulatione, ut cæteri fratres ei consentirent, et Barnabas hac simulatione duceretur.

Sequitur : *Sed cum viderem* (866) *quod non recte incederent*,etc. Dicit beatus Augustinus quia sic agebat Petrus, velut homo,qui utroque pede sano,uno se claudicare simulabat. Sciendum quia inevitabili syllogismo conclusit eum, dicens : *Si tu, cum sis Judæus*, etc.; ac si dixisset : Si tu natura Judæus judaizandum intelligis, quare te gentibus sociasti? Et si non judaizandum intelligis, cur te a gentibus subtrahis ? Quia et gentes ei objicere poterant, et scandalizari,arbitrantes sola fide,sine legis operibus justificari non posse. Quæri potest quare in facie eum reprehendit,cum scriptum sit : *Argue eum inter te, et ipsum* (*Luc.* XVII, 3). Sed quod publice redarguendus erat, maxime tamen propter eos, quorum timore inductus fuerat in simulationem.Item quærit aliquis quare eum reprehendit,cum hoc ipsum agere : *Factus sum*, inquit, *Judæis tanquam Judæus* (*I Cor.* IX, 20), etc. Sed responderi potest ad hæc, quia Petrus et Paulus non una intentione hoc agebant : nam Petrus simulatione, Paulus vero non mentientis astu,sed compatientis affectu. Item nonnulli (867) dixerunt quod iste Petrus, quem Paulus reprehendit, non fuerit ille apostolus. Sed isti mi-

(861) In autog. leg. *tam apostolatus.*

(862) Verba, *vel. . . . . Hieronymus*, leguntur in marg. inferiori cod.

(863) In autog. marg. hic leg. cap. VII.

(864) Hic, ut in aliquot lectionibus, et in divi Hieronymi commentariis legitur *Petrus*,non *Cephas*, sicut in Vulgata.

(865) Legitur in cod. *vere*, quod *venire* legendum censui juxta textum Epistolæ : cum enim ibi legatur : *Quidam venirent*, sat clarum est hic, ubi legitur *quodam vere*, *venire* legendum esse.Sæpissimus enim in vetustis hisce codicibus syllabarum defectus vel transpositio.

(866) Vulg. *sed cum vidissem quod non recte ambularent.* Divus Hieronymus in h. Ep. : *sed cum vidissem quod non recto pede incedunt.*

(867) Sanctus Clemens Alexandrinus quinte hypotyposeon libro, Eusebio Pamphili lib. eccles. Hist. I, 12.His subscripsit sæculo quarto Dorotheus Tyrius,qui Cepham a Paulo redargutum, non inter

nus considerate hoc dicunt, non attendentes superiora hujus Epistolæ,ubi ait : *Qui operatus est Petro in apostolatus, operatus est et mihi*,etc.Item sunt qui dicunt illam Epistolam,quæ dicitur Petri secunda, in qua laudibus prætulit Paulum (*II Petr.* III,15,16), non esse ejusdem,affirmantes quod nequaquam eum ita laudibus præferret, a quo tam acriter fuerat increpatus. Qui similiter minus considerant verba ipsius Epistolæ. Nam in eadem : *Delapsa*, inquit, *ad eum voce a manifica gloria; hic est Filius meus*(868), etc.; quo exemplo ipsius esse monstratur.

Sequitur : *Nos natura Judæi*,etc.Hoc enim nomen, id est,peccatoris, Judæi gentibus imposuerunt: omnes enim gentiles, peccatores vocabant. Et est sensus : Nos Judæi natura sumus, peccatores, sed non ex illis,quos peccatores vocamus : ergo in legis operibus justificari non quimus;unde et mox subjunxit: *Scientes quod non justificabitur homo ex operibus legis*, etc. Et est sensus : Quod scimus quod non operibus legis justificari possimus,nisi per fidem Christi, idcirco in Christum credidimus, ut per fidem justificaremur. Et hoc est, quod adjungit : *Et nos in Christo Jesu credimus*, etc.; id est, *nos, qui natura Judæi sumus*.

Sequitur : *Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro*. Sciendum quia, sicut quidam intelligunt,ideo dixit: *Omnis caro;* eo quod sola gens illa, quæ in Palæstina provincia monstrabatur,legis operibus justificaretur; nunc vero, jam dilatata Ecclesia per orbem terrarum, non una caro, id est, gens,sed omnis justificatur.Secundum propriam vero intentionem, *omnis caro* dixit, id est, nulla, quia lex neminem ad perfectum adduxit (*Hebr.* VII, 19).

(869) *Quod si quærentes justificari*, etc. Hoc enim, quod dicit Apostolus, tale est,quasi dicat : Si quærentes sumus justificati per fidem Jesu Christi,et non ex operibus legis,peccatores sumus inventi,quoniam frustra quæsissemus,si justi essemus.Alio vero sensu:Si credidimus nos justificari operibus legis,et justificati quærimus justificari per fidem Christi,peccatores sumus inventi, quoniam aliud quærimus quam exquirendum : nam justus qui aliud quærit quam exquirendum, peccator invenitur. Si enim gentes(870)sola fide Christi justificari non possunt, minister peccati Christus ést. Et ideo subjunxit : *Nunquid Christus peccati minister est*? Coarctat enim Apostolus atque confringit eos,ut aut confiteantur sola fide Christi justificari posse,aut Christum confiteantur ministrum esse peccati : quemadmodum ét lex; quia lex peccata ostendere poterat,abolere non poterat. Quod (871) etiam nec illi æmulatores legis, qui ex circumcisione crediderant, audebant confiteri. His coarctatus atque constrictus, in voce omnium dicit Apostolus : *Absit*.

Si enim quod (782) *dextruxi*, etc. Nunquid Paulus fidem destruxerat? Quam destruere laboraverat,iterum eam volebat reædificare, ut prævaricator existeret? Non Quia fides destrui nequaquam potest, quemadmodum nec Evangelium, quoniam veritas est; unde superius : *Volunt converti* (873) *Evangelium*.Quid ergo destruxerat? Superbiam Judæorum in semetipso, quam habebant in lege. Et si hoc vellet reædificare (874), prævaricatorem se constitueret. Nam qui contra veritatem destruendam dimicat,et agnoscit se destruere posse,et ad eamdem revertitur, ut ædificetur in ea, non se prævaricatorem constituet.*Ego enim per legem*, etc. Quis erat iste, qui hoc loquebatur? Judæus erat. Et quid loquebatur? *Per legem, legi mortuus sum*. Quam? Per legem namque spiritalem mortuus fuerat legi carnali.Pedagogus namque ei fuerat lex, quousque divina gratia subtraheretur : ut abstractus est, mortuus est legi carnali per legem spiritalem,quemadmodum puer nutritus uberibus,cum ubera deserit,dicitur mori uberibus : et, si alicui juvat, navis, quosque perveniat ad patriam;cum vero venerit,dicitur illi mortuam esse navem. *Ut Deo vivam*.Peccator namque sub lege vivit; justus vero sub Deo. Et quasi interrogasset aliquis : Quomodo mortuus es legi? Respondit : *Christo* (875) *confixus sum cruci*, id est, pariter cum illo crucifixus.Ille enim,qui crucifigitur, nullum malum desiderat,nil terrenum concupiscit. Similiter et iste cum illo crucifixus ; ut idem : *Qui autem Christi sunt, carnem suum crucifixerunt* (*Gal.*v, 24), etc.Ad exemplum namque illius egerat,qui dicebat : *memento mei, Domine* (*Luc.*XXIII, 42)etc., qui meruit audiri : *Mecum eris in paradiso;* etenim esse, est cum Christo regnare.

Vivo autem non ego. Contraria sunt hæc verba, id est, *vivo et non vivo;* sed non vivebat sævus persecutor, sed vivebat pius prædicator. Unde divus Gregorius : Non vivo, in memetipso exstinctus sum,sed vivo; quia essentialiter mortuus non sum; nec vivebat per malitiam, sed vivebat per essentiam. Et quare non vivat, subdit : *Vivit vero Christus in me*, id est, pietas, justitia, bonitas, etc.; quia omnia ista Christus est, et per hoc habitat in electis.

Quod autem nunc vivo in carne. Animadvertendum quia aliud est esse in carne, et aliud vivere in

apostolus,sed inter septuaginta discipulos recenset; divus Chrysostomus tom. V, homil. 64; divus Hieronymus in hanc Epist., et sanctus Gregorius Magnus in Ezech. homil. 18, et alii quamplur,Contrarium vero Latini plerique,Cyprianus, Tertullianus, Hilarus diaconus, Gregorius Magnus, Thomas, ac sequiores magno numero interpretes, ipseque Augustinus, scilicet Petrum et Cepham unum eumdemque esse censuerunt.

(868) Epist. Petri I, II, 17. Ubi transfigurationis memoriam renovat. Matth. XVII, 5, seseque ejus testem versic. sequenti, scilicet 18, asserit, ut cit. cap. Matth. I.

(869) In autog. marg. hic leg. cap. VIII.
(870) Autog. *soli*.
(871) Autog. *quid*.
(872) Vulg *quæ*.
(873) Hac Ep. I, 7, ubi *convertere*, non *converti*.
(874) Autog. *vel certe ædificare*.
(875) Autog. *Christus*.

carne. Malorum namque esse in carne est; bonorum vero vivere in carne. Et quod malorum sit in carne esse, idem Apostolus : *Hi, qui in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII, 8) ; et bonis dicebat : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Ibid.*, 9). Iste vero, qui in carne non erat, in carne vivebat ; quia anima illius in claustro carnis consistebat ; sed tamen mente Deo militabat, ut ipse : *Nostra autem conversatio* (*Philipp.* III, 20), etc. Et ut ostenderet ubi viveret, subdit : *In fide*, etc. ; id est, in bonis spiritalibus atque perpetuis ; quia Deus non temporalia sed perpetua suis promittit, ut in illis, in quibus nunc regnat per gratiam, postmodum apertius : et in quibus nunc per spem, postmodum per rem.

Et volens ostendere in cujus solum fide viveret, subjunxit : *Qui dilexit me*, etc. Miranda et ineffabilis est hæc dilectio : ut Deus pro homine, creator pro creatura moreretur. Et in eo, quod dicit : *tradidit*, etc., ostendit se esse peccatorem, quomodo Christus pro peccatoribus mortuus est. Unde Dominus : *Non veni vocare justos* (*Marc.* II, 17 ; *Luc.* V, 32 ; *Matth.* IX, 13), etc. ; frustra enim traderet se pro justo, nisi peccator esset, et quia tradidit se ipsum pro me, *non abjicio gratiam Dei*. Duobus modis quis abjicit : aut certe cum a libertate gratiæ transit ad servitutem legis, aut cum, percepta remissione peccatorum per sacramentum baptismi, eisdem vitiis sordidatur. *Si enim per legem justitia* etc. ; quasi diceret : Si per legem esset justificatio, gratis Christus moreretur. Assumpsit enim Apostolus hanc particulam syllogismi, cui addendum est membrum, ut perfectus reddatur, hoc modo : Christus non est gratis mortuus ; conclusio vero talis est : Per justitiam legis non justificabitur homo.

(876) (CAP. III.) Sequitur : *O insensati Galatæ.* Duabus pro rebus vocat eos insensatos : vel quia a spiritu ad carnem redierant, vel certe notat eos ex propria qualitate provinciæ (877). Sequitur : *Quis vos fascinavit?* Nota quia non alloquitur eos profundioribus argumentis, ut Romanos, sed potius vulgari fascinationis verbo, ut stultos. Hoc enim verbum invenitur in Scripturis divinis; in libro quoque qui Sapientia Salomonis dicitur, scriptum est : *Fascinatio nugacitatis obscurat bona* (*Sap.* IV, 12) Vulgo quippe fascinum dicitur noscere parvulis, qui adhuc rectis gressibus incedere nequeunt ; unde Virgilius :

Nescio quis teneros, etc. (878)

Hæc autem opinio versabatur erga Galatas : ipsi enim adhuc teneri erant, et lacte, et non solido nutriebantur cibo. Et ideo dicit : *Quis vos fascinavit?* Ac si diceret : Parvuli adhuc et teneri fuistis; et ideo forte fascinatione nociti estis. Fascinum autem utrum valeat secundum vulgi æstimationem, De solius est nosse. Attamen non est diffidendum quod sint quædam dæmonum genera ad hoc officium deputata (nam diversa sunt eorum genera) qui parvos corpore et mente conturbent.

Sequitur : *Ante quorum oculos Christus Jesus præscriptus est.* Non parva laus est Galatarum, quod Christus ante oculos eorum dicitur præscriptus, hoc est, prænuntiatus, quoniam ipsi studiose legendo Veteris Testamenti Scripturas, agnoverunt Christum non solum crucifigendum, sed et omnia quæ erga eum gesta sunt passurum. Ergo ante omnium oculos præscriptus dicitur Jesus, quibus nota est series Veteris Testamenti. Sciendum quia in quibusdam exemplaribus legitur, *proscriptus* ; (889) proscriptus enim dicitur alienatus sive dejectus. Illi enim quibus placet legere *proscriptus* sic intelligunt: Ante oculos eorum proscriptus est Jesus, quia a libertate gratiæ recedentes, ad legis transierunt servitutem. Verum quantum ad proprietatem attinet Galatarum prior sensus magis conveniens est, quia non studio, sed ignorantia, peccaverunt. Ergo quoties aliquem studio peccare videmus, uti hoc versiculo possumus.

Sequitur : *Hoc solum volo a vobis discere*, etc. ; ac si diceret : De multis interrogari poteratis, per quæ cogeremini gratiam legi præferre ; sed quia insensatos vos dixi, non multa, neque profunda. Sed unde interrogat : *Ex operibus*, inquit, *legis spiritum accepistis*? etc. Sciendum vero quia in primordio Ecclesiæ erat consuetudo ut credentes baptizati apertissime aliquod donum Spiritus sancti acciperent, per quod monstrarentur gratiam ejusdem Spiritus sancti in baptismate accepisse, sicut illi duodecim quorum mentio fit in Actibus apostolorum : *Alii namque linguis loquebantur, alii prophetabant* (*Act.* XIX, 6 7), etc. Docente namque Paulo acceperant similiter Galatæ hujuscemodi sancti Spiritus dona. Et ideo interrogantur utrum ex operibus legis an ex auditu fidei, Spiritum sanctum acceperint. Ac si diceret : Si Spiritus sanctus ex operibus legis daretur, non erat consequens ut aliis daretur, nisi circumcisis ; vos ergo qui, me docente, credidistis, et Spiritum sanctum accepistis, manentes adhuc in præputio, quare ad carnis circumcisionem transistis?

Sequitur : *Sic stulti estis*, etc. Et est sensus : Egregius ordo est a minoribus ad majora conscendendum hujus textus immediate ei supposita semper habet *præscriptus*. Cui dissensioni recte adnotandum censuit Vallartius : placeret Martiano legi *præscriptus*, quemadmodum et in subnexa expositione Hieronymus præfert, et in suis ille codicibus se ait invenisse. Nostri e contrario hic impressam lectionem asserunt, quæ nec re ipsa dissentit ab Hieronymiana acceptione, nec a Græco textu, προεγράφη. Victorius continuo *proscriptos* legit. Vulg. *præscriptus*.

(876) In Autog. marg. hic leg. cap. IX.

(877) Vid. quæ de Galatis proloquitur Atto ad initium hujus Ep.

(878) Ecclog. 3, v. 103 :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Exemplum tranpositionis syllabarum frequentissimæ in nostro cod. iste est textus, ubi loco *teneros* legitur *terenos*.

(879) Divi Jeronymi textus supra cit. editionis Vallartianæ habet *proscriptus*. In interpretatione au-

dere ; perversus autem, a majoribus ad minora descendere. Vos autem tam stulti estis,ut a majoribus, hoc est, apostolica gratia, ad minusculum. id est,ad carnalem intelligentiam transeuntes assumamini.Ubi moraliter monstratur quia quincunque a majoribus ad minora descendunt, consumuntur (880).

Sequitur : *Tanta passi estis sine causa.* etc. Sciendum quia erat consuetudo in primordio fidei, ut credentes ab incredulis multa paterentur : secundum quam consuetudinem Galatæ in amore fidei et charitatis permanentes multa passi sunt ; et ideo dicit : ***Multa passi estis***, etc. *Si tamen* vero hic non est sermo dubitantis, sed affirmantis,ut sit sensus: *Si tamen sine causa*, hoc est, certe sine causa, quia decepti estis. Nam quod hic sermo pro certitudine ponatur, manifestat idem Apostolus ; *Sed non*, inquit, (881) *justum est apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant*, etc. Nonnulli vero intelligunt quod more solito dubitantis sit sermo et sit sensus : *Si tamen sine causa*,id est, si permanseritis,sine causa passi estis.

Sequitur : ***Qui ergo tribuit vobis Spiritum***, etc. Tribuit,hoc est, administrat, et est præsentis temporis,et præsentis temporis est verbum quod sequitur.Quibus verbis ostendit Apostolus quod omnibus temporibus, diebus, horis atque momentis Spiritus sancti gratia fidelibus detur,ut proficiant. Ostendit etiam quia Galatæ acceperant dona sancti Spiritus, et gratiarum varietates, quæ in Epistola ad Corinthios numerantur : *Alii*, inquit, *datur per Spiritum sermo sapientiæ* (*I Cor.* XII, 4 *seqq.*), etc. Sed quia discretionem spirituum non acceperant, qua spiritum apostoli a falsorum apostolorum discernerent, ideo decepti sunt. Sed quia adhuc eadem varietas gratiarum in ipsis manebat, ideo interrogantur : *Ex operibus*, inquit, *legis Spiritum accepistis ?* Quasi diceret : Non ex legis operibus, sed fidei auditu ; sicut et Abraham in præputio credidit et justificari promeruit (*Gen* XV, 6 ; *Rom.* IV, 5 ; *Jac.* II, 23).

Sequitur : ***Et reputatum est illi ad justitiam*** ; quia in promissione omnes gentes in hæreditatem accepit,id est,ut quicunque in præputio crederent, et fides ejus imitatores exsisterent, filii ejus essent. Sequitur : *Cognoscitis* (882) *ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ.* Et est sensus : Si hactenus non cognovistis, his testimoniis prolatis agnoscere potestis quia quicunque in præputio credunt, et fidem Abrahæ imitantur, procul dubio filii exsistunt.

Providens ergo Scriptura, etc. Scriptura vero,non atramentum, non characteres, neque membranæ, sed Spiritus sanctus, aut ejusdem Scripturæ virtus intelligenda est. *Providens ergo Scriptura* gentes in præputio credituras, et fidem Abrahæ imitaturas prænuntiavit, eis dicens : *Quia benedicentur in te omnes gentes* (*Gen.* XII, 3 ; *Eccli.* XLIV, 20). In te vero, id est, non in Isaac, non in Jacob, sed in Christo : ergo in Abraham, quia ex semine ejus Christus.

Sequitur : *Igitur qui ex fide sunt*, etc. Nota quia non dicit *ex circumcisione*. Et est sensus : Abraham in præputio credens, priusquam signum circumcisionis agnoverit, benedici promeruit. Vos ergo in præputio credentes, filii Abrahæ facti estis, et benedici promeruistis ; quare ergo ad carnis circumcisionem transistis,cum non circumcisi filii sint Abrahæ ?

(883) Sequitur : *Imitamur fidem* (884) ; et totum ad hoc valet,ut ostendat non magis habere circumcisum quam præputiatum. *Quicunque enim*,etc., ex superioribus pendet. Dixerat enim superius : *Providens autem scriptura*, etc., et ex eo sermone prædixerat ille : *benedicetur*, sumpserat occasionem dicendi : *Quicunque enim*, quasi diceret : O vos Galatæ,quare a præputio ad circumcisionem transire vultis, cum illi qui in præputio credunt imitando Abraham benedicuntur, et qui sub lege sunt *sub maledicto sunt*,quia lex carnaliter imperare non potest ; et ob hoc sub maledicto ? Unde Petrus : *Ut quid denuo vultis imponere jugum* ? etc.(*Act.* XV, 10.) Et quia magnum (885) dixerat superius, volens hoc ipsum testimonium confirmare, subjunxit : *Sicut scriptum est* : *Maledictus* (*Deut.* XXVII, 26), etc. In quibusdam exemplaribus invenitur *omnis*,et *in omnibus* (886);in quibusdam non.Sed unus est sensus ; nam intentio fuit Moysi terrorem incutere suis auditoribus, similiter et Pauli terrere Galatas.

(887) *Quoniam autem in lege*, etc. In eo quod dicit *nemo*, ostenditur quia sunt qui (888)non justificantur,ut transgressores legis ; et sunt qui justificantur, sed non apud Deum, veluti observatores legis, cum timore legem custodiant. Nam lex ita dicit:

(880) In Cod. legitur duobus *m consummuntur* ; fortasse legendum, juxta textum, cujux interpretationi inservit, *consummantur*.

(881) II Thess. I, 6, ubi legitur : *Si tamen justum est*, etc., non vero, ut in autog. : *Sed non justum est*, etc.,quam lectionem autographi, vitiatam forte suspicari fas est.

(882) Vulg. *cognoscite*. Divus Hieronymus in hanc Epist. *cognoscitis*.

(883) In autog. marg. hic leg. cap. X.

(884) Verba *imitamur fidem* tanquam textum Epistolæ citat auctor noster, cum tamen nullibi verba hæc adinveniantur,nisi ex Epistola ad Hebræos VI, 12, hæc hauserit, ubi ait: *Imitatores eorum qui fide*,etc. : vel ex capite XIII, 7, ubi ait: *Præpositorum vestrorum... imitamini fidem.*

(885) Mendam irreptam hic esse suspicor,et loco *magnum*, quod nullibi superius legitur, legendum *maledictum*, quod immediate pauca ante verba.Fortasse etiam *magnam* legendum, id est, *magnam rem.*

(886)In hanc controversiam consule divum Hieronymum in hanc Ep. ad hæc verba.

(887) In autog. marg. hic leg. cap. XI.

(888) Verbum *qui* desideratur in cod., sed luce clarius ex relatione secundi membri periodi ad primum hoc membrum addendum fuisse.

Qui hoc vel illud fecerit, marte moriatur (889); et : *Qui coierit cum masculo sommo femineo, morte moriatur* (890). Et sunt iterum qui justificantur, sed apud Deum, id est, illi qui, credendo in illum, nihil aliud requirunt præter ipsum. Et volens ostendere quis esset justus apud Deum, subjunxit : *Manifestatum* (891) *est*, etc. Hoc etenim in Habacuc legitur (*Habac.* II); sed in quibusdam exemplaribus secundum Septuaginta invenitur : *ex fide mea;* Aquila vero *ejus* dicit, subauditur, *Dei* (892). In eo namque quod dicit : *Ex fide vivit justus*, ostendit quia ille justus qui (893) non habet fidem, non vivit, quemadmodum Paulus : ipse namque justus erat, quia sine querela vivebat in lege ; sed tamen non vivebat ex fide, quia non habebat illum qui dixit : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV. 6). Ita autem dicitur : *Justus ex fide vivit*, quemadmodum dici potest : Castus, prudens, temperans, ex fide vivit, nam potest quis ista omnia habere sine fide. Potest et aliter distingui : *Justus ex fide vivit ;* id est, ille qui ex fide est, ille vivit.

Lex autem non est ex fide. Notandum enim quia homo per fidem spiritalia bona præstolatur, quoniam fides illarum rerum est quæ non videntur ; in lege vero non est fides, quia suis observatoribus, vel contemporibus, quod tribuit, temporale est et visibile. Nam si pœnam infert contemptoribus, visibilis est ; si vero observatoribus donum, temporale est.

Sed (894) : *Qui fecerit eam* (895), etc. Nota quia cum dixisset *eam*, subjunxit, non *in eam*, sed *in illis*, ut ostendat legem positam pro præceptis. Et bene dicit *vivet* quia observatores legis protelationem observando percipiunt vitæ.

(896) Et quia dixerat, superius eos sub maledicto legis esse, volens ostendere quo eruti fuissent, subjunxit : *Christus nos redemit*, etc. ; quasi diceret : Jam quia ad libertatem transistis, quasi denuo ad servitutem transire voluistis? Ut ostenderet qualiter redempti, subjunxit : *Factus pro nobis maledictum.* Notandum quia eo modo dicitur maledictum, quemadmodum dicitur peccatum, sed alio modo peccatum ipsa transgressio cui debetur pœna, et alio modo dicitur peccatum mors, id est, pœna peccati. Et in hoc ostenditur quia transgrediendo peccamus, moriendo vero non peccamus : ita enim alio modo dicitur hoc, et alio, illud, quemadmodum aliter dicitur lingua membrum, quod movetur in capite, et aliter lingua Græca, Hebræa, et sicut aliter manus membrum corporis, et aliter scriptio, ut si dixerim : Affer manum tuam, vel : Da mihi manum tuam.

Et quia durum videbatur quod dixerat, volens hoc testimonio confirmare, subjunxit : *Maledictus omnis* (*Deut.* XXI, 23), etc. Nota quia non dicit : *Quilibet iste*, vel *ille*, nec etiam absolute, sed *omnis ;* unde dicit Augustinus : Etiamne Christum? (897) Etiam prorsus, qnia *omnis*, Dicit etiam ipse : O hæretici, non minus prævidit Moyses sanctos in cruce futuros, sed bene prævidit hæreticos Christi mortem negaturos ; quasi diceret : O hæretici, quare laboratis, quare conanimi eum negare maledictum, quem neque Moyses præviderat moriturum? In quibusdam exemplaribus invenitur : *Maledictus omnis Deo* (898). Nec hoc est contrarium, quoniam nisi mori habuisset (899) peccata, et mortem nostram, nequaquam Filium suum direxisset mortem nostram suscipere ut nos a debito mortis liberaret. Quod vero dicit *omnis*, subauditur *moriens, qui pendet.* Confitere ergo, o hæretice, maledictum ; quia si negas maledicium, negas mortuum. Et quare maledictum (900), subdit : *Ut in gentibus benedictio Abrahæ*, etc. ; id est, ut gentes credendo in præputio per fidem Christi benedicerentur. *Ut pollicitationem Spiritus*, etc., id est, ut quod illi servabant per timorem, hoc nos per fidei amorem. *Spiritus* dicit, quia ista gratia promissionis per ipsum facta est.

(901) Sequitur. *Fratres* (*secundum hominem dico*). Hoc est, non secundum Deum, neque secundum reconditam sapientiam, aut solidum cibi, sed secundum teneritudinem illius qui propter stomachi infirmitatem lacte et rore pascitur (902).

Sequitur : *Tamen hominis* (903) *confirmatum testamentam nemo spernit*, etc. Terrenam posuit similitudinem, et ideo, ut nonnulli aiunt, præmisit : *Secundum hominem dico.* Unde dicit Hieronymus : Et propter hoc, quia illi dicunt (904), præmisit *secundum hominem ;* maxime tamen propter hoc quod dicit in sequentibus, *in seminibus ;* totum quippe, inquit (905). Vetus et novum Testamentum peragravi, et neque in bono neque in malo semina pluraliter posita inveni ; sive, quia non pactum (906), sed testamentum posuit. Nam verbum He-

(889) In Exod. et Levit. pluries quam ut citari textus debeat.

(890) Levit. XX, 13. Vulg. habet : *Qui dormierit cum masculo coitu femineo.*

(891) Vulg. *manifestum.*

(892) Consulatur in hunc textum Vallartii in hanc Epist. super divi Hieronymi commentaria adnotatio, pag. 431, tomi VII Op. divi Hieronymi.

(893) Verbum *qui* addendum sensus gratia censui.

(894) Levit. XXIII, 5, *custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis.*

(895) Vulg. *qui fecerit ea.* Et ita divinus Hieronymus, et Augustinus in hanc Epistolam.

(896) In autog. marg. hic leg. XII.

(897) In hanc Epistolam Operum tom .III, p. 954.

(898) Vide in hanc rem divum Hieronym. in comment, hujus Ep.

(889) Desiderater forte hic particula aliqua, puta *ob*, ut sensus perfectus evadat.

(900) Verba, *quia... maledictum*, in superiori marg. cod. leguntur.

(901) In autog. marg. hic leg. cap. XIII.

(902) Divus Hieron.s a quo desumpto hæc comparatio, lectio Vallartiana habet, *lacteo rore.*

(903) Autog *omnis.*

(904) Illi, scilicet, qui putant divum Paulum de testamento hominis dixisse: *Secundum hominem dico.*

(905) Non verba quidem, sed sententia divi Hieronymi refertur.

(906) Per errorem hic *fictum*, ei paulo infra *fa-*

bræum quod dicitur *berith* non (907) hominis testamentum, sed pactum (908) sonat. Nullus etenim interpres aliter transtulit. Verum quia non profundioribus, sed quasi vulgaribus eos verbis allequebatur, ideo præmisit *secundum hominem*. Sane sciendum quia, quandiu homo vivit cum testamento, potest sperni atque corrumpi; si vero moriatur, non corrumpi neque mutari valet.

(909) Sequitur: *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, etc. Sciendum quia quod mors agit in confirmatione testamenti, hoc agit inviolabilis Dei promissio, quia si illud corrumpi non potest, hoc verbo multo minus. Sive quia morte hominis testamentum confirmatur, potest sic intelligi, ut morte Domini Jesu impletæ sint promissiones atque confirmatæ. Illud autem sciendum, quia cum *promissiones* pluraliter posuisset semen vero singulariter posuit idcirco, quia non æqualiter illi qui spiritaliter vivunt cum his qui carnales sunt benedicentur. Nam quicumque vult benedici necesse est ut Christo conjungatur. Omnes enim justi illi conjunguntur, et ommes illius sunt membra, quorum etiam ipse est et caput. Nam solet Apostolus caput et membra unum asserere corpus.

Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo. Et est sensus? Illas promissiones quæ ad Abraham factæ sunt, Testamentum dico a Deo confirmatum. Testamentum namque hominis confirmatum Dei promissionibus assimilavit.

Sequitur: *Quæ post quadringentos et triginta annos.* Sed a paucis est inventum (910). Verumtamen sciendum quia facile potest agnosci hoc modo. Septuaginta namque et quinque erat annorum Abram, quando jubente Deo egressus est de Ur Chaldæorum (*Gen.* XI, 4: post hæc vicesimo quinto anno, qui fuit ejusdem centesimus, accepit Isaac (*Gen.* XXI, 5); Isaac vero, cum esset sexaginta annorum, genuit Jacob (*Gen.* XXV, 26): quibus junctis fiunt octoginta quinque: Jacob vero, cum esset nonaginta et unius annorum, genuit Joseph (911); centesimo vero trigesimo anno, qui fuit trigesimus nonus (912) Joseph, ingressus est in Ægyptum. His omnibus junctis, fiunt ducenti quindecim. Totidem etiam annis morati sunt filii Israel in Ægypto: quod probari etiam hoc modo, potest. Post ingressum namque Jacob in Ægyptum vixit Joseph annos septuaginta et unum. (913) Inter mortem namque Joseph et Moysi nativitatem fuerunt anni sexaginta et quatuor (914); Moyses autem octogenarius erat, quando Pharaoni apparuit: his omnibus junctis fiunt ducenti quindecim: ac per hoc vera esse monstratur apostolica sententia, qua lex post quadringentos et triginta annos facta dicitur. Sed huic, narrationi, qua filii Israel morati dicuntur annis ducentis quindecim in Ægypto, videtur illud contrarium, quod Dominus ait Abraham: *Scito prænoscens quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et affligent eum annis quadringentis* (*Gen.* XV, 13). Quod autem quadringentis annis peregrinum esse dicitur, non est contrarium, si et illam intelligas peregrinationem, qua in terra Chanaan, peregrinati sunt, quia terra Chanaan non illorum fuit, nisi postquam eam Josue sortiente acceperunt (*Josue* XIII). Illud etiam non est contrarium, quod legitur, *affligent eum annis quadringentis*, quia per hyperbaton accipi potest, ut sit sensus: Peregrinum erit semen tuum in terra non sua annis quadringentis, et affligent eum (subauditur, in extrema parte annorum). Quod etiam Scriptura manifestat, quæ dicit quia quandiu vixit Joseph, et illi qui noverunt eum non sunt afflicti filii Israel (*Exod.* I, 7): refert eitam quia Moyses, qui in principio afflictionis natus est, octoginta annorum erat quando apparuit Pharaoni (*Exod.* VII, 7). Videtur et illud nihilominus contrarium, quod Moyses ait: *Fuit autem mansio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, quadringentorum triginta annorum* (915), etc. Sed non est contrarium, quia per tropum, dandum tum sensus, tum supputationis veritas, tum quæ sequuntur suasere.

ctum, legitur. Ast nec *fictum*, nec *factum*, sed *pactum*, utrobique legi debere probat divi Hieronymi interpretatio in hunc locum, ubi Hebræum verbum *berith*, *pactum*, non *testamentum* sonare asserit.

(907) Partic. negativam, quæ deerat, ut sensui et divo Hieronymo satisfaciam, addendum reor.

(908) Autog. *factum*. *Pactum* legendum ex his quæ dicta superius sunt.

(909) In autog. marg. hic legitur: *Dominica* 13 *post Pent.*

(910) Divus Hieronymus de hac annorum supputatione ita: *Non enim parva res est, et a multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inventa.*

(911) Ut patet ex Gen. XLVII, 9. Joseph enim trigesimum annum agebat, cum stetit coram Pharaone; Fen. XLI, 46. Jam septem anni ubertatis et duo famis Ægyptiacæ elapsi erant, cum Jacob cum filiis in Ægyptum venisset; Gen. XLV. 6 et 11. Trigesimum nonum ergo annum agebat Joseph, cum Jacob ad eum venit, et se centissimum trigesimum annum agere coram rege aiebat cit. cap. XLVII, 9. Si subtrahantur a centum triginta annis Jacob ætatis Joseph triginta novem anni, nonagesimo primo suo anno constabit Jacob genuisse Joseph.

(912) Loco *nonus* in cod. legitur *natus*, quod emendum censui. Scilicet facillimus error fuit loco IV, scribere VI. Septuaginta igitur supra annum ætatis Joseph ab adventu patris partem supputationis certissimam præbent. Octoginta ætatis Moysi, cum Moyses coram Pharaone stetit, asseruntur, Exod. VII, 7: quæ duo spatia circulum componunt centum quinquaginta supra unum annum. Probandum remaneret spatium sexaginta quatuor annorum, quod superesset mortem inter Josephi et nativitatem Moysi, et de quo tot opiniones quot capita. Vide Josephum Flavium antiq. Jud. cap. XIII. Mihi certe arridet eorum opinio qui longius tempus assumunt, uti mirae Judaeorum multiplicationi satis aptius.

(913) Gen. L, 22 et 25, ubi legitur mortuum fuisse Joseph centesimo decimo anno ætatis suæ; si enim subtrahantur triginta novem anni ætatis Joseph, quos jam expleverat, ut supra dictum est, cum pater ad eum venit, supererunt septuaginta supra annum, ad complendam ætatem ejus, centum decem annorum.

(914) In cod. legitur LX et VI, quod tamen sexaginta quatuor ex supputatione sequenti legendum censui. Scilicet facillimus error fuit loco IV, scribere VI. Septuaginta igitur supra annum ætatis Joseph ab adventu patris partem supputationis certissimam præbent. Octoginta ætatis Moysi, cum Moyses coram Pharaone stetit, asseruntur, Exod. VII, 7: quæ duo spatia circulum componunt centum quinquaginta supra unum annum. Probandum remaneret spatium sexaginta quatuor annorum, quod superesset mortem inter Josephi et nativitatem Moysi, et de quo tot opiniones quot capita. Vide Josephum Flavium antiq. Jud. cap. XIII. Mihi certe arridet eorum opinio qui longius tempus assumunt, uti mirae Judaeorum multiplicationi satis aptius.

(915) Exod. XII, 40, ubi tum juxta Hebræum textum, tum Septuaginta, tum juxta codicem Samari-

qui dicitur synecdoche, intelligendum est. Pars namque numeri totum numerum capit. Hæc namque lex, quæ post tot annorum spatia data est, non valet promissiones evacuare, quia non valet eas implere.

Sequitur : *Nam, si ex lege hæreditas*, etc. Et est sensus : Si lex promissionem implere posset, promissio evacuaretur, et per legem hæreditas daretur. Sed non est ita, quia *Abrahæ*, inquit, *per repromissionem donavit Deus*. Verum quia novit Apostolus quod sibi Galatæ objicere possent ac dicere : O Apostole, si ita est ut asseris, ergo otiosa est lex, ideo prævenit eos : *Quid igitur*, inquit, *lex?* etc. Hoc est, quare data est ?

(916) Ipse inquit : *Propter transgressiones posita est*. Sane sciendum quia cum omnes (917) per liberum arbitrium noluissent Deo obedire, et illud patienter exspectare tempus, quo per fidem Jesu Christi justificarentur, data est lex, quæ eos coerceret; post fabricationem quippe vituli, et ejus immolationem, et murmurationem, et diversas alias transgressiones, data est lex.

Sequitur : *Quousque? Donec veniret*, inquit, *semen cui promiserat;* hoc est, Christus, per cujus fidem justificarentur. Sequitur ; *Ordinata per angelos*. Huic concors est et illa sententia, qua ait Stephanus : *Qui fuit in solitudine in Ecclesia Dei cum angelo qui loquebatur sibi* (*Act.* VII, 38). Sed contrarium videtur quod legitur : Lex data est per Deum. Sic enim legitur quia *descendit Dominus in montem Sinai* (*Exod.* XIX, 20) ; et item : *Loquebatur Dominus cum Moyse* (*Exod.* II, 10) : et multa alia. Attamen non est contrarium. Deus enim cum sit invisibilis et incorporeus, videri non potest, sed neque loqui, et ideo per subjectam loquebatur creaturam. Cui etiam non contrarium quod ipse dicit : *Dimitte me, ut irascatur furor meus* (*Exod.* XXXII, 10); aut : *Fac mihi tabernaculum* (*Exod.* XXV, 8, 9); aut aliquid tale, quia angelus in persona Dei loquebatur, sicut lector, cum legendo dicit : *Ego sum Deus Abraham*, etc.

Sequitur : *In manu mediatoris;* id est, in potestate Filii, qui mediator fuit, sed non Dei, et hominum, donec suscepit carnem nostræ mortalitatis. Qui, ne propter hoc separari videretur a Patris divinitate, subjunxit : *Mediator unius non est, Deus autem unus est*, quia etsi non est unus in persona, unus est tamen in divinitatis substantia. In eo vero quod dicit *unius*, subauditur partis (918); et facit adversus Galatas, quasi diceret : Quare vos omnes unum esse vultis populum, id est, circumcisos, cum mediator non sit unius partis, sed potius e duobus populis unum populum in sua fide conjungat? Iste quippe mediator hoc agit inter dantem et accipientem, quod lex agebat inter promissionem et impletionem.

Paulo superius, ne videretur lex otiosa, objiciens sibi quæstionem, dixit : *Quid legitur lex?* id est, quare data est? *Propter transgressiones*, inquit. Sic etiam nunc objiciens sibi : *Lex ergo*, inquit, *adversus, promissa Dei?* Quasi diceret : Nunquid ab illo per quem factæ sunt promissiones talis lex dari potuit, quæ contraria esset promissionibus? Non, inquam. Duobus namque modis monstratur lex non esse contraria promissionibus. Si enim tanta ac talis esset, quæ posset implere promissiones, contraria esset omnino; sive non est contraria, quia non docet adversa. Nam sicut baptisma Joannis non fuit contrarium baptismati, sed potius præparatio, sic lex non fuit contraria gratiæ, sed potius ejusdem fuit præparatio.

(919) Sequitur : *Si enim data esset lex*, etc. Secundum priorem præcedentis sententiæ sensum potest intelligi quod sequitur : *si enim data esset lex*, etc.; hoc est, si tanta ac talis esset lex *quæ posset vivificare*, id est, filios Dei facere (quia tunc filii Dei efficerentur, si vivificarentur), omnino *ex lege esset justitia*, quia per legem promissio impleretur.

Sequitur : *Sed conclusit scriptura omnia sub peccato*. Quid est quod dicit, *conclusit*, cum Scriptura non possit concludere? Concludere ergo est manifestare. Homines itaque peccatis cæcati, dum se peccatores non agnoscerent, ne se justos atque videntes jactarent, ac medicum minime requirerent, nec ab eo salutem peterent, ideo data est lex, quæ omnes manifestaret peccatores, quatenus, dum se omnes peccatores agnoscerent, ad medicum confugerent. Et hoc est, quod sequitur : *Ut promissio ex fide Jesu Christi*, etc.

Sequitur : *Prius autem quam veniret fides*, videlicet Jesu Christi, hoc est, notitia ipsius, *sub lege custodiebamur conclusi;* hoc est, quasi carceralis (920) quidem vinculis constringebamur. Illud tamen notandum, quia lex, qua malos constringebat, non ideo auctor mali erat, quoniam ejus erat officii malum ostendere, non tamen abolere : sicut judex, qui malos in carcerem retrudit, non auctor est mali, sed ejus officii malos retrudere, ut ostendat eos reos; est et potentiæ eosdem absolvere. Similiter et Dei fuit per legem manifestare, ejusdemque potentiæ per fidem unigeniti Filii sui eosdem absolvere. Et hoc est quod dicit, *in eamdem* (921) *fidem*, hoc est donec veniremus *ad eam fidem quæ revelanda erat*. Nam cum dicit *revelanda*, ostendit quia fuit occulta.

tanum, qui hos 430 annos a peregrinatione Abrahæ numerandos exprimunt, tum juxta omnes fere Patres et Apostolum ipsum, hoc loco legendum eruditi putant : *Peregrinatio autem filiorum Israel, qui* (non, *qua migraverant in Ægypto, fuerat* 430 *annorum*.

(916) In autog. marg. hic legitur cap. XIV.

(917) Fortasse *homines*.

(918) In autog. *Patris*. Legendum autem *partis*, quæ sequuntur satis probant.

(919) In autog. marg. hic legitur cap. XV.

(920) Autog. *carceraribus*.

(921) Vulg. *eam fidem*.

Sequitur : *Itaque lex pædagogus noster fuit. Pædagogus* (922) Græcum verbum est compositum ex duobus, videlicet eo quod pueros agat. Restringit namque lascivientem ætatem,ut puer ab his se quibuscunque abstineat quæ cupit,donec ad perfectam ætatem perveniat. Quapropter bene lex pædagogo assimilatur, quia ideo data est, ut malos restingeret,lascivientes frenaret, donec veniremus ad Christum. Et hoc est quod dicit, *in Christo*, id est, ad Christum,ut ex fide ejus justificaremur.Adveniente namque Christo, recedentes a pædagogo, ad libertatem transivimus gratiæ. Et hoc est quod sequitur : *At ubi venit fides*, etc.

Sequitur : *Omnes enim estis filii Dei*, etc. Et est sensus : O Galatæ,si nos,qui sub pædagogo fuimus donec adveniret Christus, illo adveniente, recedentes a pædagogo,credidimus in Dominum Jesum, et per fidem ejus justificati, filii facti snmus, quare vos, qui in præputio credentes, omnes filii Dei facti estis, sub pædagogo esse vultis?

(923) Sequitur : *Quicunque enim in Christo baptizati estis*, etc., quasi diceret : Et si vos, o Galatæ, per gratiam sancti Spiritus,et aquam baptismatis renati *Christum induistis*, quare a libertate gratiæ ad legis servitutem transire vultis? Quibus verbis ostendit Apostolus quod Christus omnium fidelium sit indumentum, et non solum hic, sed etiam ubi ait : *Induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII, 14). Vult etiam Apostolus latenter ostendere quia si illi qui baptizantur Christum induuntur, illi ergo qui non bantizantur Christum non indui merentur.

Quare qui in Christo bəptizantur Christum induant aperit, cum subjungit : *Non est Judæus, neque Græcus*. Ostendit enim quod non magis habeat circumcisus quam præputiatus, tantum si credat in Christum et baptizetur. Hinc est quod alibi ait: *Neque circumcisio, neque præputium aliquid valet*, etc. (*I Cor.* VII, 19).

Sequitur : *Non est servus, neque liber ;* videlicet quia non discernuntur conditione, sed fidei merito atque ratione.Hinc est quod sæpe magis aliquid habet servus quam dominus. Sequitur : *Non est masculus, neque femina*. Sciendum quia masculus et femina discernuntur sexu atque fragilitate, verumtamen non dividuntur in fide, quia fides interioris hominis est, et ibi est fides, ubi nullus est sexus. Hinc est quod sæpe viri trahuntur ad salutem per mulieres, et econtra mulieres per viros : quod latius in Epistola ad Corinthios docet (*Ibid.*, 14).

Quapropter quæri potest quare dicat (924) quod neque Judæus neque Græcus sit divisus in Christo, etc., cum tam ipse quam et cæteri apostoli specialia monita dederint Judæis et gentibus, servis ac dominis. Sed hoc non est contrarium, quia aliud est quod nobis necessarium est in hac vita, quasi in via, et aliud est nobis necessarium, ad quod vel per quod veniamus ad regnum. In hac quoque vita necessariæ sunt discretiones, et idcirco specialia dederunt præcepta, ne nomen Christi,aut Cæsaris, doctrina blasphemaretur. Hinc est quod Dominus ait Petro : *Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare*, etc. (*Matth.* XVII, 26), et item : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* (*Matth.* XXII, 21; *Marc.* XII, 17; *Luc.* XX, 25); et Petrus : *Subditi*, inquit, *estote*, etc. (*I Petr.* II, 18); et idem Paulus : *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, etc. (*Rom.* XIII, 1.) Quare nulla sit divisio in Christo, ostendit, dum subjungit : *Omnes enim vos unum estis in Christo ;* hoc est, unum corpus, quoniam mater Ecclesia omnes in unam parit infantiam.

(925) Sequitur : *Si autem vos Christi*, etc. Et est sensus : Si vos, o Galatæ, qui in præputio credidistis, baptizati Christum induistis, et filii ejus estis: *ergo Abrahæ semen estis ;* quia et ipse ex Abrahæ semine. Quicunque enim suscepto evangelicæ prædicationis semine in Christum credunt, dum baptizati Christum induunt, ejus profecto et Abrahæ filii, hoc est, semen de semine efficiuntur. *Illud* autem sciendum, quia Christus quoties Filius dicitur Abrahæ, carnaliter intelligendus est; quoties vero Galatæ, vel cæteri gentiles credentes filii ejus dicuntur, non carnaliter, sed spiritaliter intelligi debent. Illud etiam notandum, quia promissiones, cum ad Christum factæ dicuntur, pluraliter ponuntur; unde supra : *Abrahæ dictæ sunt*, etc.; cum autem ad fideles, singulariter promissio ponitur. Et pulchre quidem a plurali numero transitur ad singularem, quia ecclesiasticus populus ex diversis gentibus, sexibus atque ætatibus collectus est.

(926) (Cap. IV.) Sequitur : *Dico autem : quamdiu tempore hæres parvulus est*, etc. Hæc similitudo notissima esse poterat Galatis,nec non et omnibus.Pater enim, cum vel in longinquam regionem proficiscitur,unde vel credendum,vel certe non esse venturum,aut certe,cum mors ei appropriat, filium suum tutoribus atque actoribus committit,et tempus etiam constituit ; qui,quandiu sub tutoribus est,*nihil differt a servo*, quia simul convivantur, simul etiam jocantur, atque sub una disciplina tenentur,*cum sit dominus omnium* (subauditur futurus), quoad usque veniat,*præfinitum tempus a patre*. Cum autem tempus constitutum advenit, ipse trabsit ad libertatem, manente servo in servitute.Hanc etenim similitudinem ipse exponit Apostolus, cum dicit : *Ita et nos, cum essemus parvuli*, sensu videlicet et intellectu, (927) *sub elementis mundi eramus*. Elementa autem nonnulli prophetas,alii angelos,quia angelorum officio homines reguntur; unde Dominus:*Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. etc. (*Matth.* XVIII,

(922) Scilicet Παιδάγωγος a παῖ, puer, et ἀγωγος, dux.

(923) In autog. marg. hic legitur cap. XVI.

(924) Verba, *Quapropter... dicat*, in ima ora codicis leguntur.

(925) In autog. marg. hic legitur cap. XVII.

(926) In autog. marg. hic legitur cap. XVIII.

(927) In autog. marg. hic legitur cap. XIX.

10), alii litteram legis, nonnulli ejusdem intelligunt cæremonias, hoc est, circumcisionem, et sabbatorum custodiam, etc. Sed litteram legis intelligamus elementa, quia et litteræ elementa dicuntur. Quæri potest quare dicat *mundi*, Mundi dicit, quia fiunt in mundo. Nam mundus sæpe solet poni pro his quæ fiunt in mundo ; unde est illud : *Non veni ut judicem mundum* (*Joan.* XII, 47) ; et item : *Mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10).

At ubi venit plenitudo temporis. Plenitudinem temporis præfixum tempus a Patre vocat, quo prædestinaverat Filium suum pro salute generis humani de cœlis mittere ad terras.

(928) Sequitur : *Misit Deus Filium suum*. Missio ista incarnatio est intelligenda : nam quæ sit manifestat, cum ait : *Factum ex muliere*. *Factum* dicit, propter carnis nostræ fragilitatem. Et nota quia non dicit per mulierem, propter hæreticos (929), sed *ex muliere*, hoc est, ex substantia et semine mulieris. Mulierem sexum quidem intellige non corruptionem. Hebraicæ quoque linguæ proprietas est mulierem vocare propter sexus discretionem, sicut Eva, mox ut est creata, mulier est vocata (*Gen.* II, 22).

Sequitur : *Factum sub lege*. Sub lege factus est, quia circumcisus et legalia munera pro eo oblata, et cæteras legales cæremonias servavit : parentibus etiam usque ad tricesimum ætatis suæ annum subditus legitur (*Luc.* II, 51). Sed hæc omnia, maxime instante tempore suæ passionis, quia gratia erat manifestanda, destruxit. Quare sub lege factus sit, ostendit : *Ut eos, qui sub lege erant, redimeret*. Quid mirum, si factus est sub lege, ut redimeret qui sub lege erant, cum factus sit mortalis, ut nos a morte liberaret ?

Sequitur : *Ut adoptionem filiorum reciperemus*. His verbis nostram dignitatem ab illius distinguit, quia ille Filius proprius quidem, nos autem adoptivi ; ille natura, nos gratia. Et nota quia non dicit acciperemus, sed *reciperemus*. Accipit enim homo quod non habet, recipit quod amisit. Ergo *reciperemus* dicit, illam scilicet dignitatem quam in Adam amisimus. Si autem hæc similitudo referatur ad gentiles, est alter exitus. Paulo superius legem assimilavit pædagogo, deinde tutores et actores mundi elementis. Iste ergo minor populus, id est ecclesiasticus, quia non ex uno, sed ex duobus, collectus est populus, ideo propter Judæos legem pædagogo, propter gentiles tutores assimilavit elementis, quia elementis deservierant, id est, soli et lunæ, et cæteris. Verum si hæc ad gentiles referatur, non debet videri contrarium quod dicit, *ita et nos*, quia ipse doctor et magister suam personam personis sociavit auditorum. Nec debet etiam illud videri contrarium, quod nomine elementorum mundi (930) litteram aut cæremonias legis nonnullos intelligere diximus, quia, sicut in cultu idolorum servitus erat, sic et in ritu legalium cæremoniarum.

Si autem hæc similitudo, sicut et superior, ad Judæos referatur, maxime quia de circumcisione loquebatur, ne forte viderentur gentiles exclusi, subjunxit : *Quoniam autem estis omnes* (931) *filii ;* quasi diceret : Sicut nos, o Galatæ, qui sub elementis mundi eramus servientes, quia recessimus ab eis, et credendo facti sumus filii Dei ; sic et vos in præputio credentes, omnes filii Dei effecti estis. Quare ergo ad legis servitutem transire vultis ?

Qualiter facti fuerint filii ostendit, cum subjungit : *Misit Spiritum Filii sui*, etc. Sane sciendum quia consuetudo erat in primordio Ecclesiæ ut credentibus manifestissime daretur aliquod speciale donum sancti Spiritus. Hoc dono et gratia compescuit beatus Petrus fratres murmurantes quare ad virum præputium habentem introierit : *Ego*, inquit, *quis eram, qui possem prohibere Deum* (*Act.* XI, 17), ut non baptizarentur hi qui Spiritum sanctum acceperant ? *His auditis, tacuerunt*, etc. (*Ibid.* 18). *Filii Spiritum* dicit adversus hæreticos, ut ostendat quia sicut a Patre procedit, sic etiam a Filio. *Clamantem* dicit, id est clamare facientem. *Abba* sermo Hebræus est, atque Syrus ; pater vero Græcus atque Latinus. Ideoque utrumque posuit Apostolus, quia prævidebat omnes gentes credituras, ut unaquæque proprietatem linguæ agnosceret, et in eadem Deum laudaret.

Sequitur : *Itaque jam non est servus, sed Filius*. Quasi diceret : O Galatæ, quia Spiritum sanctum accepistis, et filii Dei effecti estis, quare a libertate ad servitutem transire vultis ? Qui etiam, si filii estis et hæredes, quia filiis debetur hæreditas. Sed ut omnia excluderet Apostolus, excepta gratia, addidit *per Deum ;* quasi diceret : Non vestris meritis, neque vestro conatu, neque per legem, sed per gratiam Dei.

Sed tunc quidem, etc. Quasi diceret : Cum vos ignorantes Deum essetis, idolis serviebatis, et idcirco tunc facile indulgentiam promerebamini. Atrocius illi punientur, qui scienter peccant, quam qui ignoranter. Et tale est hoc quale et illud Abimelech accipientis Saram uxorem Abrahæ, cujus vulvam domus eum percussisset Deus (932), ait : *Num, Domine, gentem justam et ignorantem interficies ?* (*Gen.* XX, 4.) Quasi diceret : Si ignoranter peccavi, quæ justitia est, ut indulgentiam non promerear ? Quod non solum de hac, de unaquaque re intelligendum est.

Quomodo convertimini iterum, etc. Superius dixerat : *Elementa*, et subjunxerat ; *Mundi* ; nunc vero *vacua* dicit : ob hoc, quia primum ignorantes Deum

(928) In autog. marg. hic legitur cap. XX.

(929) Marcionem scilicet et alios, qui volebant putativam Christi carnem fuisse, quorum hæreses prævenire forte voluit Apostolus.

(939) Verba, *quod... mundi*, addenda sensus gratia censuimus.

(931) Verbum *omnes* in Vulg. non legitur.

(932) Gen. XX, 18, fortasse legendum *percussisset*. *Concluserat* habet Vulg. Sed et ita recte,

idolis serviebant, postmodum vero notitiam Dei habentes, ad pristinos errores revertebantur. *Imo cogniti sitis* (933), etc. Hoc enim, quod dicit, non intelligendum est Deum ex improviso, vel subito, aut per tempora aliquid cognovisse : sed eo modo dicitur, quo Joannes : *Diligamus Deum* (*Joan.* IV, 19), non quia dilexímus eum, sed quia ipse *prior dilexit nos*. Cogniti enim sumus priusquam cognovissemus, quoniam ab ipso tracti fuimus (*Joan.* VI, 44).

Dies observatis ; id est, Sabbatorum ; et *menses*, neomeniarum, hoc est, nŏvæ lunæ : nam menses a luna computabant ; et *tempora* ; id est, tria anni, (934) in quibus diversas observationes celebrabant (*Exod.* XXIII, 17), quando etiam præceptum erat, ut omme masculinum appareret in conspectu Domini : et *annos*, id est, septimus, hoc est sabbatum sabbatorum, et jubilæum.

Timeo vos, etc. Vide quam temperate loquitur. Non enim dixit : sine causa laboravi, ne forte funditus eos abjiceret ; sed dixit : *Ne forte sine causa ;* quoniam nec funditus eos abjicere voluit, noc etiam incorrectos manere ; quoniam, si funditus, desperassent, si incorrectos (935), aliis exemplum percundi tribuissent. Ostendit enim his verbis se de illorum conversione non dubitare : etiam eos resipiscere velle.

Estote sicut et ego. Quasi diceret : Rogo vos fratres omnes, legales observationes relinquite, et imitatores mei estote : quoniam ego, qui quondam æmulator eram legis, et defensor paternarum traditionum, omnia illa, quasi purgamenta, et stercora, atque quisquilias deputavi. *Quia et ego sicut vos*, id est, sicut vos homines, ita et ego homo ab his egressus, et vos egredi poteritis.

(936) *Fratres obsecro vos*, etc. Post multas correctiones et increpationes, pristina bona ad memoriam revocat, dicens : *Nihil me læsistis*, etc. Quasi dicat : Recotite quia in primordio meæ prædicationis, cum minoris essetis intelligentiæ, nihil me læsistis : quare nunc, cum magis intelligatis ? Et hoc ideo, ut ipsi, pristina bona audientes, non desperarent. In quo facto monentur prædicatores, ut cum suos increpant, pristina bona ad memoriam revocent, ne ipsi, desperando, abundantiori tristitia absorbeantur.

Scitis autem, etc. Infirmitatem namque carnis eorum parvum appellat intellectum ; quasi dicat : Non profundiora prædicavi vobis, sed ea quæ capere potuistis. *Et tentationem vestram*, etc. Quod dicit, *tentationem*, notandum quia in primordio suæ prædicationis Apostolus multas pertulit adversitates, multisque tribulationibus est afflictus : quæ poterat tentatio esse Galatis dicentibus. Quæ vis, vel qui fructus in tali doctrina, cum ipsius prædicator tot cruciatibus affligatur ? *In carne mea*, quod dicit, talis est sensus, quasi dicat : Humilis, despectus, et contemptibilis, nihil sciens, nisi Christum Jesum (*I Cor.* II, 2), cum essem, non *respuistis* ; *sed sicut angelum Dei*, id est, nuntium donorum cœlestium, *excepistis ;* et non solum ita, sed ut *Christum Jesum*. Et nota quia Christum (937) præfert angelo, cum econtra Psalmista angelum Christo, ut illud : *Minuisti eum paulo minus* (*Psal.* VIII, 6) ; sed ibi propter humanitatem, hic causa divinitatis.

Ubi est ergo beatitudo vestra ? Quasi diceret : Ubi est devotio, religiositas, et affectus charitatis erga me, quem habuistis ? Ut eis pudorem incuteret ; audientes quales fuerint, et se reprehensibiles agnoscentes ; taliter loquebatur. In quo facto monentur prædicatores, ut taliter agere studeant erga suos.

Testimonium enim perhibeo vobis, etc. Hyperbolice enim iste locus intelligendus est : nam exaggerationem charitatis vult ostendere in primordio prædicationis Galatarum ; ideo taliter loquitur, quasi diceret : Adeo me dilexistis, ut si recompensationem Evangelio tribuere potuissetis, vestris luminibus voluissetis privari, et vestrum damnum meum lucrum deputare. Quid enim charius membrorum oculo in capite ? Nullum. Quare ergo hoc dicit ? Iste enim verus prædicator, et discipulus veritatis mentiri nequaquam potest. Sed, ut diximus, ad exaggerandam charitatem ita loquitur.

Ergo inimicus vobis factus sum ? etc. Nonnulli interrogative : quidam etiam narrative proferri volunt hunc locum : sed, si interrogative, hoc modo, quasi diceret : Quare inimicus vobis factus sum, verum dicendo ? Narrative vero ita : Inimicus factus sum, verum dicendo vobis.

(938) *Æmulantur vos*, etc. ; id est, invidentiam habent, quia absque circumcisione ad notitiam Christi transitis ; ob hoc, quia illis promissus (939), illis prædicavit, ex ipsis etiam carnem accepit. Et quare *non bene*, ipse exponit. *Excludere vos volunt, ut illos æmulemini ;* id est, imitemini.

Bonum autem æmulamini in bono, id est, bona intentione, et non ad tempus, sed *semper*. In singulis namque verbis percutit Galatas, qui imitati jam fuerant bona intentione, sed tamen non semper, quia recesserat. Et hoc est, quod subdit : *Et non tantum, cum præsens sum apud vos ;* quasi diceret : Non tantum me imitamini cum adsum sed etiam cum desum.

(940) Sequitur : *Filioli mei, quos iterum parturio*, etc. Sane notandum quia non dicit : Quos parturio :

(933) Per errorem loco *cogniti sitis* legitur *cognovistis*, ut ex inferioribus patebit.

(934) Exod. XXIII, 14, et seqq., scilicet solemnitatem Azymorum, et messis primitivorum, et consummationis in exitu anni.

(935) Fortasse *si incorrecti mansissent*, vel post *incorrectos* subaudiendum, *reliquisset*.

(936) Hic in autog. marg. legitur cap. XXI.

(937) Ex sequentibus luce clarius apparet loco *spiritum*, ut in autog. legendum *Christum*, uti emendavimus.

(938) In autog. marg. hic legitur cap. XXII.

(939) Christus videlicet.

(940) In autog. marg. hic legitur cap. XXIII.

sed, *iterum* quoniam docente Apostolo Galatæ crediderunt, ac suscepto evangelicæ prædicationis semine conceptus est Christus in eorum cordibus: sed (941) quia non fuit corroboratus, ideo facile falsorum prædicatione apostolorum exstinctus: quapropter laborabat, ut denuo reformaret exstinctum. Notandum etiam, quia qui patris suscepit effectum, dicendo: *Per Evangelium ego vos genui* (*I Cor* IV, 15), ipse matris assumit, cum dicit: *Parturio* quippe, ut se suorum demonstraret patrem, et matrem auditorum, utriusque parentis suscepit affectum. Verumtamen quis verbis parentum explicare valet affectum? Unde Origenes: Humana natura non est horrenda sed veneranda: quis enim comprehendere potest quod studium, vel quis sit labor parentibus, dum vel gignit pater, vel concipit ac parturit mater? Quibus etiam non minus est studium in nutriendo: sicut enim semen seritur, sulco suscipitur, terra operitur, germinat, crescitque in herbas et culmos, et usque ad fructum; sic et hominis semen vulva seritur, dein concipitur, hoc a proprio humore exsiccatum compaginatur, et formatur, donec diffundatur in lucem; diffusum vero nutritur: similiter et semen verbi Dei in corde seritur, et sic Christus in mente concipitur, ac deinde formatur. Hunc namque parentum affectum latius expenit beatus papa Gregorius in eo loco, ubi ait Dominus ad Job: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, etc.* (*Job* XXXIX, 1). Apostolus autem cerva Dei erat, et incurvabatur, ut pareret. Illud autem sciendum quia difficultas conceptus vel partus aliquando ex causa viri, aliquando ex mulieris, nonnunquam ex utriusque partis; similiter et congruentia, sic etiam et in prædicatoribus hoc ipsum agitur. Iste etenim idoneus erat prædicator, et Galatæ idonei auditores: verumtamen ignorantia decepti fuerant. Illud etiam notandum quia donec tener est partus, facile exstingui potest: et quia non fuerat Christus in cordibus Galatarum, ut dictum est, corroboratus, idcirco facile est exstinctus; ideoque multum studebat Apostolus posse eumdem denuo reformare. In quo facto monentur prædicatores, ut, si viderint in aliquo suorum auditorum quamlibet exstinctam virtutem, non minus sint studiosi, ut recreent eam, quam fuerunt ad creandum.

Sequitur: *Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam.* Sciebat quoque Apostolus Scripturas prodesse, cum leguntur, sed multo magis prodesse, cum aliquid viva voce commendatur; videlicet quia non est vis Scripturarum dolorem cordis manifestare, aut vocem increpationis assumere, aut nunc hæc, nunc illa exaggerando proferre. Et ideo dicebat: *Vellem autem esse modo apud vos*; quasi diceret: Nequeo tanta scribere, quanta meremini audire, et, nisi vinculis confessionis (942) strictus tenerer, optarem esse apud vos, *et mutare vocem meam*. *Mutare* dicit, ut qui eos filios vocaverat, ne duris increpationibus scandalizati deteriores fierent, si ipse adversus eos vocem increpationis assumeret, ostendens illos non esse dignos tanto honore, ut ejus filii vocarentur. Quare mutaret vocem ostendit: *Quoniam confundor in vobis.* Parentum quippe imprudentes filios repellere, ne confundantur: hoc modo dicit: *Confundor*: in Græcis exemplaribus, invenitur *egens sum* [945], sed idem sensus est. Confusio nempe erat Apostolo, quia ejus doctrina non abundabat in illis, sed potius egebat.

Sequitur: *Dicite mihi qui sub lege vultis esse*, etc. Magna erat dicturus, ac legem interpretaturus: et ideo præmisit: *Dicite mihi*, etc., quasi diceret: Vos, o Galatæ, qui sub lege vultis esse, quare non legistis legem? Aut si legistis, quare non attendistis quid lex dicat? Nam quasi dixisset aliquis profer legem, ipse inquit: *Sciptum est enim*, etc. [*Gen.* XVI, 15]: nota quia historiam libri Genesis legem appellat: et hoc adversus eos qui legem esse dicunt solummodo, ubi aliquid jubetur vel prohibetur. Et quid mirum, si historiam libri Genesis legem appellavit, cum totius Veteris Testamenti series lex dicatur?

Sequitur: *Sed pui de ancilla secundum carnen natus est*, hoc est, secundum carnalem consuetudinem, et conjunctionem, videlicet maris et feminæ; et ideo filius carnis vocatur. Sequitur: *Qui autem de libera, per repromissionem*, videlicet et ex anu et sterili natus est; et ideo filius promissionis est appellatus; cui contrarium non est illud, quod scriptum est: Quia angelus, cum invenisset Agar in solitudine, dixit ei: *Paries filium, et vocabis nomen ejus Ismael*, etc. [*Gen.* XVI, 11]. Quare ergo non et Ismael filius promissionis? Videlicet quia longe distat promissio Dei a promissione angeli: oriente namque sole, obtenebratur luna. Sed huic solutioni potest illud videri contrarium, quod ipse Dominus promisit Abrahæ. Ait illi: *Et super Ismael exaudivi te; multiplicans multiplicabo vehementer*, etc, (*Gen.* XVII. 20). Quod ne contrarium videatur, sciendum est aliud esse loqui de concepto, vel nato; et aliud promittere concipiendum, sive aliud est multiplicare vehementer, et temporalibus bonis ditare. et aliud cum aliquo testamento statuere (944).

(941) In cod. legitur *seq.*, quod *sequitur* significare vellet, et tanquam errorem emendavi.

(942) Fortasse Græcorum codicum subscriptioni adhæsit Atto, quæ Roma missam vult hanc epistolam; quod minus verisimile est, cum in hac vinculorum mentionem non faciat, quorum in cæteris epistolis meminit, quas Roma e vinculis scripsit. Verisimilius autem, et communiter ab auctoribus Epheso scripta censetur, cum ibi in schola cujusdam tyranni per biennium moraretur. et rescivisset Galatas a falsis fratribus deceptos. *Vincula* igitur *confessionis* quid sibi velint obscurum, nisi debitum prædicationis officium pro hisce vinculis intelligere voluerit, vel *confusionis* loco *confessionis* legamus, ex his, quæ inferius: *confundor in vobis.*

(943) Græcum enim verbum Ἀπόρουμαι indigentiam, seu inopiam potius, quam confusionem significat, quæ αἰσχύνη sive σύγχυσις dicitur.

(944) Gen. XXII, 22, ubi *pactum* legitur, scilicet ab Hebraico Berith, quod divus Hieronymus, in sua in

Sequitur : *Quæ sunt per allegoriam dicta*, etc,Hoc loco ostendit allegorizandi et figuras requirendi exemplum. Per matres namque, et filios earum ostendit intelligi debere duo testamenta,et duos populos : in quo omnes consentiunt auctores, quanquam Apostolus non aperte interpretetur, sed tantum vestigium interpretandi ostendat.

Sequitur : *Sina enim mons est in Arabia*, etc. Quantum ad historiam pertinet,Arabici montes conjuncti sunt Jerosolymitanis.Mystice vero, per diversitatem locorum ostendit distantiam duorum testamentorum. Pulchre namque lex transitura per Agar designatur, et Agar interpretatur *incolatus*, seu *peregrinatio* (945). Quis enim ignorat quod peregrinatio longe distat a perpetua hæreditate ? Recte etiam ipsa lex in Sina et in Arabia datur ; quia Sina *tentatio*. Arabia vero *occidua* interpretatur.Ideo autem dicit : *Conjunctus est ei, quæ nunc Jerusalem* ; quia ille populus, qui circa Sinam legem accepit, habitator terrestris Jerusalem postmodum exstitit.

Sequitur : *Illa autem, quæ sursum est, Jerusalem, libera est* etc. Distinguit terrestrem Jerusalem,quæ *servit cum filiis suis*, ab illa cœlesti : namque Jerusalem sancta Ecclesia est intelligenda, quæ partim peregrinatur in terra,partim cum Deo regnat in cœlis : et licet in terra habitet,cœlestis est,tamen,quia ejus conversatio in cœlis est : quæ etiam bene omnium fidelium mater dicitur,quia omnes per aquam baptismatis in unam infantiam parturit.Et quia duarum matrum fecerat mentionem, voluit exemplo suam confirmare narrationem ; ideoque subjunxit : *Scriptum est* (in Isaia scilicet) ; *Lætare, sterilis*. etc. (*Isai.* LIV, 1) Hortantis est sermo.Hortabatur quippe propheta, ut lætaretur, et erumperet, et clamaret : *Quia multi filii desertæ*, etc, *Desertæ* dicit, a primo scilicet homine peccante, qui mox ut peccavit, supernorum civium consortium deseruit.Sive *desertæ*, quia tempus pariendi non habebat ; synagoga vero habuit virum,et pariendi tempus,et multos sanctos peperit.Nam sciendum quia donec Abraham non genuit Isaac, id est Deus Pater pro humani generis salute Filium suum ad terras non misit, synagoga fecunda fuit ; adveniente vero illo,quæ erat sterilis, facta est fecunda. quia per fidem Christo inhæsit : illa vero, quæ erat fecunda. infirmata est,quia per infidelitatem a Christo recessit, et virtutum propositum amisit ; unde propheta : *Exspectantibus me multis diebus* (946], etc. Hinc est quod ait Anna : *Sterilis peperit septem* (947), etc.

Sequitur : *Nos autem fratres*, etc. De se (948), suisque similibus dicit.Origenes vero dicit quod legendum sit, *vos*. Et hoc non est contrarium, quia Apostolus spiritu prophetico præviderat Galatas ad pristinam fidem reversuros ; maxime quia non studio, sed ignorantia peccaverunt.

Sequitur : *Sed quomodo tunc secundum carnem natus fuerat*, etc. Hoc non legitur in historia libri Genesis ; videlicet quod Ismael persecutus sit Isaac : verumtamen legitur, quod, cum luderent ambo simul. graviter hoc accepit Sara, et dixit· *Ejice ancillam et filium ejus* etc. (*Gen.* XXI, 10)· Illum namque lusum Apostolus persecutionem appellat ; sed videndum est quare. Videlicet legis doctor erat secus pedes Gamalielis legem didicerat ; et quia intellexit vim legis ipsum lusum non fuisse simplicem ; ideoque persecutionem vocavit. Sara quoque intellexit quod forte vellet eum trahere ad scurrilitatem ut similis sibi fieret, et in hæreditate præferri posset ; aut certe vellet eum trahere ad idolum ; aut, quod magis doctores suspicantur (949) primogenita sibi vellet vindicare : et ideo graviter accepit. Verum quod ait : *Ita et nunc*, potest referri ad Galatas, et legis æmulatores, nec non ad totam Ecclesiam et omnes carnales.

Sequitur ; *Sed quid dicit Scriptura* ? Deterrentis est sermo. Ad deterrendos quippe Galatas hoc subjunxit exemplum ; quasi diceret : Vos ; qui filii ancillæ esse vultis, quare non attenditis quid dicat Scriptura ? Quatenus, dum illi audirent ancillam ejectam,et filium ejus, terrerentur et timerent ne a perpetua hæreditate excluderentur.Illud sane sciendum quia, quanquam iniquitas sublevetur, quanquam hæretici, aut potentes adversus humiles, et pauperes inflentur, verumtamen servi sunt, et ancillæ filii.

Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, Vel de se, suisque similibus dicit, ut supra (950) vel certe suam personam Galatis conjungit, quia prævidebat eos reversuros. Et ut ostenderet a quo, vel per quem facta fuisset ipsa libertas. excludens omnia præter gratiam, subjunxit : *Qua libertate nos Christus liberavit* ; quasi diceret ; Non merita, non lex, neque circumcisio, sed Christus, hoc est, quod ipse ait ; *Si filius vos liberavit*, etc. (*Joan.* VIII, 36).

(CAP. V.) *State* Quia non ex toto ceciderant. Et ideo, quoties sermo,vel admonitio ad bonos fit, isto utatur sermone ; ad malos vero. surgere. Et quod stare ad bonos, propheta : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*IV Reg.* v, 16) ; et Dominus ad Moysen : *Sta tu hic mecum* (*Deut.* III, 31) ; et Stephanus : *Video Jesem stantem* (*Act.* VII, 35) ; quia stahanc Epistolam expositione,hunc textum adducens, testamentum vocat.

tamen tum textus ipse, tum divus Hieronymus in hunc textum mihi suaserunt.

(945) Græce παροικία.

(946) Ose, III, 3, dies multos expectabis me.

(947) I Reg. II. 5 ; Jer. XV, 9, numerus *septem* legitur in Jer. in textu cit. Reg. autem loco *septem* legitur *plurimos*.

(948) Pronomen *se* in textu non legitur Addendum

(949) Supino errore in cod legitur *suscipiantur*.

(950) *Ut supra* legendum censui compendiose scriptas litteras *usp.*: potissimum cum paulo superius de filio ancillæ, et liberæ, et de interpretatione sui, suorumque similium sermo sit.

bat, stantem videbat ; et Psalmista : *Statuit supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX, 3) ; id est gressus meæ intentionis in Christum collocavit ; et : *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*I Cor.* X, 12) ; et : *State in fide*, etc. (*I Cor.* XVI, 13). His omnibus exemplis manifestat, quia bonorum est stare, malorum vero, atque non credentium, jacere. Unde propheta non credentibus : *Surge, illuminare, Jerusalem* (*Isai.* LX, 1) ; et : *Exsurge, qui dormis* (*Ephes.* V, 14) ; et : *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 11).

Et nolite : ex superioribus pendet. Dixerat superius : *Non sumus filii*, etc. Et ob hoc subjungit : *Nolite*, etc. ; quasi diceret : O Galatæ, quia liberi facti estis, quare iterum servituti vos subdere vultis ? Et sciendum quia ille, qui carnaliter (951) legem intelligit, et carnaliter vivit, vel qui spiritaliter (952), carnaliter tamen vivit, sub servitute detinetur. *Iterum* dicit, quia superius dixerat eos elementis mundi fuisse servientes ; et iterum volunt elementis litteræ legis deservire.

(953) *Ecce ego Paulus*, etc. Dominus enim dicit : *Qui vos audit, me audit* (954). Et Paulus : *An experimentum quæritis ejus* ? (*II Cor.* XIII, 3.) Et ideo cum dixisset : *Cæteris ego dico, non Dominus* (*I Cor.* XII, 12), ne illius dicta contemnerentur, subjunxit : *Puto quod et ego Spiritum Dei habeo* (*Ibid.*, 40). Ac per hoc ostenditur quia qui Paulum audit, Christum audit. Et ideo non minus sunt verba illius servanda, quam illorum, qui dicebant : *Hæc dicit Dominus*. Quare dicit : *Ecce ego* ? cum superius se apostolum ostendisset, auctoritatem suam vult manifestare quasi diceret : Ego Paulus dico, qui mea auctoritate assero, et evacuandam esse legem, et nihil prodesse circumcisionem, et qui meum dilectum discipulum circumcidere præcepi Timotheum, non ut ostenderem prodesse circumcisionem, sed causa salutis aliorum. *Quoniam si circumcidamini*, etc. Sed quare hic dicit nihil prodesse circumcisionem, cum ad Romanos : *Circumcisio prodest, si legem observes* (*Rom.* II, 25) ; et alibi : *Quid amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis* ? *Multum per omnem modum* (*Rom.* III, 1, 2). Sed intentio est inspicienda. Ibi namque intentio fuit monere, ut illi qui crediderant ex circumcisione, non cogerentur ad præputium ; et, qui ex præputio, ad circumcisionem : hic vero monet Galatas ad circumcisionem nolle transire, quoniam nihil prodest.

Testificor autem, etc. Hoc adversus illos, qui erant æmulatores legis, cogentes Galatas ad circumcisionem transire. Quasi diceret : Si ad circumcisionem transitis, cæteras etiam observationes quivare debetis. Facit etiam adversus Ebionitas serdicebant nil prodesse circumcisionem sine fide (955) et qui eum verum apostolum esse negebant, dicentes eum aliter cum Judæis agere, aliter gentes docere agere debere. Quasi diceret : Si hoc unum servatis, et cætera servare debetis ; quoniam qui hoc unum dedit, ipse etiam cætera tribuit. Sed poterant illi respondere : Ea quæ possibilia sunt sequamur, impossibilia vero relinquamus. Sed tamen non est talis sensus Apostoli ; quoniam omnia eos servare vult.

Evacuati estis a Christo, id est alienati, dejecti et separati : *qui in lege justificamini*, etc. ; id est qui a superioribus (956) legis creditis vos justificari, alienati estis *a gratia*, id est separati. ***Nos autem*** (957) *spiritu*, etc. Spiritum dicit adversum litteram : spem, justitiam, Christum appellat. Et est sensus : Nos autem (958) per fidem Spiritus exspectamus Dominum Christum, in cujus adventu non erit misericordia, sed justitia : ipse enim omnis virtus. Hunc etenim adventum præstolabatur Apostolus cum suis similibus dicendo : *Adveniat regnum tuum* : ut cum tradiderit regnum Deo et Patri, sit Deus omnia in omnibus, ut quomodo specialiter nunc regnat in singulis, postmodum generaliter in omnibus.

(959) *Nam in Christo Jesu*, etc. Circumcisionem dicit nil valere propter Galatas transeuntes. Et quare præputium, cum neminem lateat non prodesse ? Sed propter illos, qui ex oleastro in bonam olivam fuerant inserti (*Rom.* XI, 17), ne gloriarentur adversum circumcisos, dicentes se majoris dignitatis esse, quia Abraham præputiatus credidit. Et ideo utrorumque periculum vitans, dixit circumcisionem et præputium nil valere.

Sed fides, etc. Magna virtus est fidei, *quæ per charitatem operatur*. Et quod magna sit, manifestat Dominus per similitudinem loquens de homine, qui debebat denarios quingentos (*Luc.* VII, 41) ; ubi subjungit de muliere : *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* (*Ibid.*, 47), et : *Fides tua te salvam fecit* (*Ibid.*, 50). Ubi ostenditur quod Deo magna sit, quod per eamdem veniam suorum peccatorum quis consequi potest.

(968) Sequitur : *Currebatis bene*, etc. ; lucem veritatis, non umbram legis sequendo. *Quis vas impedivit* ? Id est, a quo perverso doctore decepti

(951) Verba, *legem... carnaliter*, in inferiori marg. codicis habentur.

(652) Subauditur forte *intelligit*.

(053) In autog. marg. hic legitur cap. XXIV.

(954) Luc. x, 17. In cod. legitur : *qui vos odit, me odit*. Sed præterquam quod nullibi textus iste, illud etiam huic emendationi astipulari visum est quod textus, *qui vos odit*, nihil ad rem nostram, alter autem *qui vos audit*, plurimum facere videtur, ut ex sequenti textu et interpretatione.

(955) Legendum potius videtur *fidem sine circumcisione* : quia talis erat Ebionitarum error, qui vellent Novum et Vetus Testamentum, scilicet Evangelii simplicitatem cum legalibus observationibus copulare.

(956) Fortasse *quia superstitionibus*.

(957) Vulg. *enim*.

(957) In cod. loco *nos autem* legitur *aut*, quæ cum repitio textus sit emendandam censui.

(959) In autog. marg. hic legitur cap. XXV.

(960) In autog. marg. hic legitur cap. XXVI.

estis ? Potest quis uti hoc versiculo,si viderit quempiam a sanctis moribus ad reprobos mores transire et dicere : Bene currebas ; quis te impedivit ? Dicit beatus Hieronymus : Superfluum est veritati non obedire, quemadmodum superius,ubi dicit : *O insensati Galatæ*, etc.

Persuasio, etc. *Ex eo*, quod dicit, ex Deo, vel ex aliquo doctore intelligendum est, id est, ex illis, qui vocant vos non ex eo, qui revocat. Nonnulli interpretum decepti dixerunt, ex eo, id est, ex Deo tantummodo (961).

Modicum fermentum, etc. Et quia poterant illi dicere : O Apostole, quare tam duriter et acriter nos increpas, cum non omnes decepti simus ? Ad hoc respondit : *Modicum fermentum*, etc.,quasi diceret: O Galatæ, quanquam pauci fuissent illi, qui ex Jerosolymis descenderunt, tamen non contemnatis eos ; quia modicum fermentum,id est, paucitas illorum, totam vestram regionem conturbare potest. Poterant etiam dicere : Tam acriter et dure nos increpas,cum nos solummodo ad unum præceptum id est ad circumcisionem transissemus. Ad hoc respondit : *Modicum fermentum*, quasi dicat : O Galatæ, illud unum præceptum totam massam vestræ fidei corrumpere potest. Latius Origenes hunc locum tractat. Dicit enim : Sicut scintilla corruens, domus,mœnia, civitates incendit, latos saltus (962) percurrit, et unum membrum totum corpus inficit et una ovis totum gregem commaculat ; ita et unum præceptum implendo, totam massam fidei vestræ corrumpit, nisi abscindatur : quemadmodum scintilla, nisi exstinguatur, et membrum, nisi abscindatur,et ovis, nisi excludatur. Dicit enim Hieronymus (963) : Scintilla fuit Arius, quæ si exstincta fuisset,nequaquam tam mundi partes peragrasset. Invenitur iste sermo in Epistola ad Corinthios(*I Cor.* v, 6) ; sed ibi pro aliquo parvo vitio, hic vero vel pro circumcisione,vel pro illis, qui ex Jerosolymis descenderant.

Ego confido, etc. Iste enim egregius prædicator præviderat prophetico spiritu Galatas ad pristinam fidem reversuros ; et ideo dicebat cum abjectione nominis Domini, *confido*. Si enim humano ingenio, vel sensu agnovisset,nequaquam diceret : *In Domino*. Quod vero subjungit:*Sapietis*, subaudiendum est, quod in Epistola legitur. Et his verbis donat illis spem resipiscendi.Ubi monentur prædicatores, ut, cum suos redarguunt, spem resipiscendi tribuant.

Qui autem conturbat vos, etc. Nonnulli dicunt de Petro dixisse, quia paulo superius reprehensibilem eum esse dixerat. Sed non est consequens,ut principem apostolorum, jam perturbatis Ecclesiis, tam acriter increpasset, maxime cum ipse, non causa dissensionis,sed pacis insimulatione fuisset inductus.Sed consequens est ut intelligatur aliquis magnæ auctoritatis fuisse inter apostolos, vel Jerosolymis,qui magnæ auctoritatis haberetur apud Galatas ; et ideo Apostolus, tacendo nomen,ex officio personam notat. Quod vero dicit : *Conturbat*, talis est sensus : Turbati erant isti, quia nonnulli volebant præferre litteram spiritui ; quidam vero meliorem legem gratia : nonnulli autem (963) gratiam volatilem, et falsam, nullisque veritatis radicibus veram esse firmabant. *Portabit judicium*, etc. : sive hac in præsenti vita, sive in futura : nam magnum malum est occasionem peccandi tribuere.Quod Dominus manifestat, cum dicit : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis*, [etc. (*Marc.* IX, 41.) Illi. qui majoris criminis rei habebantur,tali pœna plectebantur (965).Et quia Galatæ pusilli erant in fide, et iste occasionem scandalizandi tribuerat, judicium portare debebat.

(966) *Ego autem fratres*, etc. Hic quærendum est quare se dicat Apostolus circumcisionem prædicare cum per totam Epistolam ad destructionem ejusdem laboraverit. Sed sciendum,quia non prædicat circumcisionem ; sed ille, de quo superius dixerat : Seminaverat hoc, dicens : Non vera vobis Paulus aperit ; quoniam Petrus, Jacobus et Joannes, circumcisionem prædicant et servant,similiter et Paulus ; nam et suum discipulum Timotheum circumcidit, et cum Judæis se in templo purificavit. Et ideo dicebat : *Et ego, si circumcisionem prædico*, etc., quasi diceret : Si ita est, sicut ille dicit,quare *persecutionem patior* ?Quasi diceret:Non patior persecutionem, quia natum et passum Christum prædico,sed quia evacuandam esse circumcisionem doceo.

(961) Divus Hieronymus in hunc textum ait : Melius igitur,et versus sic legitur : *Persuasio vestra non est ex eo,qui vocavit vos. Aliud quippe Dei opus est,aliud hominum.* Sensus hic aliquando obscurior; ex citato tamen divi Hieronymi textu apparet hunc esse Attonis sensum : quod dicit divus Paulus persuasionem hanc non esse *ex eo*, intelligendum est, de Deo, vel de doctoribus, seu apostolis,qui vocant vos,non vero de his, qui revocant, id est, pseudoapostolis,quorum e contrario erat revera persuasio hæc. Deceptos autem nonnullos ait Atto,qui illud *ex eo*,non ex doctoribus sed ex Deo tantummodo interpretati sunt : veritus fortasse ne vacua et frustranea Dei vocatio videretur evadere in Galatis, qui a vocatione desciverant, si illud *ex eo qui vocat vos*, de Dei vocatione tantum intelligeretur. Divus Augustinus in hanc Epistolam ait :*Hæc enim suasio carnalis est.*

(962) In cod. *altos altius legitur*. Mendam corrigendam censui.

(663) In hunc textum hujus Epistolæ.

(964) Hoc adverbium ita legitur *All.* posset legi *alii aliter allegorice.*Vinesis,lector, quæ tibi magis arrideat.Spiritu pene dixerim prophetico gratiam volatilem,sive ut aiunt moderni theologi, versatilem prævidit auctor noster, eamque prævenire exsibilare contendit,ac sategit.Vibe quæ de gratia frequenter in Epistolæ ad Rom. expositione.

(964) Scilicet ut in Evangelio per impositionem molæ asinariæ collo rei,et dejectionem in mare.

(966) In autog. marg. hic legitur cap. XXVII.

Ergo evacuatum (967) *est scandalum*, etc. Namque prædicabat Apootolus Christum Jesum crucifixum, quod *Judæis quidem scandalum* erat, *gentibus autem stultitia* (*I Cor.* I, 23), non credentibus. Et ideo dicit: *Ergo evacuatum est*, etc. Quia si circumcisio non salvat, frustra prædico circumcisionem prodesse.

Utinam et abscidantur, etc. Sed quare iste discipulus veritatis illius, qui dixerat: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V, 44); et idem Apostolus: *Benedicite persequentibus vos* (*Rom.* XII, 14); et: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10); quare imprecatur istos abscidi? Sed solvitur. Potuit enim fieri ut condolens Galatas deceptos, qui pretioso sanguine Christi fuerant redempti, stomachatus et indignatus diceret: *Utinam absidantur;* id est, utinam perderentur, qui vos conturbant, de medio vestri, ut vos salvaremini. Alio sensu: Utinam abscidantur; id est, si aliqua salvatio est in circumcisione, utinam abscideretur illud membrum, in quo est salvatio, ut eunuchizati redderentur; unde Dominus: *Melius est cum uno oculo*, etc. (*Matth.* XVIII, 9; *Marc.* IX, 46).

Vos enim in libertatem vocati estis, etc.; quasi diceret: Qui ad libertatem transitis, videte ne propter libertatem secundum libitum vestrum vivatis. Sive quia ad libertatem transitis, videte ne libere ad circumcisionem transeatis, (968), et pseudoapostolis pareatis, ut illis subdamini; nam illi ideo volunt vos ad circumcisionem transire, ut illis subdamini, quatenus quod impenditis per timorem, impendatis per amorem. Et ideo subjungit: *Sed per charitatem*, etc.

(969) Dicit enim beatus Gregorius: Tunc nos charitas a jugo servitutis perfectos reddit, quoties nos nostro vicissim per amorem servitio subdit; sive tunc nos a jugo servitutis perfectos reddit, quoties nos nostra bona aliis impertimus,et aliorum nostra deputamus.

Omnis enim rex, etc. Quasi diceret. O Galatæ, quare ad legales observationes transire vultis, cum omnia uno sermone compleantur? Et quis sit ille sermo, subjungit: *Diliges proximum tuum*, etc. Sicut enim in Epistola ad Romanos dicit: *Dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII, 10); et: *Plenitudo legis est dilectio* (*Id.*, *ibid.*); ita et hic. Sed quare solummodo in dilectione proximi plenitudinem dicat esse legis, cum dicat Evangelium (970): *Lex pendet, et prophetæ?* Ideo, quia una ex altera pendet, et una sine altera esse non potest. Ac per hoc qui diligit proximum, Deum diligit, quia præceptum ejus diligit. Præceptum namque Dei est diligere proximum: et qui Deum diligit, proximum similiter. Et quia jam una pendet ex altera, quare non proponitur dilectio Dei! Ob hoc, quia probabilior redditur homo dilectione proximi, quam Dei. Nam potest quis dicere: Diligo Deum; et, si non diligit, ignoratur; si vero proximo dixerit, facilius probari potest, quoniam, si mala quæ potest irrogat, et bona quæ potest non impertitur, aperte se manifestat non diligere proximum. Et ideo dilectionem proximi posuit, non Dei.

Quod in invicem mordetis, etc. Ex diversis namque disputationibus, aliis dicentibus meliorem esse legem gratia, aliis meliorem esse litteram spiritu, aliis meliorem apertum Judaismum, aliis meliorem occultum, etc., variæ oriebantur contrarietates. Sed jam nonnulli ideo se circumcidebant, ut aliis præferrentur, et hoc faciendo invidebant, et alios ad invidentiam trahebant, et hoc faciendo consumebantur. Et ideo hoc dicebat Apostolus. Alio sensu: *Quod si invicem mordetis;* id est, si ad carnalem circumcisionem legis transieritis, invicem mordetis, quia vindictam exigetis. Nam lex dicit: *Oculum pro oculo*, etc. (*Levit.* XXIV, 20,; et dum vindictam expetitis, consumemini, quoniam non jam unus, sed duo pereunt. Sed quomodo poterant Judæi ab his omnibus prædictis se eruere, nisi spiritaliter viverent?

(971) Et ideo subjungit: *Spiritu ambulate*. Ille enim spiritu ambulat, qui opera carnis non perficit; et ille carne non ambulat, qui opera carnis non perficit, reluctante spiritu. Item tunc opera carnis non perficiuntur, cum reluctatur spiritus; et tunc opera spiritus perficiuntur, cum nullus motus reluctans carnis in nobis invenitur. Quod enim hic dicit: *Desideria carnis non perficietis*, tale est quale et illud in Epistola ad Romanos, ubi dicit: *Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18). Sicut enim ibi de bonis, ita et hic loquitur de malis.

Sed notandum quia aliud est facere bonum, et aliud perficere. Facere namque bonum est concupiscentiis resistere; perficere, non concupiscere. Sicut aliud est non peccare, et aliud absque peccato esse. Non peccare possumus, id est concupiscentiis resistere; absque peccato esse non possumus, quia concupiscimus. Similiter et hic aliud est habere desideria carnis, et aliud non perficere. Desideria namque carnis non habere non possumus, quia concupiscimus; sed tamen non perficimus, quia concupiscentiis resistimus; sed tunc perfecte, cum *absorpta fuerit mors in victoria* (*I Cor.* XV, 54), et *cum mortale hoc induerit immortalitatem* (*Id.*, *ibid.*).

Caro enim concupiscit, etc. Quæ nolumus, ea facimus (*Rom.* VII, 16), et concupiscimus. Isto etenim modo generaliter doctores ad confirmationem sui

(967) In cod. *evacuandum*; quod juxta omnes textus, tum Græcos, tum Latinos emendandum censui.

(968) *A circumcisione* habet codex; quod ut emendavimus legendum quæ immediate sequuntur probant.

(969) In autog. marg. hic legitur cap. XXVIII.

(970) Addenda censuimus verba *dicat Evangelium*, Matthæi scilicet XXII, 40, *in his duobus mandatis*, scilicet in dilectione Dei et proximi, etc.

(971) Hic in autog. marg. legitur cap. XXIX et Dominica XIV post Pent.

hoc exemplum tranere solent. Sed valde laborandum, ne videatur Apostolus a cœpta intentione recessisse insolite. Nam solet ille prælibando causam tangere, quam in sequentibus exaggerat. Sed talis est intentio. Cœperat destruere carnales legis observationes ; adhuc in intentione perseverans, dicit : *spiritu ambulate* ; id est, spiritaliter legem intelligite, quia si feceritis, desideria carnis non perficietis, id est vindictam non exigetis. Caro concupiscit, id est carneus sensus adversus spiritalem, et spiritalis adversus carnalem. Et si contigerit ut carnalis superetur (972) a spiritali, totus homo dicitur spiritalis ; similiter et alterne. Quod non solum in duobus hominibus, sed in uno ; nam solet evenire ut aliquando præferat (973) spiritalis carnali, et carnalis spiritali. *Non quæcunque vultis*, etc.; id est, vindictam non expetatis.

Quod si spiritu ducimini, etc., id est, si Spiritu Dei agitamini et movemini, *non estis sub lege ;* quia lex non est posita justis ; sive Spiritu Dei agitamini, si spiritaliter legem intelligatis, *non estis sub lege,* quia ultionem non exquiretis, nam caro afflicta quid aliud desiderat, nisi vindictam ? Sed spiritaliter intelligatis, non expetatis.

Manifesta autem sunt opera carnis, etc. Sed quærendum est quare dicat Apostolus ista omnia carnis esse, cum quædam spiritus esse videantur, id est æmulationes, inflationes, etc. Sed hæc quæstio solvitur per tropum quo pars partem comprehendit, ut caro pro toto homine accipiatur, quatenus talis sit sensus : *Manifesta sunt opera carnis*, id est cujusvis hominis. Sed nonnulli dicunt carnem esse incentivum et originem omnium vitiorum. Sed dicit beatus Augustinus : Illi qui hoc dixerunt, non ordinem naturæ intellexerunt ; nam non caro corruptibilis animam fecit esse peccatricem, sed anima exstitit auctrix peccati carnis corruptibilis, quæ est pœna peccati. Tamen habet caro fastum gravitatis, quo (974) anima gravetur, ut aliud : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, etc. (*Sap.* IX, 15.) Dicit enim ipse : Ascribenda sunt hæc vitia animæ, ne videatur diabolus carens carne ab his omnibus excludi. Nam dicitur adulter, homicida, ob hoc, quia auctor et incentor est omnium, et his similia. Non enim dicit hæc (975), ne videantur illa excludi, quæ homines a regno separant.

Quæ prædico vobis. Prædixit, cum adesset corporali præsentia, et prædicit per hanc Epistolam ; sive prædixerat in Epistola ad Corinthios, ubi ista dinumerat, quia potuit fieri ut ad manus ipsorum pervenisset. Et non est contrarium quod dicit *vobis* quia omnibus Ecclesiis suas scripsit Epistolas.

Fructas autem spiritus, etc. Nota quia vitia opera carnis appellat, spiritus (976), virtutes, quia illa destrui possunt, ista vero proficiunt. *Adversus hujusmodi non est lex*, non dicit adversus hæc, ne videantur cætera exclusa. Adversus hujusmodi non est lex, dicit, quia illi qui in talibus morantur non sunt sub lege, quia lex non est posita justis, sed injustis, sive spiritalibus et spiritaliter viventibus non est lex. Sed sciendum quia superius præposuit vitia, deinde virtutes. Et necesse est ut primum vitia destruantur, deinde bona peragantur, ut Psalmista : *Declina a malo*, etc. (*Psal.* XXXVI, 27) et Jeremias : *Posui te ut evellas*, etc. (*Job* I, 10) ; et Jacobus : *Propter quod abjicientes omnem immunditiam* (*Jac.* I, 21).

Plura posuit vitia quam virtutes, quia plura sunt. Sed quis non animadvertat singula vitia singulis destrui virtutibus ? Fornicatio namque quid aliud est, nisi adulterina cogitatio quæ homines separat a Deo ? Sed nulla virtute melius destruitur virtute charitatis. Immunditia, et impudicitia, et cætera, quæ pudet apostolos nominare (*Ephes.* V, 3 ; *Coloss.* III, 5), ut illi pudentes verecundos facerent (977) filios Israel, non melius destruuntur quam gladio spiritali.

Qui autem sunt Christi, etc. Origenes enim hoc modo hunc locum superiori conjungit : *Adversus hujusmodi non est lex, qui carnem Christi crucifixerunt.* Notandum enim quia Verbum Dei, sumendo carnem, nos sibi sociavit : nam caro nostra illius est, et membra nostra illius. Ergo cum illo crucifixi sumus ; ergo non terrenis debemus inhærere, sed spiritalibus immorari, ad exemplum illius qui dixit : *Memento mei, Domine*, etc. (*Luc.* XXIII, 42), si vero separatim dicas : *Carnem suam*, etc., non Christi est intelligendum, sed alterius ; quasi diceret : O vos Galatæ, cum vos jam crucifixistis, quare ad circumcisionem transire vultis, cum nihil prosit circumcisio crucifixis ?

(978) *Si vivimus spiritu*, etc. Quid est quod dicit, vel quis dicit hoc ? Interior homo, quasi contigerit ut ille homo separetur : a spiritu dicitur spiritualis, sicut a carne carnalis. Potest quis uti isto versiculo, si viderit aliquem carnaliter conversari.

Non officiamur, etc., ex superioribus pendet, quia dixerat : *Si vivimus spiritu, et ambulemus spiritu, non efficiamur inanis gloriæ*, etc. Provocantes namque et individentes erant, aliis dicentibus meliorem esse legem quam gratiam, et cætera, sicut superius, et hoc faciebant qui invidebant. De isto etenim ser-

(972) In autog. *separetur.*
(963) Autog. *referat.*
(974) In autog. legitur : *Habet caro fastum gravitatis, quibus anima gravetur.* Loco *quibus* legendum duximus *quo ;* quid autem pro *fastu* intelligendum, non valde obvium, nisi cum Alino ex Latinis *fastum facere* pro *injuriam irrogare* intelligamus, ut sensus sit : *Habet caro fastum*, id est *patitur caro injurias gravitatis* quod ex textu inferius citato comprobari videtur.

(975) Id est, *non enim dicit hæc*, id est non opera tantum carnis intelligendus est divus Paulus commemorare, *ne videantur illa excludi*, id est peccata spiritus, superius commemorata, *quæ homines*, neque ac illa, *a regno Dei separant.*
(986) Verbum *spiritus* desideratur, et addendum censui.
(977) *Facite* quod loco *facerent* legitur in col., ita emendadum censui. An recte, videsis, lector.
(978) In autog. marg. hic legitur cap. XXX.

mone, quo est *gloria*, multi libri exstant gentilium. Invenitur etiam et in divinis. Sed ponitur in bono et in malo : in malo, ut est illud : *Omnia opera sua faciant ut glorificentur*, (979) *ab hominibus ;* in bono ut est illud : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31, *II Cor.* X, 17) ; et : *Ego gloriam meam non quæro* (*Joan.* VIII, 50). Et ideo quia et in bono et in malo ponitur, cum adjectione posuit *inanis ;* debemus namque esse cupidi, sed non inanis gloriæ. Verbi gratia facit aliquis eleemosynam : si studio placendi hominibus, inanem ; si Deo, solidam gloriam quærit. Adit quis martyrium : si deo, ut membra illius venerationi habeantur, et ut ille martyr dicatur, iste inanem gloriam quærit. Unde ubi nos dicimus : *Si tradidero corpus meum, ut ardeam* (*I Cor.* XIII, 3), melius in Græco habetur, *in gloria* (980) : si vero, ut a Deo retributionem accipiat, ille solidam gloriam quærit.

(981) (CAP. VI.) *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo*, etc. Fratres appellat spiritales : hominem appellat fragilem, et in ipso nomine ostendit illum veniam et indulgentiam promereri. Nam hominem dicit, id est, fragilem et peccatorem. Et nota quia *præoccupatus* dicit. Ille præoccupatur, qui non studio, non meditatione, non deliberatione peccat, sed casu. Et nota, quia non dicit : *In multis*, sed *in aliquo ;* quia ille, qui præoccupatur in aliquo *in spiritu lenitatis* corrigi debet.

Vos qui spiritales estis ; id est, vos, qui ultra homines estis, *instruite in spiritu lenitatis*, id est, mansuetudinis, ut non sis rigidus, sævus, crudelis ; quia si severus et crudelis existas, non es imitator illius, qui de cœlo descendit ad terras pro salute humani generis. Sed oritur quæstio quare dicat in spiritu lenitanis corrigi, cum in Epistola ad Corinthios dicat : *In virga veniam ad vos*, etc. (*I Cor* IV, 21). Sed facile solvitur. Quia illi, qui studio, meditatione et deliberatione peccant, necesse est virga severitatis corrigantur ; illi vero, qui casu, in spiritu lenitatis. Potest referri ad superiora, ut sit sensus : Si aliquis tardus ex gentilitate vel ex Judaismo venerit ad fidem, tolerandus est, quousque proficiat. Et quare dixerat : *In spiritu lenitatis*, subdit : *Considerans te ipsum*, etc., quasi diceret. Considera te hominem esse fragilem, peccare posse, et potuisse. Et nota quia, non dicit : *Ne tu cadas*, sed, *ne tu tenteris*. Nam cadere, vel non cadere nostræ potestatis est, una cum Dei adjutorio (982) ; tentare vero, non tentati, sed testantis est in potestate.

Sed forte dicit aliquis jam longo senio confectus, sed ideo timet acriter corrigere (983) ; ego jam in portu tranquillitatis consisto, acriter corrigere, possum. Sed si ille timet, ne tentetur, acriter corrigere, multo magis iste facit : quia cogniscit per quot et quanta pericula ad tranquillitatis portum pervenire potuit. Adit quis martyrium, et evadit, et videt aliquem diversis cruciatibus afflictum negare : non miratur quod ille negavit, sed quomodo evadere potuit.

Alter alterius. Salutaris est hæc admonitio. Tunc etenim onera portamus, cum nostra firmitate alterius infirmitatem, et sapientia insipientiam sustentamus. *Et sic adimplebitis*, etc. *Legem Christi* appellat præceptum Christi, illud utique, unde ipse dicit : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* (*Joan.* XV, 12), Quod præceptum in exaggerat, ut in sequentibus dicat (984) : *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis*, etc.

Nam si quis, etc. Verbi gratia videt aliquis quempiam insipientem, ex illius insipientia vult esse sapiens ; similiter injustum, etc. *Cum ille aliquid æstimat se esse, et nihil est, seducit se :* potest referri ad superiora, ut sit sensns : Si quis existimat aliquid esse in circumcisione, cum sit nihil, seducit se. Ad superiora attinet quod subdit : *Opus autem suum*, etc. ; quasi diceret : si interiora sua perscrutatus fuerit, agnoscere potest, cognoscere valet in se, si habet unde glorietur. Nam nullus ei vicinior est ipso, et ideo si scrutatus fuerit, non suas vires alterius viribus metietur.

Unusquisque, etc. Contrarium est hoc superiori loco, ubi dixerat : *Alter alterius*, etc. Sed non est contrarium, quia ibi de operibus pietatis et castitatis loquebatur, hic vero de merito, ut sit sensus : *Unusquisque onus suum portabit ;* id est, unusquisque secundum proprium meritum accipiet retributionem. Potest referri ubi dicit, *alter alterius*, ut sit sensus : Tu quis es ? non dubitas alterius infirmitatem sustentare, quia non vice illius inquinaberis, quoniam *unusquisque onus suum portabit*. Potest referri ad hoc quod dicit *in altero*, ut sit sensus : Non laudibus alterius extollaris, ut talem tu esse credas qualis diceris, quia et tu tuum, et ille suum onus portabit.

(979) Vulg. *videantur*. Ipse autem divus Hieronymus in hanc Epistolam, hunc Mathæi textum allegans, legit *glorificentur*.

(980) Non *in gloria*, sed *glorier* habet Græcus textus, facile autem fuit καυθήσομαι et καυχήσομαι quorum alterum *ardeam*, *glorier* alterum significat, et quæ una tantum littera distinguit, unum pro altero accipere.

(981) Hic in autog. marg. legitur cap. XXXI.

(982) Vide qua cautela hauserit textum hunc auctor noster vere Augustunianus a divo Hieronymo in hujus Epistolæ, et capitis expositione : ubi enim divus Hieronymus ait : *Vinci quippe, vel vincere nonnunquam in nostra est potestate*, addit Atto : *una cum Dei adjutorio*.

(985) Sensus hic aliquantum obscurior. Videtur mihi talis esse ordo verborum, et sensus : *Dicit aliquis senio confectus ; ideo timet Apostolus acriter corrigere, quia tentari timet : ego autem jam in portu consisto ; possum igitur acriter corrigere*, respondet auctor noster : *sed ille timet, multo magis iste, senex videlicet, quia cognoscit*, etc. ; vide divum Hieronymum in hunc textum.

(984) Scilicet in sequentibus non textus citati, sed huic similis, XIII, 34 : scilicet *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Cui adhæret vers. 35 immediate, sequenti textus infra citatus *in hoc cognoscent*, etc.

(985) *Communicet autem*, etc. Hactenus allocutus fuerat fortes, qui patienter aliorum infirmitatem poterant tolerare. Func alloquitur subjectos, qualiter erga suos prædicatores consistere debeant. Nam solet evenire ut, dum prædicationi operam dant, inopiam patiantur. Et ideo monentur ab Apostolo, ut communicent se auditores prædicatoribus in omnibus bonis, id est, victum et vestimentum tribuant. Quod idem Apostolus alibi : *Habentes victum et vestimentum his contenti sumus* (986).

Sed sciendum quia bona temporalia idem Apostolus, secundum humanam consuetudinem, bona esse dicit. Et quid mirum cum etiam Dominus necdum perfectis discipulis ad calcem pervenientibus (987) dicat : *Si ergo, cum sitis mali*, etc. (*Matth.* VII, 11) ? Et forte Job bona dixerat esse bona temporalia ad intentionem suæ uxoris dicentis : *Benedic Deo et morere* (*Job*, II, 9) ; respondens : *Si bona suscepimus*, etc. (*Ibid.*, 10). Bona dixerat panis. Erant mala quæ sustinebat. Cognoverat enim ille vir Dei, et Deo plenus, bona dici non posse, nisi virtutes, quæ nos beatos reddunt, et mala, quæ miseros. Sed secundum humanam consuetudinem loquebatur. Nam quando sacra Scriptura secundum suum modum et linguam loquitur, virtutes aut vitia, bona vel mala esse confirmat.

Nolite errare, etc. Et quia poterat aliquis respondere et dicere : O Apostole, hoc agere non possum, quoniam ager meus hoc anno siccitate aruit ; vineam meam grando consumpsit ; censum tributa regia exhauserunt ; hoc, quod dicis, agere non possum ; ad hoc respondit : *Nolite errare* (988), quasi diceret : Nolite hoc dicere, quoniam dicendo erras, quia in hominem fallis, Deum fallere non potes. Novit enim ipse horreum, cellarium, omnem supellectilem tuam.

Et ne ille putaret se perdere quod dedisset, ideo subjunxit : *Quæ enim seminaverit homo*. etc., quasi diceret : Ne putes te amittere quod concedis, quoniam retributionem percipies. Et sciendum quia duo sunt agri : est spiritalis, est carnalis ; cum spiritalia agimus. in spiritali agro ; et cum carnalia, in carnali seminamus.

Et quia dat similitudinem seminantis, vult eamdem dilucidare. Subjunxit : *Quoniam qui seminat in carne sua*, etc. In carne seminant, qui suis carnalibus delectationibus satisfaciunt, id est, libidines, etc. Metunt *corruptionem* ; id est, supplicium æternæ damnationis. *Qui autem seminant in spiritu*. Illi in spiritu seminant, qui virtutes seminant ; et seminando virtutes, *metent vitam æternam*. Et nota quia cum adjectione dicit *carnem suam*, absolute vero *spiritu* ; ideo, quia nostris conatibus peccare possumus, bonum vero agere nequaquam. Nonnulli voluerunt intelligere Spiritum sanctum. ut sit sensus : Qui pro amore Spiritus sancti aliquid dederit, ab illo accipiet retributionem. Potest referri ad superiora, ut sit sensus : Qui seminat in carne sua, id est, qui carnaliter legem intelligit, metet corruptionem, quia quæ lex promittit temporalia sunt ; qui autem seminat in spiritu, id est, qui spiritaliter intelligit, vitam æternam metet.

Bonum autem facientes, etc. Salutaris est doctrina apostolica : nam his verbis hortatur nos ad bonum perseverantiæ. Noverat ille nonnullos inchoare, et non perseverante fide complere ; ideo taliter dicit. Et quia sunt nonnulli, qui de bono quod agunt hic retributionem exspectant, ideo subjunxit : *tempore enim suo metemus*, etc. ; quasi dicat : Aliud est tempus sationis, et aliud messis, non enim uno tempore seminamus et metimus. Similiter et nunc debemus operari bonum, postmodum vero retributionem percipere. Nam ille qui hic percipit, in futuro mercede privatur. Unde Dominus : *Receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 5, 16) ; et Salomon : *Hæreditas ad quam festinatur*, etc. (*Prov.* XX, 21). Et nota quia *non deficiamus* dicit, *et non deficientes*, quia illi qui indeficienter bona operantur, indeficienter retributionem percipient.

(989) Quia dixerat superius : *Quæ enim seminaverit homo*, etc., usque : *Non deficientes*, ideo subjunxit : *Ergo dum tempus habemus*, etc. ; quasi diceret : Si tunc debemus recipere, modo seminare debemus, sed in pingui arvo, secundum quod propheta : *Novate novale*, etc., *et circumdite præputium*, etc. (*Jerem*, IV, 3 ; *Ose.* X, 12). *Omnes*, id est, tam paganos quam Judæos, quoniam omnia temporalia communiter concessit. *Maxime autem*, id est, qui unius sunt religionis devotionis et fidei nobiscum, et tuam familiam, et unumquemque in suo ordine. Hæc enim doctrina apostolica non est parvipendenda, sed summopere appetenda. Debet enim unusquisque sollicitus esse laborare, ne tempus indultum atque a Deo concessum perdat, vacans otio. Nam adeo studiosi fuerunt quidam paganorum, ut doluissent se unum perdidisse diem. Fertur enim Titus Vespasiani filius, Jerosolymis subversis, victor Romam revertens, quadam nocte dixisse suis in cœna : O amici, perdidi diem, Si ille qui paganus erat, non habens legem neque prophetas, dolebat se perdidisse diem in quo non aliquid pro stabilitate regni aut gente laborasset, qua fronte tu, qui Christianus es ? Fertur etiam quod Joannes longo senio confectus, non valens sermonem facere ad collectam, dicebat, cum a manibus, deferretur suorum : *Filioli diligite vos alterutrum* ; qui cum interrogaretur quare hunc diceret sermonem, congruum dedit responsum : Filioli, quia præceptum Domini hoc solummodo sufficit, si impleatur.

(990) *Videte qualibus litteris*, etc. Ab hoc enim perfectionis apicem divus Hieronymus in hanc Epistolam allegorice interpretatur.

(985) In autog. marg. legitur cap. XXXII.

(686) I Tim. VI, 8, ubi : *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur his*, etc.

(987) Scilicet montis, in cujus culmine sistebat, et docebat Jesus Christus, cujus mentis culmen,

(988) In autog. marg. hic legitur cap. XXXIII.

(989) In autog. marg. hic legitur cap. XXXIV.

(990) In autog. marg. hic legitur cap. XXXV.

loco usque ad finem suis manibus scripsit ea intentione, quia nonnulli erant qui dicebant eum non verum esse apostolum, quia Petrus, Jacobus et Joannes carnaliter circumcisionem prædicant et servant, et Paulus suum discipulum circumcidit, et cum Judæis se in templo purificavit. Isto enim uno fuerunt illi decepti; et hoc crimen volens ille tergere, manibus suis scribit; et maxime illis scribebat manibus suis, inter quos noverat esse tales qui contra veritatem et doctrinam illius dimicarent. Sive ideo, ut suam auctoritatem ostenderet et manifestaret se suos obtrectatores non timere, quasi diceret : O vos Galatæ, in hoc cognoscere potestis quia ergo meos obtrectatores non timeo, cum manibus meis litteras scripsi.

Quicunque volunt, etc. *In carne*, quam dicit, vel carnales Judæos, vel quemlibet carnalem, vel etiam carnalia vitia (991) intelligere possumus. *Tantum ut crucis Christi*, etc. Notandum quia Caius (992) Cæsar et Octavianus Augustus, et successor illius Tiberius, publicis legibus instituerunt ut in toto orbe Romano Judæi propriis legibus uterentur; et ideo credentes nonnulli ad circumcisionem transibant, ne scandalum crucis paterentur. *Neque enim qui circumcidunt*, etc., quasi diceret : Non ideo circumcidunt se, ut legem custodiant, quia lex carnaliter impleri non potest; spiritaliter autem nolunt intelligere, ut impleant. *Sed volunt vos circumcidi*, etc. Quasi diceret : Ideo cogunt vos circumcidi, ut de signo circumcisionis in pudendis membris glorientur. Et tale est hoc quale in Epistola ad Romanos, ubi legitur : *Quorum Deus venter est*, etc., (993) Gaudebant enim isti se multos habere discipulos. Nam qua aviditate illi vellent ad circumcisionem trahere, Dominus manifestat, dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum*, etc. (*Matth.* XXIII, 15). Et si habebant aviditatem unum trahendi, multo magis totam provinciam Galatiam.

(994) *Mihi autem absit*, etc. Distinguit enim Apostolus suam gloriationem et illorum his verbis, quasi diceret : Illi in circumcisione gloriantur, ego in cruce; ut illud : *Ibant gaudentes* (*Act.* V, 41), etc. Et in cujus cruce manifestat dicens : *In cruce Domini*. Notandum enim quia sunt qui moriuntur mundo, et mortuus est illis mundus. De talibus erat Apostolus.

In Christo enim Jesu. In hoc loco aperte suam ostendit intentionem, quasi diceret : Ego Paulus, qui superius dictando, altero scibente, dixi, ipse manibus meis scribo, ut cognoscatis me meos obtrectatores non timere. Quod vero dicit : *Neque circumcisio valet*, etc., sicut superius; novam creaturam appellat ecclesiasticum populum per sacramentum baptismi renovatum. Sed tunc valet hæc renovatio, si quod promiserit servat; nam si recesserit, in hac renovatione non continetur.

Et quicunque hanc regulam, etc. Nota quia Apostolus totum ad regulam dirigit, ut si aliquid tortuosum vel perversum fuerit, auferat. Nam regulam appellat doctrinam apostolicam; et in hoc magnæ auctoritatis esse ostenditur, cum dicit : *Qui hanc doctrinam fuerint secuti, sit super illos pax*, etc. Pax est, qua reconciliamur Deo; misericordia est, qua peccata relaxantur. *Super Israel Dei* dicit, ad distinctionem carnalis Israel, nam est Israel, non Dei; unde in Apocalypsi : *Qui dicunt se Judæos esse*, etc. (*Apoc.* II, 9).

(995) *De cætero*, etc.; quasi diceret : Manifesta veritate, nullus me ad disputationem provocet. Et tale est hoc quale in Epistola ad Corinthios : *Si quis contentiosus est inter vos* (*I Cor.* XI, 16). Unde etiam melius in Græco habetur : *Nemo mihi laborem ingerat.*

Ego enim stigmata, etc. Nota quia *stigmata* dicit, non *circumcisionem*; et *Jesu* dicit, non *legis* stigmata, namque sunt notæ (996) pœnarum, quibus servi denotantur. Stigmata in corpore suo appellat pericula carcerum, lapidationes, et naufragia, et cætera quæ in catalogo virtutis illius narrantur.

Gratia, etc. Non *legis* dicit, sed *Domini*; et non *cum carne*, sed *cum spiritu* dicit; et non quibuscunque, sed fratribus; et non aliis, sed veris : quod est *amen*; nam *amen* interpretatur *vere*, sive fideliter. Isto sermone Apostolus suam narrationem confirmavit, veluti Dominus in Veteri Testamento : *Vivo ego, dicit Dominus* (*Num.* XIV, 28); et in Novo : *Amen amen dico vobis* (*Joan.* I, 51). Similiter et iste. Et quod pro *vere* ponatur, in Epistola ad Corinthios ibi (997) dicit : *Quomodo dicet amen super tuam benedictionem?*

Explicit Epistola ad Galatas.

(991) Legitur in cod. : *carnalibus vitiis. Deditum*, vel *deditos* addendum putassem, nisi jam carnales, hoc, ut reor, sensu nominasset. Quapropter emendandum censui.

(992) Divus Hieron., *Caius*.

(993) Textus hic non in Epist. ad Rom., sed in illa ad Philipp. legitur III, 19. Similis autem huic, et ad rem nostram æque faciens habetur in Epist. ad Rom. XVI, 18, ibi : *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.*

(994) In autog. marg. hic legitur cap. XXXVI.

(995) In autog. marg. hic legitur cap. XXXVII.

(996) In cod. legitur : *nodi pœnarum, quibus servi denodantur*. Beatus Augustinus vero in hanc Epist. ait : *Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium*, etc.; ideoque textum in cod. nostro emendandum censuimus.

(997) Fortasse *idem*, vel *id.* I Cor. XIV, 16.

INCIPIT IN EPISTOLAM AD EPHESIOS

ARGUMENTUM.

Ephesii sunt Asiani. Hi, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide. Hos collaudat Apostolus, scribens eis Roma de carcere. Ferunt nonnulli, quod

ab alio prædicati ab Apostolo sunt roborati. Non deerunt qui dicant, quod ab Apostolo verbum fidei primum perceperint. Sed quomodo res se habeat? Verumtamen sciendum, quod tam ex Judæis, quam ex gentibus crediderant. Unde primum Judæos alloquitur, exponens eis Christi sacramenta, id est, incarnationis, et reliqua. Deinde convertitur ad gentes, et hortatur eos, ne tantis beneficiis sint ingrati. Postmodum communiter eis tradit moralitatis (998) præcepta, quæ non solum illis, sed etiam omnibus congruunt Christianis. Inter quæ docet, quid dominos et servos, patres et filios, viros et feminas oporteat agere. Summa vero in principio ista est, ut ostendat Christum ante mundum fuisse, et in ipso spem esse locandam. De admonitione, quoniam omnis, qui proficit sensu, debet et amore proficere, secundum illud : *Qui apponit scientiam, apponit dolorem* (999) : quem dolorem? Uti sibimet indignetur, seque coerceat, atque doleat quod in periculis sæculi detinetur. Cum hæc necessaria sint hominibus Christianis, maxime tamen congruunt mysteria Scripturarum perquirentibus.

INCIPIT TEXTUS.

(Cap. I.) *Paulus apostolus Christi Jesu.* De eo quod (1000) tale facit exordium, ut et Christum insinuet, et eum se evangelizare manifestet, nota quod ad Romanos scribit : *Paulus servus Christi Jesu.* Confer ista, invenies illius esse eum apostolum cujus est servus. *Per voluntatem Dei* dicit, sicut et ad Galatas, ut ostendat, se non sua, sed Dei voluntate mutatum : neque enim nostro conatu, sed Dei miseratione salvantur. Sed quare dicit *sanctis et fidelibus*, nisi quia sunt fideles, qui non sunt sancti, veluti catechumeni, qui fidem habent, sed non sunt renati? Aliter : Non omnibus scribit, sed sanctitatem in fide servantibus. Potest et gentilis esse fidelis, si reddat commendatum (1001), si secretum non prodat; et tamen non sanctus, quia non credit in Christum. Aliter : Ligavit illos ad certam religionem, cum eos sanctos et fideles dicit esse in Christo, ne novum aliud, quod non conveniat Christo, suscipiant. Quoniam qui in Christo sanctus est, nihil, nisi Christum, debet amare atque diligere. De eo quod gratiam illis dicit, et pacem ; quoniam gratia Patris est, cum mittit Filium suum ad terras; pax vero Filii, cum per ipsum redempti conciliamur Deo Patri, de eo quod Trinitas in solutione monstratur, quoniam Spiritus sanctus gratiæ pacisque nomine designatur, quoniam ipse donum Dei dicitur.

Sequitur : *Benedictus Deus*, etc. Aucto ingenio ad laudem Dei provocat suos auditores. De eo quod A locus iste dupliciter legi potest, ut jam ad Corinthios dictum est.

Sequitur : *Qui benedixit nos*, etc. De eo, quod non in una, sed in omni ; id est, non aliquantis, sed in omnibus ; nec in terrenis, sed in spiritalibus. Est terrena benedictio. Benedictio terrena est habere filios, abundare divitiis, sanitate, et honore gaudere (*Levit.* xxvi, 9), quæ in libro Levitico cultoribus legis promittuntur ; id est, externis gentibus fenerare, plena esse horrea frumento, etc. Tales benedictiones non sunt spiritales, unde non has habuerunt, qui in melotis, in pellibus caprinis erraverunt in egestate. in speluncis, persecutorum impetus declinantes (*Hebr.* xi, 37). Spiritaliter ergo accipienda sunt omnia, et spiritalia non in terrenis, sed in B cœlestibus sunt exspectanda.

Sequitur : *Sicut elegit nos in ipso*, etc. Augustinus. Quis, inquam, hæc audiat diligenter et intelligenter, et audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare? Elegit enim Deus ante mundi constitutionem in Christo membra ipsius prædestinando (1002). Non, ut Pelagius ait, quia præscivit sanctos futuros, ideo elegit (1003), sed, ut essent, elegit. Sic enim Apostolus clamat : *Ut essemus :* cum enim nos *prædestinavit*, opus suum præscivit, quo nos sanctos et immaculatos facit. Ut quid nos præscivit? *In adoptionem filiorum.* Quos? Nos, qui eramus longe Quare? *In laudem gloriæ. Secundum propositum voluntatis* dicit, ne in tanto beneficio gratiæ, de meritis gloriemur voluntatis nostræ. *In* C *qua* utique *voluntate gratificavit nos.* Sic dictum, *gratificavit*, a gratia sicut justificavit, a justitia, id est, gratos fecit. *In quo?* Id est, in Christo : *habemus redemptionem :* hæc est enim gratia, ut in Christo *per ejus sanguinem habeamus redemptionem et remissionem peccatorum.* Redemptos enim a carnalibus operibus et cupiditatibus fecit nos sibi servire ; quod est, spiritaliter vivere.

Sequitur : *Secundum divitias gratiæ ejus.* In tantum abundavit, ut non solum a morte redimeret, sed etiam tantam sapientiam nobis donaret, ut mysteria ejus nosceremus.

Sequitur : *In omni sapientia et prudentia.* Stoici sapientiam esse divinarum, humanarumque rerum, prudentiam vero dicunt rerum solummodo humanarum.

Sequitur : *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Intelleximus voluntatem sacramenti Dei, id est, redemptionis nostræ, illo revelante. *Secundum placitum suum :* non secundum bonam vo- D

(998) Autog. *mortalitatis*. Errorem tam manifestum emendandum censui.

(999) Eccl. i, 18 : *qui addit scientiam, addit et laborem.*

(1000) *De eo quod*. Ad hæc vide quæ adnotavimus in cap. iii hujus Epistolæ in ea verba *de exemplis istorum*, not. 1037.

(1001) Scilicet *rem commendatam*, ut habet divus Hieron. hoc loco : sive legendum, *commodatum ;* compendiose enim scriptum est *cōmdatū*.

(1002) En Augustinianam de prædestinatione sententiam a divo Paulo evidentissime assertam, tanquam clarissimam veritatem, de qua dubitare nemo audere valeat.

(1003) Jungantur hæc iis quæ in Epist. ad Rom. sæpissime, et in cæteriis de prædestinatione habentur.

luntatem nostram, quæ bona esse non posset, nisi ut bona esset, ipse subveniret (1004).

In dispensationem vero *temporum* dicit, quia statutum fuit, quando Pater hunc Filium suum mitteret; unde ipse alibi : *Cum autem venit plenitudo temporis* (*Gal.* IV, 4), Sequitur : *Instaurare omnia* (1805). Nonnulli per cœlum animam, et per terram intelligunt corpus. Alii per cœlum Judæos, per terram gentiles : alii per cœlum non angelos, sed eorum scientiam ex Christi tempore profecisse, qui tanquam ignari interrogabant : *Quis est iste Rex gloriæ?* (*Psal.* XXIII, 8.) Sed melius ipsorum numerum per salutem hominum dicamus impletum.

Sequitur : *In quo etiam sorte vocati sumus;* id est ante prænogniti ; sed primum oxes perditæ (1006), deinde gentes. *Qui omnia operatur*, etc. Non quod omnia secundum voluntatem Dei fiant, quæ fiunt in mundo, sed quod universa quæ facit, consilio et voluntate facit. Alioquin et mala poterant Deo ascribi.

Ut sumus in laudem gloriæ ejus; id est si in ipso credimus, atque spiritales efficimur, sequendo Christum, erimus in laudem gloriæ ipsius Dei ; ut per signa, quæ facimus, laudetur gloria Dei. Sequitur : *Nos, qui ante speravimus* : *nos*, apostoli, vel Judæi, qui priores credidimus.

Sequitur : *In quo et vos*, etc. Descendit ad Ephesios, ne aliorum videretur beneficium istud, et non eorum, quibus scribebat Epistolam, hoc, inquit, etiam vestrum est, nam et vos in hoc estis. *In quo et credentes*, etc. ; id est Evangelio, sive Christo signatur, qui audierit verbum veritatis, et crediderit : quia multi sunt qui audiunt et non credunt ; et ideo signaculum sancti Spiritus non accipiunt. Signaculum Dei : ut quomodo primus homo ad imaginem Dei conditur, sic in secunda regeneratione quicunque Spiritum sanctum acceperit, signetur ab eo.

Sequitur : *Qui est pignus hæreditatis :* id est ipsum pignus dedit, ut de hæreditate securi simus. *In redemptionem* ; id est ut redimamur ab istis terrenis et corporalibus malis, et acquisiti simus filii adoptivi ; et hæc *in laudem gloriæ* ipsius ; non quo Deus laude alicujus egeat, sed quo ipsius laudatoribus prosit.

(1007) *Propterea et ego audiens*, etc. De eo specialiter descendit ad exhortationem Ephesiorum. Audita, inquit, fide vestra, diligo vos ; audita dilectione, et ego operam dabo, ut Deo gratias agam pro vobis. Omnis oratio aut pro acceptis, aut pro accipiendis est ; et aut pro nobis, aut pro aliis est. Hoc de præteritis. Sequitur de futuris : *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi.* Deo, eo quod ita dicitur : *Pater gloriæ :* veluti verbi, sapientiæ, vel pacis, Christus est gloria, ut illud : *Exsurge, gloria mea* (*Psal.* CVII, 3) ; et : *Apparuit gloria Domini, super tabernaculum* (*Levit.* IX, 25) : quæ gloria fabricata est sibi templum ex utero virginali. Cujus templi Pater gloriæ efficitur Deus. Iste igitur Deus assumpti hominis, Pater vero gloriæ, sapientiæ et veritatis, det sanctis quod sequitur : *Det vobis Spiritum sapientiæ*, etc. Quomodo Ephesiis optat sapientiam, qui Corinthiis dicit, quod inflat (*I Cor.* VIII, 1) ? Sed ibi carnalem notat ; hic vero spiritalem commendat, quam qui habuerit, humiliari potius poterit, quam inflari. Sed quomodo agnitionem illis Dei esse orat, quos supra laudaverat ? Orat, ut perfectius cognoscant, quod Dei gratia, non suo merito sunt salvati ; et quod Deum nihil potest latere ; quoniam qui hoc perfecte cognoscit, peccare non potest. De (1008) filiis Eli. Sequitur : *Illuminatos*, etc. Deo, eo quod interior homo habet membra sua, et oculos suos, de quibus et Psalmista : *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* XII, 4) ; et item : *Sapientis oculi in capite ejus* (*Eccle.* II, 14). De eo, quod *notio* est in his, quæ ante nescivimus : *agnitio* in his quæ obliti recordamur.

(1009) Sequitur : *Ut sciatis*, etc. Ac si dicat : Si scientes ad quam spem vocati estis, omnem spem sæculi facile contemnetis ; et si divitias hæreditatis Dei videritis, omnis terrena hæreditas vobis sordebit ; quia nemo cum opibus ejus operans, curatæ sunt, ut plumbum possideret (1040). *Et bene in sanctis* dicit, non in omnibus hominibus. Quis enim potest comprehendere magnitudinem bonitatis Dei, quam credentibus ex Judæis, et gentibus contulit, opus erat, ut sensus redderetur, spes autem genuinæ phrasis divinandæ valde incerta erat. Tutiorem autem emendationem evadere mihi polliceor, si fontem hujus interpretationis in medium proferam a quo de verbo fere ad verbum desumpta est. Commentarium illud est, quod falso divo Hieronymo ascriptum, verius Pelagio ex divi Augustini testimonio, cum alibi, tum lib. III de Peccatorum meritis, et remissione, cap. 1, et ex Mario Mercatore, et Cassiodoro, et auctore Prædestinati, eruditi quique attribuunt, ubi legitur : *Si sciretis ad quantam spem vocati estis, omnem spem sæculi facile contemneretis et si divitias hæreditatis Dei videretis, omnis terrena vobis horrebit hæreditas. Nemo enim regnum cum opibus suis sperans curator esse et mediocrem substantiam possidere dignatur.* In cujus totius textus serie vix unius, vel alterius verbi differentia. Ab hoc etiam commentario paulo superius exemplum filiorum Eli desumpserat auctor noster. Quæ omnia simul valde præ oculis hoc cum cæteris commentariis habuisse Attonem nostrum probant.

(1004) En gratiam prævenientem.

(1005) Divus Hieronymus in hanc Epist. aliter quam Latini, loco *instaurare* legit *recapitulare* a græco Ἀναχεφαλαιόω, quod *coltigo capita*, seu *summos repeto*, significat, a quo Ἀναχεφαλείωσις *redactio in summam*, seu *recapitulatio*. Divo Hieronymo assentit Tertullianus, lib. V, contra Marcionem, cap. 17, et sancti Irenæi interpres, lib. I, cap. 1.

(1006) Scilicet Judæi.

(1007) In autog. marg. hic legitur cap. II.

(1008) Imperfectam ibi exempli, quod adducere voluit, sensum reliquisse videtur auctor noster, vel ejus amanuensis. Illud tamen in mente habuisse putarem, quod I Reg. II, 12, legitur filios Eli, filios Belial, nescientes Dominum, a sacerdotis officio ita declinasse, et peccatum grande nimis coram Domino perpretrasse ob hancmet Dei ignorantiam.

(1009) Hanc distinctionem et divus Hieronymus in hanc Epistolam, uti aliquibus probatam, adducit.

(1010) Error certissime hic irrepsit, quem ideo emendare nolui, quia nimia verborum immutatione

ut fierent filii adoptati et membra Christi. Et bene dicit : *Secundum operationem* (1011) *virtutis ejus, quæ* (1012) *operatus est in Christo;* quia ad hæc cognoscenda ea indigemus virtute, qua etiam in Filio suo usus est Deus eum suscitando, quem non suscitavit semel, sed semper a mortuis, et fecit eum in mortis liberum, nulla mortis contagione maculatum. Quotidie resurgit Christus ex mortuis in pœnitentibus. De eo quod hæreditas sanctorum ipse Deus est, ut illud de filiis Levi : *Ego Dominus pars eorum* (*Num.* XVIII, 20 , *Josue* XIII, 14) ; item : *Dominus hæreditas eorum est* (*Deut.* XVIII, 2) ; et : *Pars mea Dominus* (*Psal.* LXXII, 26) et : *Tu es pars hæreditatis meæ*, etc. (*Psal.* XV, 5).

Sequitur : *Suscitans eum* ; id est secundum quod mori potuit. De eo quod *dextera* ponitur, pro honore, in Deo nihil sinistrum est, quia non est corporeus. Nam et Pater a dextris Filii est, ut illud : *Dominus a dextris tuis, confregit*, etc. (*Psal.* CIX, 5). De eo, quod Apostolus ex traditione Hebræorum didicerat hæc nomina ; aut certe legem spiritaliter intelligens, aliquid sublimius sensit, et quod de regibus, ducibus, tribunis et centurionibus in Numeris atque Regum libris legebat, cognovit, quod sicut in cœlestibus sint diversæ dignitates, necesse est subjectos et timentes se habeant. Nam si homo cito in pulverem resolvendus rex eligatur, habet hæc officia, quanto magis Rex regum diversa officia dignitatum habet ?

Sed quomodo dicit ei omnia subjecta, cum alibi dicat ipse : *Necdum videmus ei omnia subjecta ? Oportet eum regnare*, etc. (1013). Sed aut secundum præscientiam hoc dicit, aut, si de præterito, tunc sciendum est quædam voluntate, ut bona, quædam necessitate, ut mala, ei subjecta ; veluti sunt Judæi. pagani et ipsi dæmones, qui a Deo boni creati sunt facti mali, inviti sunt subjecti. Aliter : *Omnia*, non ad universitatem forte respicit, ut illud : *Omnis civitas clamavit* (1014) ; et ipse Apostolus : *Omnes, quæ sua sunt, quærunt* (*Philipp.* II, 21) ; item : *Omnes me dereliquerunt* (*II Tim.* IV, 16) ; et in psalmo : *Omnes declinaverunt* (*Psal.* XIII, 3) : item : *Omnis homo mendax* (*Coloss.* III, 16) ; item : *Docentes omnem hominem* (*Psal.* CXV, 2). In his testimoniis pars intelligitur, id est, omnes, de quibus loquitur.

De eo quod sicut caput habet sibi subjecta membra, alia sana, alia infirma, ita Christus, qui caput est, habet in Ecclesia malos, et bonos ; sed sancti voluntate, mali vero sunt subjecti necessitate. In hoc loco Ecclesia non solum hominum, sed et angelorum, cunctarumque rationabilium creaturarum debet intelligi. Hoc vero quod ait : *Qui omnia in omnibus adimpletur* : non ita, ut sonat, accipiendum est. Non enim ait, *adimplet*, sed, *adimpletur*. Sequidem aliud agentis, aliud patientis est verbum. Sicut ergo adimpletur imperator, cum ei populi subduntur, ita Christus, cum in eum homines credunt, ipse adimpletur in omnibus : sic tamen, ut omnia adimpleatur omnibus ; id est, ut credentes in eum cunctis sint pleni virtutibus, et faciant eum proficere ætate, et sapientia, et gratia coram Deo, et hominibus (*Luc.* II, 52). Aliter : Qui nunc per partes est in singulis, id est, in alio justitia, in alio castitas, in alio sapientia (1015), quia difficile est, ut hæc aliquis omnia habeat ; in fine vero, cum ei fuerint omnia subjecta, adimplebitur « omnia in omnibus ; » ut, juxta quod Deus est cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus (1016) adimpleatur, et sint omnia in omnibus.

(1017) (CAP. II.) Sequitur : *Et vos, cum essetis*, etc. Et est ordo : Vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, convivificavit in Christo Deus in misericordia propter multam charitatem suam, qua dilexit nos. *Et cum essemus mortui delictis, in quibus aliquando*, etc., usque *convivificavit in Christo*. Conjunctio vero causalis, *autem*, aut ab indoctis addita est, aut ab Apostolo, qui erat imperitus sermone (1018). De eo quod mors duplex intelligitur in Scripturis. Sed animæ mortem dicit, quæ fit delictis, id est, delectationibus : nam peccata dicuntur operum. Pulchre dicit *ambulastis*, non *ambulatis. Secundum sæculum mundi ;* id est, secundum sæculares homines ; vel certe sæculum est spiritus malus, qui operatur in infidelibus : nam in his, qui fideles sunt, operari non potest. Filii diffidentiæ dicuntur, veluti filii gehennæ et filii iræ.

Sequitur : *In quibus ;* id est, non solum vos gentes, sed *et nos* Judæi, *in desideriis carnis*, non solum desiderantes, sed et facientes quæcunque mala cogitatio suggessisset.

Sequitur : *Et eramus natura filii iræ ;* id est, natura depravata vitio, non ut recta creata. In hac ira cum homines essent per originale peccatum, tanto gravius et perniciosius, quanto majora, vel plura insuper addiderunt, necessarius erat mediator, hoc est, reconciliator, qui hanc iram singulari sacrificio, cujus tympum sacrificia illa gestabant, placaret. De ira Dei (1019).

(1020) Sequitur : *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos*, etc. (1021.) Non solum in virtute, sed in misericordia dives est, ut illud : ***Misereris omnium***

(1011) Vulg. addit *potentiæ*.
(1012) Loco *quæ*, Vulg. habet *quam*.
(1013) I Cor. XV, 25 et seqq., ubi negativa particula *necdum*, quamvis a divo Hieronymo in hujus Epistolæ interpretationem hunc textum citante admittatur, minime legitur.
(1014) I Reg. XIV, 20, *omnis populus*.
(1015) Verba, *in alio... sapientia*, in laterali marg. leguntur.
(1016) Et hæc verba, *ut... omnibus*, in marg. leguntur.
(1017) In autog marg. hic legitur cap. III.
(1018) *Sed non scientia*, ut ait divus Hieronym., cujus est hæc interpretatio.
(1019) Scilicet oratio habeatur de ira Dei. Vide quæ infra ad cap. III hujus Epistolæ *not* 1037.
(1020) In autog. marg. hic legitur cap. IV.
(1021) Verba, *qui... nos*, in laterali marg. eod leguntur.

(*Sap.* XI, 24), etc. De eo quod nimia charitas fuit Filium tradere pro servi redemptione.

Sequitur : *Et cum essemus mortui.* Mortui non solum originali,sed et actuali peccato : *convivificavit nos*, Christo per baptismum.Non desperemus in nobis, quod factum est in capite. Consideremus in capite, nondum in nobis, sed jam in illo, in spe certa jam factum esse.

Sequitur : *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ*, etc. Quanta sit beneficii magnitudo,quas nos de periculis multis eripuit,hino maxime declaratur,quod in futuris sæculis,non uni,sed omnibus suam rationabilibus creaturis super nos ostensurus est gloriam. Aliud autem, quod ait : *Ut ostenderet in sæculis*, ad illam intelligentiam refert, quod non simus merito nostro, sed gratia ejus salvati. Et major charitas monstratur pro peccatoribus quam pro justis mori.

(1022) Sequitur : *Gratia estis salvati*, etc., id est, ideo bonitatis suæ divitias ostensurus est, insuper venturis sæculis, quia gratia estis salvati. Et quod dixit : *Per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est*, ipsa fides : de fide Cornelii (1023).Et bene subjungit : *Non ex operibus*, ne forte cogitatio occulta subreperet : et si non per opera, certe fide nostra salvati sumus, et alio genere nostrum est, quod salvamur. Fides non est ex nobis, ne in nobis, sed in Deo gloriemur.Quod etiam apertius ostendit,cum dicit : *Ipsius enim factura sumus.* Tunc efficimur bene liberi, cum Deus nos fingit, format et creat, non ut homines, quod jam fecit,sed ut boni simus secundum quod dictum est : *Cor mundum crea in me Deus* (*Psal.* L, 11). Iste vero *in Christo*, id est, in baptismo ; et *in operibus bonis* ; sive opera præscita, sed nunc collocata sunt sanctis (1024) : ergo fiducialiter *ambulemus in illis.*

(1025) Sequitur : *Propter quod memores.* Commemorat de quanta ignobilitate ad nobilitatem sunt perducti, ut non sunt ingrati beneficiis Dei,et subdit : *Quod aliquando vos gentes* id est, carnaliter sentiebatis, ideoque carnaliter vivebatis. Et nota quod *in carne*, non in spiritu dicit gentes,De quadrimoda divisione circumcisionis (1026). *Qui dicimini præputium.*Unde ? *Ab ea quæ dicitur circumcisio manufacta.* Non quod vera sit circumcisio, nisi spiritalis, sed placuit hoc nomine vocare carnis exspoliationem. Ad comparationem circumcisionis manufactæ dicitur alia non manufacta hoc est,spiritalis. Nota quod ait ; *Spem non habentes*, id est, quam Judæi ; et, *sine Deo* : nam quia diversos,non habebant sed absque Deo vero erant. *In mundo* dicit, quia in præscientia Dei non erant sine Deo, sed in mundo.

(1027) Sequitur : *Vos qui aliquando*,etc.Cum Deus ubique est et totus : ubique, ut illud : *Ego Deus e vicino et non e longinquo* (*Jer.* XXIII, 23) ; et item : *Si ascendero in cœlum* (*Psal.* CXXXVIII, 8), etc. Quomodo dicuntur, longe a Deo gentes ? Videlicet : *Longe est a peccatoribus salus* (*Psal.* CXVIII, 155). Ergo prope est justis.Nota quod absque sanguine Domini nemo Deo appropinquat. Nota etiam quod ita est pax nostra, sicut justitia aut veritas nostra. Sicut justitia nos justificat, ita pax nos pacatos reddit, ut illud : *Pacem relinquo vobis Joan.* XIV, 27), etc.: adeo ut dicamus : *Cum his, qui oderunt pacem* (*Psal.* CXIX, 7), etc. Si Christus pax est electorum ; qui sine pace sunt,consequenter Christum non habent. Verum quod ait superius : *Alienati a conversatione Israel*, sciendum est ideo dixisse,quia vera conversatio est, si secundum Spiritum sentiamus, et secundum Spiritum vivamus, et Christo circumcidamur a carnalibus desideriis (*Jer.* IV, 4). Hospites etiam testamenti dixit,quia si etiam aliqui ex gentibus credidissent, proselyti, id est, peregrini apud illos dicebantur.De eo quod Augustinus dicit sub nomine pacis Christum esse taxatum,quia nec scindi, nec distrahi potest, nec ullo modo duplicari, Jam vero *qui facit utraque unum*, multo magis est cum Patre et Spiritu sancto unum ; etsi non divisus, ergo unum cum Patre et Spiritu sancto est.Hæc igitur tribus scribitur litteris (1028) nec pluralem recipit numerum. Æstima ergo Patrem dici *p* alpha Filium nuncupari ; quia sicut *a* primum est elementum, ita Christus principium dicitur : nam cum esset interrogatus,dicit se esse

(1022) In autog. marg. hic legitur cap. V. Ibique legitur : *Vercellinus diaconus* cum aliquot verbis, quæ ab imo margine partim præcisa,partim temporis opera oblitterata legi nequeunt. Legitur tamen aliquot post verba : *de manu sua.*

(1022) Scilicet de fide Cornelii intelligit auctor noster, qui angeli visioni acquievit, et Petrum accersivit : Act. X, 1, 2 et seqq., et uti paulo infra monebimus,exemplum hoc innuit tantum servandæ memoriæ gratia cum hasce Epistolas sibi, vel aliis explanare contigerit.

(1024) Ad perfectionem sensus hic aliquid desideratur, vel certe emendandum est : fortasse post verbum *præscita* legendum *commemorat, intelligit*, vel aliud tale verbum : videtur enim per hæc *opera præscita* illud interpretari voluisse,quod Apostolus in hoc versic. ait : *In operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

(1025) Hic in autog. marg. legitur cap. VI

(1026) De hac quadrimoda divisione Judæos inter et gentes, ita divus Hieron. in hanc Epist., et hunc versic. « Quadrifariam igitur Judæi dividuntur et gentes. Alii sunt in carne circumcisi et in spiritu, qualis fuit Moyses, et Aaron apostoli, et Nathanael,cujus occultum Judaismum Dominus intuens ait (*Joan.* I, 47) : *Ecce vere Israelites, in quo dolus non est.* Alii, qui nec carde nec spiritu circumcisi sunt, qualis fuit Nabuchodonosor,et Pharao,et hodie barbararum et Romanarum gentium multitudo, quæ non credunt in Deum. Tertii, qui tantum in carne sunt circumcisi et spiritum incircumcisum habent, ad quos propheta dicit (*Jer.* IV, 4) : *Circumcidimini Deo vestro,et nolite circumcidere carnem præputii vestri ;* et alibi (*Jer.* IX, 26) : *Omnes gentes incircumcisi carne ; domus vero Israel incircumcisi sunt corde.* Extremi de quibus nunc dicitur : *Quia aliquando vos gentes in carne qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta*, qualis hodie universa est turba credentium, et totus e gentibus mundus est plenus. »

(1027) Hic in autog. marg. legitur cap. VII.

(1028) *Pax* scilicet.

principium (*Joan.* VIII, 25) Verum hæc syllaba longa est et prima. Quod longa esi, æternitatem, non temporalitatem Christi significat:quod syllaba quia in Patre est Filius, et Pater in Filio, et hoc unum est: quod vero prima est; quia Filius secundus non est ; ut illud : *Ego sum α et ω primus et novissimus* (*Apoc.* I, 8) : novissimus quia nasci et mori voluit : χ autem tertia est ad finem littera, significat Spiritum sanctum non ad fidem (1029) tendere,sed in superna majestate semper præcellere. Ideo Apostolus dicit : *Quæ sursum sunt sapite* (*Coloss.* III, 2). Et idcirco monemur, ut quotidie sursum cor habeamus. Non enim dubito ut in hujus excellentissima gloria Apostolus inhabitans ita loqueretur : *Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, in ea quæ ante sunt, extensus. sequor, secundum intentionem, ad palmam supernæ vocationis Dei* (1038). Ut igitur fiat pax, ad *p* conjungitur a vocalis. ne *p* mota remaneat, quia Pater voci, et et verbo suo semper adnectitur : sed ut pax sit,additur *x*,quæ duplex ponitur pro duabus consonantibus littera, quia participatur Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Distant a se appellationibus hæ litteræ et personis. Quare ? Quia illud *p*, hoc *a*, istud *x* dicitur. *P* autem littera est,sed substantialiter : similiter *a* littera substantialiter,et *x* littera substantialiter. Ita Pater, Drus naturaliter, etc. Sicut pax tribus litteris scribitur,ita Deus Trinitas est ; et sicut pax, ita Deus singularem obtinet numerum Deitatis.In hac igitur copulatione litterarum trium divisio non admittitur, ut pax impleatur : si enim vel unum subtraxeris, nec Trinitas, nex pax erit. Sequitur : *Qui fecit utraque unum*, id est, Judæos et gentes ; ut illud : *Et alias oves habeo* (*Joan.* x, 16), etc.

Sequitur : *Et medium parietem*, etc. Medius paries, et maceria utrumque populum dividens, onera legis fuerunt quæ gentes deterrebat, ne Israelitis jungerentur. Ipse paries, hoc est, legis littera, in hoe loco *inimicitia* nominatur, *legem mandatorum decretis evacuans*, id est, circumcisionis, et simililium, quæ, non Dei tam voluntas,quam populi duritia exigebat. Has inimicitia tulit Dominus, evacuans legis litteram.Dominus enim Sabbaii.observationem tulit Sabbati corporalis.

Ut duos condat id est, duos recipiat populos in sua fide *in unum novam hominem*. Isti sunt duo parietes, ex diverso venientes *ad lapidem angularem*, ut essent unum fide et nomine, in est, christiani, Unum parietem angelus, id est pastores (*Luc.* II, 9), alterum stella,id est,magos (*Matth.*II,1) ad Christum adduxit. Isti e longe, illi e proximo venerunt. Et pulchre subdit : *Per crucem interficiens inimicitias in semetipso*. Per crucem interfecit Christus inimicitias, id est, omnia adversa animæ. Et ubi ? *In semetipso*, id est, *in carne sua*, id est, per carnem vicit carnem, et carnalis legis observantias. *Et venit, annuntiavit* (1031), etc. Hoc ideo; quia longe gentes erant idola colendo,Judæi prope, propter legis notitiam.

Sequitur : *Quoniam per ipsum*,etc.*Utrique* (1032), id est, Judæi et gentes ; *per ipsum*, id est per Christum ; *accensum in uno spiritu*, id est per amorem sancti Spiritus, in quo clamamus : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Rom.* VIII, 15).

(1033) Sequitur ; *Jam non estis hospites*, etc., id est extranei, et peregrini, ac proselyti. Nec enim separavit vos Dominus a populo suo dicente Isaia: *Et non dicat filius advenæ*, dicens : *Separatione dividet me Dominus a populo suo* (*Isa.* LVI 5). De eo, quod ad id,quod supra dixerat:*Peregrini testamentorum*, nunc respondit : *Jam non estis hospites*, etc. Et ad illud, quod præmiserat : *Alienati a conversatione Israel*, modo redit : *Sed estis cives sanctorum*, etc. De eo quod in unam civitatem cœlestem conveniuut, ideo dicuntur cives. Quoniam in eadem civitate rector, et princeps est Dominus : ideo domestici Dei. de eo quod sancti sunt, qui Deum aliquo modo, id est, aut mente, sicut Abraham,aut mente et corpore, sicut apostoli, viderunt. Qui autem sine aliquo horum credunt, cives sanctorum, et domestici Dei non sunt.

Sequitur : *Superædificati*, etc, De eo quod his verbis aperte ostendit alios esse sanctos,alios cives. Siquidem superædificatos dicit istos *super fundamentum apostolorum*, id est, ut præcepta, observent Christi, quæ præcepta fundamenta sunt apostolorum, quæ fundamenta superædificationem habent ex vita, ex moribus, ex diciplina. De eo quod primum fundamentum est in Christum credere, et in illo spem habere. Unde sequitur: *Ipso summo angulari*, etc. Fundamentum Christus est : qui ideo *lapis angularis* dicitur, quia duos in sua fide populos suscipit ; ideo autem *fundamentum* et *summum*, quia in ipso et fundatur et consummatur Ecclesia ; in quo dicit omnem ædificationem crescere. De eo quod *in templo sancto* non possunt lapides non sancti poni, ad comparationem templi Salomonis:si ædificatio compaginata *crescit in templum sanctum*,studeamus esse,*lapides vivi volvuntur super terram* (1834). Nam cum vivi et politi fuerimus ædificabimur in templum sanctum, eritque in nobis arca, cherubim, et propitiatorium, et omnia sacramenta cœlestia.

(1029) In autog. *fidem*, quod sicut mendam corrigendum curavi.

(1030) Philipp. III, 3. Vulg. ita habet : *unum, autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum* (vers. 14) *ad destinatum persequor,ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

(1031) Vulg. *et veniens evangelizavit.*

(1032) Vulg, *ambo*. Divus Hieron. in hanc Epist. *uterque.*

(1033) In autog. marg. hic legitur, cap. VIII.

(1034) Scilicel sicut illi lapides, de quibus dicit Zacharias IX.16 : *Lapides sancti elevantur super terram*, divus Hieron. tamen,qui in hunc versic. hujusce Epist. huncce textum Zacnariæ adducit, loco *elevantur*, æque ac auctor noster, legit *volvuntur*.

Sequitur : *In quo et vos*, etc. De eo quod magna moderatione ad Ephesios exhortationem profert, per quam hortatur, ut suppleant quod ipsis deerat, correctique ad integrum templum fiant Dei. De eo quod hic destruitur error illorum, qui diversas naturas asserunt, cum Apostolus, quos dixerat esse sine Deo, monet ut fiant templum Dei. De eo quod sunt, qui per ædificationem constructam non solos homines sed et angelos intelligunt, quia angelorum bonorum et animarum sanctarum una est Ecclesia.

(1035) (Cap. III.) Sequitur : *Hujus rei gratia*, etc., id est, hujus, quam supra commemoravi, quod Filius Dei gentes et Judæos, salvaverit, unumque fecerit, non ipsorum meritis, sed gratia sua. De eo quod vinctum se dicit, aut catenis, aut Christi amore aut sarcina corporis ; quia gentium amore hic tenebatur, cum cuperet *dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I, 23). De eo quod, cum vinctum se dicit, confirmat Evangelium Christi ostendens quanta sit spes ejus, quando talia sustinet, qui poterat esse gloriosus apud Judæos, et doctoris honore gaudere.

Quid est : *Si tamen*, etc. : usque (1036), nisi firmiter tenetis in vobis, secundum dispensationem divinam, non secundum humanam doctrinam me dicere Judæos et gentes unum esse in Christo ? Aliud nihil, quod respondeatur, possumus invenire Neque enim dixit : *Hujus rei gratia*, hoc vel hoc feci, illud vel illud docui, sed suspensa ratione transivit ad alia. Nisi forte ignoscentes, ei, quod et ipse confessus est, dicens : *Et si imperitus sermone* (*II Cor.* XI, 6), etc. ; sensuum in eo magis quæramus ordinem quam verborum ; qui sic reddi potest : *Hujus rei gratia*, ego Paulus vinctus Christi Jesu, et vinctus pro vobis, qui estis ex gentibus, cognovi mysterium, ut illud quoque vobis traderem, sicut in hac eadem Epistola ante paululum sum locutus. Debetis autem audire dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, qui estis gentes, pro quibus et vinctus sum. Potuit enim dicere : Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus cognovi mysterium, sicut prædixi in modico, etc. De eo quod, si quis superiora hujus Epistolæ attendat, videbit ea revelata mysteria, quorum partem modicam jam dixit. Verum non quantum potui, sed quantum capere illi possent, dixi : Quoniam nulla Epistola tam reconditos sensus, quam ista, habet, quos se Apostolus nosse gloriatur, et nobis ostendit breviter indicatos, ut attentius, quæ scripta sunt, requiramus.

Sequitur : *Quod aliis generationibus non fuit notum*, etc. Numquid Abraham, Jacob, Moyses, et David, et Isaias, et cæteri prophetæ illud ignoraverunt ? De exemplis istorum (1037). De eo quod aut secundum Montanum dicemus prophetas ignorasse, quod dixerunt, aut videndum quare hoc Apostolus dixerit : nota quod non in omnibus de filiis hominum dixit absconditum, id est, non illis, qui sunt dii, sed carnalibus (1038). Quod si violentus iste sensus aliqui videtur, dicendum est : non definite, et generaliter dixit ignotum, sed sic, quomodo nunc revelatum est Apostolis ; quia aliud est in spiritu ventura cognoscere, aliud videre completa. Pro hac re dicitur Joannes plusquam propheta (*Luc.* VII, 26). Et Salvator dicit : *Multi prophetæ* (1039), etc.

Quod est hoc sacramentum ? *Utique gentes esse cohæredes et concorporales*. De eo quod gentes

(1035) In autog. marg. hic legitur cap. IX.

(1036) Deficit fortasse, etc., vel *ad finem*, vel aliud tale, ita ut legi deberet : *usque ad finem*, *usque*, etc., vel alio simili modo.

(1037) Ab hoc inciso imperfectum sensum reddente occasionem sumemus sæpe in hac Epist. imperfectos hosce sensus, et interruptas propositiones, imo et adverbium illud, *de eo quod* adinveniri, quæ nunquam vel sane perraro in cæteris anterioribus Epistolis, Scilicet brevitatis causa summarium expositionis, potiusque expositionem texere voluit Atto noster, ea sane intentione, ut concionatores, vel alii, qui in Epistolis divi Pauli pro se, vel pro aliis meditari, vel eas exponere cuperent, in compendio ea indicata reperirent, quæ a sanctis Patribus prolixius exarata fuerant. Scilicet quoties ait, quod et sæpe nimium, *de eo quod*, subintelligendum videtur ; vide divum Hieronymum. Augustinum, vel alios ; vel etiam intelligendum : *nota*, *loquere*, aut similia :

Hujus assertionis argumentum præbebunt exempla, quæ sequentur a divo Hieron. allata, quæ innuit auctor noster in adnotata imperfecta propositione : *de exemplis istorum*. Divus enim Hieronymus hoc loco ita habet : « Utrumne Abraham, Jacob, et Moyses, Isaias, et cæteri prophetæ illud ignoraverint. an non ? A quibus esse prædictum adventum Christi et vocationem gentium, Scriptura commemorat. Abraham quippe vidit diem ejus, et lætatus est, et dicitur ei (*Joan.* VIII, 56 ; *Gen.* XXII, 18) : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Et Jacob de eo, qui oriundus esset ex Juda, prophetice loquitur (*Gen.* XLIX, 10 : *Et ipse erit expectatio gentium*. Moyses quoque majores divitias Ægypti thesauris, opprobrium Christi arbitratus est (*Exod.* XI, *Isai.* VII, 14) : *Ecce*, inquit, *virgo in utero concipiet et pariet ;* et alibi : *Erit virga Jesse, et qui surget ad regnandum gentibus ; in ipso gentes sperabunt* (*Isa.* XI, 10) Et ne longum fiat, pauca de psalmis dixisse sufficiat (*Psal.* XXI, 28) : *Et adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium ;* et iterum (*Psal.* XVII, 11) : *Omnes gentes servient ei*. Et adhuc manifestius de populo Israel, et de Domino salvatore (*Psal.* LXX, 15, 16) : *Visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium, quem confirmasti tibi*. Cujus etiam corporis dispensatio in consequentibus indicatus (*Ibid.*, 18) : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi*.

(1038) En alium ex imperfectis sensibus, quæ supra adnotavimus. Scilicet per illud *de eo quod* ad divum Hieronymum mittit loco cit, ubi ait : « Aut igitur, juxta Montanum, patriarchas et prophetas in exstasi locutos accipiendum, et nescisse quæ dixerint ; aut si hoc impium est (spiritus quippe prophetarum prophetis subjectus est) intellexerunt utique quæ locuti sunt. Et si intellexerunt, quæritur quomodo nunc Paulus, dicat, quod aliis generationibus non fuit notum fuisse Christi apostolis revelatum. Aut igitur illud est respondendum, quod caute Paulus significanterque testatus sit, filiis hominum ignotum fuisse mysterium, non filiis Dei, ad quos loquitur (*Psal.* XVIII, 6) : *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes :* quod scilicet hi, qui spiritum adoptionis acceperint, de quibus patriarchæ et prophetæ fuerint, Dei scierint sacramentum. »

(1039) *Luc.* X, 24, *multi prophetæ et reges*, (div

cohæredes sunt Israeli, et melius Christo, ut hæreditas nostra dicitur, *sint et cohæredes Christi* (*Deut.* XVIII, 2 ; *Psal.* XV, 5), ut illud : *Hæredes quidem Dei* (*Rom.* VIII, 17). etc. De exemplis hæreditatis (1040). Item de exemplo membrorum, ad hoc, quod ait : *Concorporales* (1041). De eo quod in duobus poterat aliquid in uno corpore diversum suspicari : in eo quod subdit, et *comparticipes*, omnis diversitas ablata est. Ubi comparticipatio est, omnia communia sunt. De eo quod dicendo. *Per Evangelium*, etc., superbiam excludit : quod enim sic, non sibi, sed Dei gratiæ ascribit. Non enim humilitatis discipulus poterat superbire de scientia, qui se Christi persecutorem et Ecclesiæ vastatorem commemorat.Nam sunt qui eum reprehendunt, qui dixit sibi revelatum, quod prophetas latuit.

Sequitur : *Mihi minimo omnium*, etc. Et recte humiliato data est hæc gratia, quoniam *omnis, qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII, 12 ; *Luc.* XIV, 11). De eo quod, *si investigabiles* (1042), quomodo *evangelizantur*, et absconditum quomodo profertur, Quod duobus modis solvitur : sive quia ante Christi adventum erant investigabiles et absconditæ, sed post Domini adventum sunt revelatæ : sive quæ natura sua homini investigabiles erant, hæ, Deo revelante, sunt congnitæ. Quia aliud est ad secretum proprio ingenio pervenire,quod,postquam inventum sit, desinit esse investigabile : aliud, quod per se inveniri non potest, Deo revelante, cognoscere ; quod, cum scieris, et aliis dixeris, nihilominus investigabile permanet : sicut fuit tibi, quosque cognosceres. Unde Psalmista : *Quam magna multitudo dulcedinis* (*Psal.* XXX, 20), etc. Potest et ita intelligi : quod ipsa sæcula illud ignoraverint, id est, homines in sæculo rationales ac spiritales. De exemplis sæculi (1043).

Sequitur : *Ut innotesceret nunc* (1044), etc. Juxta donum gratiæ Dei, quæ data est Apostolo, ut evangelizaret divitias investigabiles Christi.Idcirco ipsam sacramentum est ei revelatum, ut non solum gentibus sed et *principatibus et potestatibus per Ecclesiam* manifesta fieret multiplex sapientia Dei, quæ juxta propositum veterum sæculorum alim destinata, nunc consummata videtur in Christo. Multiplex quoque Dei sapientia per Ecclesiam Dei nunc et principatibus et potestatibus revelata est, quam olim Deus futuram in sua mente decreverat,et nunc esse perfectam, ex eo, quod videmus, cognoscimus. De eo quod crux non solum nobis, sed et angelis mysterium, quod ignorabant, aperuit ; unde revertente cum corpore ad cœlum dicunt : *Quis est iste, qui venit de Edom?* (*Isa.* LXIII, 1), etc. De eo quod multiplex est, et multa varietate distincta hæc sapientia (1045). Vide cunas Christi ; vide pariter cœlum. Vagientem in præsepe vide ; audi angelos laudantes (*Luc.* II, 13, 14).Herodes persequitur (*Matth.* II, 3) ; magus adorat, Pharisæi ignorant quem stella manifestat (*Matth.* II, 3). Baptizatur a servo, sed a Patre laudatur. Aquis mergitur, sed columba descendit ; imo Spiritus in columba. Ad passionem venit, et timet pati, vult calicem transire (*Matth.* XXVI, 39), et Petrum increpat, quia calicem timet. Quid hac stulitia prudentius, varietate distinctius, sapientia obscurius, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro? Sunt qui istam juncturam sermonis Ecclesiæ factam intelligunt (1046).

Sequitur : *In quo habemus fiduciam*, etc. Nihil est unde magis, quam de pura conscientia confidere possimus, ut illud : *Si cor nostrum non reprehendit nos* (*I Joan.* III, 21), etc. Magnum est habere fiduciam ; *sed* (1047) *in confidentia*, ut firmior sit *accessus*, ut accedentes aliquid de ejus majestate assumamus, quasi de radio solis calorem atque splendorem. De eo, quod qui sapientiam habet, intelligat in Christo sapientiam, similiter de justitia, veritate, pace et castitate potest intelligi (1048).

(1049) Sequitur : *Propter quod peto*, etc. De eo

Hieron. loco *reges* in hanc epist. legit, *justi*) *voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ auditis, et non audierunt.*

(1040) Scil. vide divum Hieronym, in hanc. Epist. in supracitatos textus, scilicet, *Deut.* XVIII, *Psal.* XV, *Rom.* VIII.

(1041 Ita divus Hieronym.: « Concorporales autem illud significat, ut quemadmodum in uno corpore plura sunt membra : verbi causa, oculi, manus, aures, pedes venter et genua : et cum in uno sint corpore, habeant differentias suas, et pro se invicem lætentur et doleant : sic licet diversas habeant gratias, hi qui in Christi credidere, in uno tamen sint Ecclesiæ corpore conglobati. Et in superieribus quidem duobus verbis, id est, in eo quod ait, *cohæredes et concorporales*, poterat in uno corpore diversum aliquid suspicari. Ex eo autem quod addidit : *et comparticipes promissionis in Christo Jesu*, omnis penitus diversitas amputata est. Ubi enim una comparticipatio est, universa communia sunt. »

(1042) Ita Vulg. ; divus tamen Hieronymus *investigabiles*, quod melius negationem sonat : nam *investigabiles* a verbo *investigo*, res, quæ inveniri, potiusquam eas, quæ non inveniri queunt, exprimere videtur.

(1043) Divus Hieronymus in hanc Ep. : « Sæculum quippe frequenter pro his,quæ in sæculo verrantur, accipitur. Sicut Paulus ad Galatas loquitur dicens (*Gal.* I, 4): *Ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.* » Et in alio loco (*Ephes.* II, 7) : *Ut ostenderet in venturis sæculis*, pro eo quod est, his omnibus, quæ in supervenientibus sæculis futura erant.

(1044) Vulg., *ut innotescat*. Divus autem Hieronym, in hanc Ep. *ut innotesceret.*

(1045) Vide scil. divum Hieronymum, a quo excerpta, et in compendium redacta hæc explanatio.

(1046) Divus Hieron. in hanc. : « Licet enim a plerisque secundum ordinem, juncturamque sermonis, et Ecclesia facta intelligi possit, et πρόθεσις, id est, *propositio*, quam nos genere naturali in Latino sermone *propositum* habemus expressam : tamen sapientia magis in Christo facta potest resonare quam cæteræ: *Fatuum quippe Dei sapientius est hominibus* (*I Cor.* I, 25). Vide rel contra Arianos. »

(1047) Scil. *sed et habere fiduciam in confidentia*, etc.

(1048) Vide divum Hieron. hoc loco.

(1049) In autog. marg. hic legitur. cap. X.

quod, *ne deficiam*, et, *ne defi iatis* legi potest, propter Græci sermonis ambiguitatem. Sed si *ne defi ciam* legeris, erit sensus : Video ad prædicationem meam mundum venire ad fidem et idolorum templa squalore repleri,et ob hoc diaboli insidias adversum me excitatas, ut tentationibus lassatus prædicare desinam (1050). Ideo magnopere peto ne succumbam : et hoc pro vobis ; quia quod patior,quod affligor,vestræ salutis causa fit. Quæ tribulationes sunt gloria vestra ; quia in Judaismo gloriosus esse poteram : nequaquam talia paterer, nisi certus remuneratione essem. Si vero, *ne deficiatis*, legeris, hic erit sensus : Peto ne deficiatis in tribulationibus meis,id est,ne meis tribulationibus scandalum fidei patiamini.Magis timet in discipulis vulnera mentis, quam in se vulnera carnis.Hinc Galatis dicit : *Tentationem vestram in carne mea non sprevistis* (*Gal.* IV, 14). Nunquid non hac re moventur? Unde Psalmista : *Mei autem pene moti sunt pedes* (*Psal.* LXXI, 1), etc., usquequo : *Ergo sine causa justificavi*. Nam quod pro Ephesiis(1051) passus sit multa, ipse manifestat, ubi ait : *Si secundum hominem ad bestias* (*I Cor.* XV, 32), etc. Item. *Nolo vos ignorare de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia* (1052), etc. Perfecte petit, ne Ephesii deficiant in tribulationibus, quas pro ipsis patiebatur; quia eis Evangelium prædicabat. Quæ pressuræ,apud infideles pœnæ,apud credentes gloria atque victoria erant,quia vincit, qui adversariis non cedit.

Sequitur : *Propter quod curro*, etc. Sicut oculi,ita sunt genua interioris hominis, ut illud : *Confortamini manus dissolutæ, et genua debilia* (*Isa.* XXXV, 3); et : *In nomine Jesu omne genu* (*Philipp.* II, 10), etc. Non quod angeli, vel animæ corporea genua habeant, sed per geniculationem mentis subjectio intelligenda est. De eo quod qui Deo servit, genu flectit Deo, ita qui servit libidini, avaritiæ et iræ, genua flectit diabolo ; ut illud : *Reliqui mihi septem millia virorum* (*III Reg.*XIX, 18), etc. Sed his dictis non evacuatur geniculatio corporis, quia et Apostolus fixis genibus oravit in littore (*Act.* XXI, 5); et A Ecclesia monetur,fit genua flectat(1053). De quartæ qualitatibus genuflectionis (1054). De eo quod quædam exemplaria habent solummodo *ad Patrem* ut non solum Christi,sed omnium creaturarum rationabilium Pater sit; nota quod non dicit : *Omnis paternitas nata, aut creata est*, sed, *nominatur;* quoniam aliud est nomen paternitatis mereri, aliud naturæ consortium habere.Nota,quod sicut essentiæ nomen, ut illud : *Qui est, misit me* (*Exod.* III, 14), vel bonitatis, ut illud : *Nemo bonus, nisi solus Deus* (*Luc.* XVIII, 19), dat hominibus, ut esse dicantur, et boni, ita et paternitas, ut illud : *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*(1055).Sed quomodo *in cœlis ?* Sicut enim nos dicimus Abraham, et prophetas patres nostros, ita angeli gaudent dicere archangelos patres. Non enim virtutes, dominationes et po- B testates dicerentur, nisi subjectos alios haberent.

Sequitur : *Ut det vobis secundum divitias*, etc. Ac si dicat : Propterea curvo genua mea, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem, id est consortium majestatis suæ, vosque confirmet *per Spitum ejus*, sed in interiore homine; quia frequenter expedit, ut exterior affligatur.Et habeatis Christum habitatorem in cordibus vestris, et hoc *per fidem*, sed fides charitate solidetur, hoc est, *radicati et fundati;* ut illud : *Dei agricultura, Dei ædificatio estis* (*I Cor.* III, 9).

Quia tunc incipientes (1056) *comprehendere cum omnibus sanctis*, etc. Et cum hæc fuerint impleta, *tunc impleamini in omni plenitudine Dei*(1057).Forte potest dici longitudo cœli et terræ, ab occidente C usque ad orientem, a meridie usque ad septentrionem.Sed quia dicitur cœlum juxta Ecclesiastem rotundum(*Eccle.*I,6), et in sphæreæ modo volvi, rotunditas non habet latitudinem vel altitudinem, quia ex omnibus partibus æqualis est.Qnid ergo per altitudinem, nisi angelos ; et per profundum, nisi dæmones, et longitudinem et latitudinem, nisi quæ media sunt,debemus accipere? Qui enim ad meliora proficiunt, habent longitudinem, qui vero, carnaliter vivendo ad ima tendunt, habent latitudinem, prorsum ignorare fateor.Divus enim Hieronym.quatuor in medium profert exempla genuflectionis,quæ diabolo fit per peccatum : per libidinem scilicet, per iram, per avaritiam et gulam.

(1050) Verbum *desinam* desideratur. Divi autem Hieronymi auctoritate suffultus illud addere ausus sum.

(1051) Autog. loco *pro Ephesiis* habet *professus*, quod divo Hieronymo mihi astimulante, uti supinum errorem emendare visum est.

(1852) Verba, *Item... Asia,* in imo margine leguntur.

(1053) Ita in Veteri Testamento orationem, et adorationem fieri sæpius legimus,quam Mardocheus facere renuit coram Aman (*Esther.*III, 2) quam tribus temporibus in die genua sua flectens coram vero Deo Daniel faciebat(*Dan.* VI, 10). Et in novo pluries coram Jesu Christo hanc ita adorationem factam legimus, et ab ipso demum Filio Dei coram Patre, (*Luc.* XXII, 41) ibi : *Et positis genibus orabat :* ubi orationis divinum illum typum tradidit in ea verba : *Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

(054) *De qualuor* potius legendum putarem, si ad divum Hierrn., uti mos est, auctor noster lectorem mittere voluerit; vel certe ejus sensum me

(1055) Luc. III, 38. Ad intelligentiam hujusce expositionis adeatur divus.Hieronymus in hanc Ep., D qui ait Deum,sicut essentiæ suæ nomen,atque substantiæ etiam cæteris impertit elementis, ut ipsa quoque esse dicantur,non quod secundum naturam sint(fuit enim tempus,quando universa non fuerunt, et rursum, si voluerit, in nihilum revertentur) sed ut esse dicantur, bonitate sua largitus est : sic paternitatis nomen ex semetipso donasse. Quod de paternitate et essentia, idem et de bonitate intellige, quæ natura soli Deo, participatione autem, et cæteris creaturis attribui potest.

(1056) Vulg. *ut possitis*. Fortasse legendum *incipietis*.

(1056) Vulg. *in omnem pleniludinem*. Divo autem Hieron. in hac Ep. consentit textus noster ; quamvis alii juxta Vulg. legant.

quia *lata et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII, 13). Item habuit Christus profundum, ad inferna descendendo, altitudinem, cœlos penetrando (*Psal.* LXVII, 19), latitudinem et longitudinem,apostolos ad omnes gentes mittendo ut illud: *In omnem terram* (*Rom.* X, 18; *Psal.* XVIII, 5), etc. De eo quod his verbis crucis,et status et mysterium ostenditur de quo jam sæpe dictum est. Post hæc curemus dicere non eminentem solummodo charitatem,sed *supereminentem scientiæ charitatem Christi* In quo attendendum quod grandem et immensam Christus scientiæ habeat charitatem, id est, eorum qui se scire desiderant,qui in lege ejus meditantur die ac nocte (*Psal.*I, 2), qui verba vertunt in opera. Et qui talis est, ut dignus sit per scientiam suam supereminentem Christi charitatem habere, iste nihil, præter scientiam, debet cogitare. Atque ita implebitur *in omni plenitudine Dei*, non solum in præsenti sæculo sed etiam in futuro,hic intelligendo, ibi plenius fruendo.

(1058) Sequitur : *Ei autem*, etc. Ordo talis est. i gloria in Christo, et gloria in Ecclesia, et in omnes generationes gloria, qui super id,quod petimus, vel monemus,potuerit operari : *operabitur secundum virtutem, quæ operatur in nobis*, scilicet Christi, secundum quam oporor. Aliter : Potest hoc ad Deum totum referri.Sciens Apostolus quia secundum id, quod oportet,orare nescimus,sciens Deum plus tribuere quam rogatur, et quam intelligere possumus, dicit : Ei *autem* (1059), etc. Dabit autem *secundum virtutem, quæ operatur in nobis*,id est, ut quomodo nunc vota nostra excedit, et merita, tribuendo majora, quam petimus, ita cætera tribuat, quæ nec (1060) mens potest cogitare. Ipsi Deo sit *gloria in Ecclesia*,quæ non habet maculam : deinde in Christo, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis : quæ gloria non in præsenti extendatur, et in futuris sæculis terminetur, sed *in omnes generationes sit sæculorum*. De eo quod hactenus de mysterio incarnationis Christi, et de conjunctione duorum locutus populorum, abhinc moralitatis incipit tradere præcepta.

(1061) (CAP. IV.) Sequitur : *Obsecro vos*, etc. De eo quod catena et carcere, sive Christi charitate potest intelligi vinctus,ut illud : *Colligata est anima David cum anima Jonathæ* (1062). Potest et vinctus dici carnis fragilitate, quoniam qui cupiebat dissolvi et esse cum Christo, manebat in corpore corruptibili propter auditorum salutem. Videamus cum quanta humilitate debent loqui auditores, cum magister gentium dicat : *Obsecro vos*. Sed quid obsecrat? Sequitur : *Ut digne ambuletis*,etc.De eo quod digne ambulat, qui ingreditur per eum, qui dicit : *Ego sam via* (*Joan.* XIV, 6; *Isa.* XXX, 21; *Prov.* IV, 27; *Psal.* XXXVI, 23), etc., et qui non declinat ad dexteram neque ad sinistram,et avertit pedem suum ab omni via mala (*Psal.* CXVIII, 101), et in quo perficitur, a Domino gressus hominis dirigentur (*Psal.*XVI, 5). Et bene subdit : *Cum omni*, non cum aliqua, *humilitate*,quoniam qui se terram cineremque considerat, nunquam superbia elevabitur, et qui Dei æternitate perspecta brevitatem hujus vitæ considerat,semper ante oculos habebit interitum sempiternum, eritque humilis atque dejectus. ***Mansuetudo*** est, quæ nulla passione turbatur, cui promittitur possessio terræ (*Psal.* XXXVI. 11).Isti etiam supportant *invicem in charitate*. Supportant se philosophi, sed non in charitate. De eo quod hoc præcepto non indigent perfecti (1063),quia non habent quod sufferant. Sed in tanta plebe erant aliqui supportandi. Sensus hujus loci supra dictus est, ubi ait : ***Alter alterius portate*** (*Gal.* VI, 2) : quod et de corporalibus et de spiritalibus infirmitatibus sentiendum monstravimus (*Rom.* XV, 1).

Solliciti servare, etc. De eo quod illi, qui aliquid habet, sollicitudo servandi injungitur; ei vero, qui non habet, acquirendi datur præceptum. Et ideo Ephesiis ista dicit,quia jam Spiritus sancti donum acceperant.Facit iste locus adversus hæreticos,qui, pacis vinculo dissipato,dicunt se unitatem Spiritus tenere. Sed quomodo multæ gratiæ (*Rom.* XII, 3; *I Cor.* XII, 4; *Ephes.* IV, 7), si unitas est Spiritus? Sed variæ donationes Spiritus sunt; sed idem Dominus. *Unum corpus* sumus, id est, vel Ecclesiæ, vel ex virgine sumptum, ne toties incarnatum crederes,quoties apparuisse legitur in Veteri Testamento. Sive, *unum corpus* ad opera : *unus Spiritus* refertur ad scientiæ contemplationem. Quæritur quomodo una spes vocationis, *si in domo Patris multæ mansiones sunt* (*Joan.* XIV, 2). Sed una spes est unius domus, regni, ubi potest esse varietas meritorum. Sive *una spes vocationis*, id est, resurrectionis,futuræ immutationis. De eo quod in hoc loco sunt, qui non Spiritum sanctum intelligunt, sed effectum mentis nomine spiritus, ut illud : ***Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*** (*Act.* IV, 32); et de vidua : *Ut sit sancta corpore et spiritu* (*I Cor.* VI , 34). Unitatem spiritus servat, qui non rapitur omni vento doctrinæ (*Ephes.*IV, 14), nec mutatur,ut luna (*Eccli.* XXVII, 12), nunc Deo, nunc diabolo serviendo. Sed habet *unum corpus* bonorum (1064), et carnem suam Deo templum exhibet: et ***unum spiri-***

(1058) Hic in autog. marg. legitur cap. XII, XI autem nullibi.

(1059) Loco *et autem* in codice legitur *erravit*, quod cum nullibi in textu,et nullum sensum apte reddere valeat, multamque litteralem affinitatem cum his verbis textus,*et autem*,habeat,uti crassum errorem, emendandum judicavi.

(1060) Autog. *in eo quod nec* legendum, juxta divum Hieron., qui hæc ipsamet verba habet ibi : *ita et cætera tribuat, quæ nec mens potest cogitare.*

(1061) In autog. marg. hic legitur cap. XIII.

(1062) I Reg. XVIII, 1, ubi non *colligata*, ut hic, et in divi Hieronymi expositione in hanc Epist., sed *conglutinata* legitur.

(1063) Divus Hieronymus, a quo hæc interpretatio loco *perfecti* habet *sancti*.

(1064) Juxta divum Hieronymum addendum *operum*.

tum; eadem sentiens : *in una spe vocationis* ; nequaquam de promissis dubitans.

(1065) Sequitur : *Unus Dominus*, etc. De eo quod hæretici putant quod Filius dici debeat Dominus, non Pater ; et item : Pater Deus, non Filius. Sed absit, ut aut dominatio absque deitate, aut deitas sit absque dominatione. *Una dicitur fides* ; quia æqualiter in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum credimus ; *et unum baptisma*, quia non in nominibus, sed in nomine Trinitatis baptizamur (1066). Facit iste locus adversus Arium, qui dicit non esse unum sacramentum, sed disparem esse Trinitatis naturam. Destruit Valentinum, qui dicit duo baptismata. De eo quod variæ propositiones, *super*, *per* et *in* distinctionem faciunt sensuum, ut *super omnia* (1067) dicatur Pater, quia auctor est omnium : *per omnia*, Filius, quia per ipsum facta sunt omnia, et discurrit per cuncta (1068) : *in omnibus* Spiritus sanctus ; quia ipse datur credentibus, sine quo nihil fit. Quod vero dicitur : *Deus, et Pater*, non ideo dicitur omnium Deus, et Pater ; quoniam Pater rationabilium est, qui Deus est omnium. Verbi gratia : si sint uni decem (1069), quinque filii, et quinque servi, et dicas : Istorum omnium unus est Dominus et Pater, cum esset filiis quinque Pater, et servis quinque Dominus, id est aliis Pater, aliis Dominus.

(1070) Sequitur : *Unicuique autem*, etc., id est, licet Deus sit *super omnes, et per omnia, et in omnibus*, gratia tamen juxta mensuram credentibus datur, non quod ipse Spiritus mensurari possit, de quo juxta capacitatem suam quisque accipiat. De similitudine maris, et diversitate vasculorum (1071). Nota quod hæc gratia *donationis Christi* dicitur. Unde sequitur : *Propter quod dicit : Ascendens in altum* (*Psal.* LXVI, 19). De eo quod narrationem suam exemplo confirmare voluit. Christus namque ascendens in altum captivavit captivitatem ; quia nos, qui captivi tenebamur, liberavit, et diabolum captivavit ; nam ipsis, quos liberavit, diversas gratias tribuit ; ut illud : *Dedit dona hominibus* ; sive, *accepit* (1072). Psalmista dicit : *Accepit*, quia futurum erat ; Paulus ; *Dedit* ; quia præterita narrat. Nam utrumque fuit, quia dedit de cœlo, et accepit in terra ; dedit per hoc, quod caput : accepit per hoc, quod corpus est ; unde est illud : *Saule* (*Act.* IX, 4), etc. ; item : *Quandiu uni de his minimis* (*Matth.* XXV, 40), etc. De eo quod ea intentione Apostolus narrat, ut quia dixerat : *Sufferentes invicem* (*Ephes.* IV, 2), etc., usque *pacis* (*Ibid.*, 3,) doceret Ecclesiam in diversis donis esse conc ordem, et non scissam propter diversitatem donorum ; quia sicut unus Dominus, ita unum corpus Ecclesia.

Sequitur : *Quod autem ascendit*, etc., id est, per hoc, quod descendit, ascendit. Inferiora terræ vocat infernum, ad quem descendit Christus in anima, ut inde electorum animas liberaret. Unde illo resurgente multa corpora sanctorum leguntur resurrexisse (*Matth* XXVII, 52). Quod dicit : *Implere omnia*, subauditur, quæ scripta erant in lege, et prophetis, et alias occultas dispensationes, quas ipse solus cum Patre (1073) : non enim scire possumus qualiter et angelis, et his, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, et tamen quia profuit nescire non possumus. Descendit, et ascendit, ut quæ vacua erant, replerentur. Destruuntur hoc in loco, qui dixerunt Christum non fuisse ante Mariam.

Sequitur : *Et ipse dedit*, etc Dum enim hic narrat Filium dedisse quæ in Epistola prima ad Corinthios dicit Patrem dedisse, hæreticos destruit (1074), qui dixerunt Patris, et Filii personas non esse unius naturæ, vel operationis (1075). De eo quod in pri-

(1065) In autog. marg. hic legitur cap. XIV.

(1066) Majorem lucem huic expositioni præbebit, quod divus Hieron. in hac Ep. ait ibi : « Et baptisma unum eodem enim modo, et in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum baptizamur. Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror qua consequentia in uno vocabulo, eodem opere, et eodem sacramento naturæ diversitatem Arius, Macedonius, et Eunomius suspicentur (concordante in impietate discordia), et creaturæ in Filio, et Spiritu sancto cœnosum fontem tenentes, diversos hæreseos rivulos duxerint. *Unum baptisma*, et contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit, et contra omnes hæreticos : ut sciant non habere se baptismata, sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem. Potest unum baptisma et ita dici, quod licet ter baptizemur, propter mysterium Trinitatis ; tamen unum baptisma reputetur. Unum quoque baptisma est in aqua, in spiritu et in igne. Et de quo Dominus loquitur (*Luc.* XII, 50) : *Baptisma habeo baptizari*. Et alibi (*Marc.* X, 39) : *Baptismate meo baptizamini*. »

(1067) Vulg. *super omnes*.

(1068) *Joan.* I, 3. Divus autem Hieron. ita hanc distinctionem, quoad Filium, exponit : *per omnes Filius, quia cuncta transcurrit, vaditque per omnia.*

(1069) Scil *homines*, ut habet divus Hieron.

(1070) In autog. marg. hic legitur cap. XV.

(1071) *Masculorum* in autog. legitur, quod juxta divi Hieronymi textum, quem tum ad imperfecti hujus sensus intelligentiam, tum ad correctionis necessitatem comprobandam adducendum duximus, emendandum judicavimus ? En divi Hieronymi textum. « Quod ut manifestius fiat imperfectum, licet et non implens similitudinem, tamen per quod possit intelligi quod dicitur, sumamus exemplum. Mare certe immensum est, et capacitas ejus Deo soli nota : ex hoc si quis velit multis hominibus secundum id quod gestare queunt tradere, necesse est, ut ad mensuram unicuique tribuat, et partes ejus mensuram recipiant, cujus solidum immensurabile est. Ita et Spiritus sanctus immensus quidem est, et nullo fine concluditar : tamen unicuique datur secundum quod expedit. »

(1072) Ut in cit. psal., *accepisti*.

(1073) Subanditur *novit*.

(1074) Ebionem scilicet et Photinum.

(1075) Divus Hieronymus, a quo desumpta est isthæc expositio, ita habet : « Et ex hoc loco manifestissime comprobatur Patris, et Filii una divinitas. Siquidem hoc, quod nunc Christus tribuisse describitur, in prima Epistola ad Corinthios Deus Pater dedisse narratur (*I Cor.* XII, 28) : *Alios enim*, ait, *posuit Deus in Ecclesia, primo, apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, et dona sanitatum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Quod Sabellius non intelligens, Patrem confundit, e

mordio Ecclesiæ fuerunt hæc omnia, id est, apostoli et prophetæ; non illi, qui ante Christi adventum fuerunt, sed qualis Agabus (1076), et nunc sunt evangelistæ, quorum pedes beati sunt (*Isa.* LII, 7). Sunt et modo doctores et pastores. Qui doctores (1077), ipsi sunt pastores ; quia ille veraciter pascit, qui docet. In primordio omnes docebant vel baptizabant; quod nunc non licet, ne vilescant Ecclesiæ mysteria. Ad quid sunt diversa officia ? *Ad ædificationem corporis Christi.* Sed quousque ? Sequitur: *Donec occurramus*, etc. : quos *omnes*, nisi credentes ? Et est sensus : Hæc officia sunt necessaria, donec tota Ecclesia *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* perveniat : quod et in hac vita partim impletur ; sed in fine perficitur. Hic impletur, cum, ita solidamur in fide et charitate, ut non moveamur *omni vento doctrinæ*. Perficitur, cum totum corpus impletur. Sed quare parvulum se dicit Apostolus ? Humilitate, an quia ex parte videt, et ex parte prophetat ? (*I Cor.* XIII, 9.) Nam in comparatione Judaismi perfectus erat, ut illud : *Cum essem parvulus* (*Ibid.*, 11), etc. ; in comparatione futuræ intelligentiæ parvulus, quia ex parte scit. Ille vero, qui dicit eum non humilitate, sed de conscientia illum hoc protulisse, dicit : Apostolus acris (1078) ingenii, pugnabat adversus errores, et quasi in puppi stans, gubernaculum tenens, spumantes hæreseon fluctus fidei securitate frangebat ; non tamen securus, et intrepidus prospiciebat (1079) ventos hinc inde proflantes ; sed non erat illi secura victoria. Sperabat tamen ut, Dei auxilio, de mente ejus repulsa dubitatione firmiter crederet veritati, et augeret eam in dilectione Christi, quem sciebat et sui et totius Ecclesiæ caput. Sciendum est quod hic locus in Græco manifestior fit ; quia dum verbum e verbo transfertur, sensus obscuratur (1080).

Sequitur : *Ex quo totum corpus*, etc. De eo quod, cum in fine Dominum (1081) viderimus, et in mensuram ætatis plenitudinis Christi pervenerimus, tunc totum corpus ejus, quod nunc divulsum et dilaceratum videtur, in suam compagem, juncturamque redigetur. Exemplum hominis divisi per partes : et nec os ossi jungatur, et a medico, priusquam sanetur, membra suis in locis ponantur (1082). Item similitudo de parvulo, cujus, te non vidente, implentur membra, et perficitur ætas (1083). Ita Christus medicus omnipotens ut perficiatur corpus, pedes pedibus, oculos oculis jungit ; et membra omnia in se charitate junguntur.

(1084) Sequitur : *Hoc ergo dico*, etc. De eo quod in cœpta intentione, id est, erga moralitatis præcepta perseverat, et quos superius obsecraverat, nunc invocatione nominis domini constringit. Et est sensus : Dico vobis, o Ephesii, et adjuro, ut, quia occursuri estis in mensuram ætatis plenitudinis Christi, *non ambuletis, sicut ambulant gentes*, id est, *in vanitate sensus sui ;* quia non sunt de populo gravi, in quo Deus landatur : et ob hoc obscurati mente, id est cæci, facti sunt ; quia per creaturam poterant agnoscere Creatorem, et quia nolunt, *alienati a vita Dei;* non est enim vita, nisi in Deo, a quo recedentes ad non esse tendunt, *propter ignorantiam, quæ est in illis*. Nota quod cæcitas mentis contemptum Dei generat. Nota quod indoctus et cæcus non dicitur, nisi qui scire et videre potest. Unde nec indoctum animal brutum, nec cæcum lapidem dicimus. Gentium vero natura fuit Deum cognoscere posse. Sed utinam sufficeret peccasse ; vel sero agerent pœnitentiam. Sed quid dicit ? *Qui desperantes semetipsos* (1085), id est, qui desperant de vita futura, vel qui malorum supplicia non esse credunt (1086). Ideo se

Filium, dum eamdem operationem esse non putat diversorum. »

(1076) Unus e septuaginta, juxta Græcos, Jesu Christi dicipulis, qui famem in tota terra futuram prædixit (*Act.* XI, 23), quam Clandio imperante, quarto ipsius regni, et Christi 44 anno evenisse testatur sanctus Lucas loco cit., et de qua inter profanos Suetonius in Claudio cap. 18, Joseph Antiq. lib. XX, cap. 2

(1077) In imo marg. leguntur verba hæc : *et . . . doctores.*

(1078) In cod. legitur *sacri.* Sed tum frequentia, tum divi Hieroymi in hunc textum verba, rectiorem hanc lectionem suasere.

(1079) Iisdem supradictis de causis *prospiciebat* loco *projiciebat* legendum putavimus.

(1080) Quia μεταφορικῶς; dicuntur in Græco. Et omnis metaphora, si de una in aliam linguam transferatur, quandoque sensum, fere semper tamen vim, et venustatem amittit.

(1081) In cod. *Domini.*

(1082) Ad intelligentiam hujus vix indicatæ et imperfectæ similitudinis divi Hieronymi textum afferre juvat, qui ita in hunc locum habet : « Totas rationabiles creaturas sub unius rationabilis animalis intelligamus exemplo, et quodcunque de hujus membris dixerimus, et partibus, hoc sciamus esse referendum ad unamquamque rationabilem creaturam. Putemus hoc animal ita per artus, venas carnesque laceratum, ut nec os ossi hæreat, nec nervus jungatur ad nervum : separatim oculi jaceant, seorsum nares, manus alium locum teneant, alio projecti sint pedes, et reliqua membra in hunc modum inter se dispersa sint et divisa. Finge aliquem venire tantæ scientiæ medicum, qui juxta fabulas ethnicorum, Æsculapium possit imitari, et in novam figuram, novumque nomen, Virbium suscitare : hic necesse habebit unumquodque membrum suo loco restituere, et compagem copulare compagi, et quodam glutine partibus restitutis, unum corpus efficere. »

(1083) « Parvulus crescat, et occulto ævo in perfectam adolescat ætatem ; suum manus augmentum habebit, sua pedes sentient incrementa; venter, dum nescimus, impletur ; humeri, dum falluntur oculi, dilatantur, et omnia membra per partes juxta mensuram suam sic crescunt, ut tamen non sibi, sed corpori videantur augeri : » ita divus Hieron. ibi.

(1084) In autog. marg. hic legitur cap. XVI

(1085) Juxta divium Hieron. *desperantes* minus recte a Græco ἀπηλεγοῦντες ἑαύτους in Latinum redditum est : *desperantes* quippe Græce ἀπηλεγοῦντες appellantur ; ἀπηλγοῦντες autem hi sunt, qui postquam peccaverint, non dolent ; qui nequaquam sentientes ruinam suam, feruntur in pronum, et tanquam bestiæ ferrum videntes, in mortem ruunt, scilicet indolentes, sive indolorii. Nam et quidam philosophorum, scilicet Dionysius cognomento Metathemenus ἀναλγησίαν, id est, *indoloriam* prædicavit.

(1086) Divinatione pene dixerim hisce verbis intelligendis, rectæque lectioni reddendis opus fuit :

tradunt immunditiæ, facientes quidquid corpus voluerit, caro desideraverit et libido suggesserit. Faciunt hoc *in avaritiam*, dum nunquam luxuriando saturantur, nec eorum voluptas terminum habet ; quia ultra concessum viri ad feminam conjunctionem, ad majora conscendunt, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem erroris sui recipientes in semetipsis. De eo quod *operationem immunditiæ omnis, in avaritia*, non ad avaritiam, ut sonat, simpliciter pertinere, sed ad libidinem, ad Thessalonicenses scribens, demonstrat Apostolus. Ait enim : *Hæc est enim voluntas Dei* (*I Thess.* VI, 3), etc., usque : *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrum suum* (1807). Qua enim consequentia, vel hic, vel ibi, de immunditia loquens subito de avaritia disputaret ?

(1088) Sequitur : *Vos autem*, etc. Nam si omnes audirent, aut discerent Christum, qui audire videntur, non diceret, *si tamen*, etc. Novit enim Christum, qui novit sapientiam, prudentiam atque justitiam, et veritatem. Iste talis non potest ambulare in vanitate cordis, nec cæcitatem habere, quia lumen videt ; non se tradit impudicitiæ, quia amatorem videt munditiæ. Discamus Christum ; id est, veniamus ad eum, qui veraciter dicere potest : *An experimentum* (1089), etc. : quia in ipso audimus Christum. Nam et per occultam inspirationem, quando vult, docet.

Sicut est veritas in Jesu : Hoc nomen aliquando hominem, ut illuc : *Vocabis nomen ejus Jesum* (Luc. I, 31) ; aliquando Verbum, ut illud : *Nobis autem unus Dominus Jesus ex quo omnia* (*I Cor.* VIII, 6), significat. Potest autem et ita intelligi : *Sicut est veritas in Jesu*, quod in nullo patriarcharum, vel prophetarum, in nullo apostolorum veritas fuit, nisi in solo Jesu : alii enim ex parte cognoscebant. (*I Cor.* XIII, 9). In solo Jesu apparuit veritas, qui confidenter dicit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). De eo quod ista veritas non in valle, sed in monte, et cum lex, et prophetia intelligitur, videtur ; unde Moyses et Elias in monte, clarificato Domino, videntur (Matth. XVII, 2).

Sequitur : *Deponere vos*, etc. Et est ordo verborum : *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, aut in illo edocti estis deponere*, etc., usque *erroris* : et subdere : *Sicut est veritas in Jesu*. Ut sit sensus : Quomodo est veritas in Jesu, sic erit in vobis, *qui didicistis Christum, el docti estis deponere secundum*. Nota quo conversatio, non natura deponenda ; id est, mala veteris hominis vita, qui quotidie *corrumpitur*, et ad pejora tendit. Nota quod hæc corruptio non est illa, de qua dicitur : *Etsi exterior homo noster corrumpitur* (1090), etc.

Sequitur : *Renovamini autem spiritu mentis* (1091), etc. De eo quod nec mente absque spiritu, nec spiritu absque mente renovamur. Sicut oramus spiritu, oramus et mente. Ita renovamur spiritu mentis, cum mens munda fuerit ; tunc ei jungitur spiritus, et induimus novum hominem. Quid enim in Salvatore non est novum ? Conceptus (1092), nativitas, partus, doctrina, vita, crux, resurrectio, et ad cœlos ascensio. *Hic est in justitia*, etc. Qui vero illam imitatur, iste novum hominem indutus est. De eo quod *creatio* in Lætino significat *generationnem*, sive *nativitatem*, in Græco autem, *facturam* (1093) : Unde non intelligitur a multis, quod Sapientia dicit : *Dominus in principio creavit me* (*Prov.* VIII, 22 ; *Eccli.* XXIV, 14). De eo quo creatio atque conditio, nonnisi in magnis rebus ponuntur (1094). Aliter : *Renovamini*

nam in codice ita exarata prostant : *malorum supplicationes se credunt*. Scopum attigerim, an non, lectorum judicio libenter relinquam. Illud solum addam ; nihil meo arbitrio iis formandis verbis ingestum, præter litteram *i* inter duas litteras *c a* verbi *supplicia* quod *supplica* scriptum est : particula enim negativa *non* immediate subsequens, quamvis potius *tion* videatur referre ; cum tamen nullum punctum super litteram *i* hic, nec alibi fere unquam appareat ; et duæ litteræ *t i* parvulæ lineæ superioris, quæ litteram *t* secare solet, ope, junctæ sint hoc modo *ti* ; absque difficultate loco *tion* ita legi posse videtur.

(1087) I Thess. IV, 6. Divus etiam Hieron. ita hunc textum interpretatur, ut divi Pauli intentio fuerit nos ad castitatem provocare, et eos, qui uxores habent, monere, ut sua contenti, fratris uxore abuti, et alieno thalamo sese immiscere non audeant. Lubet hic divi Hieronymi animadversionem de hac Epist. referre, quam et in principio ejusdem habet, scilicet, *inter omnes Pauli Epistolas, hunc vel maxime et verbis et sensibus involutam*.

(1088) In autog. marg. hic legitur cap. XVII.

(1089) I Cor. XIII, 3, *an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?*

(1090) II Cor. IV, 16 *Etsi exterior noster homo corrumpitur ; sed is, qui interior est, renovatur de die in diem*. « Corruptio enim, ait divus Hieron., exterioris hominis, interioris hominis renovatio est ; et contra interioris hominis corruptio, exterioris est instauratio. »

(1091) Vulg. lectioni consentit textus, et expositio subsequens. Consentit et ea Pelagii divo Hieronymo tributa interpretatio in hanc Epist. : *spiritus enim mentis* legitur utrobique. At divus Hieronymus *in spiritu sensus* legit in textu, et juxta eam lectionem pergit interpretari. Ait enim : « Nec in sensu renovamur absque spiritu, nec in spiritu absque sensu ; sed renovamur conjuncte in spiritu sensus nostri, ut quomodo psallimus spiritu, psallimus et sensu, oramus spiritu, oramus et sensu : sic in spiritu sensus nostri renovemur : ut cum sensus mundus fuerit atque purgatus, et ab omni macula sordidæ concretionis alienus, tunc ei jungatur et spiritus, et ita quodam inter se unitatis glutine copulentur, ut nequaquam simplex spiritus, sed spiritus sensus esse dicatur. Cum autem renovati fuerimus in spiritu, qui nostri sensus est spiritus, tunc induemur novum hominem, qui secundum Deum creatus est. »

(1092) Ita, ut divo Hieronymo hujus expositionis auctori famularer, hunc textum emendavi, quia ita jacet in cod. *Const· novus cept.*, scilicet verbum *conceptus* in duas partes scissum, et inter utranque, loco *nativitas*, per errorem fortasse scriptum fuit *novas*.

(1093) Sanctus Augustinus vero lib. I, contra advers. leg.. et proph. cap. 23, æque factum, et creatum in Scripturis dici asserit indifferenter, sive de rebus, quæ ex materia aliqua, sive de his, quæ ex nulla prodierunt. Hoc et pluries a profanis auctoribus usu commendatum. Divo autem Hieronymo assentit auctor noster.

(1094) Ita divus Hieron. : » Mundus creatus est ; urbs condita dicitur ; domus vero, quamvis magna, potius

spiritu mentis ; non quod aliud spiritus sit, aliud mens, sed quia non omnis spiritus est mens. Deus dicitur spiritus, et vox dicitur spiritus, et ventus, et vita jumentorum; sic et *corpus carnis*, ut illud : *In exspoliatione corporis carnis* (*Coloss.* II, 11 ;) non quod alia caro, quam corpus, sed quia non omne corpus caro, quoniam sunt corpora cœlestia, etc. Quod ait: *Exuite vos veterem*, etc., usque *veritatis*, hoc est, quod alibi dicit : *Exspoliantes vos hominem veterem cum actibus suis, induite novum, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum* (1095). Ista verba conferenda sunt. Quæ renovatio sit in mente, in qua est imago Dei. Sane ista renovatio non est unius momenti, sicut illa in baptismo.

Sequitur : *Propter quod* etc. *Mendacium* est falsa significatio cum voluntate fallendi (1096), id est, deponentes mendacium litterarum sæculi, legis Dei loquimini veritatem. Quod dicit : *Cum proximo*, omnem hominem vult intelligi. *Non adulterabis uxorem proximi tui* (*Exod.* xx, 17). Si proximi sunt noti, aut credentes: ergo aliorum uxores appetendæ sunt. Cum omnes proximi sint, qui ex Adam nati sunt, non attendas in incredulo quod est, sed quod esse eum vis. Nam parabola de saucio (Luc. x, 30), qui incidit in latrones, proximun manifestat. Cæterum, quod sequitur : *Quoniam sumus invicem membra*, monstratur quod mysteria credentibus, et capere volentibus, sunt pandenda ; quia non est sanctum dandum canibus (*Matth.* VII, 6). Item, sicut menbra non se invicem laniant, ita nec hi, qui in corpore sunt, se lædunt.

(1097) Sequitur : *Irascimini*, etc. De eo quod duplex est ira, id est, naturalis motus, et voluntas vindicandi. Irascimini vestris vel aliorum vitis, *et nolite peccare.*

Sequitur : *Sol non occidat*, etc. Non simpliciter de isto sole dicit : Quia a mane usque vesperum tanta mala valet quis facere, quæ vix possit lacrymis expiare diebus vitæ suæ. Est ergo sensus : Non sit tanta ira, quæ solem in vobis justitiæ et veritatis exstinguat. De exemplis solis (1098).

Sequitur :*Nolite*, etc. *Diabolus* Græce, Latine *criminator*, Hebraice *Satan* dicitur. De eo quod sicut Christus stat ad ostium, et pulsat, et si quis aperucrit ei, intrat et cœnat cum illod (*Apoc.* III, 20); ita diabolus pulsat, sicut leo rugiens, quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8), et cum locum ei dederis, ingreditur. Sed solet præmittere tentationnem, quasi nuntium, quam si susceperis, et nutritus fueris, et ipse ingreditur. Exemplum de Juda (1099). Nolite locum dare, ut illud : *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum ne demiseris* (1100).

Sequitur : *Qui furabatur*, etc. Furtum est quidquid cum damno alterius acquiritur. Unde nihil tutius, nihil securius, quam opere manuum vivere, et alios adjuvare, quia negotia absque peccato esse non possunt. Sunt, qui ad hoc tantum laborant. ut non egeant : sed non implent hoc præceptum ; quia non ait : Labora, ut non egeas, sed *ut habeas, unde tribuas necessitatem patientibus*. Aliter. Est furtum spiritale, ut illud : *Furatur unusquisque sermones a proximo suo* (*Jer.* XXIII, 30) ; et : *quotquot extra me venerunt* (1101), etc. Qui furabatur sacra eloquia, laboret agrum mentis suæ, ut non solum ipse abundet, sed etiam valeat conservis dare cibaria in tempore suo. Hoc propterea putant (1102) ; quia bonum non dicitur temporale. Sunt, qui de furto consuunt cervicalia sibi, cum Domini tunica sit inconsutilis (1103).

(1104) Sequitur : *Omnis sermo malus*, etc. Bonus sermo est, quando virtutes docentur sequendæ ; malus e contra sermo est, quando ad vitia aliquis provocatur. De gratia, et de tempore, et qualitate loquendi (1105). Sequitur : *Et nolite contristari*, etc. De eo quod istæ passiones in nobis propriæ sunt,

---

ta ædificata, seu facta dicitur, quam condita, vel creata. »

(1095) Coloss. III, 9, ubi in Vulg. post verbum *agnitione* non legitur *Dei*.

(1096) En brevem, aptissimamque mendacii definitionem.

(1097) Hic in autog. marg. legitur cap. XVIII.

(1098) Divi Hieronymi juvat textum afferre, ut suppleatur hic noster. « Quia igitur verus sol, sicut occidit super malos prophetas, juxta illud, quod scriptum est (*Amos* VIII, 9) : *Occidit sol super prophetas vestros meridie;* ita etiam super omnes occidit peccatores, nequaquam eis ortus sui lumen indulgens: præcipit nunc Apostolus, ne talia faciamus furore superati, per quæ nobis sol occidat, et principale cordis, tenebris involvatur. Quidam putant sic accipiendum hoc esse simpliciter, quomodo et illud quarti psalmi, unde idipsum sumptum videtur (*vers.* 5) : *Quæ dicitis in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini*, id est, quæcunque in die vel opere, vel sermone, vel cogitatione peccatis, hæc, succedente pœnitentia, purgate per noctem : et ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur. »

(1099) En exemplum a divo Hieron. desumptum : » Denique in Judæ Iscariot cor primam jecit sagittam, ut traderet Salvatorem, quam si exceptam ille miserabilis non fovisset, nunquam post intinctum panem in paropside, intrasset in illum Satanas. Simulque hoc diligenter attendite, quod non invenerit diabolus locum introeundi in Judam, cujus pectue jam ante percusserat, nisi in convivio Salvatoris. Quia tunc vel maxime in potestatem eidamur, quando nec humanitate, nec clementia, nec mansuetudine ejus vincimur, quem odimus indigne »

(1100) Eccle. x, 4. Ita et Vulg. divus autem Hieron. : *Ne dederis ei.*

(1101) Joan. x, 8 : *Omnes quotquot venerunt, fures sunt*, etc., ubi *extra me*. neque, *ante me*, ut divus Hieron. habet, legitur.

(1102) Scil. interpretes, inter quos divus Hieron.

(1103) Scil., ut ait divus Hieron, qui Scripturarum pannos hinc inde colligunt, ut tunicam faciant conscissam, quæ deorsum est, non desursum. Tunica enim Ecclesiæ, hoc est, corpus Christi, desuper contexta est, et nulla ex parte consutilis, quæ nec ab inimicis scindi potest.

(1104) Hic in autog. marg. legitur cap. XIX.

(1105) Cogimur hic etiam divi Hieronymi verba referre. Sunt autem hæc : « Pro eo autem quod nos posuimus, *ad ædificationem opportunitatis*, hoc est quod dicitur Græce, τῆς χρειας,, in Latinis codicibus propter euphoniam mutavit interpres, et posuit, *ad*

quia etiam nolentes eas patimur; in Deum vero non cadunt, ideoque translative in eo dicuntur. Si enim aliquis Spiritus sancti domum sordidaverit, non dolendo sibi sed condolendo illi recedit. Aliter; Dolet Spiritus, quando dolent illi, qui charitatem habent de peccatis malorum. Sic dicitur contristari, et irasci, et pœnitere, et clamare gemitibus (1106). *Signavit* (1107), dixit: Quia per Spiritum sanctum recipitur imago, et similitudo Dei. Ad hoc enim hoc Spiritu signantur, ut quod ille est per naturam, ipsi esse studeant imitando, et nullo modo corrumpantur.

Sequitur: *Omnis amaritudo* etc. Amaritudo contraria est dulcedini. *Furor* (1107) est incipiens ira. *Ira* est motio mentis. *Clamor*, verba contumeliæ. *Blasphemia* pejor est, quam perjurium, quia ibi in falsa re Deus testis invocatur, hic Deus blasphematur. Sed quid prodesset hæc cohibere, si radix remaneret? Ideo subdit: *Cum omni malitia*. Sequitur: *Estote autem invicem*, etc. Ista opponuntur contra amaritudinem. *Donantes vobismetipsis* (1109) dicit; quia qui alteri tribuit, sibi magis quam illi miseretur. Aliter: Si relicta amaritudine, etc., ad mansuetudinem transivimus, hoc a Deo nobis donatum est. Aliter: Præcipit ut alterius peccata dimittamus, sicut a Deo nobis nostra dimissa sunt. De eo quod peccata debita sunt, exemplum de duobus debitoribus: et illud: *Dimitte nobis debita nostra* (1110).

(1111) (Cap. V.) Sequitur: *Estote imitatores Dei*, etc. Nota quod Corinthiis dicit: *Imitatores mei* (*I Cor.* IV, 18): ob videlicet, quia illi carnales non statim poterant Dei imitatores fieri, sicut hi, qui spiritales erant, quam discretionem debent prædicatores servare. De eo quod imitatores Dei sumus, si donamus aliis, sicut Deus donavit nobis; et hoc est, quod ait: *Et ambulate in dilectione sicut et Deus* (1112) *dilexit nos*. Tale est hoc præceptum, ut in illo omnia impleantur. In hoc vero, quod ait: *Et tradidit semetipsum pro nobis*, nos monemur, ut simus parati mori pro fratre. De eo quod multis modis legitur traditus, pro variis intentionibus. De eo quod, quia contra aereas venerat fortitudines dimicare, ideo hostia; et quia victor rediit ad Patrem, oblatio factus est Christus. De eo quod in odorem suavitatis: quia illa sacrificia, quæ in Veteri Testamento in odorem suavitatis offerebantur, istud maxime figurabant (1113).

(1114) Sequitur: *Fornicatio autem*, etc. De eo quod imitatores Dei sumus, si his abjectis, mentis puritatem servamus; unde ipse dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Levit.* XI, 44). De eo quod immunditiam fornicationi non jungeret, nisi fuisset quidam philosophorum (1115), qui doceret carnis titillationem, et fluxum seminis non esse declinandum. *Acaritia* vero non pecuniæ sed libidinis, est hoc in loco intelligenda. Per hoc vero, quod dicit: *Sicut decet sanctos*, ostendit non esse sanctos, qui extra fornicationem in aliqua immunditia invenitur. De eo quod inter *stultiloquium* et *scurrilitatem* hoc distat, quia stultiloquium est nihil honestatis habens in se; scurrilitas vero ex prudenti mente descendit, per verba rustica facta, id est, jocularitatem, ad risum homines provocans. Et hæc a sanctis viris penitus sunt declinanda, quibus magis convenit flere atque lugere, ut in Hebraico Evangelio (1116) legitur Dominum dixisse apostolis: *Et nunquam læti sitis nisi cum fratrem vestrum in charitate videritis.*

Sed quid est quod ait: *sed magis gratiarum actio*? Sciendum quod hic gratiarum actio non illa est, secundum quam gratias agimus Deo; sed illa, secundum quam salsi (1118), et gratiosi, et amabiles, et

ædificationem fidei. Quotiescunque ex sermone nostro aliquis proficit: et juxta opportunitatem loci, temporis, et personæ ædificat audientes, bonus de ore nostro sermo processit. Quoties vero loquimur, aut non in tempore, aut importuno loco, aut non ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro, ad destructionem eorum, qui audiunt. Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die judicii. Et etiamsi non lædamus, non tamen ædificemus, mali verbi nobis luenda sit pœna. »

(1106) Phrases, quibus referta sunt sacra eloquia.

(1107) Vulg. *signati.*

(1108) *Furor* Vulg. non habet. Habet tamen divus Hieron.

(1109) Vulg. loco *vobismetipsis* habet *invicem*. Legit autem auctor noster cum divo Hieron. Quod et sequenti expositioni aptiorem viam pandit.

(1110) Ad divum Hieron. mittit, qui in hunc locum ita ait: « Alius vero hoc quod ait, *donantes vobismetipsis*, simpliciter accipiet, ut quomodo supra dicitur: *Estote autem invicem suaves:* sic et nunc dicatur: *Donantes vobismetipsis*: pro eo quod est, donantes vobis invicem, ut quomodo Deus vobis in Christo nostra peccata donavit; sic etiam non eis, qui in nos peccaverint, dimittamus. Et ad probandum quod dimissio peccatorum in Scripturis donatio nuncupetur, illud sumet exemplum, quod in Luca scribitur (*Luc.* VII, 41), ubi uni creditori alius debebat quingentos denarios, et alius quinquaginta, quos utrisque concesserit, et ad interrogationem Salvatoris ille, qui interrogatus fuerat, responderit, majorem gratiam illum habere, cui plus donatum sit. Dicitur et in oratione Dominica (*Matth.* VI, 1, 12): *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Deus autem nobis donavit in Christo, non extra positu, sed habitans in eo; quia Pater in Filio, et Filius in Patre. Nec statim ille, in quo donatur, minor est ab eo, qui in se donat; quia et Apostolus dicit (*II Cor.* II, 10): *Et ego si quid donavi vobis in facie Christi et Dei.* »

(1111) In autog. marg. hic legitur cap. XX.

(1112) Vulg. *Christus.*

(1113) In his nempe periodis, brevitatis causa, fortasse auctor noster prædicatoribus, et quibuscunque verbum Dei exponere habentibus innuere tantum intendit dicendi fontes, quos hinc haurire valerent.

(1114) Hic in autog. marg. legitur cap. XXI.

(1115) Ex Cynicis videl.

(1116) Hebraicum Evangelium Nazarenor.

(1117) *Falsi* legitur in cod., quod emendandum duximus juxta emendationem textus divi Hieronymi, ubi hoc idem verbum, quod et varie legebatur, emendatum fuit. Quam emendationem et ea, quæ sequuntur, collaudant.

Juvat in etiam divi Hieronymi in hujus opinionis confirmationem afferre verba ibi: » Et quia non es

dulces apud homines sumus. Non enim decet Christianum esse scurram, aut stultiloquum, sed sermonem habere sale conditum ut gratiam præstet audientibus.

Sequitur: *Hoc autem scitote*, etc. Nota quod de sex nominatis vitiis tria repetit, quibus quicunque obnoxius fuerit, non habebit sortem in regno Dei. Si enim stultiloquus, et scurra, ut illi, alieni essent a regno Dei, videretur crudelis Dei esse sententia, cum etiam per jocum prolata damnaret. Tamen si quis in his, absque majoribus, fuerit, non habebit illum locum, quem haberet, si scurra, aut stultiloquus non fuisset. De eo quod *turpido* est, cum inflammatur sensua ad libidinem, et carnis titillationibus ignis accenditur, sed Dei timore, et mortis recordatione, et mentis judicio refrenatur, atque extinguitur. Et ideo non debuit cum illis nominari, quibus excluduntur homines a regno Dei. Nota quod illi, qui avaritiam pro immunditia positam intelligunt dicunt quod non erat consequens, ut subito, de immunditia disputans, transiret inorditate ad aliud; econtra, qui avaritiam amorem pecuniæ intelligunt, dicunt ideo Apostolum jungere fornicationi avaritiam voluisse, ut quam magnum esset malum avaritia monstraretur. De eo quod recte, qui amore pecuniæ recedit a Deo, idololatres dicitur; quia, sicut voracium est deus venter, sic pecunia avarorum. Et hæc est generalis fornicatio, ut illud: *Fornicati sunt filii Israel post deos alienos* (*I Par.* v, 25; *Osee* iv, 12). Nota distinctionem non substantiæ, sed personarum in eo, quod ait: *Christi et Dei*. Nam unum regnum est Christi Filii et Dei Patres. Aliter: Dei et Patris una persona est, ut ibi: *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* (*I Cor.* xv, 24), non erit Pater, sed *Deus omnia in omnibus* (*Ibid.*, 28). Ubi autem Deus est, tam Pater, quam Filius intelligi potest. Sunt, qui dicunt propter Arium, tam Christum nominasse, quam Patrem.

(1118) Sequitur: *Nemo vos seducat*, etc. Nota, quod verba, quæ seducunt, *inania* sunt; quæ vero ædificant, plena atque conferta. Verba enim inania proferunt, qui dicunt non esse infernum, nec aliam vitam, vel levigant pœnas, dicendo non esse extrinsecus pœnam, sed peccati conscientiam, veluti febris intrinsecus corripiens, punire. Quoniam de nulla re ita irascitur Deus, sicut de hoc, quod peccator superbit, et non compungitur. Et bene dicit; *Propter hæc*, vel opera vel verba, venisse *irum Dei*, id est, diluvium, sive ignem super Sodomam. *In filios diffidentiæ* (1119) id est diaboli; quasi diceret: Filios iræ, mortis, gehennæ, etc. Et est sensus. Ex præteritis futura cognoscite. Si peccatoribus tempore diluvii, et Sodomitis pepercit, parcet et vobis (1129).

Sequitur: *Nolite ergo effici participes eorum*, id est, si fueritis participes in peccatis, eritis socii et in pœnis, de eo quod hic hæretici destruuntur, qui dicunt duas naturas, cum Apostolus eos, qui fuerant *tenebræ*, conversos dicit esse *lucem*; quoniam qui diabolum imitantur filii sunt tenebrarum et filii noctis; qui vero sequuntur Christum, qui dicit, *ego sum lux* (*Joan.* viii, 12), filii lucis sunt. Deus enim lux est, qui dicit, *filioli mei* (*Joan.* xiii, 33). Nota quod qui per se fuerant tenebræ, non in se, sed in Domino fiunt lux. De exemplo in nocte ambulantis (1121). Et quasi diceret aliquis: in quibus virtutibus ambulandum est? respondit: *Fructus lucis est in omni bonitate*, etc. Qui enim in *bonitate justitia et veritate* ambulat, filius lucis est. Nam qui in malitia, in injustitia et falsitate, filius est tenebrarum. Nam hi tales nesciunt quid sit *beneplacitum Deo*. Nota quod ait: *Probantes*. Non enim facile invenitur, ideo dicit: *Probantes* quod valent potissimum spiritales, et qui die ac nocte in lege Domini meditantur. Exemplum de trapezita, qui, viso pondere et tinnitu, nummum cognoscit (1122). De eo quod confusus ordo videtur, qui ita solvi potest. Nolite ergo effici participes eorum, *probantes quid sit beneplacitum Deo*, etsi enim *eratis aliquando tenebræ*, etc., usque *veritate*.

Sequitur: *Et nolite communicare*, etc. Nota quod, per ea quæ dixit agenda, convertitur ad ea quæ non sunt agenda. Dixerat enim fructum lucis; nunc dicit, *operibus infructuosis*. Ita et ad Galatas nomen fructus in bonis, nomen carnis in vitiis posuit, ob hoc videlicet quod nullus fructus est in vitiis. Et quia non sufficit malum non agere, nisi et corrigatur, subdit: *Magis autem et redarguite*. De eo quod liberæ conscientiæ est redarguere malum, id est, cui dici non potest: *Hypocrita, ejice primum trabem* (*Luc.* vi, 42); de eo quod communicat malis subjectorum prælatus, si non redarguat et emendet.

consuetudinis, nisi inter doctos quosque apud Græcos, εὐχαρίστιαν, ad distinctionem eucharistiæ dicere, hoc est, gratiosum esse, et agere gratias; propterea puto Apostolum, quasi Hebræum ex Hebræis, verbo usum esse vulgato, et sensum suum alterius significatione verbi explicare voluisse: maxime cum apud Hebræos gratiosus, et gratias agens uno, ut aiunt, sermone dicatur. Unde et in Proverbiis puto ita scriptum (*Prov.* xi, 16.): γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν, *mulier grata suscitat viro gloriam*, pro eo quod est *gratiosa*: videremur vim facere Scripturæ, et gratias agentem mulierem pro gratiosa audacter accipere, nisi et cæteræ editiones nostræ opinioni congruerent. Aquila enim, et Theodotio, et Symmachus ita posuerunt γυνῇ χάριτος, id est, *mulier gratiosa*, et non εὐχάριστος, quod ad actionem pertinet gratiarum. »

(1110) In autog. marg. hic legitur cap. XXII.

(1119) Sive *insuasibilitatis*: ἀπιθείᾳ enim magis a *suasione*, quam a *fiducia* e diverso, juxta divum Hieron. intelligi potest.

(1120) Hæc quasi per ironiam dicta de verbo ad verbum hausit auctor noster a Pelagii commentario, divo Hieronymo tributa, ubi illud *parcet vobis* interrogativum est.

(1121) Scilicet Joan. iii, 20: *Populus sedens in tenebris et nihil videns*.

(1122) Exemplum hoc divi Hieronymi est, qui ait facere nos debere uti prudentissimus trapezita, qui sculptum numisma non solum oculo, sed et pondere et tinnitu probat.

Sequitur : *Quæ enim occulte fiunt ab eis* etc. De eo quod superioribus jungitur, id est, filii diffidentiæ, quoniam quæ occulte in domibus vel cubiculis faciunt diffidentiæ, turpe est dicere. Prope dixit, cum ait : *Turpe et dicere.*

Sequitur : *Omnia autem a luce redarguta manifestantur* (1123). Quæ omnia, nisi quæ occulte fiunt ? Ob hoc namque redarguuntur ut agnoscantur et relinquantur. *Quod enim manifestatur, lumen est.* Sunt enim qui magna scelera, aut parva, aut nulla judicant. Sed cum manifestantur redarguta, agnoscuntur, et qui prius fuerant tenebræ,incipiunt esse lux. Propter quod dicit : *Surge qui dormis.* De eo quod sunt nonnulli,qui ex Isaia sumptum putant. ubi dicitur (1124) : *Surge illuminare*, etc. ; eo quod mos fut apostolis non tam verba,quam sensum ex Scripturis assumere. Item sunt,qui dicunt ex apocryphis sumptum, non quod apocrypha approbet, sicut nec gentilium fabulas,ex quorum libris exempla sumit. Sic etiam Judas ex libro, qui dicitur Enoch (*Jud* XIV). Sed illorum est hæc legere, qui Spiritu sancto pleni possunt discernere vera a falsis. Sed quare dicit ; *qui dormis; et a mortuis* : Sunt qui putant ob hoc, quod animæ moriuntur. Nam spiritus non dicitur mori (1125). Sunt qui dicunt dormire apud Deum malos,qui suscitandi sunt qui, quantum ad hominum judicia pertinet,mortui sunt, sicut Lazarus. De eo quod Hieronymus dicit quemdam in populo exposuisse, quod ideo dictum sit hoc, quia Christus super sepulcrum Adæ crucifixus fuit Et sicut mortuus Elisæus mortuum suscitavit. ita nunc Christus Adam illuminabit, id est, non (1126), orietur tibi Christus, sed, continget te Christus : et dicit quod interpretatio non conveniat huic loco.

Et quia monuerat redarguere, ideo monet ut videant qualiter, dicendo : *Videte*, etc. Quia sunt personæ erga fidem devotæ, sunt asperæ ; quæ si redargutæ fuerint, persecutionem excitant in Ecclesia, et ideo subdit : *Non quasi insipientes*, etc. Sapientum est enim considerare, cui, quantum,et qualiter sit loquendum. Aliter : Ephesii transierant de infidelitatis tenebris ad lumen fidei. Hortatur eos ut caute ambulent. De eo quod caute ambulat, qui incedit in lege Domini, quique dicit : *Perfice gressus meos, ut non declinent* (*Psal.* XVI, 5), etc.

(1127) Sequitur : *Redimentes tempus*, etc. *Omnes isti dies muli sunt ;* ergo redimamus patientia ac longanimitate tempora mala, ut tempus, quod adversum est, non sit. Aliter : O Ephesii,qui de somno surrexistis, videte ut caute et sapienter ambuletis. De eo quod Joseph unum de variis sibi redemit tempus; similiter et Job (1128).

Sequitur : *Propterea, nolite fieri imprudentes*, id

(123) Ita et divus Hieroymus, Vulg. autem : *omnia quæ arguuntur a lumine manifestantur.*

(1124) Quærat aliquis,ait divus Hieronymus quisnam sit iste. qui dicat : *Surge qui dormis*, etc.. aut cujus testimonia Apostolus sit abusus ? Et quidem qui simplici responsione contentus est (a) dicet in reconditis eum prophetis, et his,quæ vocantur apocrypha, hæc lecta in medium protulisse (sicut in aliis quoque locis illum fecisse manifestum est) non quod apocrypha comprobaret, sed quo et Arati, et Epimenidis,et Menandri versibus sit abusus ad ea quæ, voluerat in tempore comprobanda. Nec tamen tota, quæ hi scripsere, sunt sancta, quia eos vere aliquid dixisse testatus est.

(1125) Ita divus Hieronymus: *Igitur quia et spiritus est hominis, quem semper in bonam partem scriptum meminimus, et anima, cujus infirmitates et mortes legimus peccatorum, id quod nunc dicitur :* Surge qui dormis, *referatur ad spiritum ;* et quod sequitur : *exsurge a mortuis*, animæ coaptetur. *Anima enim, quæ peccaverit, ipsa morietur : spiritus autem mortem nunquam omnino legimus.*

(1126) Particulam *non* addendam censui juxta cit, textum divi Hieronymi, quem afferre lubet, ut textus nosler clariori luce perfundatur : « Scio me audisse quemdam de hoc loco in Ecclesia disputantem, qui in theatrale miraculum,nunquam ante visam formam populo exhibuit, ut placeret, testimonium hoc, inquiens ad Alam dicitur in loco Calvariæ sepultum, ubi crucifixus est Dominus. Qui Calvariæ idcirco appellatus est, quod ibi antiqui hominis esset conditum caput : illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus, super ejus pendebat (*b*) sepulcrum. hæc prophetia completa est, dicens : *Surge, Adam qui dormis, et exsurge a mortuis :* et non ut legimus ἐπιφαύσει σοί Χριστὸς id est, *ortetur, tibi Christus*, sed ἐπιψαύσει id est, *continget te Christus*, Quia videlicet tactu sanguinis ipsius, et corporis dependentis, vivificetur, atque consurgat : et tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Elisæus mortuus mortuum suscitavit (*IV. Reg.* XIII). Hæc utrum vera sint, necne, lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, et quodam plansu, ac tripudio sunt excepta. Unum quod scio, loquor : cum loci istius interpretatione, atque contextu sensus iste non convenit. »

(1127) Hic in autog. marg. legitur : cap. XXIII.

(1128) Scilicet ut ait divus Hieronymus, Joseph unum habuit propositum, placere Deo, quod nulla varietate temporis, vel casuum, nec fratrum invidia, nec cenditione servitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec denum tumore Ægyptiæ potestatis unquam immutatum fuit. Hoc idem de Job sentiendum. Hi ambo tempus sibi redemerunt, et malos in honos vertere dies. Quod et nobis faciendum monet Apostolus.

(a) Nimirum, ait divus Hieronymus commentator in Veronensi editione, ex apocrypho Eliæ laudari hocce testimonium opinatus est sanctus Epiphanius,Hæres.42, pag. 372. Georgius vero Sincellus in Chronographia, pag. 21. ἐκ τοῦ Ἰρεμειοῦ λεγομένων ἀποκρύφων ex apocryphis Jeremiæ ascriptis. E contrario in authenticis libris illud invenire se posse alli putant. Sanctus Thomas ex illo deducit Isaiæ loco c. LX. Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum. Alii malunt Isaiæ quidem, sed c. XXVI, 19, alludi verba : Vivent mortui tui ; interfecti mei resurgent... quia ros lucis ros tuus : aut denique illa IX, 2, populus qui ambulabat in tenebris,vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eis. Adito loci ejus interpretes.

(b) Vidimus et supra, ait citatus commentarius, hunc nescio quem notari ab Hieronymo in cap. Matthæi, XXVII, 33. Ac sane cum ad creandum vulgo miraculum excogitata opinatio ea sit, Adam in Calvariæ loco sepultum ubi crucifixus est Christus : tum id plane paradoxum, ab ipso prolata isthæc ad Adamum verba : *Surge qui dormis*, etc. Cæterum et sanctus Ambrosius in comment in hac. Ep., et Augustinus, in psal. III, legunt : *et contingent te*, quam lectionem Hieronymus probat. Erasmus. quem Victorius sequitur, in Græco ex ingenio fecerunt ἐφάψεται pro ἐπιψαύσει. Chrysostomus homil. 18. in hunc locum : Οἱ μὲν φασί; Καὶ ἐπψαύφεις τοῦ Χριστοῦ, οἱ δὲ φασιν; ἐπιφῶσει σοι ὁ Χριστὸς, μᾶλλον δέ τοῦτο ἔτι. Alii quidam dicunt, *et tanges Christum ;* alii vero dicunt, *et illuminabit te Christus :* et magis ita est.

est quia tempus malum dicitur : sive,ut caute ambuletis. *Dies mali* sunt, veluti domus mala (1129), Sequitur : *Et nolite* etc. Sicut duobus dominis servire nequimus (*Matth* VI, 24 ; *Luc.* XVI. 13). ita vino, et Spiritu sancto repleri non possumus. Vini ebrietatem sequitur luxuria,immunditia ; Spiritum vero sanctum castitas, munditia ,etc.

Sequitur : *Loquentes*, etc. *Hymnus* est, quando Dei laus canitur : *psalmus* refertur ad organum : *canticum* vero cantat, qui de cœlestibus disputat. Ac per hoc psalmus ad corpus ; canticum refertur ad animam (1130]. Nota quod ait, *in cordibus vestris*. Audiant hoc adolescentes,et quibus officium est commissum canendi ; audiant, non voce,sed corde canendum. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur.

Sequitur : *Gratias*, etc. Nota quare *semper, et pro omnibus* : dicat : scilicet non pro hoc quod solem, lunam, terram, aquam, jumenta, et reliqua nobis contulit, sed in omnibus dicat : *Benedictus Deus*, minora patior quam merear. In comparatione peccatorum meorum nihil sunt ista. Is perfectus est Christianus. Per quem gratiæ referendæ sunt ? id est, per Jesum Christum. Et cui ? Id est.*Deo patri* quia per Filium habemns accessum ad Patrem.

(1129) In qua scilicet aliquid mali committitur. Ita in sæpe citata, commentario divo Hieronymo tributo.

(1130) Hæc divi Hieronymi sunt,cujus juvat pauca et perpulchra verba de ecclesiastico cantu referre : nec in tragædorum modum guttur, et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur,et cantica,sed in timore,in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis si aliquis, ut solent illi appellare, καχόφωνος si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est.Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur : ut spiritus malus,qui erat in Saule, ejiciatur ab his,qui similiter ab eo possidentur,et non introducatur in eos,qui de Dei domo scenam fecere populorum.» Huic textui valde simile est illud,quod habet beatus Ælredus,Rhievallensis in Anglia abbas divi Bernardi coævus, Specul. charit. lib.I, cap 23, quodque nimis graphice, et pulchre nonnullos cantus, et sonos nimis libere in ecclesiis admissos depingit, quam ut prætermittit debeat : « Ad quid, rogo, terribilis ille folium flatus,tonitrui potius fragorem, quem vocis exprimens suavitatem ? Ad quid illa vocis contractio et infractio : Hic succinit, ille discinit, alter supercinit.alter medias quasdam notas dividit,et incidit.Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando,quod pudet dicere,in equinos hinnitus cogitur, aliquando, virili vigore deposito, in feminæ vocis gracilitates acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur et retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore,quasi intercluso halitu exspirare,non cantare,ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morientium,vel exstasim patientium imitari.Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur,torquentur labia.rotant oculi ludunt humeri et ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa diplosio vocatur religio ; et ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur,Stans interea vulgus,sonitum folium,crepitum cymbalorum,harmoniam fistularum tremens, attonitusque miratur, *sed lascivas cantantium* gesticulationes,meretricias vocum alternationes, infractiones non sine cachinno risuque intuetur, ut eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes convenisse ; nec timetur illa tremenda majestas,cui assistitur,nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur, ubi Christus mystice pannis involvitur,ubi sacratissimus ejus sanguis calice libatur,ubi aperiuntur cœli,assistunt angeli,ubi terrena cœlestibus junguntur,ubi angelis homines sociuntur Sic quod sancti Patres instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis,in usum assumitur illicitæ voluptatis.Non enim sensui præferendus est sonus, sed sonus cum sensu,ad incitamentum majoris affectus plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum, ad sui capiat oblectationem,sed sensui majorem relinquat portionem. » Usque nunc Ælfredus. Vide quæ habeat de hoc cantu divus Thomas Aquin., divus Carolus, et alii sancti viri, et quæ a synodis et conciliis prudentissime et frequenter statuta in diversis locis exstant.

A Sequitur : *Subjecti invicem* ; etc. Audiant hæc episcopi, presbyteri et reliqui,ut sint subjecti suis subjectis, sicut Christus fuit,lavando pedes apostolorum (*Joan.* XIII, 5). Et hæc subjectio non fit in vanitate, sed *in timore Christi*, quoniam quidquid vel a prælatis, vel a subjectis fit, in Dei debet fieri timore pariter et amore.

(1131) Sequitur : *Mulieres viris*, etc. Deo eo quod illud, quod generaliter monuerat,id est, subjectionem, in specialibus nunc personis commendat. Præcipit ut, sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita sit et mulier viro. Sicut legitur de Sara Abraham Dominum meum vocasse (*Gen.*XXVIII,1).Nam quomodo in Christo et Ecclesia sancta est conjunctio, ita sit in viro et conjuge sancta societas.Nec debet videri contrarium, quod Corintiis dixit ; *Vir uxori* B *debitum reddat* (*I Cor.* VII, 3), etc., huic loco, quia illi lacte nutriebantur ut parvuli, isti solido cibo pascebantur,ut magni.Sequatur quos voluerit(1132]· Verumtamen noverit illud, *nutrientibus* [1133].

Sequitur : *Viri*, *diligite*,etc.De eo quod his verbis divortium [non] [1·34] prædicat Apostolus, sed sancta esse debere conjugia docet ; et sicut Christus paratus, fuit mori pro Ecclesia, ita sint viri parati pericula sustinere pro salute sanctarum conjugum.

C

(1132) In autog. marg. hic leg. cap. XXIIII.

(1132) Scilicet liberum est cuique vel Corinthios sequi parvulos atque lactentes,vel Ephesios jam in fide adultos ,ut ait divus Hieronymus.

D (1133) Illud scil., ut ait divus Hieronymus, quod Salvator inquit (*Luc.* XXXI. 35) : « *Væ prægnantibus et lactentibus in die illa*, hoc est,judicii,quæ utique proprie opera nuptiarum sunt. Unde omni labore nitendum,ut magis Ephesios,quam Corinthios æmulemur ; nec deprehendamur quasi in diluvio, *ementes et vendentes,nubentes,et matrimonio copulati* ; sed *accinctis lumbis, lucernas teneamus in manibus*, »

(1134) Partic. *non* desideratur in autog.: eam autem addendam suasere tum texus divi Pauli, tum sensus expositionis, qui absurdus et inconsequens textui sine ea evaderet,tum divi Hieronymi in hæc verba expositio,a qua hæc nostra desumpta est, qui ait hæreticos ex hujus amoris sanctitate amori Christi erga Ecclesiam comparati occasionem sumere somniandi Apostolum nuptias prohibuisse.Quibus breviter subjungit respondendum,non nuptias, sed earum abusum, scilicet meretriciam libidinem, et immunditias vetasse.

Nam quod sequitur, *ita viri*,etc.,et ex persona Adæ in Genesi (III, 20), scriptum est. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc.

Sequitur : *Nemo enim unquam*, etc.,Nisi forte qui regio morbo, vel cancro laborant. Et ipsi non carnem, sed morbum odio habent.Quod vero dicit nos esse membra ejus,non de ossibus,et carne suscepta ex Virgine, sed de participatione ejus gratiæ sentiendum est.

Sequitur : *Quamobrem*,etc. Deseruit Christus Patrem, quia non in ea forma, qua æqualis est Patri apparuit (*Philip.* II,6, 7) ; et matrem,vel Jerusalem cœlestem, vel Synagogam, et sociavit sibi Ecclesiam.Cum vero dicit *sacramentum hoc magnum esse*, se autem dicere *in Christo et Ecclesia*, ostendit non æqualia esse omnia sacramenta. De eo quod Ephesiis loquens dicit : *Verumtamen et vos*, ac si dicat : Quanquam ego dicam hoc vaticinium in Christi et Ecclesiæ conjunctione impletum, verumtamen vos diligite uxores vestras ; *mulier autem ut timeat*,etc. Hic et amor in timore est,ut servetur affectus cum honore,et vir uxorem diligat,et uxor virum timeat ; sed quærendum quo timore (1135).

(1136) (CAP. VI.)Sequitur:*Filii, obedite parentibus*, etc. De eo quod speciali admonitione perseverans, monet ut filii obediant parentibus, sed bonis.Unde Moyses : *Hi,qui dixerunt parentibus : Nescimus vos ; hi custodierunt præceptum tuum* (*Deut.* XXXIII, 9). Quod vero ait, quod *est mandatum primum*, intelligendum est, in secunda tabula (1137). Quod vero dixit : *Ut sis longævus super terram*, non de terra Judæa maledicta (*Jer.* XX, 14) debemus intelligere, ne sit contrarium Psalmistæ, qui ait : *Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX, 7) ; et Solomoni,qui præfert mortuos viventibus (*Eccle.* IV, 2, 3), sed de terra,de qua Psalmista dicit:*credo videre* (*Psal.* XXVI, 13) : et item ; *portio mea* (*Psal.* CXLI, 6), etc.

(1138) Sequitur : *Et patres, nolite*, etc. Peccatum filiorum est, si non obediant parentibus ; peccatum vero parentum,si vel filios parvulos ad iracnndiam provocent,vel adolescentes, et majoris ætatis gravia jubeant (1139).

(1140) Sequitur : *Servi obedite dominis*, etc. Quomodo Corinthios monet, ut vir, aut mulier credens non relinquat incredulum (*I Cor.* VII, 13), ne divortium prædicare videretur, ita hic monet, ut servi credentes sint obedientes dominis, ne propter contemptum,Domini doctrina blasphemaretur.Quoniam non venit Christus conditiones mutare, sed mores. Prævidit namque quod, si servi contemnerent dominos, non solum non dimitterent alios servos ad fidem transire, sed etiam pœniteret eos de illis quos dimiserant ; si autem devotiores, humilioresque credentes servos esse cognoscerent, gauderent alios credere, etiam et ipsi credidissent. Quærit forte aliquis quare dicit : *Cum timore*, cum timor non sit in charitate ? Sed dicit aliquis : Imperfectis hoc dicit. Quod si perfecti erant,timor castus intelligi debet ; sicut et supra de muliere dicit,ut timeat, id est, honoret maritum. Et bene dicit : *Non ad oculum*,sicut hi faciunt, qui hominibus volunt placere, *sed ut servi Christi* ; Christo enim fit,quidquid ejus præcepto agitur. Faciunt quoque *voluntatem ejus ex animo*, quando necessitatem vertunt in voluntatem. De eo quod in multis concordat voluntas dominorum cum voiuntate Dei,quia volunt castos, humiles ac fideles habere servos.Quod si alias(1141) fuerit, magis Deo, quam homini obediendum erit.

(1142) Sequitur : *Et vos domini eadem facite illis.* Quæ eadem ? Id est, *in simplicitate cordis* imperent, remittentes minas, quasi diceret : Minamini propter disciplinam, sed remittite propter misericordiam ; *scientes quia et vester, et illorum*, etc. De eo quod aliter admonendi sunt servi, aliter domini. Servi monendi sunt, ut in se semper humilitatem conditionis aspiciant ; domini vero, ut naturæ suæ, qua æqualiter servis sunt conditi, memoriam non amittant.Servi admonendi sunt,ne dominum despiciant, si ordinationi illius superbiendo contradicant ; do-

(1135) Scilicet timore reverentiæ, ut aiunt, seu perfectorum timore,quo qui timuerit perfectus est, et de quo in *Psal.* XXXIII, 9 : *Non est inopia timentibus eum.*

(1136) In autog. marg. hic leg. cap. XXVI.

(1137) Nonnulli,ut ait divus Hieronymus, legunt, ut in vulg. *mandatum primum in promissione.* Hoc enim mandatum ab Exodo desumptum,XX,12,in Decalogo quintum est.Primum autem est,cui promissiones expressæ adjunctæ sint : *Ut bene sit tibi,et sis longævus*,etc. Quamvis ultima verba Apostolus reticuerit.Sed minus recta divo Hieronymo eorum observatio videtur,quia et in secundo mandato Exodi,XX, 5 et 6 ; Deut. V, 16, repromissiones leguntur ibi : *Faciens misericordiam*,etc.Fortitan ergo quia Decalogus exeunti de Ægypto populo,prima lex data est,unumquodque mandatum Decalogi,primum mandatum est appellandum, ad comparationem eorum præceptorum,quæ postea in lege conscripta sunt. Si quæ autem alia desideres, fusius de hac re loquentem adi divum Hieronymum. Quod autem ait auctor noster: *In secunda tabula*, Apostoli genuinum sensum valde melius referre mihi videtur, qui fortasse primum mandatum ait Levitici, X, 5, præ oculis habens, ubi revera hoc mandatum primum locum obtinet, ibi : *Unusquisque patrem suum,et matrem suam timeat.* Secundam autem tabulam præcepta appellat auctor noster,quæ in Levitico a Domino Moysi tradita leguntur, respectu primarum tabularum, quas traditas a Domino confregit Moyses, Exod. XVXII,15 et 19,seu potius quia in duabus tabulis legis prima contineret tria illa præcepta,quæ ad Deum referuntur,secunda vero ea, quæ a quarto, quod parentum obsequium filiis præcipit,descendunt,et proximum respiciunt, Vid. Clement. Alexand., lib. VI Stronat,satis ante finem ; August. in Exod., qu. 71,et ep. 119, cap.11 Divus Thom. 1-2, q. 100, art. 4.

(1138) In autog. marg. hic leg. cap. XXVII.

(1139) De hoc parentum munere vide divum Hieronymum, qui in hunc locum aliquantulum prolixius, sed pulcherime eloquitur.

(1140) In aut. marg. hic leg cap. XXVIII.

(1141) Fortasse legendum *aliter* loco *alias*, quamvis et *alias* pro *aliter* curtius habeat.

(1142) In aut. marg. hic leg. cap. XXIX.

mini vero monendi sunt, quia si contra Deum de munere ejus superbiunt, si eos, quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium nos recognoscunt, etc. Istis dicitur.ut sint obedientes, illis imperatur,ut remittant minas; quia uno sunt pretio redempti,et ad unam patriam tendunt. Magna sunt jura, cœlestia ; unde et Ecclesia servos, et liberos, doctos, et stultos, magnos, et parvos æqualiter recipit.Omnes Ecclesia filios novit; unde sanctissimi viri tam primæ, quam secundæ nativitatis exordia recolentes, famulos suos nunquam servos nominant, sed fratres, et ad osculum vocant : horrent enim nomen, quod non natura, sed iniquitas fecit. Servi enim non a Cham, cujus maledictio in Chananæis impleta est (*Deut.* VII, 2), ex quo reges orti sunt (1143), sed ab injustitia, et mundi iniquitate facti sunt. Quid magis habet dominus a servo, aut servus minus a domino? Non nisi nomine discernuntur. Neque pro servis et dominis, sed pro bonis et malis Dominus judicium celebravit. Nam servus bonus, filius, et amicus Dei est ; dominus vero malus, filius, et servus est diaboli, et pejor omni servitute.

(1144) Sequitur : *De cætero*, etc. De eo quod, postquam monuit specialiter quosdam, mox generalem admonitionem subdens, ait : *Confortamini*, non in vobis, sed *in Domino ;* non in vestra, sed *in ejus potentia*. De eo quod, more ducis armantis milites ad prælium, suos armat, et dirigit ad speciale certamen Apostolus auditores. Ait enim : *Induite vos armaturam Dei*.Quare Dei? Quia,sicut qui contra visibiles hostes dimicat, visibilia arma accipit ; ita arma invisibilia sunt necessaria contra invisibiles hostes. Nihil est dicere,induite vos armaturam Dei, nisi : Iuduite vos Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 14), id est, veritatem, justitiam, pietatem, et cætera, quæ intelliguntur in Christo.

Sequitur : *Non est nobis colluctatio* (1145), etc., id est, adversus homines, qui ex carne constant et sanguine ; *sed adversus principes, et potestates*, id est,qui sibi principatum in malis hominibus vindicant ; *adversus mundi rectores*, id est, *tenebrarum*, non cœli, et terræ : dæmones enim rectores sunt, non mundi, sed mundi amatorum.

Sed gratias Deo, qui eruit nos de tenebris. Maneamus ergo in luce ac libertate. Unde et ipsis dicitur : *Fuisti aliquando tenebræ* (*Ephes.* V, 8), etc. Quærit forte aliquis,unde Apostolus sumpsit occasionem ista dicendi. Forte de præliis,quæ in historiis veteribus narrantur gesta a filiis Israel adversus Ammonitas, Moabitas, et Chananæos, quasi diceret : O Ephesii, quæ de præliis Israel adversus nationes legistis, videntur sonare carnem nostram, etc., ut ex illis intelligamus non esse nobis adversus carnem, id est homines sed adversus dæmones esse certamen (1146). *In cælestibus* vero dicit pro aere, unde aves cœli nominamus ; quia iste aer plenus est immundis spiritibus.

Sequitur : *Propterea accipite*, etc. Iterum repetit quia dificilis est victoria, ut induant se arma Dei, Ut quid ? *Ut possitis resistere in die malo*, id est in die tentationis, sive in die præsentis temporis ; ut illud : *Dies mali sunt* (*Ephes.* V, 16) : sive in futuro, ut illud : *Ut quid vobis dies Domini ? Dies Domini tenebræ et non lux* (*Amos.* V. 18). Item : *Dies iræ dies illa* (*Sophon.* I, 15), etc. Quod vero dicit : *Et in omnibus perfecti stare*, subaudiendum est, in omnibus, quæ superius monui.

Sequitur : *State ergo*, etc., id est, veluti ille, qui dicebat ; *Statuit supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX: 3), etc.Bonum est, ut stantem,non jacentem, et non discinctum, sed accinctum te inimicus tuus inveniat. De eo quod interior homo habet lumbos suos ; unde Dominus : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35), etc. Sequitur : *Induti loricam justitiæ*. Bene justitia loricæ nomine designatur ; quia sicut illa multis circulis, ita ista multis virtutibus consummatur.

Et calceati pedes.Isti sunt animæ pedes,quos calceare, id est, munire debemus sanctorum Patrum exemplis, ut intrepide prædicemus Evangelium ; ut illud : *Quam pulchri pedes evangelizantium pacem* (*Isa.* LII, 7 ; *Nahum.* I, 15 ; *Rom.* X, 15). De eo quod finem scutum vocat ; quia,sicut scuto omnia jacula exstinguuntur, ita omnia adversa,fide superantur. De eo quod galea salutis munit caput,id est, interioris hominis sensus.Nam si his omnibus fueris indutus, et non habeas *gladium*, te utcunque potes defendere, sed inimicum tuum non vales exstinguere.Ideo subdit: *Et gladium spiritus ;* unde alibi: *Vivus est enim sermo Dei* (1147), etc. Si enim verbi gladium non habueris, hæreticorum versutiàs non facile superabis ; sicut miles sine gladio non accedit ad bellum, ita omnis justitia intuta est sine verbo.

Sequitur : *Per omnem orationem*, etc. De eo quod distantia est inter orationem et obsecrationem. Dicunt enim quod obsecratio fit pro peccatis præteritis, vel præsentibus ; oratio pro adipiscendis quæ speramus. Et quia magno Dei egemus adjutorio ad devincendas hostis antiqui versutias; idcirco sub-

(1143) In Palæstina scil. et Syria, Sidonia, et Phœnicia.ex ipsis scil.erant Jebusæis,Ammorrhæis, Hevæis,et quamplurimis aliis nationibus reges, qui a Josue juxta Domini præceptum per Noe maledictum prolatum exterminati sunt.

(1144) In autog. marg. hic leg. cap. XXX, et paulo post Dominica XXIII post Pent.

(1145) *Conculcatio* legitur in cod., quod juxta omnes lectiones emendatum censui.

(1146)Hæc expositio a divo Hieronymo desumpta. Ubi illud *nostram*, videtur potius emendandum, et legendum *nationem,vel earum*.

(1147) Hebr. IV, 12 : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ,ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis.*

junxit: *Orantes omni tempore in spiritu*. Et bene *in spiritu* dicit, ut non dicamus verba meditata, vel scripta; sed interior homo, id est, spiritus, pleno desiderio oret, *et omni tempore* oret. Nota quod ait: *Per omnem*. Multiplex est enim oratio: nunc pro nobis, nunc pro aliis, nuno pro his, quæ ad futuram (1148), nunc pro his, quæ ad præsentem vitam pertinent. Nota quod cessantibus (1149) verbis spiritus debet orare; et qualiter ostendit, cum dicit: *Omni tempore*. Et quia subaudiri poterat certum tempus, id est, dies ad operandum (1150) data homini: ideo subjunxit: *Et in ipso vigilantes in omni instantia*, ne videlicet, veluti dormientes, lecta, vel commendata dicamus. Sicut enim dormiens ignorat quod dicit; ita ille, qui ita loquitur orando, ut aliud cogitet. Nota quod monet *pro sanctis* orare, et pro se. Et homines tumidi, et superbi despiciunt orationes sanctorum requirere. Nota quod et ipse orat pro Ephesiis, et rogat, ut et ipsi orent pro ipso. Ubi discimus quod et prælati pro subditis, et subditi pro prælatis debent orare. Sed vide quod non pro sospitate carnali, aut pro temporalibus quibusque rebus rogat orare, sed ut detur ei sermo; id est, ut sermo abundet, et os apertius loquatur cum fiducia sine aliqua trepidatione. Nota quod hoc ipsum eis prodesset, quos monet, ut orent. Ubi discimus orare pro his quos docemus in Domino.

Sequitur: *pro quo*, etc.; id est, Evangelio. Legatus Christi, licet in catena sit, tamen officium evangelizandi peragit. Sed orat, ut non dolore vincatur; quia omnes legati verbi talia sustinere debent. Unde sequitur: *Ita et in ipso*, etc. Quid enim aliud inter adversa, et adversus pœnas debuit orare, nisi ut fiducia sibi daretur ad manifestandum Evangelium? Nota quod tunc major fiducia est, quando copiose et rationabiliter dicitur.

(1151) Sequitur: *Ut autem vos sciatis*, etc. Nota quod duo dicit, id est, quæ circa me sunt, et quid agam. Circa ipsum quid erant, nisi catenæ? Et quid agebat, nisi instanter docebat? De his nil per epistolam pandit; sed omnia per missum, id est, Tychicum (1152) mandat. Cujus enim ostendit personam, commendat etiam profectionem. Cum dicit *Charissimus frater*, magni meriti monstratur, cum charissimus esse dicitur Pauli. Sed unde charissimus? Nunquid quia illius erat minister? Ait enim: *Minister in Domino*; id est, in prædicando.

Sequitur: *Ut cognoscatis quæ circa nos sunt*, etc.; id est, quas pœnas et quas catenas patimur. *Ut consoletur corda vestra*, ne de mea cura, et sollicitudine laboretis. De eo quod grandis consolatio esse poterat audire Paulum Romæ in domina urbium, et in arce Romani imperii de carcere, et de vinculis triumphantem; et ideo Tychicum (1153) esse missum, ut vitam et conversationem Pauli eis nuntiaret. Magna quidem consolatio esse poterat imitari volentium, nosse omnia quæ ab Apostolo gerebantur.

Sequitur: *Pax*, etc. De eo quod ultima pars epistolæ precatio est. Precatur et optat pacem fratribus, deinde charitatem, postmodum fidem. Hæc sunt, quæ perfectum faciunt Christianum, sed charitas major est pace (*I Cor.* XIII, 13); quia sunt qui tolerant, quos non diligunt. Nota quod sine fide reliqua inutiliter habentur; ut illud: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 13). Nota etiam quod ipsa fides cum reliquis virtutibus a Domino datur.

Sequitur: *Gratia autem cum omnibus*, etc. De eo quod corruptam habent fidem hæretici, qui de Christo non recte sentiunt; corruptam etiam, qui non recta intentione ei serviunt; corruptam et illi, qui in hac tantum vita sunt sperantes in Christo. Non defuerunt qui intellexerunt corruptos, qui concubitus experientiam capiunt, qui vulgo corrupti dicuntur. Sed quomodo ab hac gratia conjugia sancta excluduntur? Quapropter corruptio dicitur cujuslibet peccati dominatio. Diligere vero Dominum in *incorruptione* est, non regnare peccatum in nostro mortali corpore, etc. *Amen* autem quasi ad confirmationem omnium, quæ superius scripta sunt, in fine posuit; per quem Hebræorum sermonem vera et fidelia esse, quæ scripta sunt, demonstrantur.

Explicit epistolat ad Ephesios.

(1148) Verba hæc, *nunc... futurum*, in marg. leguntur.

(1149) Fortasse *incessantibus*, ut referatur ad illud, *in omni tempore, in omni instantia*: vel etiam ut jacet, scil. ut mente etiam, cessantibus verbis, oremus.

(1150) Fortasse *ad orandum*.

(1151) In autog. marg. hic leg. cap. XXXI.

(1152) In cod. *Titicum*.

(1153) Et hic denuo *Titicum*.

INCIPIT EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Philippensibus Apostolus verbum fidei prædicavit in visione admonitus, sicut in Actibus apostolorum legitur, ut accederet ad eos, et aperiret aures eorum ad audiendum verbum Dei (*Act.* XVI, 19). Mansit enim apud illos diebus multis, quousque pleniter eos instruxit et solidavit in fide. Et quia post ejus abscessum non sunt translati ad aliud, sicut Galatæ, laudantur ab Apostolo. Laus quoque istorum, vituperatio est aliorum, id est Corinthiorum. Hi enim, cum Apostolo prædicante credidis-

sent, tantum in fide et scientia profecerunt ut etiam Evangelium prædicarent atque defenderent a pseudoapostolis impugnatum. Propter hoc ab his etiam accipit sumptus, ut aliis prædicare sufficeret. Hos vero collaudans, monet eos, ne passionibus illius terreantur, quibus non destruitur Evangelium Christi, sed confirmatur, quia pro re falsa vel dubia tanta perferre non posset. Sed quamvis laudentur, erant inter eos imperfecti. Et non mirum; quia sancta Ecclesia permista est, quia area est, quia tandiu erunt grana mista cum paleis, quousque ventilabro justi discriminis permundetur. Quod designabatur per hoc, quod Jebusæi habitaverunt cum Judæis in Jerusalem (*Judic.* I, 21). Quid enim per Jerusalem, quæ *visio* dicitur *pacis*, nisi Ecclesia? Et quid per Jebusæos, qui *conculcantes* interpretantur, nisi mali designantur? Moraliter. Quid est anima sancta, nisi Jerusalem? Quæ, quamvis habeat pietatis ac sanctitatis opera, nunquid funditus caret malo? Quia ergo in anima sancta sunt Jebusæi, id est affectiones contrariæ, ad hoc laboret necesse est, ut quia concupiscit, concupiscentiæ non consentiat, quatenus etsi a tergo murmurat, in facie non resistat. Taliter necesse est, dico, vivat, qui cum Philippensibus laudari et sensum Apostoli penetrare desiderat. De eo quod Philippenses, Macedones iidem Græci sunt: quæ provincia, ab Emate Emathia, deinde a Macedone rege Macedonia dicta est. Ipsi sunt Jones a Jaban filio Japhet nuncupati. De eo quod positio hujus provinciæ talis est. Habet ab oriente mare Ægæum; ad occasu Dalmatiam; a meridie Asiam; ab aquilone Mysiam.

INCIPIT TEXTUS.

(Cap. I.) *Paulus et Timotheus.* Per hoc quod Apostlus aliorum secum nomina jungit, monstratur quod per multorum ora Spiritus sanctus unum exprimit sensum, unam format doctrinam. Nec mirum, quia *multitudinis credentium erat cor unum* (*Act.* IV, 32). Ut hinc discant prædicatores uno ore laudare Deum. De eo quod nomen suum more regum in principio ponit epistolarum, ut dignitatem sui apostolatus ostendat. De eo quod apostolum se tacet, quia illis scribebat qui de illo recta sentiebant. De morali instructione. De eo quod conditionem ostendit, cum subdit, *servi*; non vitiorum, sed, *Jesu Christi*. Hæc conditio nobilior est omni dignitate, quia servus Christi, servus est justitiæ, sapientiæ, castitatis, et his similia. Nam quia Paulus et Timotheus scribunt, videndum est quibus ait, *sanctis omnibus*: non Philippensibus omnibus; sed *sanctis*, ne *mittant margaritas*, etc. (*Matth.* VII, 6); nec quibuslibet sanctis, sed *in Chrsito Jesu*. Hæretici non sunt in Christo sancti, quia non recte sentiunt de Christo.

Sequitur: *Qui sunt Philippis*. De eo quod Philippis civitas est Macedoniæ. Hi accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, nec receperunt falsos apostolos. Hos collaudat, scribens eis Roma de carcere per Epaphroditum. Cum vero dicit, *episcopis et diaconibus*, non pontifices, sed presbyteros, nomine episcoporum, vult intelligi. Non enim erat ratio ut in una civitate plures essent episcopi. Illo enim tempore presbyteri episcopi vocabantur.

Quid vero sanctis optat, ostendit, cum subdit: *Gratia vobis, et pax a Deo*. Et pulchre, quia sanctorum memoria cum gratiarum actione celebratur. Gratia enim est, qua relaxantur peccata: pax vero, qua reconciliantur Deo. Huc usque salutatio.

Sequitur: *Gratias ago Deo meo*, etc. Nota quod a gratiarum actione inchoat. Nota etiam quod dilectionem suam erga eos ostendit, pro quibus indesinenter orat. Attende quod instruit, ut non pro nostro, aut nostrorum solum, sed pro omnium profectu laudemus. Et quia justi erant, ideo dicit, *cum gaudio deprecationem faciens*: quoniam aliter orat pro Galatis, aliter pro Philippensibus. In illis erat mœror, quia recesserant; in istis gaudium, quia stabant. Et nos cum gaudio oramus pro bonis, cum mœrore vero pro malis. Nota quod gaudium hoc dicat spiritale, non corporale. Unde vero gratias agat, exponit cum dicit: *super communicatione vestra*: id est quia communicatis mecum, Evangelium prædicando. Quod vero dicit, *a primo die*, intelligendum est, a tempore, ex quo credidistis; ac si diceret: In bono, quod cœpistis, perseveratis.

(1154) Quia securus de Dei miseratione confidit illos perseveraturos, ideo dicit: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus*, etc. Nota quod hic destruit illos, qui dicunt a nobis inchoare bonum. Ecce dicit, *qui cœpit*: et Dominus: *Sine me nihil potestis* (*Joan.* XV, 5): et Psalmista: *Misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 1); et: *Misericordia tua subsequatur me* (*Psal*, XXII, 6). Ipse enim prævenit ut velimus, et ipse subsequitur ne inaniter velimus (1155), nota quod *diem Christi* vocat, vel obitum cujusque, vel diem judicii. Nota etiam quod his verbis eos ad perseverantiam provocat. Et nota quod *justum* dicit *hoc* se *sentire*, eo quod habeat illos *in corde et in vinculis*; quasi dicat: adeo vos diligo, ut nec vincula, vel flagella possint memoriam vestri auferre a corde meo. *In defensione* vero, *et confirmatione Evangelii* dicit illos sibi *socios*, secundum hoc quod superius dixerat, *super communicatione vestra*. Nota quod in duobus præfert Philippenses Ephesiis, id est, in hoc quod certus est de perseverantia ipsorum, et quod quotidie lectioni vacabant. Et pulchre dicit *socios gaudii*, quasi diceret: sicut socii estis laboris et doctrinæ, eritis gaudii socii.

(1154) In autog. marg. hic leg. c. II.
(1155) Vide cæteras Epistolas, potissimum ad Rom., ubi de gratia divina agit.

Sequitur : *Testis enim*, etc. : id est, incorporari, (1156) ut illud. *Qui manducat carnem meam*, (*Joan.* VI, 57) etc. : sive ita vos diligo, quasi viscera Christi (1157). Cum Deum testem invocat, non contra præceptum Domini facit, quia necessitate jurat; vult enim ut illi fidem accommodent, et diligant diligentem, et ament amantem se. Desiderat eos non carnali, sed spiritali amore (1158).

Sequitur : *Et hoc oro*, etc. : Nota quod non solum præcipit quæ faciant, sed orat ut faciant ; quia non sufficit nosse quod agendum est, nisi adsit gratia juvans ut perfici possit.

Sequitur : *In scientia*, etc. Nota quod scientibus scientiam orat dari, quia sine scientia nemo potest sinceritatem, id est integritatem habere, nec *potiora*, id est utiliora probare, et fructu bonorum abundare. Et ad quid hoc ? Nunquid ut hoc laudetur ? Non. Sed ad *laudem Dei*, secundum illud : *videant opera vestra bona*, etc. (*Matth.* v, 16).

(1159) Sequitur : *Scire autem vos volo, fratres*, etc. His verbis consolatur eos de tribulationibus suis. Et est sensus : Non solum non obsunt, sed etiam prosunt, dum non pro crimine, sed pro Christo patior.

Sequitur : *Ita ut vincula*, etc. Magna laus vinculatum esse pro Christo *in omni prætorio et in cæteris omnibus*, id est, ante reges et in cæteris locis, ubi judices resident. Prætorium dicitur quasi præceptorium, eo quod ibi prætor sedeat ad discutiendum. Prætores dicti, quasi præceptores, eo quod præcepta dant, id est, præfecti, quasi præpositores.

(1160) Sequitur : *Ut plures*, etc., quasi dicat : Multi fratres exemplo vinculorum meorum, abjecto timore, libere prædicent Christum. Et quia variis intentionibus homines prædicant Christum, ideo subdit : *quidam quidem*, etc. De eo quod quatuor personas, quæ Christum prædicant, hic ostendit. Sed prima et ultima ex malignitate prædicant ; duæ mediæ ex bono animo. Sed videndum quid inter se distent. Prima est de malignitate propter invidiam, quia dolent, ut solus sibi vindicet scientiam prædicandi ; prædicant ut auferant gloriam, quam habet apud credentes ; invident enim, quia sentiunt eum a Deo electum : postrema de malo est, quia non caste, non sancte Christum pronuntiant, sed ut Apostolo noceant. Cum enim aperte negarent Christum, fingebant Christum prædicare, ut tribulationem et majorem dolorem Apostolus habuisset. Sive ea intentione prædicabant, ut gravarent Apostolum, quasi plures discipulos facientem, et doctrina sua or-

A bem replentem, majorem ei invidiam cumularent. Nota quod duæ species bonæ duabus contrariis opponuntur ; ad primam enim respondet secunda, bona enim voluntas contraria est invidentiæ ; tertia vero adversa est quartæ, quoniam charitas erga Christum, vel Paulum non potest propter persecutionem Pauli prædicare Christum. Mali *quæ sua sunt* prædicando *quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* II, 21) : sed boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Dominum obedienter audiunt, qui ait : *quæ dicunt facite*, etc. (*Matth.* XXIII, 3). Ideo audiunt utiliter etiam quæ utiliter non aguntur ; sua enim quærere student ; sed sua docere non audent.

Sequitur : *Quid enim ?* etc. Et est sensus : Quid enim, aut quare movear, aut quare in tribulationem B mittar, cum omnino gaudeam quod omni modo nuntiatur Christus ? *Occasio* enim est quando non pro se, sed propter aliud Christus prædicatur : *veritas* vero est quando pro se ipso diligitur Christus. Sed sive illo, sive isto nuntietur modo, ideo gaudere se dicit, quia Christus nominatur, Christus nuntiatur. Ideo Paulus gaudebat, quia per fallaces verum prædicabatur, et per malorum ora Christus annuntiabatur. Multis enim prosunt docendo quæ non faciunt : sed longe pluribus prodessent, si ex animo diligerent quæ docebant. Primum gaudium est in fratribus, qui bona voluntate ; secundum in his, qui mala voluntate Christum prædicant.

Quare gaudeat, exponit, cum subdit : *Scio enim quia hoc mihi proveniet*, etc. Et est sensus : Quod C illi causa interitus mei pronuntiant, scio quod ad salutem mihi proveniet ; sed operante Christo, qui ad meam salutem omnia gubernat, et adversa vertit in prosperum. Etiamsi tali causa nuntiant Christum ut ego patiar et crucier, tamen spes mea in Christo, quia de his omnibus exspecto mercedem, et ut convertantur sustineo. Hoc loco non est accipiendum, ut quidam putant, prædicationem Christi hæreticis ab Apostolo esse concessam, ut quomodo volunt Christum prædicent ; sed quia eo tempore, quo Apostolus docebat, erant qui ideo Christum prædicarent, ut majorem persecutionem adversus Apostolum excitarent, dicit se gaudere, sive quia Christus quoque modo nuntiatur, sive quia tribulationibus merces augetur.

D Sequitur : *Quia in nullo confundar*, etc., id est, in nullo genere, quo Christus nuntiatur : nunquam enim erubescam, sed in utroque gaudebo. *Qui et nunc, et semper*, dicit magnificare Christum in corpore suo, quia cum corpus ipsius pœnis afficeretur,

(1156) In autog. legitur *incorporali*. Visum est legere, *incorporari* ; scilicet ut aptior expositio et menti Apostoli accommodatior redderetur. Ait enim Apostolus : *Testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi :* quod totum verbo *incorporari*, scilicet Christo, exprimere auctor noster fortasse voluit. Hocque collaudare videtur infra cit. textus.

(1157) Hic div. Hieronymi, seu potius Pelagii Commentaria præ oculis habuit.

(1158) Hæc, quæ repetita forent, magis magisque comprobant legendum superius *incorporari* loco *incorporali*, ne scilicet inanibus repetitionibus, quibus omnino caret interpres noster, locus detur.

(1159) In autog. marg. hic leg. cap. III.

(1160) In autog. marg. hic leg. cap. IV.

ille prædicare Christum non desistebat. Et hoc est quod subdit : *sive per vitam, sive per mortem;* ac si dicat : Si tolerando pœnas vixero, prædicabitur Christus, et si pœnis mortuus fuero, magis prædicabitur Christus (1161); cum viderint me nec pœnis detritum, (1162), nec morte revocatum ; sed in prædicatione perseverasse.

Sequitur : *Mihi enim vivere Christus est*, etc. Et est sensus : Nulla mihi voluntas est hic vivendi, nisi ut corpus ædificem exemplo meo. Mortem non timeo, quia *lucrum* est mihi *mori*. *Vivere* autem *mihi Christus est*, quia qui in illo sperat, semper vivit, et nunc, et postmodum. Nihil ergo illud est, quod illi agunt. Sive occidant, sive pœnis lacerent, mihi nil horum nocet, quia *mihi vivere*, etc. *Quod si vivere*, etc. Quia superius dixerat : *Mihi vivere Christus est;* et incertum erat de qua vita dixisset, an de ista, an de futura, ideo adjecit, de ista, quæ *in carne* est. Cum, inquit, *in carne* sum, *fructus mihi operis est*. Qui fructus? Ut prædicem Christum, ut salventur multi, et illuminetur mundus. Isti sunt fructus in carne viventis.

Sequitur : *Et quid eligam, ignoro*. Et est sensus : Si morior, lucrum habeo, quia ad illum vado, quem diligo ; rursum, si hic vivo, fructum operis habeo, evangelizando Christum, et ad fidem adducendo multos. Ideo, inquit, nescio utrum mortem appetam, an adhuc in vita maneam.

Sequitur : *Coarctor autem e duobus*, etc. De eo quod beatus Augustinus dicit incertum esse utrum, *duobus concupiicentiam* (1163) *habens*, an *coarctor autem e duobus :* ut illud adjungatur : *Concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo,* sed quoniam ita subdit, *multo enim magis optimum* (1164), ista particula, id est, *enim*, solvit hanc ambiguitatem. Interpretes vero, qui hanc abstulerunt, illa ducti sunt sententia, ut non solum compelli e duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiam videretur. Sic ergo distinguendum est : *Quod eligam, ignoro ; coarctor autem e duobus*. Quam distinctionem sequitur : *Concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo*. Et tanquam quærentur, quare hujus rei habeat concupiscentiam, *multo magis optimum*, inquit. Cur ergo e duobus coarctaris ? Quia est manendi necessitas in carne. Ecce, cum duobus coarctetur, habet cupiditatem moriendi, habet et necessitatem in carne manendi. O quantum affectum dilectionis habuit iste erga credentes ! Qui pro aliis, non quod sibi optimum, sed quod necessarium erat aliis, elegit, dicendo : *et hoc confidens*, etc. Quis non tertii cœli cupidus despiceret terrena ? Quis avidus paradisi non hæc omnia sperneret ? Quis arcanorum verborum memor non contemneret humanum eloquium ? Quis in tot persecutionibus desudans non eligeret requiem ? Sed quia charitem anteposuit, hoc elegit, quod proficeret aliis, dicendo : *scio quia manebo :* vere ut pater, vere ut famulus Dei, de duabus cupiditatibus arctatus elegit manere pro aliis. *Permanebo*, inquit ; id est, usque ad perfectionem manebo ; id est, causa vestri profectus, per præsentiam meam denuo apud vos ; id est, ut ego præsens sentiam, quemadmodum gloria vestra exsultet, *et abundet in Christo;* quod Christum diligitis ; quod Christo servitis ; quod Christi vos servi gaudetis.

Sequitur : *Tantum digne Evangelio Christi conversamini*. Dignam vult eos habere conversationem, ne pœniteat eum voluisse remanere in carne. Digne conversatur Evangelio, qui secundum ejus præcepta vivit, qui spem suam in illo collocat. Quam conversationem exponit dicendo : *Ut sive cum venero*. Uno enim spiritu stare, unanimiter laborare, digne conversari est Evangelio. Et est ordo. Conversamini digne, ut digne de vobis audiam, *quia statis in uno spiritu ; audiam autem absens*, vel videam præsens.

Et quasi interrogasset eum aliquis, quare tam magnopere commendas unitatem spiritus et laboris, ipse aperit, cum subdit : *Ut in nullo terreamini*. De eo quod quasi dux docet suos ut sint unanimes, non divisi, ut victoriam capiant, et non terreantur ab adversariis. Quare? Quia eis qui pro Christo tribulantur ad salutem proficit : illis vero qui tribulant, ad perniciem. Et quia multiplex est iste conflictus, ideo dicit : *In nullo terreamini ;* id est, nec callidis disputationibus, neque passionibus, neque opprobriis. De eo quod iste locus et martyres, et membra Christi inter membra diaboli decertantia corroborat.

Sequitur : *Et hoc a Deo*, etc. : id est, a Deo hoc operatur, ut quod aliis est perditio, vobis sit salvatio. In quibus hoc operatur? In vobis, quibus *donatum est*, etc. Quanquam studiose Apostolus Dei gratiam in omnibus extollat, ad laudem tamen Philippensium pertinet, quod dicit, a Deo Patre ipsis donatum ut credant et patiantur *pro Christo* : non enim hoc concedit aut donat, nisi amatoribus Christi, quos ipse amare se fecit. Nam multi habent fidem, sed non tantam ut possent pati pro Christo. Et quia dixerat eis datam ut patiantur pro Christo, subjunxit, *certamen*.

Sequitur : *Idem certamen*, etc. : id est, nolo hunc ignoretis agonem ; ipse est quem vidistis in me, vel audistis ex me ; id est, carcer, catenæ, flagra, et cætera talia. De eo quod alia viderant, id est apud se, et alia audierant, id est, quæ vel Jerosolymis vel Romæ pertulerat.

(Cap. II.) Sequitur : *Si qua ergo consolatio*, etc. De eo quod petiturus beneficium, ut gaudium suum impleatur, quod est, idem sapiant, et in nullo ab invicem discrepent, quasi rationem meritorum præmittit, quibus impetret quod poscit. Rationes vero meritorum sunt ; quia advocati in Christo consolan-

(1161) Verba, *et si... Christus*, in imo marg. leguntur.
(1162) Vel forte *deterritum*.
(1163) Quod *desiderium* in Vulg. leg.
(1164) Vulg. *multo magis melius*.

tur, *st solatium charitatis* habent, etc· Egregius ordo. Primum credendo advocantur el consolantur in Christo : deinde restat ut habeant solatium charitatis, post per dilectionem acquiritur *societas spiritus ;* et ita demum sunt *viscera* unius corporis, et habent miserationes, et est sensus : *Si qua est consolatio in Christo, implete gaudium meum.*Et ad singula ita subaudiendum est; quasi dicat: Si ista sunt in vobis, *implete gaudium meum, ut idem sapiatis.* Ubi ? *Eamdem charitatem habentes, unanimes.* Hæc, quæ enumerat superius, tunc vera erunt, si ista quæ infra commendat, impleverint. Nota quod sic eos constringit, ut si hæc non custodierin, nec in cæteris probati videantur, ut,quia ab illis nolebant videri extranei, ista servarent, ut essent perfecti. Et quia erant contensiosi inter eos, quia in domo magna sunt vasa aurea,sunt et lignea; ideo subdit; *nihit per contentionem* (1165), etc. De eo quod alii habent,*contendendi necessitalem*, alii *voluntatem*. Et quia vitiosum est,utrumque prohibet Apostolus.Et quia nonnulli causajactantiæ centendunt,ideo subdit : *Neque per inanem gloriam.* Plena gloria est placere Deo velle ; inanis et vacua gloria est hominum favorem appetere ; quod Christianum non decet. Nunc vero secundæ speciei subjunxit contraria.

Sequitur : *Sed in humilitate*, etc. Vera humilitas est, si alium tibi credis potiorem ; et tunc poteris servare patientiam, veluti servus aut filius,quia potiorem sciunt dominum et patrem.Et ut hoc possis implere,cogita quod in illo qui malus est,forte latet bonum, pro quo tibi possit præferri aut in te forte latet malum, quod tu non cognoscis ; item, forte ille de malo convertetur ad bonum, et tu de bono ad malum.

Sequitur : *Non quæ sua sunt quærentes* (1166),etc, Si de nobis tantum cogitemus, id est, de nostra liberatione,prodesse nobis possumus.Sed hoc parum est. Tunc enim de nobis vere agimus, si alios adjuvamus ; cum enim unum corpus sumus, veluti membra pro toto corpore, laborare debemus.

(1167) Hoc, quod monet,confirmat exemplo,cum subdit : *Hoc enim sentite in vobis*,etc.Et est sensus: Sic non quæratis quæ vestra sunt,sed quæ aliorum sicut nec Christus : Qui,cum esset Verbum, æqualis Patri,non solum homo propter homines fieri,sed etiam peccata eorum in se suscipere voluit.Quanto magis tu homo portare debes infirmitatem hominis tam mentis quam et corporis,quia et tu infirmari, quasi homo, potes. Et ideo exhibe illi quod tibi vis impendi,sicut et iste fecit,quidicit : *Omnibus omnia factus sum*, etc. (*I Cor.* IX, 22).

Sequitur : *Qui cum in forma Dei*, etc. De eo quod in forma Dei æqualis Patri, in forma servi (1168) non amitteret formam Dei. Unum enim idemque est in forma Dei et in forma servi.Et ideo in forma Dei major seipso : in forma vero servi minor seipso: (1159) ut illud : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) ; item : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Hinc Augustinus dicit : Est ergo Dei Filius Deo Patri natura æqualis in forma Dei ; in forma servi minor Patre. Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque est homo ; sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque homo propter acceptum hominem : neque enim illa susceptione alterum in alternm mutatum est ; id est, nec deitas in humanitatem, nec humanitas in deitatem.

Sequitur : *Non rapinam arbitratus est*, etc. Non fuit necesse accipere per rapinam, quod habebat per naturam.

Sequitur : Sed *semetipsum exinanivit*, non substantiam evacuans, sed honorem abscondens.

Sequitur : *Formam servi accipiens*,non amittendo quod erat (1170), sed assumendo quod non erat, adeo ut pedes lavaret discipulis (*Joan.* XIII, 5).

Sequitur : *In simililudinem hominum factus*, etc. Augustinus : Multis modis dicimus habitum,id est, habitum animi, sicut est alicujus artis perceptio : vel habitum corporis,secundum quod dicimus alium alio luculentiorem et validiorem, quæ magis proprie habitudo (1171) dici solet ; vel habitum eorum,quæ membris nostris accommodantur, unde dicimus vestitum, calceatum,armatum ; sed in his omnibus ab eo verbo, quod est *habere*, dicitur habitus.*Habitus* ergo dicitur in ea re,quæ accidit ut haberi possit et sine qua esse possumus.Verumtatem hoc interest quod quædam mutant, sed non mutantur, ut sapientia : quædam mutant et mutantur, ut cibus ; sumptus enim non habet eamdem speciem,et sumens fit de invalido validus ; sunt quæ mutantur et non mutant, ut vestis exuta ; namque non habet eamdem pulchritudinem, quam induta ; est quartum genus, quod nec mutat nec mutatur, ut annulus ; quod genus, si diligenter attendas,aut nullum est, aut rarissimum. Iste habitus non est ex primo genere, quia natura hominis non mutavit naturam deitatis ; nec ex secundo, quia nec deitas in humanitatem, nec humanitas translata est in deitatem ; sed potius ex tertio : sic enim assumptus est, ut commutaretur in melius,et ab eo formaretur ineffabiliter excellentius atque conjunctius, quam vestis ab homine cum induitur.Hoc ergo nomine habitum

(1165) Divus Ambrosius habet, *nihil secundum irritationem.*

(1166) Vulg., et Pelagius, sub divi Hieronymi nomine, *considerantes ;* divus Ambrosius,*contemplantes.*

(1167) In autog. marg. hic leg. cap, V.

(1168) Loco *non* in cod. legitur *ut :* quod emendandum, tanquam supinum errorem ab auctoris mente prorsus alienum omnia quæ sequuntur clamant.

(1169) Verba, *in... seipso* ejusdem tamen characteris, in marg. inferiori posita leguntur.

(1170) En quod magis magisque probat emendandum fuisse paulo superius quod legebatur, *ut amitteret formam Dei*, et loco *ut* legendum *non*.

(1171) *Habitudo* mihi visum est legere loco *habitatio*, ut sensus redderetur.

ostendit Apostolus, quod hominem, veluti vestem, induit ; quem sibi uniens (1172) atque conformans immortalitati,æternitatique sociavit.Nam illum habitum, qui est in perceptione sapientiæ, Græci *exin*, (1173) vocant ; hunc autem,secundum quod dicimus calceatum,armatum,vestitum,*scemam* (1174) vocant. Unde intelligimus de isto locutum Apostolum, quia ubi nos habitum, illi *scema* habent ; quo nomine oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec veste membra mutantur, quanquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit. Sed tanquam verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt ne mutatus intelligatur Deus humanitatisassumptor, electum est, ut Græce *scema*, et Latine *habitus* diceretur illa susceptio. *Ut homo* dicit, id est, habendo hominem, inventus ut homo est, sive *ut homo ;* ut media scilicet significatione monstretur plusquam homo.

Sequitur : *Humiliavit semetipsum*,etc.De eo quod multa sunt genera mortuorum, ideo addit, *crucis*. Nam de hac morte dicunt impii : *Morte turpissima condemnemus eum* (*Sap.* II, 20). Valet ad hoc, quod supra monuerat ut sua non quærerent.Ecce moritur immortalis pro mortalibus.In hoc quod ille pro nobis omnia pertulit, ostendit non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum quærenda, et quia humilitatem, obedientiam et cætera talia intelligimus in Christo, studeamus ita vivere, ut eadem sentiamus in nobis.

Sequitur : *Propter quod Deus illum exaltavit*. etc. Divinitas non exaltatur, quia nec humiliari potuit sed secundum humanam naturam debet intelligi.

Sequitur : *Et donavit illi nomen*, etc., quod comparari possit cum Filii nomine. Hoc nomen dedit Pater assumpto homini, ut sit proprius, et natura Filius.

Sequitur *: Ut in nomine Jesu*, etc.In quo nomine nisi Christi Jesu omne genu flectit,cœlestium,angelorum, terrestrium, hominum,infernorum, dæmonum? Per geniculationem quædam mentis subjectio intelligi debet ; quia angeli incorporei sunt.

Sequitur : *Et omnis lingua confiteatur*,etc.: id est, ejusdem gloriæ. Nota quemadmodum eumdem hominem, quem Deum commendat, ut persona una sit ut Deus trinitas sit,non quaternitas : sicut enim non duplicatur persona, cum anima jungitur carni ; ita non augetur numerus personarum,cum homo accedit Verbo, ut sit unus Christus.

(1175) *Itaque, charissimi*, etc. Postquam monuit, quæ sunt aliorum quærenda esse,et hoc ipsum Dominico confirmavit exemplo, subjungit exhortationem ut se invicem diligant. Nota quod *charissimi*, quia obedientes.

Sed quare *cum metu et timore ac tremore* ? Sunt qui putant timorem ad animam,tremorem pertinere ad corpus.Sed quare magis ac magis?Nisi quia dies mortis appropiat, vel quia in absentia magis timidus est qui monet ?De eo quod intente debemus audire hujus loci mysterium:id est,quod consulentes aliis, et curam de aliis gerentes, nobis magis salutem operamur,deinde quod in nobis sit potestas nobis operari salutem.Sic enim dixii :*salutem vestram operamini*. Sed ne superbia oriretur,statim subdit : *Deus enim est, qui operatur ;* etc., ne daretur locus hæreticis, qui dicunt a nobis ipsis operari bonum posse. Deum namque dicit operari, et nos. Bonum quidem opus et Dei est,et nostrum,Deus enim operatur velle, inspirando ac suadendo,et præmia promittendo ; et perficere, dicendo : *qui perseveraverit* etc. (*Matth.* x, 22).

Sequitur : *Omnia facite sine murmuratione*, etc. His namque verbis docet,si ad superiora hoc referas ut cum aliorum saiutem quærentes fatigamur, non valentes implere quod cupimus,non murmuremus, nec de mercede dubitemus, Aliter : Qui hactenus monuerat aliorum salutem quærendam,nunc docet ut præcepta legalia prophetica et evangelica volentes implere,de gravitate querelando non murmuremus; quia *beati* sunt *mites* (*Matth.*v,4) ; neque cum dubitatione, *quia cappillus capitis non peribit* (*Luc.* XII, 7).

Sequitur : *Ut sitis sine querela ;* id est, sine reprehensione ; *et simplices filii* quia simplex divina natura simplices vult cultores,ut illud : *Sancti estote, quia*, etc. (*Levit.* XI, 44 ; *I Petr.*I,16), *sine* criminis *reprehensione*.

Sequitur : *In medio nationis*, etc. Cum in hac vita sumus,studendum est ut malorum conversationem bene vivendo transcendamus, facientes *sine reprehensione* et tunc *lucebitis sicut luminaria in nundo* sicut sol ; sicut solis splendore obscurantur stellæ,ita clara nostra vita obscurabitur conversatio malorum. *Verbum vitæ* dicit quia habent mali verba mortua, ei *continentes*,id est, amantes quod dicunt. Et bene addit, *ad gloriam* quia gloria magistrorum profectus discipulorum est. Sed quando ? *In diem Christi*,id est,judicii : quia tunc audiet prædicator bonus : *Esto supra decem,vel quinque civitates* (*Luc.* XIX,17) : et tunc manifestabimur quod non *in vacuum* laboraverint, modo vero videntur apud infideles in vanum laborare, sed tunc ostendetur quod multos Domino prædicando acquisierint. Nota quod generale nomen est, *laboravi*, speciale, *cucurri*.

Sequitur : *Sed et si immolor*, etc.Quasi dicat: Si occidar, quia *sacrificium* et *obsequium fidei vestræ* obtuli Deo, tristitiam meæ mortis vincit gaudium vestræ salvationis, eo quod, me prædicante, credidistis, ideoque *et vos idipsum gaudete et congratulamini mihi* ; id est, qualem ego de vobis, talem vos de nobis habetote curam.

(1176) Sequitur.*Spero autem in Domino Jesu*, etc.

(1172) In autogr. *veniens*.
(1173) A Græco Ἕξις, *habitus*, Ἔχω, habeo.
(1174) Græce σχῆμα.

(1175) In autogr. marg. hic leg. cap. VI.
(1176) In autogr. marg. hic leg. cap. VII.

Nota quod post Epistolam promittat se Timotheum mittere, in quo monstratur, quod magnam de his habeat curam. Nota cum quanta gravitate promittat. Ait enim : *Spero in Domino.* Et quare mittat, aperit, dicendo : *Ut et ego bono animo sim :* id est, ut gaudeam, cum vestrum audiero profectum. Et quare istum mittat, exponit, cum dicit : *Neminem enim habeo tam unanimem;* id est, qui eamdem mentem gerat. Ecce habes unam causam. Habes alteram : *Qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit;* id est ille mittendus est, qui et mihi charus est, sed et pro vobis sollicitudinem habeat.

Sequitur : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi;* id est, vel commoda, vel quietem, nolentes tribulationem sustinere pro aliorum salute. Erant multi, qui curam aliorum habebant, sed contigerat ut illo tempore, quando Timotheum misit, alibi essent directi, et non nisi mercenarios secum haberet, id est, sua quærentes.

Sequitur : *Experimentum autem ejus,* etc. Quasi dicat : *Servivit mecum* Timotheus *in Evangelium;* sed breviter ostendit qualiter, id est, *sicut filius patri* in charitate, et devoto amore. Nota quod non ideo charissimus, quia servivit illi in catenis et in carcere, sed quia cum illo servivit prædicando.

Sequitur : *Hunc igitur spero me mit ere ad vos.* Nota quod, postquam commendavit personam, et affectum, et diligentiam, dicit talem se mittere, sed cum præmissa gravitate : verumtamen non statim, sed cum viderit quæ circa se sunt.

Sequitur : *Spero* (1177) *autem,* etc. Magno affectu, et magna dilectione post Timothei adventum promittit se venturum, quoniam adventus ejus non est otiosus.

(1178) Sequitur: *Necessarium autem,* etc. Licet promiserit Timothei adventum, tamen quia mora erat, interim mittit *Epaphroditum,* cujus personam commendat : commendatio enim personæ est : *fratrem* inquit, et *commilitonem meum; fratrem* in fide et lei[illegible], *commilitonem* in castris, sive doctrinis. *Vestrum vero apostolum* dixit, id est, ad vos missum, quia alii ad alios fuerant missi. Omnis namque, qui propter Evangelium mittitur, apostolus dicitur. Subjunxit vero causam, quare ipsum mittat; *quoniam quidem omnes vos desiderabat.* Et hæc ideo dicit, ut amplius ab eis ipse diligeretur.

Sequitur : *Et mœstus erat,* etc. : id est, causa vestræ tristitiæ mœstus erat, eo quod vos nimium tristatos audierat pro infirmitate sua. Hoc tædio loborabat, et nimium vos videre desiderabat.

Sequitur : *Nam infirmatus est usque ad mortem,* etc. Ostendit enim hic cur tædiabatur et mœstabatur, quoniam in tali ægrotatione magna sunt desideria et vehementia. *Ad mortem,* inquit, *ægrotavit; Dominus autem misertus est ejus.* Ecce monstratur beneficium Dei, si in vita servamur; deinde quia ad mortem festinare non debemus. Omne enim, quod ad vitam hic agimus, bene agimus, si nobis et aliis prosumus.

Sequitur : *Ne tristitiam,* etc.; id est, ne tristitia carceris augeret tristitiam desolationis. Nota quod discrevit missiones. Sed quare misit? *Ut viso eo iterum,* etc.; id est, pro cujus absentia tristabamini. *Et ego sim sine tristitia,* qui vestræ causa tristitiæ fueram tristis, sive, qui potui tristis esse de ejus absentia, sim lætus ex vestra consolatione. Nota quod rogare debemus pro illorum vita, per quos alii adjuvantur.

Sequitur : *Festinantius,* etc. Sed quærit aliquis quando potuerit infirmari apud illum, qui mortuos suscitabat. Sed noverit quod signa non sunt *pro fidelibus, sed pro infidelibus* (*I Cor.* XIV, 22). Item quærit aliquis quomodo se dicit pro infirmitate discipuli tristem, qui alios monet ne contristentur de dormientibus (*I Thess.* IV, 12). Sed noverit aliam esse tristitiam desperationis, aliam desolationis.

Sequitur : *Excipit autem illum,* etc. Dicit hoc sive ut ardentiores sint erga illum, sive propter illos qui minus erant spiritales. *In Domino;* id est vos, qui Domini estis, ministrum ejus suscipite, et amate cum omni gratulatione.

Sequitur : *Et hujusmodi cum honore habetate;* id est, non solum talem, sed et omnes qui hujus sunt meriti.

Sed quare *cum honore?* Sequitur : *Quoniam propter opus Christi,* etc.; id est, adeo laboravit in prædicatione, ut infirmitatem incurreret. Aliter : Tradidit *animam suam* mihi inhærens ac serviens in vinculis; sive liberaliter prædicans : *Animam suam ad mortem,* secundum illud : *Qui perdiderit animam suam,* etc. (*Marc.* VIII, 35; *Matth.* XVI, 25; *Luc.* XVII, 33).

Sequitur : *Ut impleret id quod vobis,* etc. Ac si dicat : Quia ego in aliis occupatus fui, ille complevit quod meo defuit obsequio. Aliter : Ipse mihi pro vobis servivit.

(1179) (Cap. III.) Sequitur : *De cætero, fratres, gaudete in Domino;* id est, non in mundo.

Sequitur : *Eadem mihi scribere,* etc. Id est, eadem quæ docui *mihi non est pigrum scribere;* quia vobis intelligo *necessarium* propter falsos prædicatores, de quibus et subditur.

(1180) Sequitur : *Videte canes,* etc. His verbis monet ut a Judæis æmulatoribus legis se temperent; eo quod sint operarii iniquitatis : nam quod apostoli ædificabant, quia salutem in operibus legis credebant, ipsi destruere (1181) conabantur.

(1177) Vulg. *confido.*
(1178) In aut. marg. hic leg. cap. VIII.
(1179) In autog. marg. hic leg. cap. IX.
(1180) In autog. marg. hic leg. cap. X.

(1181) Hoc verbum, *ipsi... destruere,* quod sensus omnino exposcebat, et in autog. desideratur, etiam temeritatis notæ periculo, addere ausus sum : quia a divo Hieron., seu potius Pelagii commentario expo

Sequitur : *Videte concisionem* (1182).Quid est con A cisio,nisi præcisio? Eos enim designat, qui invidentes gentibus, pravitate eloquiorum suorum perverterant Galatas, suadentes circumcisionem.Quos bene *canes* vocat, qui primum latrant, deinde morsu sævo lacerant carnem.

Sequitur : *Nos enim sumus circumcisio,qui spiritui Dei* (1183) *servimus.* De eo quod Christi famuli circumcidunt omnes sensus suos. Ac si dicat : Circumcidimus enim omne malum a cordibus nostris: illi autem unius membri auferunt pellem.

Sequitur : *Et gloriamur.* Nunquid in lege? Non. Sed in Christo Jesu, *et non in carne fiduciam habentes:* id est,non habemus spem in carnali circumcisione, sicut illi, qui in ea salvationem suam collocant. Et ne viderentur ob hoc dicere, quasi ipse B non habuisset causam gloriandi, subjunxit : *Quanquam et ego*, etc. : id est, possum et in carne gloriari, si volo.

(1184) Sequitur : *Si quis alius videtur in carne, ego magis.*Ecce docet, quare in carne fiduciam habet : scilicet, quia Judæus est circumcisione, genere, tribu, gente, lege, administratione in lege studio etiam et vitæ; et tamen hæc omnia damnum sib esse dicit propter Christum.

Sequitur : *Circumcisus octava die*, etc. De eo quod his manifestat verbis, quare in carne magis quam cæteri potuerit gloriari: qui,ut ostenderet quantum studium erga Judaismum habuerit, dicit se Ecclesiam Dei persecutum, et sine querela in lege conversatum. Sed quæ prius lucrum credidi, damnum mihi facere intellexi : et quia illa hoc tempore non C valere recognovi, ideo tanquam *detrimenta* habeo omnia illa vilia propter Christum, quibus putabam me vitam acquirere : hæc propter Christum, tanquam impedimenta, abjeci; *et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Quid est, detrimentum feci, nisi detrimentis effectus (1185) sum?

Sequitur : *Et inveniar in illo*, id est, in Christo, *non habens meam justitiam*, id est, legis; quasi dicat : Justitia mea erat cum meo conatu; per opera legis Deo me posse placere credebam.

Sequitur : *Sed eam, quæ ex fide est Jesu Christi;* hanc justitiam, quæ ex fide est Christi, non quæ ex operibus legis.

Ad quid hæc justitia? Sequitur : *Ad agnoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus;* id est, ut D agnoscam perfecte beneficium ejus, et vim resurrectionis, qui ideo resurrexit, ut nos resurgamus, *et societatem passionum illius.* Virtus resurrectionis, est societas passionum. Et quia meritum passionum est resurrectio, ideo forte præmissa est resurrectio.

Sequitur : *Si quo modo occurram*, etc. : ad perfectorum resurrectionem dicit, non malorum societatem. Docet enim quod si in vita socii passionis fuerimus,in resurrectione obvii Domino erimus (*II Cor.* I, 7; *I Thess.* IV, 16).

Sequitur : *Non quod jam acceperim*, etc. Quantum ad perfectionem, quam in hac vita habent sancti, pertinet, perfectus erat Paulus; quantum ad futuram perfectionem, imperfectus. Nam quia laudaverat Philippenses, ne illi aut superbirent, aut pigri remanerent, dicit se imperfectum, ut cum hoc audirent, dicerent : Si Apostolus non est perfectus, quis hominum potest in hac vita esse perfectus?

Et ideo sequitur : *Sequor autem, si comprehendam*, etc. Iste ecclesiam Christi devastans comprehensus est, quando in via apparuit ei Jesus (*Act.* IX, 3). Nota quod non omnibus passionibus suis Christus liberavit omnes sequentes, et quodammodo comprehendit universos se sequentes. Ille ergo, qui sequitur Christum, et comprehendere vult Christum, in omnibus passionibus suis sequi illum debet, ut comprehendat Christum in eo, in quo et comprehensus est a Christo.

(1186) Sequitur : *Ego me non arbitror*, etc. De eo quod superius dicit se non accepisse, nec perfectum esse, et nunc non comprehendisse; quia quantum ad perfectionem futuræ vitæ attinet, imperfectus erat,quantum ad comparationem aliorum in carne viventium respicit, perfectus erat. Sed dicit se ad exemplum saggittarii ad propositum et ad signum jacula dirigere,ne sagitta ad alteram partem declinans imperitum ostendat sagittarium. Asserit se præteritorum oblivisci, et ad priora (1187) extendi; per quæ docet præterita negligenda, et futura quærenda : ut quod hodie perfectum putavit; proficiendo,cras inveniatur imperfectum; quatenus non in statione, sed in cursu permanentes, ad perfectam justitiam veniamus.

De eo quod hæc audientes Philippenses poterant dicere : Si adhuc Apostolus imperfectum se dixit, quanto magis nos sumus imperfecti? Ideo se dicit multis tribulationibus afflictum non comprehendisse,quia adhuc vivebat; quoniam magna participatio est passionum, mori pro Christo; et quia vivit, dicit se non comprehendisse. De eo quod per *unum* intelligenda sunt temporalia cuncta, et per *futura*, appetitio æternorum.Quoniam retro est omne,quod transit; futurum est, quod veniens permanet.

Sequitur : *Ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum*, etc. Ac si dicat : Scio quia in domo Dei quotidie proficio, et præteritum laborem non computans, ad priora festino. Est enim quærentis in-

sitionem hanc desumptam,in hæc verba scil.,*videte malos operarios*, ita legi : *qui quod nos bene construximus destruere conantur.*

(1182) Ambros. habet *circumcisionem.*

(1183) Vulg. *Spiritu Deo.*

(1184) In aut. marg. hic leg. cap. XI.

(1185) Fortasse *effectus sum*, scilicet detrimenta in corpore sustinui.Aliter obscurior evaderet interpretatio quam textus.

(1186) In aut. marg. hic leg. cap. XII.

(1187 Vulg. *priora*, et meliore lectione. Quod et inferior repetitio textus probabit.

tentio, donec apprehendatur illud, quo tendimus. Sed ea est recta intentio, quæ proficiscitur (1188) ad fidem. Certam enim fides inchoat cognitionem, quæ non in hac, sed in illa vita perficietur, *quando videbimus*, etc. (*I Cor.* XIII, 12). Hoc ergo sapiamus, ut noverimus tutiorem esse effectum vera quærendi, quam incognita pro cognitis præsumendi. Sic ergo quæramus quasi inventuri, et sic inveniamus quasi quæsituri : cum enim consummaverit homo, tunc incipit.

Sequitur : *Quicunque ergo perfecti*, etc. Quid sentire debemus, nisi imperfectos nos esse, et necdum comprehendisse ? Sed die, Paule, quomodo perfectus et imperfectus sis ? Hæc est enim vera sapientia hominis, imperfectum se esse nosse : nam cunctorum sanctorum in carne imperfecta perfectio est ; quia in ista vita perfecta perfectio esse non potest, iu qua concupiscit caro adversus spiritum. Hic præceptum est ut desideriis peccati non obediamus : ibi erit ut desideria peccati non habeamus. Illam vero perfectam perfectionem sitiens dicit se imperfectum ; et rursum sciens se non habere voluntatem peccandi, quamvis peccet nolens, dicit se perfectum. Perfectus est qui suam non erubescit imperfectionem.

Sequitur : ***Et si quid aliter sapitis***, etc. ; id est, si aliquid alia ratione Deus vobis revelavit, ut ad cultum melioris conversationis pertinens cogitetis ; Dei cogitate donum, ne inflemini.

Et ne hic oriretur præsumptio, et putaretur a Deo revelatum quod non erat ideo subjecit : ***Verumtamen ad quod venimus, ut idem sapiamus***. Hoc est, non extra regulam disciplinæ sapere in conversatione fidei ; sed hoc sapere, quod commune sit, et honestum, in Evangelii veritate. Aliter : Et si est aliquid de hoc ipso, quod nos diximus, quod vos aliter accipiatis, sapiatis, et intelligatis concedi vobis. Ergo qui perfecti estis, etiamsi quid minus perfecte sapitis, humiliter exspectate, et a Deo poscite : ipse enim potest revelare ambulantibus. Et ideo subdit : ***Verumtamen ad id quod pervenimus, ut idem sapiamus***. Quid est ad quod pervenimus ? Scilicet, ut quæ retro sunt oblivi-scentes, ad priora tendamus. Hoc enim hic repetit dicendo : ***In eo ambulemus***. Ita ambulantibus quod deest revelatur.

(1089) Sequitur : ***Imitatores mei estote***, id est, illorum, quæ ago, vel doceo.

Sequitur : ***Et observate eos***, etc. De eo quod dupliciter dicitur observare ; vel ad imitandum, ut hic : vel ad cavendum, nt ad Romanos : *Observate eos qui dissensiones, et offendicula faciunt* (*Rom.* XVII, 17).

Sequitur : ***Multi enim ambulant***, etc. De eo quod falsos hic apostolos notat. Notantur et hæretici (1190). qui cruciatum corporis in epulas et luxuriam converterunt.

Sequitur : *Nunc autem et flens dico*, etc. Nota quanta in eo erat dilectio. Non solum suos instruit, sed extraneos deflet. A cujus sollicitudine longe distant, qui suis pereuntibus, gaudent.

Quos deflet exponit : *inimicos*, inquit, *crucis Christi*. Hi, qui secundum Evangelium, Christum passibilem, et impassibilem, incircumscriptum et localem, æternum et temporalem non intelligunt. Aliter : Inimicos crucis Christi, qui aut mortuum eum non credunt, aut purum hominem eum putantes esse, crucem ejus derident, quæ salus facta est hominis.

Sequitur : *Quorum finis interitus* : id est, falsorum apostolorum, et hæreticorum ; quia sancto Spiritu erat repletus, ideo noverat illos perseveraturos in malo, quod aliis nosse non datur ; ideoque occulta non judicemus.

Sequitur : ***Quorum Deus venter***. Quare Deus venter ? Quia propter cibum prædicabant ; sive quia Deum delectari in ciborum mundorum perceptione credebant. Gloriam vero dicimus *in confusione*, quia in pudendis membris gloriabantur, et de his, *qui terrena sapiunt*, ideoque in carnali circumcisione confidunt.

Sequitur : *Nostra autem conversatio*, etc. Ac si dicat : O Philippenses, tantæ cautelæ fuistis, ut non sitis a falsis seducti, sed nobiscum conversemini *in cœlis*. Nota quod in carne est, qui se dicit habitare in cœlis, quoniam aliubi detinebatur carne, aliubi erat mente. Nota quod pax (1191) ista non est malorum ; ideo videndum est ut talia faciamus, loquamur et cogitemus, quæ illi congruant.

Sequitur : *Unde etiam*, etc., id est, de cœlo. Ibi enim ascendit. Inde venturum eum credimus ad exemplum populi, qui exspectabat sacerdotem, ut egrederetur de sanctis sanctorum. Quem ? *Qui reformabit*, etc. Id est, qui resurgendo spem dedit resurgendi, quoniam quod habemus in spe, celebrata resurrectione habebimus in re : *quando mortale induet immortalitatem*, etc. (*I Cor.* XV, 53). Et ne diffideres de pulvere hominem resurrecturum, adjecit : *Secundum operationem, qua potuit* (1192) *sibi subjicere omnia*. Tunc enim erit configuratio, quando similes effecti *videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2).

Sequitur (CAP. IV.) : *Itaque, fratres mei charissimi*, etc. De eo quod his verbis commonet, ut in eadem fide maneant ; quod fieri non potest, nisi unam charitatem habeant. O Philippenses, si hoc feceritis, eritis gloria et corona mea ; gloria in præsenti ; corona in futuro. In bonorum namque auditorum provectu gaudium est prædicatorum.

Sequitur : *Euchodiam* (1193) *rogo*, etc. De eo quod mulieres erant scientiam habentes, quas ad majorem

(1188) Fortasse *proficit*.
(1189) In autog. marg. hic legitur cap. XIII.
(1190) Jovinianus scil. potius.
(1191) Fortasse *vox*, id est, sermo : sæpe enim *voce* pro *sermone* utitur auctor noster. Nullibi enim de pace mentio.
(1172) Vulg. loco *potuit* habet *etiam possit*.
(1193) Vulg. *Evodiam* : alibi ***Euhodiam***. Vir ne

prudentiam invitat, ut sicut in operibus Evangelii profecerant, proficerent et in scientia, et bene dicit idipsum sapere in Domino, id est, quæ circa Christum scripta sunt, recte sentiant et intelligant.

Sequitur : *Rogo etiam te*, etc. De eo quod *Germanus* (1134) proprium nomen erat, *compar* vero dignitatis, sicut Epaphroditus dicitur *commilito* Pauli. Nota quod non dicit, impero. Ubi instruuntur doctores, ut bonos auditores alloquendo magis quam imperando doceant. Et bene dicit ; *quæ mecum laboraverunt in Evangelio*, vel operando, vel docendo : decendo videlicet non in viris, sed in feminis ; non in Ecclesia, sed in domo. *Cum Clemente et cæteris adjutoribus meis.* Clemens iste ex philosopho magnæ doctrinæ vir fuit, quique Romanæ Ecclesiæ præfuit (1195). Et bene dicit : *Quorum nomina sunt in libro vitæ*, ut nec referat (1196) quod non sint scripta in hac Epistola. De eo quod hujus libri Moyses (*Exod.* XVII, 14), et David (*Psal.* XXXIX, 8 ; LXVIII. 29) faciunt mentionem, et Salvator in Evangelio (*Joan.* XX, 30 ; XXI, 25) ; qui enim se et olios monendo salvant, adjutores apostoli sunt.

(1197) De spiritali vero commendatione transit ad generalem admonitionem, cum dicit : *Gaudete in Domino*, etc. De eo quod lætus apostolus in operibus, et fide eorum ad (1168) cumulum gaudii monet, ut gaudeant et ipsi. Sed ubi ? *In Domino* : id est, non in mundo, et non per (1199) intervalla temporum, ut quidam ; sed *semper*, id est, in prosperis, et in adversis, et in cæteris quæ de his dici solent.

Sequitur : *Modestia vestra*, etc. De eo quod modestia dicitur, eo quod teneat modum. Valde enim ad meritum futuræ vitæ pertinet, si modeste vivamus. Et in *omnibus* dicit, id est, tam Judæis quam gentilibus persequentibus, ut modestia vestra convertantur.

Sequitur : *Dominus prope est*, etc. Magna est hæc exhortatio. Cum enim immineat finis cujusque, et dies judicii, debet nobis esse properatio, ut bonis moribus magnaque modestia vivamus : sive quia *Dominus prope est omnibus invocantibus se in veritate* (*Psal.* CXLIV, 18), non debetis esse *solliciti* de rebus mundanis, quia et omnia necessaria vobis procurat Deus, et meliora in illa vita, quæ futura est æterna : sive, nolite timere persequentes, quia *juxta est Dominus his qui britulato sunt corde* (*Psal.* XXXIII, 19).

Sequitur : *Sed in omni oratione*, etc. Oratio est pro adipiscendis, quæ speramus ; obsecrationes, pro peccatis præteritis, vel præsentibus : *gratiarum* sunt *actiones*, laudes pro collatis beneficiis, quæ omnia in missæ officio continentur.

Sequitur : *Petitiones vestræ*, etc., id est, qui petit talia petat, quæ fidelem petere decet ; jam quia nota sunt Deo quæ agimus ; et innotescenda tali modo, ut diximus, talia sint quæ fideli et justo conveniant viro.

Sequitur : *Pax Dei*, etc. De eo quod vehementer et acute hoc positum est. Cum enim pax Dei venerit in nos, Deum intelligemus ; et cum Deum intellexerimus, nihil dissonum, vel pravum, sicut antea, faciemus, sed ita erunt omnia pacata, ut nobiscum omnis noster sit intellectus. Pax enim est jam quiescere et securitatem habere. Quam pacem Deus nobis tribuit, cum jam omnis intellectus nobiscum est. Qui enim Deum intelligit, omnia intelligit ; et omnia intelligendo, pacem Dei habet, per quam cor et omnia cordis interiora custodiuntur. Nota quod ait : *Petitiones vestræ innotescant.* Hæc notitia assiduitate fit et vigilantia orationis. Tunc demum munitionibus pacis suæ, quæ omnem superent mentem, ait, *custodiet corda vestra.* Hoc dicit, quia qui habet cum Deo pacem (1200), non timet omnem mentem adversam.

esset, an femina, ambigitur ; nam quædam manuscripta habent *Evodium* nomine masculino : impressa vero, et fere omnia manuscripta *Evodiam* habent feminino nomine, Εὐωδίαν. Alii volunt Syntichen virum fuisse, uxorem Evodiam. Attamen in Martyrologio in numero sanctarum mulierum, die XXII Julii, Syntiche recensetur. Quare duas feminas fuisse communior est opinio.

(1194) Communiter tamen non majuscula littera, quæ proprium nomen designat, impressum videmus germani nomen.

(1195) De hoc sancto plura dicenda essent quam ad nos attineat. Non abs re tamen erit dicere meliorem partem Patrum et interpretum voluisse de eo Clemente hic agi, qui post sanctos Linum et Cletum Romanæ Ecclesiæ præfuit. Grotius Clementem hunc merum Philippensis Ecclesiæ presbyterum censet. Quæ de illo in Vita ipsius, in libro Recognitionum, et in apostolorum Constitutionibus referuntur, plura sunt ; sed de istorum librorum auctoritate satis a criticis. Sanctus Chrysostomus, homil. 1 in Timoth. I, vult Clementem hunc jugem Apostolo socium fuisse. Sanctus Irenæus, sanctus Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique veteres discipulum apostolorum testantur. Sanctus Epiphanius, sanctus Hieronymus, Rufinus, Beda, alique Petrum et Paulum, itineribus occupatos, huic, Lino et Anacleto episcopis institutis Romanam Ecclesiam fidisse scribunt. Rufinus imo apostolum Petrum sibi hunc elegisse successorem tradit. In Constitutionibus, l. VII, 46, legimus sanctum Linum a sancto Paulo ordinatum. Sanctus Epiphanius vero hunc putat a Petro in episcopum Romanum electum, sponte hanc dimisisse dignitatem, quam post sanctorum Lini et Anacleti mortem resumere coactus est. Hæc opinio vulgo a scriptoribus amplectitur, ut sancto Petro Linus, Lino Anacletus, Anacleto Clemens successerit, anno Christi 91, Domitiani 10 ; Iren. l. III. 3 ; Euseb. l. III, 3, 4, 21, Hist. Eccl. Vide Calmet. dict. sac. Script. in Clementem. Hujus sancti Clementis libri Recognitionum exemplar in antiquissimo codice prostat in Vercellensis Eusebiani capituli tabulario.

(1196) In cod. ita legitur *ut nec referant* Fortasse scribi debeat *ut n ægre ferant :* juxta pluries citatam expositionem divo Hieronymo tributam, quæ ita : *Ne moleste ferrent sua nomina*, etc.

(1197) In autog. marg. hic legitur cap. XIV.

(1198) Partic. *ad* desideratur ; eam autem addendam suasit divi Ambrosii, seu Hilarii diaconi sæpius citata expositio, ubi *ad cumulandum*, etc.

(1199) Hæc etiam præpositio dosideratur, quam omnino uddendam textus ipse suasit.

(1200) Hæc vox *paeem* desideratur : eamque ad-

(1201) *De cætero fratres*, etc. Quid est de cætero? Nisi, postquam cogniti estis, sic sentite, ut *quæcunque sunt vera*, hæc accipiatis, *et cogitetis?* Quæ sunt illa vera? Quæ utique in Evangelio dicta sunt. Consequens vero est, ut vera sint *casta*, non enim corrumpitur verum ; et hoc castum est, quod non corrumpitur : deinde quæ vera, et casta sunt, et *justa* sunt. Deinde enumerat *amabilia*, et *bonæ famæ*, quamvis non amet secundum bonum, quod de eo loquatur. Item quæ *bonæ famæ* sunt, non habent invidiam ; ex quibus omnibus, superiora ad ipsam virtutem, hæc ad fructum virtutis pertinent. Virtus enim est amare *vera, casta, justa, sancta*, et fructus virtutis est, *amabilia et bonæ famæ*. Ideo hæc duo subjungit : *Si qua virtus, si qua laus ;* sed sicut non a nobis virtus, ita nec nostra laus, sed Dei. *Hæc cogitate ;* utique quæ illa sint, *quæ didicistis*, me docente. Sequitur : *Et accepistis :* rursus unde *accepistis, audistis et vidistis?* Id est *audistis* ex me, *vidistis in me*. Hæc dicit, quia non tantum monitor, sed exemplum fuit totius boni. Sequitur : *Hæc agite*. Superius dixerat : *Cogitate;* non enim sufficit bona cogitatio absque actione (1202).

Sequitur : *Et Deus pacis erit vobiscum*. Nota quod hoc præmium Philippensibus maxime necessarium erat, id est, ut omnes unum sentirent, ac per hoc Deum pacis amatorem atque doctorem secum haberent.

(1203) Sequitur : *Gavisus sum autem in Domino vehementer*, etc.; id est, *refloruistis* flore boni operis, quem non oblivio arefecerat, sed occupatio impedierat; et ideo subdit : *Occupati enim eratis.*

Sequitur : *Non quasi propter penuriam*, etc. Subauditur : ut ea, quæ mihi sunt necessaria, mittatis. Et est sensus : Non ideo dico, inquit, *propter penuriam;* non enim volo pro me sentiatis id quod et ante sentiebatis, ut mihi mitteretis; aut quod nunc volo, ut mittatis, propter penuriam dico. Sic enim postea ait : *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in oratione* (1204) *vestra* (*Infra* IV, 17). Non ergo propter inopiam istud quæro, sed ut fructus sit abundans in oratione vestra.

Sequitur : *Ego enim didici, in quibus sim sufficiens :* Didici enim ego, ut contentus sim his, quæ habeo, et in quibus sim mihimetipsi sufficiens (1205). Non enim ad sumptum tantum hoc referendum est, sed ad omnia, quæ ab alio exhiberi alteri possunt. Denique non ad pecunias tantum, sed ad necessaria quæque posuit etiam hoc.

Sequitur : *Scio humiliari, scio et abundare : ubique*, etc. Penuriam pati, quorumcunque hominum est, sed scire penuriam pati, magnorum. Sic et abundare quisque potest; scire autem abundare, non est nisi eorum, quas abundantia non corrumpit.

Sequitur : *Omnia possum*, etc. Non se sui causa hoc eorum opere gaudere, sed in profectu eorum gaudere testatur. Dicit beatus papa Gregorius, quod nisi ars esset nosse abundare, et esurire, et cætera talia, non magnopere diceret Apostolus, *scio*, vel *didici*. Nota quod hæc non sibi, sed Domino ascribat. *Omnia*, inquit, *possum ;* non quædam : *in eo, qui me confortat ;* non in me. De eo quod iste modus et fidelibus servandus est, id est, ut suum posse in divina fortitudine collocent.

Sequitur : *Verumtamen bene fecistis*, id est participes fuistis, vel subvenistis mihi in tribulatione, quia non debuit mea æquanimitas vestram impedire mercedem. Nota quod non erat de illorum numero, qui ea quæ sua sunt quærunt; dicit enim non se quærere *datum*, sed requirere *fructum*. Qui possunt istum imitari, gaudeant : qui vero non possunt, de lacte ovium suarum suam sustentent necessitatem : sed non negligant ovium infirmitatem.

(1206) Sequitur : *Scitis autem et vos*, etc. De eo quod hic aperte exposuit, quod supra dictum est, *tribulationi meæ communicastis*, id est, auxilium præstitistis, præbendo necessaria. Quod vero dicit, *in ratione dati et accepti*, non ita accipiendum est, ut ipse aliquid dederit qui accepit; sed cum munus datur, ratio dati est et accepti. Quam enim pecuniam Paulus daret? Sed quoniam ratio dati et accepti est in pecunia, sequitur : *Quia et Thessalonicam*, etc. Ecce ostendit se scire quam devoti in ministrando fuerint, id est ut non solum apud suos Apostolo prædicanti, sed longe posito ministraverint.

Et ne videretur hoc ideo dicere, ut accipere vellet aliquid ab illis, subjunxit : *Non quia quæro datum, sed requiro fructum*. Non ego, inquit, neque ista necessaria requiro : sed fructum benevolentiæ vestræ. Datum dicit in re, fructum in devotione. Unde et subdit : *Habeo autem omnia, et abundo*, id est ideo non requiro datum, quia omnia habeo. Et multi habent omnia, sed non abundant.

Denique prosequitur, ut ostendat abundantiam : *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito*. Ne illud, quod abundat, alienum sit, dicit et ipsorum esse, qui miserunt. Repletus sum, inquit, cum accepi ea quæ per Epaphroditum misistis. Sicut supra nihil requirit, nisi fructum, ita et hic, cum repletum se dicit, non in his quæ missa sunt gaudet, sed in devotione mittentium. Et *odor suavitatis* non in re est oblata, sed in mentis devotione, sicut sacrificium Noe in odore suavitatis dicitur (*Gen.* VIII, 21), cum Deus non delectetur in carne et sanguine pecorum. De eo quod non otiose hæc dicit, nisi aut negligentius,

dendam suasit divi Ambrosii expositio, cujus sunt verba hæc.

(1201) In autog. marg. hic legitur cap. XV.

(1202) Verba, *sequitur... actione*, in marg. laterali leguntur.

(1203) In autog. marg. hic legitur cap. XVI.

(1204) Vulg. *ratione*, et sic alibi.

(1205) Verba *didici.... sufficiens* in laterali marg. leguntur.

(1206) In autog. marg. hic legitur cap. XVII.

aut minus copiose, sicut solitum erat ab eis fieri, factum videbatur, ut reminiscentes priorum operum scirent se minus fecisse quam cœperant. Nota quod eleemosyna *hostia* vocatur; et sicut a sanctis oblata accipitur, ita a malis oblata respuitur. Finita narratione de eleemosyna, orat pro illis.

(1207) Sequitur : *Deus autem meus*. Nota quod justorum est vox ista, quorum Deus est per gratiam. *Desiderium vestrum* dicit, quorum noverat bona esse corda. *Secundum divitias suas* dicit, non mundi. Dei divitiæ spiritales sunt. Et *in gloria*, et in *Christo*, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ reconditi. Nota quod hæc benedictio non est inferior benedictionibus patriarcharum.

Sequitur : *Deo autem, et Patri*, etc. Deo Patri gloria, et in Christo Jesu sit illi gloria æterna, quæ gloria ambabus personis una cum Spiritu sancto, qui est unus Deus, debetur. De eo quod, finita epistola in laude, transit ad salutationem.

(1208) Sequitur : *Salutate omnem sanctum*. Terribile, quod non nisi sanctos salutat. Sanctos vocat a criminibus alienos, non a peccatis (1209). Sequitur : *Salutant vos omnes fratres, qui mecum sunt*, carne, vobiscum mente. Salutant vos etiam sancti eminentioris meriti, sed *maxime qui de domo Cæsaris sunt*. Quare istos specialiter notat? Quia volebat illos ostendere devotiores; et ut illi audientes potentes credidisse, lætiores fierent, ac si diceret : Nolite timere Evangelium prædicare, in quo tanta vis est, ut hi etiam, qui superbire poterant, deposita mundi elatione, humile Christi jugum susceperint.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, etc. Quia diversæ quæstiones erant de Christo, ad confirmandam soliditatem Christi divinitatis, magnopere poscit gratiam ejus esse cum ipsorum *spiritu*. De eo quod gratia est, qua relaxantur peccata quam cum spiritu eorum esse optat, quia nobilior est interior, quam exterior homo.

Amen confirmat omnia quæ superius dixerat; quia *amen* dicitur *verum* : valde enim impium est de tanti Doctoris dictis in aliquo dubitare.

(1207) In autog. marg. hic legitur cap. XVIII.
(1208) In autog. marg. hic legitur cap. XIX.
(1209) En differentiam inter crimen et peccatum, sive peccati concupiscentiam, quam alibi etiam constituit.

INCIPIT CAPITULATIO AD COLOSSENSES (1210).

1. Quia orat pro eis, collaudans fidem eorum, dignos eos factos in partem sortis sanctorum in Christo, in quo condita sunt omnia, sive throni, etc.

2. Quia, cum essent inimici, reconciliati sunt Deo in ministerium, quod absconditum fuit a sæculis, et docentes omnem hominem; et quia in Christo abscondíti sunt omnes thesauri.

3. Ut non decipiantur pro philosophia, qui Christo consepulti sunt in baptismo. Delens quod adversum nos erat, chirographum. Et nemo judicet in cibo, aut in potu. Et ne seducantur, in humilitate angelorum.

4. Si mortui estis ab elementis, quid adhuc tanquam viventes decernitis? Et, quæ sursum sunt sapite. Et, mortificanda membra, quæ sunt super terram. Et, induendum novum hominem : ubi non est gentilis et Judæus.

5. Ut si quis habet aliquid adversus aliquem, dimittat. Et, in psalmis, et hymnis (1211). Et, in nomine Domini omnia facienda. Et, mulieres subditæ sint viris, et viri uxores diligant, filii et servi obediant.

6. Orationi instandum pro se : et in sapientia ambulandum ad eos, qui foris sunt, et, sermo sale sit conditus. Et, de his, quos salutat.

(1212) QUOS SANCTORUM COMMEMORET APOSTOLUS PAULUS IN EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Epaphram, quemque fidelem ministrum ex ipsis esse, et Tychicum, quem charissimum fratrem vocat.

Onesimum fratrem charissimum et fidelem, quem ex ipsis fuisse dicit. Aristarchum, quem concaptivum vocat.

Marcum consobrinum Barnabæ, de quo accepe-rint mandata. Et Jesum, qui dicitur justus. Hi ex circumcisione adjutores.

Lucam medicum charissimum. Et Deman Nymphan, et quas in domo ejus Ecclesias. Archippum, quem commonet ut videat ministerium, quod accepit.

(1210) Titulus hic litteris, ut aiunt capitalibus partim, partim in ventre contentis scriptus legitur.
(1211) Quod *Vmnis* scriptum legitur.
(1212) Omnes tituli, qui sequuntur, hujus Epistolæ, litteris, ut aiunt, uncialibus habentur in autog.

ARGUMENTUM AD COLOSSENSES.

Colossenses sunt, et hi,sicut Laodicenses, Asiani. Et ipsi prævenți (1213) erant a pseudoapostolis. Nec ad eos accessit ipse Apostolus ; sed hos per Epistolam recorrigit. Audierant enim verbum ab A Archippo, qui et ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus jam ligatus scribit eis ab Epheso (1214).

Explicit ad Colossenses scripta de Roma. Habet versus C. C. VIII.

(1213) In cod. *præbendi*.

(1214) Loco *Epheso* legendum fortasse *ab Onesimo*. scilicet per quem, et Tychicum missa est Epistola. Vel, quod veritati magis consentaneum est,loco *ab*, legendum *et :* ut legatur : *scribit eis, et Epheso :* duæ enim hæ Epistolæ, alterave ad Philippenses Roma, et in vinculis scriptæ, et missæ censentur : sicuti de hac peculiariter legitur pauca post verba in cod. nostro ibi : *scripta de Roma*. Quod nullo modo cum his verbis, *ab Epheso* conciliari posset. Id vero clarius elucebit ex his quæ paulo inferius habentur in ea verba Epistolæ, *his qui sunt Colossis* , ubi mendose in argumentis Epistolarum scriptum *ab Epheso* adinveniri asseritur.

INCIPIT EPISTOLA AD COLOSSENSES.

ARGUMENTUM.

Colossenses pseudoapostoli evertere nitebantur, ut post prædicationem Epaphræ sive Archippi,philosophicis disputationibus irretirent simplicitatem mentis eorum. Admonet Apostolus ne sperent in rationibus elementorum, quibus quasi gubernatur vita humana. Idcirco hoc Apostolus per Epistolam hortatur et admonet, ne alicubi præter Christum aliquam spem esse putarent,et deciperentur (1215).

(Cap. I.) *Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei et Timotheus frater.* In aliis Epistolis Sosthenes et Sylvanus, interdum et Timotheus, assumitur. In quatuor tantum Timotheus, quia vel eodem tempore, vel præsente Timotheo cæteræ quoque dictatæ sunt.Quod duplici ex causa factum ponitur, ut et Epistola majorem haberet auctoritatem, quæ non ab uno scribebatur, et quia nulla æmulatio erat in Apostolo,si quid forte illo dictante aliis Spiritus sanctus suggessisset, absque ulla tristitia addebat Paulus in litteris, quas dictabat, secundum id, quod ipse Corinthiis præcepit,ut si alio prophetante alii fuerit revelatum (*I Cor.* xiv, 30), taceat ille qui prius prophetabat.Ita et ipse quoque præceptum suum opere complebat : et propter pauca, quæ alii addiderant, suggerentes ut sua,ita alterius quoque verba præscribebat.

His, qui sunt Colossis. Colossenses, sicut et Laodicenses, sunt Asiani.Audierant enim verbum Evangelii ab Archippo, qui et ministerium in eis accepit. Nec ad hos accesserat ipse apostolus, sed scripsit eis ; non ab Epheso, ut mendose in argumentis Epistolarum scriptum invenitur, sed a Roma de carB cere. Et in primis fidem eorum magnam audisse se laudat. Deinde admonet eos ne per philosophiam vel legis cæremonias seducantur.

Sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro. Non omnis fidelis est sanctus, quia possunt etiam catechumeni, ex eo quod Christo credunt, fideles dici, non tamen sancti sunt per baptismum sanctificati.Quod tamen intelligi et aliter melius potest, id est ut sanctos dicat sacerdotes, et ministros Ecclesiæ, fideles vero cæteram fidelium multitudinem. *Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes.* A laudibus Dei incipit, quod talia eis donaverit, quæ inferius continentur.

Audientes fidem vestram in Christo Jesu. Et hoc ad distinctionem diligentissime positum est : sunt C quippe plures fideles, sed non in Christo Jesu. *Et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes.* Notandum sane quod, sicut Corinthios subliter de tenacitate reprehendit,ita et isto de largitate dilectionis collaudat : probatio quippe dilectionis exhibitio operis est.

Propter spem quæ reposita est vobis in cœlis. Ac si dicat : Quanto enim amplius Deum diligitis de cœlis, tanto amplius proximis bona impenditis in terris, eo quod illic vos thesaurizare nostis, *ubi tinea non corrumpit et ubi fures non effodiunt, nec furantur* (*Matth.* vi, 20).

Quam audistis in verbo veritatis Evangelii. Quod prius dixerat verbum veritatis, hoc post repetiit, *Evangelii*. Quia revera nulla alia prædicatio vera D est, nisi quæ fulcitur Evangelii auctoritate.

Quod pervenit ad vos sicut et in universo mundo

(1215) Hoc argumentum (ut unicuique suum tradamus) a divo Ambrosio,sive de Hilario fere de verbo ad verbum desumptum est. *Fere* dicimus, quia in aliquot verbis differentia est : scilicet in his quæ ita habet textus divi Ambrosii : *irretirent simplicitatem mentis eorum, ne spernerent rationes elementorum quibus quasi gubernator*, etc. : quo in textu videtur hoc, *ne spernerent rationes*, etc., tanquam pseudoapostolorum monitum protulisse. In textu autem nostro post ea verba, *simplicitatem mentis eorum*, legitur : *Admouet Apostolus nec sperent in orationes elementoram, quibus quasi*, etc. Ubi monitum *ne sperent* Apostoli est. Emendandum autem visum est illud *nec*, et legendum *ne*, decoris scilicet sermonis gratia. Illud etiam, *in orationes*, legendum censuimus, *in rationibus*. Quid enim orationes elementorum ? Quæ in eis spes ? Atqui de rationibus elementorum tum textus Epistolæ, tum divi Ambrosii citatum argumentum mentionem facit.

est, et fructificat, et crescit sicut et in vobis. Quamvis Evangelium nondum mundum tenebat universum ; sed fructificare illud in universo mundo dixit, et crescere, ut ita significaret quousque fuisset fructificando, et crescendo venturum. Si ergo latet quando, Ecclesia fructificante atque crescente, universus omnino a mari usque ad mare orbis implebitur ; procul dubio latet quando finis erit, ante quippe non erit, Ideo enim ad exemplum cæterarum gentium (1216) hos crescere, et fructum vitalem facere alacri sermone prosequitur, ut ex eo quod Dei gratiam perceperunt, proficerent, et numero, et opere adjungentes fidei suæ, qui fierent fratres eorum in Christo attracti bonorum operum illorum exemplo.

Ex qua die audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate. Ille Dei gratiam in veritate cognoscit, qui gratiæ Dei non existit ingratus : qui suis meritis nihil tribuit, si aliquid dignum agit, sed illi dat gloriam, cujus donum est quidquid in hominibus boni est.

Sicut didicitis ab Epaphra charissimo conservo nostro qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu. Epaphras iste ipse est, qui in Epistola ad Philippenses Epaphroditus nominatur (1217) ; qui eis ministravit gratiam Christi vice Apostoli, cujus commendat personam, laudando et dicendo : *Charissimo converso nostro.* Postea subjungit et causam : *Qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu.*

Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. Laudat eos per omnia, quod misericordes essent erga eos qui ex circumcisione pro nomine Domini Jesu Christi profecti sunt ad evangelizandum de gente in gente, et de regno in populo altero. Unde et sequitur :

Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes et postulantes ut, impleamini agnitione voluntatis ejus. Audiens Apostolus devotam, ac promptam voluntatem illorum circa fidem Christi, orat pro eis, ut propensius, agnita voluntate Dei, rationabili opere explerent devotionem, quam, audita fide Christi, didicerant, ne tam mentis fida ædificatio (1218), et robur fidei, dum inconsulte aliquid atque imperite conficeret, laboris sui fructum amitteret. Hoc enim libenter accepto fertur quod devoto fit animo, et prudenter.

In omni sapientia, et intellectu spiritali. Orat pro Colossensibus, sicuti et pro omnibus Ecclesiis, ut impleantur agnitione voluntatis ejus in omni sapientia et intellectu spiritali. Exposuit quod obscure dicebat : Quomodo Deus det velle, et adjuvet, atque confirmet, et spirando et docendo ; sapientiam et intellectum donando per gratiam suam, libertatem arbitrii reparando et confirmando per assiduam gratiam suam.

Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes ; in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei ; in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia et longanimitate cum gaudio. Ecce quomodo gradatim eos magister bonus ad altiora sustollit, ut ambularent digne Deo, per omnia ei placentes, id est in omni opere bono perseverantes : deinde fructificantes germine virtutum, et crescentes, non in forma corporis, sed in scientia Dei. Post hæc addit : *In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia, et longanimitate cum gaudio.* Hæc autem omnia virtutum culmina. et præmia invitarent quem deterrere possent adversitates. Incrementum enim operum eorum scientia vult fieri, ut non ignorent fidei suæ spem. Tunc enim firmi, et stabiles sunt, si advertant quæ per fidem promissa sunt, et quanta sit potentia gloriæ majestatis Dei in patientia, ut longa exspectatione sustineat humanum genus, quod irreverentia sua non solum neglexit Creatorem, verum persequatur amantes eum, ut et ipsi similiter patientes sint, ut supportent probra et maledicta, si fuerit pressura, exspectantes judicium Dei, nec dubitantes de eo, magis autem gaudentes in promissa vita cum gratiarum actionibus Deo, sicut dicit :

Gratias agentes Deo Patri. Unde, et quare ? Ipse exponendo addidit : *Qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine.* Ac si dicat : Qui dignatus est advocare et inducere gentes in promissione Judæorum, quæ est lumen æternum, id est veritas perpetua. Solet aliquando Apostolus tenebras infidelitatem, et lucem fidem denuntiare ; sicut alio loco dicit : *Fuistis aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8) ; id est fuistis aliquando infideles ; nunc autem fideles estis per Dominum. Sorstolos, sive 72 discipulos, nec non inter episcopos Andriacæ, sive Andracæ recensetur. Ut silentio prætereamus Epaphroditum Tarracinæ episcopum, a sancto Paulo initiatum, quem eumdem cum hoc esse non constat : de quo in sermone quodam Metaphrasti inscripto, et in Martyrol. Romano die 22 Martii.

Epaphras autem hic Colossensis erat, uti ex Ep. ad Coloss. IV, 12, apparet manifestissime. Imo et eorum primum episcopum, ut creditur fuisse, arguendi locum dat Apostolus tum cit. cap., tum cap. I, 7 ejusdem Ep. De hoc etiam mentio in Ep. ad Philemonem XXIII, et in Martyrologiis ad diem 19 Julii, ubi martyrium Colossis obtinuisse narratur.

(1216) Juxta divi Ambrosii textum, a quo hæc expositio mutuata est, *exemplum cæterarum gentium hos crescere* legere existimavi : cum in autog. legeretur tantum : *ideo enim cæterarum gentium hos crescere*, etc.

(1217) Philipp. II, 25, et IV, 18. Nescio quo rationis momento adductus auctor noster Epaphram cum Epaphrodito confuderit, unamque ex duabus personam conflaverit. Epaphroditus namque juxta Theodoretum Philippensium episcopus, sive ut illum sanctus Paulus nominat ad Philipp. II, 25, Philippensium apostolus fuit : fortasse etiam ex illis ; saltem vero illis valde notus et charus, ut ex vers. 26 ejusdem cap. videre est, et eorum apud Apostolum quandoque legatus, ut ex ejusdem Ep. IV, 18, colligimus, et Epistolæ apostolicæ lator. Ejus festum Græcis octava, sive nona die Decembris, insuper 29 et 30 Marti celebratur, atque inter apo-

(1218) In cod. legitur *nec tam̄ m̄tis fida dicatione, et robur*, etc. Quam mendam opere divi Ambrosii, seu Hilarii, cujus est versus hic, ad rectam lectionem redegi.

tem, hæreditatem dici in Scripturis sanctis frequentur invenimus (1219).

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum. Liberati enim de conditione tenebrarum, hoc est, eruti de potestate immundorum spirituum et societate iniquorum, a quibus detinebamur ex proprio delicto Adæ (1220), qui est pater omnium peccantium, translati sumus per fidem in regnum cœleste Filii Dei, sicut consequenter adjungit.

Et transtulit nos in regnum Filii charitatis (1221) *suæ.* Ut ostenderet nobis quo amore diligit nos Deus, quando attollens nos de imo tartari, induxit in cœlos cum vero Filio suo. Jam enim omnes credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de sæculo, duce dextræ partis angelo, inducantur in cœlum, quod ante victam mortem concessum non erat. Non dixit, Filii sui; quod si diceret, verissime diceret; quemadmodum quia sæpe dixit, verissime dixit, sed ait : *Filii charitatis suæ.* Filius ergo est etiam Spiritus sanctus, si non est in illa Trinitate charitas Dei, nisi Spiritus sanctus : quod si absurdissimus est, restat, ut non solus ibi sit charitas Spiritus sanctus, sed propter illa, de quibus satis disserui (1222), proprie sic vocetur. Quod autem dictum est, *Filii charitatis suæ*, nihil aliud intelligatur, quam Filii sui, postremo (1223) substantiæ suæ. Charitas quippe Patris, quæ in natura ejus est ineffabiliter simplici, nihil est aliud, quam ejus ipsa natura atque substantia, ut sæpe jam diximus, et sæpe iterare non piget. Ac per hoc Filius charitatis ejus nullus est alius, quam qui de substantia ejus est genitus.

In quo habemus redemptionem (1224), *remissionem peccatorum.* In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus est, sed ligatus, ut nos ab ejus nexibus solveremur. Remissio enim peccatorum liberos nos facit, ut liberati debitis, obnoxii teneri non possimus : nam sine fide Christi nullus est salvatus.

Qui est imago Dei invisibilis. Imago, et æqualitas, et similitudo distinguenda sunt, quia ubi imago, ut est in speculo, continuo similitudo, non continuo æqualitas, ut est in ovis paribus. Ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago. Ubi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas, ut est in ovis diversi generis, ut in speculo est imago, quia de illo expressa est. Est enim necessaria similitudo, non tamen æqualitas, quia multa desunt (1225) imagini, quæ insunt illi rei, de qua expressa est Ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago, velut in duobus ovis paribus, quia inest æqualitas, inest et similitudo ; quæcunque enim adsunt uni, adsunt et alteri : imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Ubi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas ; omne quippe ovum omni ovo, in quantum ovum est, simile est, sed ovum perdicis, quamvis in quantum ovum est, simile sit ovo gallinæ, nec imago tamen ejus est, quia non de illo expressum est ; nec æquale, quia et breve est, et alterius generis animantium. Potest ergo esse aliqua imago, in qua sit etiam æqualitas, ut in parentibus, et filiis invenitur imago, in qua sit et æqualitas, et similitudo, si intervallum temporis defuisset ; nam et de parente expressa est similitudo filii, ut recte imago dicatur, et potest esse tanta, ut recte etiam dicatur æqualitas, nisi quod parens tempore præcedit. Ex quo intelligitur æqualitatem aliquando non solum similitudinem habere, sed etiam imaginem, quod in superiore exemplo manifestatum est. Potest etiam aliquando esse similitudo et æqualitas, quamvis non sit imago, ut de ovis paribus diximus. Potest et similitudo, et imago, quamvis non sit æqualitas, ut in speculo ostendimus. Potest et similitudo, ubi æqualitas, et imago sit, sicut de filiis commemoravimus, excepto tempore, quo præcedunt parentes ; sic enim æqualem syllabam syllabæ dicimus, quamvis altera præcedat, altera subsequatur. In Deo autem, quia conditio temporis vacat ; non enim potest recte videri Deus in tempore generasse Filium ; per quem condidit tempora ; consequens est, ut non solum imago ejus sit, quia de illo est, et similitudo, quia imago est, sed etiam æqualitas tanta, ut nec temporis intervallum impedimento sit.

Primogenitus omnis creaturæ. Ante omnem creaturam genitum Filium, non creatum testatur, ut secerneret nativitatem ejus a creaturæ factura. Et ut hoc penitus clarescat, subjecit.

Quia in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia. Hoc est quod evangelista Joannes in principio Evangelii sui, IV, 3, testatur, dicens : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Si enim nihil creaturarum sine ipso

(1219) Uti inter cætera plurima, ubi Josue terram divisit in sortem.

(1220) *Tam ex proprio, quam ex delicto Adæ, qui est pater*, etc., habet divus Ambrosius in hunc textum. Unde vel *ex proprio et delicto Adæ* legendum, vel tantum de peccato originali, quod in omnes homines transivit, et proprium uniuscujusque factum est, ideoque nos diabolo subegit, loqui tantum voluisse expositorem nostrum existimare debemus.

(1221) Ita divus Ambrosius. Vulg. vero loco *charitatis*, habet *dilectionis.*

(1222) Nempe in anterioribus Ep., ubi de Trinitate, potissimum autem ad Rom.

(1223) *Postremo*, id est, pro finali et veriori interpretatione intelligatur, *Filii substantiæ suæ ; quia charitas Patris*, et cætera, quæ sequuntur.

(1224) *Redemptionem per sanguinem ejus* habet Vulg. In textu tamen *per sanguinem ejus* non legitur, quamvis de sanguine Christi in textus expositione fiat mentio. Divus Ambrosius etiam divus Chrysostomus, et Hieronymus, sive Pelagius in textu illud *per sanguinem ejus* non habent. Ubi illud etiam divi Chrysostomi observare lubet in Græco, non tantum λύτρωσιν, redemptionem, sed ἀπολύτρωσιν, plenam scilicet, et perfectam redemptionem, ne amplius corruantus, neque mortales efficiamur legi.

(1225) In autog. loco *desunt* legebatur *sunt*, quod emendandum sensus suasit.

factum est, patet profecto, quia ipse creatura non est, per quem omnis creatura facta est. Sed sciendum quia quidquid per illum factum creditur, per illum regitur et continetur. Secundum carnem omni rationabili creaturæ primus effectus est. Primogenitus, inquit, non primo creatus, ut genitus per naturam, et primus perpetuitate credatur. Vel certe *primogenitus ex mortuis* (*Infra*, 18), quia primus ipse resurrexit. Et ut apertius tradat, quæ, et quanta sit potentia Filii secundum divinitatem, ostendit quæ per ipsum sint; id est, *throni, dominationes, principatus, potestates : omnia per ipsum, et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant*. Ut proinde omnino minus nihil in eo credatur esse, quam est in Patre. *Et ipse est ante omnes.* Si est, quia hic solus de Patre Deo natus est, de ingenita utique substantia Dei. Hæc autem virtute ejus, quæ generationem habet, id est, cæteræ creaturæ a Patre substiterunt, non ut communio eis substantiæ sit cum eo, sed ex nihilo, nutu Dei Patris, Filio cœperunt. Throni enim illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum judicium semper Deus omnipotens præsidet. Quia enim thronos Latino sermone dicimus sedes, throni dicti sunt hi, qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia decernat. Unde et Psalmista dicit : *Sedes super thronum, qui judicas æquitatem* (*Psal.* IX, 5). Quod vero ait, *et omnia in ipso constant* ita intelligendum est : quia sine eo nihil sunt, nisi enim huic fuerint subdita, errore devia quasi perditioni fient obnoxia.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ. Ecclesiæ caput est Christus, si tamen omnes unum sentiant cœlestes, et terreni, ut sint Ecclesia, hoc est, unius fidei. Si quominns truncati capite, hoc est, omnium corporum, totius corporis (1226), id est a creatore suo sejuncti, amentia quadam et vanitate bacchantur, Quomodo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, ita et Dominus noster Jesus Christus, cum sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes qui in Ecclesia congregantur.

Qui est principium, primogenitus ex mortuis. Id est, per ipsum denuo negligentia quadam facta caduca reformanda fuerunt, ne ad injuriam ejus pertineret, si opus ejus per alterum instauratum fuisset; ut quomodo ante omnes natus est, sic iterum ante omnes primus esset ex resurrectione mortuorum reddita pristina vita. Ante omnia enim natus est de Deo, ut cuncta crearet, quæ non erant. Iterum accepta carne de Virgine natus est, ut peccatum, quod ex virgine Eva intraverat in mundum, aboleret. Natus ergo, et mortuus resurrexit, ut quæ primum fecerat, postea iterum recrearet, quia per errorem fuerant velut mortua, ut semper in omni vita sit primus et princeps. Ecce duas taxatas (1227) naturas in una persona Domini Jesu Christi. Principium, per quod facta sunt omnia, primogenitus in gratia, pro eo quod ante omnes sanctos resurrexit a mortuis, et devicta morte jam regnat in cœlis. Quorum fratrum recte primogenitus appellatur, quia omnes adoptionis filios etiam illos qui incarnationis ejus tempora nascendo, præcesserunt dignitate prægreditur.

Ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia videlicet, sicut per divinitatem principium, et caput est angelorum, ita et per susceptionem carnis caput est omnium hominum electorum.

Quia in ipso complacuit omnium plenitudinem inhabitare, et per eum reconcitiare omnia in ipsum. Plenus quippe erat Dominus Spiritu sancto, plenus gratia et veritate (*Joan.* I, 14) : de cujus plenitudine nos omnes juxta modum nostræ capacitatis accepimus : quia *unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV, 7). De solo namque mediatore Dei et hominum homine Jesu Christo dici potuit : *Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum Spiritus timoris Domini* (*Isa.* II, 2, 3). Omnes vero sancti non plenitudinem Spiritus ejus, sed de plenitudine ejus, quantum ille donat, accipiunt. Quia *alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatem in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum : Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 8-11). Quia ergo de plenitudine conditoris nostri non quiddam, sed omne quidquid boni habemus, accepimus, curandum summopere est, ne quispiam de sua se bona actione, vel cogitatione incautus extollat, ne, si ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit.

Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Pacificantur quippe quæ in cœlis sunt, cum id, quod in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt in æternam vitam, a corruptionis vetustate innovantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo Mediator est immolatus, quod unum in lege multæ victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus, et terrestria cum cœlestibus. *Quoniam*, sicut idem Apostolus dicit, *in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.* Pax ista præcellit, sicut scriptum est (*Philip.* IV, 7), omnem intellectum, neque sciri a nobis, nisi cum ad eam venerimus, potest. Quomodo enim pacificantur cœlestia, nisi nobis id est, coneluceat.

(1226) Vel perperam addita, vel desideranda quædam orationi officiunt, quamvis mens auctoris satis

(1227) Id est, *significatas.*

cordando nobiscum ? Nam ibi semper est pax, et inter se universis intellectualibus creaturis, et cum suo creatore ; quæ pax præcellit, ut dictum est, omnem intellectum ; sed utique nostrum, non eorum, qui semper vident faciem Patris (*Matth.* XIII, 10). Nobis autem quantuscunque sit intellectus humanus, ex parte scimus, et videmus per speculum : in ænigmate (*I Cor.* XIII, 12). Cum vero æquales angelis Dei fuerimus, tunc, quemadmodum ipsi, *videbimus facie ad faciem*(*Ibid.*) : tantamque pacem habebimus erga eos, quantam et ipsi erga nos, quia tantum eos dilecturi sumus. quantum ab eis diligemur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia et nostra talis, ac tanta erit, nec præcellet tune intellectum nostrum. Dei vero pax, quæ illic est erga eos, et nostrum et illorum intellectum sine dubitatione præcellit ; de ipso quippe beata est rationabilis creatura, quæcunque beata est ; non ipse de illa. Unde secundum hoc melius accipitur quod scriptum est, *pax Dei, quæ præcelit omnem intellectum*, ut in eo quod dixit, *omnem*, nec ipse intellectus sanctorum angelorum esse possit exceptus, sed Dei solius, neque enim et ipsius intellectum pax ejus excellit.

Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem. Quale donum Dei sit erga gentes, memorat, ut ostendat eos debitores esse multum in gratiarum actionibus Deo qui cum alienati et inimici essemus, consilio suo, per quod decrevit visitare genus humanum, visitavit et reconciliavit in corpore carnis ejus ; et ideo ista omnia præstitit, ne ejus beneficium irritum faciamus, et iterum simus inimici, sicut quondam, cum in idolis et in operibus iniquis fuerant. Adoraverunt enim opera sua quæ fecerunt. Misericordia autem, et providentia Dei requisivit eos, ut gratuito Dei gratiam consequerentur, redeuntes ad eum in conscientia munda, ut in die judicii, dum nihil erroris veteris inveniretur in his, adcorporarentur creatori suo, qui, ut prodesset humano generi, incarnatus homo factus est, ut in carne sua vinceret mortem.

Exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. Ecce in quibus virtutibus vult eos esse conspicuos gentium prædicator. Sanctitas refertur ad castitatem ; immaculatio ad integritatem ; irreprehensibilitas ad prudentiam ; ut essent irrprehensibiles in medio nationis pravæ atque perversæ, et lucerent inter eos opere virtutum, sicut luminaria in firmamento cœli. Notandum quod alienatos a Deo in operibus malis aliquando esse dixerit, non jam tunc quando ista scribebat.

Si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles. Ut scirent tunc prodesse sibi passionem Christi, si in accepta fide manerent : et tunc immaculati fierent, si illos hominum prava doctrina, vel exempla non deciperent, sed firmiter quæ ab Apostolo audierant, futura crederent

A spe Evangelii, quod audistis. Spem Evangelii, nisi qui secundum ipsum vivunt, habere non possunt : secundum quod alio loco idem Apostolus dicit : *Si enim complantati fuerimus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI, 5).

Quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est. Omnis creaturæ nomine potest, et debet omnis natio gentium designari. Ante enim dictum fuerat a Domino apostolis, ne in via gentium irent (*Matth.* X, 5). Postea vero jussum est ut prædicarent Evangelium omni creaturæ (*Mac.* XVI, 15).

Cujus factus sum ego Apostolus (1228), *et minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis.* In tribulationibus, quas patiebatur, exultare se fatetur, quia profectum suum videt in fide credentium. Non est enim inanis tribulatio, quando eum, pro quo patitur, acquirit ad vitam. Quas passiones Christo dicit inferri, cujus utique doctrinam persequuntur, ut perfidos gravet impietatis suæ (1229) crudelitate, et fidelibus Dei prædicet charitatem, cujus Filius nunc usque injurias patitur pro nobis.

Et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Et est sensus : Christus a solis Judæis adductus ad mortem est ; ego pro Ecclesia ejus, et a Judæis, et a gentibus. Christus inchoavit passionem, non implevit ; sed in corpore suo, id est, in Ecclesia nunc adimpletur, dum pro vobis patimur, ut vos ædificemus, sicut et ille, qui prior passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis. Ministrum factum esse se Evangelii inter gentes a Deo per Christum cum fiducia loquitur, ut mysterium cœptum a Domino, per idoneum efficacem servum possit impleri, quod ignotum fuit a sæculis. Et ministrum se sacri Evangelii factum dicit, non qualemcunque, sed de quibus Dominus dixerat : *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* (*Luc* XII, 42). Et notandum quod occulte suggillat eos, qui ex circumcisione veniebant, quos Dominus ad hoc non elegerat opus. Sed ipsi turpe lucrum sectantes Christo Domino non serviebant, sed suo ventri, et per dulces sermones, et falsas benedictiones pervertebant corda innocentium.

Ut impleam verbum Dei. In isto verbo multa prophetica continentur verba de vocatione gentium, et reprobatione populi Judæorum, ut est illud : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt eum omnes familiæ gentium* (*Psal.* XXI, 28). Vobis enim credentibus, verbum Dei impletur, quando prophetica dicta impleta videntur. Unde et sequitur :

Mysterium, quod absconditum fuit a sæculis et

(1228) Vulg. *ego Paulus minister*, et sic in cæteris lectionibus.

(1229) Ambrosius, sive Ambrosiaster *credulitate.*

generationibus. Considerandum quod mysterium vocationis gentium non dixerit Apostolus occultum esse filiis Dei, id est, patriarchis et prophetis sed sæculis et generationibus, id est, philosophis et sapientibus mundi. Nam sancti prophetæ bene ea noverunt, et in nobis implenda prædixerunt. Unde et sequitur.

Nunc autem manifestum est sanctis ejus. Non enim quando apostoli ad gentes venerunt, sed illi evangelizando effecti sunt sancti. Ut est illud in Evangelio (11, 52) secundum Joannem : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Nec dum erant filii Dei, nisi in prædestinatione, sed unicus Dei Filius pro eis passus, ex filiis iræ fecit filios adoptionis pro quibus et adjungit.

Quibut votuit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus in vobis. Mysterium quod latuit a sæculis, modo revelatum asserit, id est, tempore apostolorum ostensum, quia et gentes admittendæ essent sine circumcisione carnis ad fidem Christi, qui promissus erat Judæis. Prius enim ante prædicationem fidei circumcidi mandatum est gentiles, si voluissent ad legem accedere. Nunc autem misericordia Dei, ita ut sunt, suscipi jussi sunt ad fidem. Quod indignum putabatur Judæis, ut Christus, in quo spes erat Judæorum, etiam gentes participes faceret gloriæ suæ.

Spes gloriæ, quem nos annuntiamus. Spes gloriæ Christus dicitur, pro eo quod per eum gloriam adepturi sint credentes in eum. *Corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapentia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu*, id est, Judæum et Græcum, servum et liberum ; pro eo quod non est personarum acceptio apud Deum (*Ephes.* VI, 9) : *sed in omni gente, qui timent Dominum et operantur justitiam, acceptum est illi* (*Act.* x, 35). Hanc enim. dicit veram esse sapientiam, quæ est in disciplina Dominica, cum agnoscitur Christus. Quod se ipsum Apostolus magna cum cura agere testatur ut erudiens omnem hominem in hac sapientia consummatum eum exhibeat Deo in intellectum Christi, ut mysterium nativitatis ex Deo, et nativitatis ex Maria, et totius operis ejus cœlestium, et terrestrium assequatur. Et hoc notandum quod omnes vult exhibere perfectos secundum illam perfectionem, qua alibi dicit : *Quotquot enim sumus perfecti, hoc sapiamus* (*Phil.* III, 15), cum retro dixerit : *Ego me non arbitror comprehendisse* (*Ibid.*, 13). Est enim quædam imperfecta perfectio, ut sciat se homo in hac vita non posse esse perfectum.

In quo et laboro certando. Sicut enim supra duas res proposuit, correptionem et doctrinam, ita et hic duas, laborem et certamen. Correptio enim pertinet ad improbos ; doctrina ad humiles. Ita et hic, labor ad opus prædicationis ; certamen vero contra obsistentes.

Secundum operationem ejus, quam operatur in me **A** *in virtute*. Cujus rei certamen contra perfidos habere se loquitur, adjuvantibus signis virtutum, ut per hæc victa infidelitas comprimatur. Qui enim verbis subtilitate quadam diabolicæ versutiæ ausus est contradicere, pudore correptus necesse est cedat virtuti. Et ne ingratus divinæ gratiæ existeret prædicator, quidquid supra de se dixit, modo ad eum retulit, a quo accepit, dicendo, *secundum operationem ejus*. Usque nunc communiter de omnibus disputavit : modo tamen ipsis Colossensibus loquitur, et dicit :

(CAP. II.) *Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro his, qui sunt Laodiciæ*, (1230) *et quicunque non viderunt faciem meam in carne, ut consolentur corda ipsorum*. Non se minus sollicitum pro his, quos in carne minime viderat, quam de illis erat, quibus præsens prædicabat, testatur, ut scirent non minori affectu diligi se ab eo, quia eos non viderat, quam cæteros, apud quos erat, diligebat, ut foveret animos eorum in charitate, et prompti fierent per epistolam agnitionem accipere sacramenti Dei in Christo. Cum enim commemorasset et commendasset Apostolus quantum certamen pro eis haberet, et pro bis qui Laodicia (1231) fuerant, et quicunque non viderant faciem ejus in carne, ut cordibus consolarentur, adjunxit.

Instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, et Christi Jesu. Advertentes has esse sapientiæ, et scientiæ divitias, si agnoscatur Christus in deitatis suæ plenitudine adorandus. Omne igitur mysterium **C** sacramenti Dei in Christo est. Hic est enim unus, in quo omnis creatura nisi speraverit, peribit, ut omnium potentia in eo sit, ut qui cognoscit istum, cunctorum quæcunque sunt, cognitionem videatur habere. Nec colendus alius, præter hunc requiratur, quia omnium potentiarum virtus in eo est. Ex ipso enim habent omnes. Unus enim cum sit, omnia potest. Quare et caput omnium dicitur, ut per ipsum omnes sul sistere videantur. Quibus enim ista scripsit, metuebat eos seduci umbris rerum dulci nomine scientiæ, et averti a luce veritatis, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Ab hac autem sub nomine sapientiæ, vel scientiæ cura vanarum, superfluarum observationum, et de superstitione gentilitatis, maxime ab eis, qui philosophi nuncupati **D** sunt, et a Judaismo cavendum esse cernebat, ubi erant umbræ futurorum removendæ, quoniam lumen earum jam Christus advenerat.

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi. Digne ergo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in eo dicuntur absconditi. Omnis enim scientiæ ratio totius creaturæ supernæ et terrenæ in eo sit oportet, quia omnium eorum caput est ; sive angelorum, vel omnium, omnis scientiæ peritia in auctore illorum est, ut qui hunc agnoscit, nihil ultra requirat, nec sapientiam, nec virtutem,

(1230) In cod. *Laudociæ :* alibi *Laodiceæ* : et ita Chrysostomus, et Hieronymus, sive Pelagius ; Græce mentpe Λαοδικία.

(1231) Iterum in cod *Laudociæ*.

quia agnovit eum, in quo perfecta virtus, perfectaque sapientia est. Quidquid enim alibi se putaverit invenire, plene in hoc, et abunde inveniet. Nam quid sapientius Salomone? Quid prudentius Daniele? Quibus idirco Deus præ cæteris sapientiam dedit, ut notum faceret infidelibus totius se sapientiæ esse auctorem. Denique Nabuchodonosor dicit Danieli admirans super sapientiam ejus : *Vere Deus vester ipse est Deus vivus et, aperiens mysteria* (*Dan.* II, 47). Quod quidem omnem incredulum latet in Christo omnem esse sapientiam ; quia non legunt in Evangeliis astrologiam, non in Apostolo geometriam, non in propheta arithmeticam nec musicam : quæ ideirco despecta sunt a nostris, quia ad salutem non pertinent, sed magis mittunt in errorem, et revocant a Deo, ut dum his student ratiocinationum disputationibus, curam animæ suæ non habeant. Quæ enim tam vera sapientia est, nisi cognovisse quod prosit, et despexisse quod obsit ? Obest enim, quia impedit animæ, ne curam sui agat. Non immerito ergo qui Christum agnovit, invenit thesaurum sapientiæ et scientiæ : agnovit enim quid ei sit utile, ut omnem sermonem vel sensum, qui præter illum est, non solum non miremini, sed etiam stultitiam deputetis.

Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum Hoc dico, inquit, ut nemo vos circumveniat in verisimili sermone ; quia veritatis amore ducebantur, verisimilitudine illos timuit, ne deciperentur ; et ideo commendavit in Christo, quem dulcissimum habebant thesaurum, scilicet sapientiæ et scientiæ cujus nomine et promissione induci poterant in errorem. Commonet enim ne in malorum colloquiis, et astutia iniquitatis sensus eorum transduceretur ; quia sapientes mundi arte quadam, et minutiis disputationum irretire gestiunt simplicium animas, ut ratione mundanarum rerum abstrahant eos a spe, quæ est in Christo.

Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum. Ideo de illis timebat, quoniam quid eis adhuc deesset videbat. Unde et sequitur : *Gaudens et videns ordinem vestrum ; et supplens id quod deest utilitati* (232) *fidei vestræ*. Cernebat utique quamdam fabricam spiritalem, sicut alibi dicit : *Dei ædificatio estis* (*I Cor.* III, 9) ; et in ea cernebat utrumque, et unde gauderet, et unde satageret. Gaudebat ex eo quod jam ædificium videbat, satagebat ex eo quod usque ad culmen perfectionis adhuc ædificandum esse sentiebat. Ecce quomodo sancto desiderio quasi vagatur. Hic corpore tenetur ; illuc spiritu ducitur. Et paterni amoris affectum istis præsintibus exhibet ; illis absentibus ostendit. Coram positis impendit opera ; audientibus exprimit vota : efficaciter præsens eis cum quibus erat ; nec tatem illis absens, cum quibus non erat.

(1232) Vulg. non ita, sed : *gaudens, et videns ordinem vestrum, et, firmamentum ejus quæ in Christo est fidei vestræ*. Vulg. consentit Græca lectio divi Chrysostomi. Hunc autem textum a divo Ambrosio, seu Hilario transcripsit auctor noster, una cum magna expositionis Epistolæ parte.

A Cujus vagationem melius cognoscimus, si ejus adhuc ad Corinthios verba pensamus. Ait enim : *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero ; nam Macedoniam pertransibo. Apud vos forsitam manebo, vel etiam hiemabo* (*Cor.* XVI, 5).

Sicut ergo accepistis Christum Jesum Dominum nostrum, in ipso ambulate radicati, et superædificati in ipso, et jam firmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Hoc monet, et hortatur, ne devotio eorum minueretur, et recederent a fide, quam fuerant assecuti, et pravis fabulis eversi aliter Christum acciperent, quam didicerant. Multi enim corruptores fidei circumibant ad seducendos simplices, dolose, et cum simulatione annuntiantes Christum, quos evitari monet magna cautela, ut stabiles, et firmi supra fundamentum Trini- B tatis spe futurorum gratias uberes agerent super misericordia Dei. Nutrit enim eos, ut capaces essent participandorum thesaurorum scientiæ et sapientiæ, qui sunt absconditi in Christo, ne tanquam non sint ad hæc idonei, et verisimili sermone capientur, et a veritatis itinere devient ; ideo adjungit :

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundam traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Philosophiam dicit terrenam, per quam solent seduci qui cupiunt prudentes judicari in mundo. Hæc argumentis et subtilitate minutiarum quorumdam componitur, quasi physicas investigaverit rationes, quædam habens admista, quæ hortamenta sint bonæ vitæ vel documenta : aliquando de mensuris, nec- C non de numeris, aliquando de elementorum qualitatibus et quantitatibus ordinata. In cujus disputationibus qui inciderit, vix, et raro evadet. Detinetur enim verisimilibus causis, et commentitiis rebus, nihil tam verum æstimans, quam conspicitur et intelligitur in elementis. Et quia quæ ad præsens sunt, et cernuntur oculis, suavia et oblectabilia videntur, aliquantos seducunt, qui spiritalem rationem despiciendam, et ridendam putant desperatione futuri, omnem vim astris assignantes carnali rationi obnoxii, ne gravia credenda sint sustolli posse in cœlo. neve levia venire ad terras, aut aliquid corporeum sine rerum administione generari, repugnantes potentiæ ac providentiæ Dei. Sciunt enim legi in divinis veteribus Hebræorum voluminibus multa gesta per D Moysen, quæ humana ratio non capit ; simili modo et in novis libris facta a Domino, aut per apostolos, quæ tractatus carnalis prohibet credi. Dicunt (1233) ex nihilo fieri nihil posse ; et animam ant initium non habere, aut esse mortalem ; et virginem parere non posse, ant si peperit, ut aiunt, virgo non est ; Deumque ex homine nasci, mori, atque resurgere stultum esse credere autumant. Hanc ergo traditio-

(1233) In cod. legitur *dicentes* ; quod cum relatione careret, et ordine, emendandum censuimus. Quamvis illud *dicentes* cum aliquot sequentibus versibus de verbo ad verbum legantur in sæpius cit, Pelagii comment. ; ubi *dicentes* refert ad philosophes ejus temporis.

nem vel philosophiam, fallacem et inanem appellat, quia non a potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ potentiam Dei intra scientiam suam coarctat, ne aliter credatur facere, quam carnalis se continet ratio, qua singulis elementis divinitatis diversitatem deputant ad culturam, ut obligent animos imperitorum, ne se ad Deum verum extendant. Quamobrem cavendam monet traditionem istam, quia mundi cultrix est, non Dei, qui unus est, nec ad Christum, sed a Christo abstrahit.

Quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Neque enim divinitas corporea est; sed quia sacramenta Veteris Testamenti appellat umbram futurorum ; propter umbrarum comparationem, corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, eo quod in illo impleantur omnia, quæ illis umbris figurata sunt. Ac sic quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus : hoc est figurarum et significationum illarum ipse sit veritas. Sed verbo translato Apostolus usus est, tanquam in templo manufacto, non corporaliter, sed umbraliter habitaverit, id est, præfigurantibus signis. Nan illas omnes observationes, umbras futurorum vocat etiam ipso translato vocabulo (*Coloss.* II,17):summus enim Deus. sicut scriptum est, non in manufactis templis habitat (*Act.* XVII, 24; *Isai.* LXVI, 1). Aut certe *corporaliter* dictum est, quia et in Christi *corpore*, quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus, Hinc est enim quod Judæis signum petentibus cum dixisset : *Solvite templum hoc, et post triduum suscitabo illud* (*Joan.* II, 19), evangelista quid hoc esset consequenter exponens, ait : Ille autem dicebat de templo corporis sui (1234). Hoc ergo interesse arbitramur inter caput et cætera membra, quod in quolibet quamvis præcipuo membro, velut in aliquo magno propheta, aut apostolo, quantumvis divinitatis habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis; quia et in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite.

Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis. Caput autem omnium Christum principium omnium voluit intelligi, sicut ipse ait, cum ei dictum esset : *Tu quis es?* (*Joan.* VIII 25.) Respondit enim : *Principium, quod et loquor vobis. Omnia enim per ipsum facta sunt ; et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Mirabiliter autem vult esse horum velut mirabilium contemptores, cum eos ostendit corpus factos illius capitis, dicendo : *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis.* Et est sensus, vel ordo verborum : Si illius scientia erudimini, qui dedit initium etiam invisibili creaturæ, quid vobis conferent qui nihil amplius intelligunt, quam quod vident ? Plus significat credentibus dari, quam potest in elementis deprehendi : quia qui in Christo est, repletus est Abundantia divinitatis, quam elementa non habent. Denique in credentibus Spiritus sanctus inhabitat, quod elementis concedi non potest ; quia indignum erat et incongruum, ut invisibilis habitaret in substantia visibili, et incorporens in his, quæ sensibilia sunt. Audiant ergo, et veniant cultores eorum, et credant in Christo, ut fiant majores eorum, quos nunc colunt.

Hinc jam Judæos et pseudoapostolos sugillat, ne ab ipsis seducantur, et dicit : *In quo et circumcisi estis circumsicione non manu facta* Hinc jam ne umbris Judaicis seducantur, adjungit : *In quo etiam circumcisi estis circumcisione non manufacta*, id est, per quam totum veterem hominem exspoliastis. Ii circumcidentur in christo, qui amputata totius traditionis humanæ cultura, Christo junguntur, corde non carne circumcisi, id est, in spiritu, non in carne servientes, ut a terrenis ad cœlestia, ab humanis ad divina, et ab errore convertantur ad veritatem

In exspoliatione corporis carnis.. Non duas utique res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis ; sed quia corpus multarum rerum nomen est, quarum una caro est. Nam multa sunt, excepta carne, corpora cælestia et corpora terrestria. Corpus, carnis dixit, eo quod hoc loco corpus, carnem inteltigi voluit. Unde et sequitur :

Consepulti in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Resurrexerunt autem per fidem Dei : de quo credunt, quod exemplo Christi resucitabit illos ex mortuis. Illic enim homo vetus deponitur, et novus assumitur ; peccatis moritur (1233), ut vivat justiciæ, ut Christo societur, resurectionis futuræ tenens pignus exemplo Savaltoris, qui resurrexit ex mortuis. Resurrexistis, inquit, in novam vitam, credentes et intelligentes illius esse operationem. Vide quemadmodum et hic corpus Christi eis ostendit, ut ista contemnant, cohærentes tanto capiti suo, mediatori Dei et hominum, Christo Jesu, et nullum falsum, vel invalidum medium, per quod Deo cohæreant, requirentes. Hæc igitur commonet, ut perseveret in abrenuntiatione pompæ, et præstigiis (1236) Satanæ : qui idcirco elementorum suadet culturam, ut a Deo avocet, participes apostasiæ suæ valens efficere homines. Quia enim sub nomine suo culturam suadere non potest (horretur enim ipsius nomine) sub alterius nomine suam voluntatem conatur implere.

Et vos, cum essetis mortui in delictis, et præputio carnis vestræ convivificavit cum illo. Mortuos dicit gentiles fuisse : primum quidem, quia legem Moysi, quæ ad testimonium data est Creatoris, et ad vitia condemnanda, recipere noluerunt; deinde peccatorum suorum causa, indigni erant vita ; ideoque discrevit hos a Judæis, quasi qui fuerint inimici Dei unius. Judæi vero in unius Dei confessione

(1234) Textus hic, per amanuensis fortasse oblivionem, ita in cod. desideratur, ut illum addendum vine scrupulo ausi simus.

(1233) Verba, et novus,.. moritur, in imo marg. legentur.

(1236) Fortasse melius *præstigiorum*.

degentes, adveniente Christo addiscunt mysterium Dei, quod exspectabant ad justificationem suam,ut in eo, quod subreptum illis fuerat,quia impossibile est esse sine peccato, acciperent remissionem peccatorum, per fidem Jesu Christi, et gratiam Novi Testamenti. Ideo inducit et Judæos,dicens : *Donans* (1237) *nobis omnia delicta*, ut post specialem subjiceret et generalem, quia cunctis donavit omnia delicta. Sed quia, sicut dicit Dominus : *Cui plus donatum fuerit, amplius debet diligere* (*Luc.* VII, 42), gentes non solum propter peccata, sed etiam circumcisionem, pariter morti æternæ obnoxii erant (præputium vocavit delicta carnalia, quibus exspoliandi sumus) ; et dum dupliciter rei essent, filiorum sunt consortes effecti (1238). Idcirco enim commonet gentes,ut considerantes causas malorum suorum, et qualem gratiam acceperit a Deo in Christo,tota devotione solliciti sint circa obsequium ejus, a quo a diversa mortis pœna sunt liberati.

Donans vobis omnia delicta, id est. auferendo causas mortis atque peccata. *Delens quod adversum nos erat chirographum* (1239) *decreti, quod erat contrarium nobis*. Sic ergo delevit,cum tulit de medio. Sic autem de medio tulit, cum *affixit*, ait, *cruci*. Hoc dixit esse spoliare principes (1240),et potestates publice, et detriumphare illos in semetipso. Hoc, sicut videtur, obscura sunt : ac per hoc adhibita cura dilucidanda sunt.Hoc est præsidium, quod per significantiam diversarum causarum exponit Apostolus.Multa enim acta memorat,ut genus hominum ad indulgentiam perveniret, ut non solum propria remitteret nobis delicta, sed et illud tolleret peccatum,quod ex Adæ erat prævaricatione,quod appellavit chirographum decreti, quod nos a mortuis resurgere non sinebat : quia reos lex faciebat,quæ subintraverat, ut abundaret delictum (*Rom.* v, 20). Chirographum quidam dicunt esse quasi scripturam: *cyr* (1241) enim Græce *manus graphia* (1242) *scriptura* dicitur. Et ideo *chirographum* Græce *manus scriptio* dicitur. Unde hoc loco Apostolus peccatum humani generis chiographum vocat, quasi scripturam quamdam apud Deum,memoriam peccatorum. Unde ipsi dicit in Cantico : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ?* (*Deut.* XXXII, 34.) Hæc omnia deleta sunt in cruce,dimittendo peccata, et abolendo memoriam delictorum.Quod quidem fieri minime potuisset,nisi peccatum affixisset cruci. Dum enim non peccando Salvator vincit peccatum,quod hominem tenebat obnoxium ; insuper et occiditur ab eo innocens : sic crucifigitur peccatum.Devictum enim peccatum,mortificatum dicitur. Crux enim non Salvatoris mors est, sed peccati. Innocens enim qui occiditur, reos illos facit,a quibus occiditur. Et quantum est delere, subjicit, dicens :

Ee ipsum tulit de medio, affigens illud cruci : se offerendo morti pro peccatoribus, non solum peccata mortificavit in cruce,sed etiam immortalitatis præmia donavit per indebitam mortem.

Exspolians principatus et potestates, traduxit *confidenter palam triumphans illos in semetipso*. Alii codices habent : *Exuens se carne, principatus et potestates exemplavit fiducialiter, triumphans eos in semetipso :* non utique bonos, sed malos principatus, et malas potestates,diabolicas scilicet,et dæmoniacas exemplavit, id est exemplum de illis dedit, ut quemadmodum ipse se exuit carne,sic suos ostenderet exuendos carnalibus vitiis,per quæ eis dominabantur. Per hanc enim mortalitatem carnis sunt victæ invidiæ diabolicæ potestates,quæ dominabantur nobis, quia victæ a Salvatore exspoliantur animabus, quas tenebant (1243). Cum autoritate enim eas tenebant,quia peccaverant. Inventi sunt et ipsi amplius iniqui, dum illum,qui illos non peccando vicerat,occiderunt,et sic juste exspoliandi sunt, sicut dixit, publice, id est, in cruce, quod est, palam detriumphati sunt a Christo.Quas traduxisse dictus est, non occidendo, sed moriendo ; nec vim inferendo,sive sustinendo,ut nobis, confracta omni superbia, vincendi daret exemplum. Quia in se ipso caput nostrum,sicut jam dictum est,præbuit exemplum quod in toto ejus corpore, quod est Ecclesia ex diaboli potestate liberanda, in ultima resurrectione complebitur.

Nemo ergo vos judicet in cibo,aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum. Loquitur autem universe contra eos,qui credentes ex Judæis in Dominum Salvatorem Judaicas cæremonias observare cupiebant, super qua re et in actibus apostolorum non parva quæstio concitata est. Unde et sequitur : *Nemo vos judicet*, de his, qui magistros legis esse se jactant, *in cibo et potu*, quod alia munda sint,alia immunda,aut in parte diei festi,ut alios dies festos putent,alios non festos. Nobis enim, qui Christum credimus resurgentem, jugis,et æterna festivitas est. Aut in parte *neomeniæ*, hoc est, Kalendarum,et mensis novi,quando decrescens luna finitur, et noctis umbris tegitur.Christianorum lumen æternum est,et semper solis justitiæ radiis illustratur. Aut in parte *sabbatorum*, ut non faciant servile opus,et onera non portent : quia nos Christi sumus libertate donati,et onera peccatorum gestare desivimus.Hæc,inquit,omnia *umbra sunt futurorum*, et imágines venturæ felicitatis : ut in quibus Judæi

(1237) In Vulg. *vobis ;* divus Ambrosius habet ut in autog. *nobis*.

(1238) Sensus hic aliquanto obscurior. Sed quia emendatio ab auctoris mente aliena esse poterat, ideo fideliter lectioni inhærere, eamque lectoris judicio committere satius nobis visum est.

(1239) *Chyrographum* in cod.

(1240) *Principatus* legi deberet, juxta text. divi Pauli, et ejus expositores.

(1141) Græce χείρ.

(1242) γραφὴ.

(243) Hic textus in autog. ita jacet : *Per hanc enim mortalitatem carnis invidiæ diabolicæ potestatis dominabantur nobis,quia victi*,etc. Videat lector num bene emendavimus.

juxta litteram hæsitant, et teneniur in terra, nos juxta Spiritum transeamus ad Christum, qui ad distinctionem umbrarum nunc corpus appellatur, quomodo enim in corpore veritas est,et in corporis umbra mendacium ; sic in spirituli intelligentia mundus omnis,et cibus, et potus,et tota festivitas, et perpetuæ Kalendæ,et æterna requies exspectanda est. Turpe est, inquit. et nimis incongruum, et a generositate vestræ libertatis alienum, ut cum sitis corpus Christi, seducamini umbris, et convinci videamini, veluti peccantes, si hæc observare negligitis.

Quæ sunt umbra futurorum : corpus autem Christi, Sic data sunt per Moysen, ut umbra essent, vel figura futurorum,ut apparente veritate,figura cessaret. Sicut enim, absente imperatore,imago ejus habet auctoritatem, præsente non habet, ita et hæc ante adventum Domini tempore suo observanda fuerunt, præsente autem carent auctoritate.

Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ. Græci codices non habent, *nemo vos seducat*, sed, *nemo vos convincat* (1144). Et ubi nos habemus,*ambulans,frustra inflatus sensu carnis suæ*, illi habent, *inculcans* (1245). Quærimus quid dicere voluerit *in humilitate et religione angelorum*. Vere enim humilis sensus, et miseranda suspicio. Deum credere hircorum atque taurorum sanguine delectari, et in odore thymiamatis quem sæpe homines declinamus. *Corpus ergo Christi.Nemo vos convincat, volens in humilitate cordis*. Hoc si per verbum Græcum diceretur, etiam in Latina consuetudine populari sonaret usitatius. Sic enim et vulgo dicitur qui divitem affectat,thelodives (1246), et qui sapientem,thelosapiens,et cætera hujusmodi, ergo et hic, thelohumilis, id est, volens humilis, affectans humilitatem;quod intelligitur,volens videri humilis,affectans humilitatem. Hoc enim in talibus observationibus agit cor hominis,velut religioni humile reddatur.Addidit autem et culturam angelorum, vel sicut quidam codices habent, *religione angelorum*, quæ Græce theresheia (1247) dicitur : angelos volens intelligi Principatus, quos elementorum mundi bujus præpositos in his observationibus colendos esse arbitrantur. Nemo ergo vos,inquit,convincat,cum sitis corpus Christi,volens videri humilis corde in cultura angelorum,*quæ non vidit inculcans*.Aut enim sic dicere voluit,*quæ non vidit inculcans*, quia ista homines suspicionibus et opinionibus agunt, non quod viderint ita esse facienda,aut certe, *quæ vidi inculcans :* ideo magna existimans, quia vidit ea quibusdam locis observari ab hominibus,quorum auctoritati haberet fidem etiam ratione non reddita : et loco sibi magnus videtur, quia et contigit quorumdam sacrorum videre secreta. Sed planior sensus est, *quæ non vidit inculcans, frustra inflatus mente carnis suæ*.Mirabiliter enim dixit ibi inflatum mente carnis suæ,ubi thelohumilem supra dixerat. Fit enim miris modis in anima hominis,ut falsa humilitate magis inflетur, quam si apertius superbiret.Qua in re notandum est quod in disputatione sua prædicator egregius auperstitioni humilitatis speciem jungit; quia dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur; sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur.Et nisi mens plerumque ex abstinentiæ virtute tumesceret, nequaquam hanc velut inter magna merita pharisæus arrogans studiose enumeraret dicens : *Jejuno bis in Sabbato* (**Luc.** XVIII, 12).

Sequitur : *Et non tenens caput, ex quo totum corpus connexum est, et conjunctione subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei*. Quod superius sub nomine philosophiæ cavendum monuit, nunc apertius docet observandum ab his qui terrenæ sapientiæ studentes, hoc colenda asserunt,quæ obtutibus adjacent, vel apparent, ut horum cultoris detentæ animæ sub firmamento obligatæ teneantur,ne se supra firmamentum tendant ad superiores cœlos ad Deum omnium adorandum. Quod opera efficitur inimici,ut semper animas super terras humiliatas detineat,ubi se scit semper de cœlis dejectum futurum justo judicio Dei religionem similans, cum sit maximum sacrilegium. Inflantur enim motum pervidentes stellarum,quas angelos vocat,non auctoritate divina, sed superstitione humana, quæ ad nihilum proficit,nisi ad damnum,nolentes tenere fidem Christi,qui omnium Creator et Dominus est. Ex ipso enim omnes originem habent. Quia enim membris a capite usque ad pedes membra junguntur,quicunque ergo Christo non credens capiti omnium sanctorum, et est extra hoc corpus, et quantumvis se jactet, non vivit : sicut membra non habent vitam, nisi in capite.

Sequitur : *Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis ?* Id est, si baptizati estis cum Christo,et cum Christo in baptismate mortui ab elementis mundi,cur mecum nom dicitis : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ?* (**Gal.** VI, 14.) Omnis qui baptizatur in Christo, moritur mundo.Cunctis enim superstitionum erroribus abrenuntiat, ut solam colat fidem Christi ; amotis enim quæ naturali justitiæ accedunt,relinquitur disciplina *in humilitate animi,et superstitione angelorum ea quæ videt, extolleus se frustra, inflatus mente carnis suæ* etc.

(1244) Nec unum, nec alterum divus Chrysostomus in textu habet. Divus Ambrosius habet : *Nemo vos decipiat.*

(1245) Sed nec hic unum,vel alterum in textu divi Chrysostomi ; divus Ambrosius loco *ambulas* habet *extollens se*. Non abs re erit divi Ambrosii lectionem in medium afferre : *Nemo vos decipiat volens*

(1246) Scilicet a Græco Θέλων, volens, a verba θελω, volo.

(1247) Θρησκεία : ita divus Chrysostomus.

data a Deo, per quam vivitur Deo per spem, quæ est in Christo. Moritur autem his, quibus subjectus fuerat per errorem, dum negat illos, quos (1248) præsumpserat esse. Et ita fit, ut per inimicitiam abrenuntiationis invicem sibi mortui dicantur homo, et elementorum cultura. Mundum enim dicens, errorem carnis significat. Omne enim quod videtur, carni deputatur. Hinc est unde et Joannes apostolus, *Nolite*, inquit *diligere hunc mundum, neque ea quæ in hoc mundo sunt* (*I Joan.* II, 15), id est, neque elementa, quibus compactus mundus est, neque errores, quos humana adinvenit traditio, diligamus, sed solum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut corpori suo nos sociaret ex perditis. Qui ergo consepulti sunt Christo, mortui sunt elementis, ut nihil curent ex his. Superna enim didicerunt tenenda, quæ possunt vitam dare pristinam (1249). Hæc enim, nec præsentem dant, et impediunt ne apprehendatur futura. Qui autem post baptismum ambiget de aliquibus, putans quædam e veteribus veneranda, vivere se ostendit elementis, quæ decernit colenda, aut dubitat contemnenda ; ita remanebit intra circulos mundi, alienus a Deo, quia veteri indutus homine carnalia transire non poterit. His dictis inserit verba eorum, qui dicernunt de hoc mundo per has observationes quasi rationabiles, effecti vanitate humilitatis inflati, et econtrario quasi viventes in mundo decernunt, dicentes : *Ne tetigeritis, neque gustaveritis*, id est, ne tetigeritis corpus hominis mortui, nec vestimentum, et scabellum, in quo sederit mulier menstruata, neque gustaveritis suillam carnem, et leporem, murenam, et anguillam, et sepiam (1250), et universos pisces, qui squamas, et pinnulas non habent (*Lev.* II ; *Deut.* XIV).

Quæ sunt omnia in interitu ipso usu, id est, hæc omnia in corruptione in interitu sunt, et sumendi usu in stercore digeruntur. *Secundum præcepta et doctrinas hominum.* Secundum præcepta, et doctrinas hominum videlicet, de quibus Dominus phæricæos corripit, dicens : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* (*Matth.* XV, 6 ; *Marc.* VII, 9).

Quæ sunt quidem rationem habentia sapientiæ. Cur dicit rationem habere sapientiæ Apostolus, quæ reprehendit ? Dicamus tamen quod in ipsius Apostoli dictis possumus advertere sæpe sapientiam positam etiam in rebus mundi hujus, quam dicit expressius sapientiam hujus mundi (*I Cor.* III, 19). Nec moveat quod hic non addidit, *mundi :* non enim et alio loco, cum ait : *Ubi sapiens, ubi scriba ?* (*I Cor.* I, 20.) Addidit, hujus mundi, ut diceret : Ubi sapiens hujus mundi ? Et tamen hoc intelligitur. Sic est ista ratio sapientiæ. Nihil enim ab eis dicitur in hujusmodi superstitiosis observationibus, ubi (1251) in mundi hujus elementa, naturamque rerum ratio quædam sapientiæ reddi videatur. Unde etiam dicit : *Cavete ne quis vos decipiat per philosophiam* (*supra*, 8) : et tamen non ait, *hujus mundi*. Et quid est philosophia Latine, nisi *studium sapientiæ*. Sunt ergo, inquit, ista *rationem quidem habentia sapientiæ*, id est, de quibus aliqua reddatur secundum elementa hujus mundi, et principatus ac potestates ; *in observatione et in humilitate cordis*. Id enim agunt istæ superstitiones, ut vitio cor humilietur. Videntur igitur observationes. Judaicæ apud imperitos, et vilem plebeculam imaginem habere rationis humanæque sapientiæ, eo quod humilia sentiunt.

Sequitur : *Non ad parcendum corpori*, dum fraudantur istis escis, quibus compelluntur abstinere. Non enim parcunt Judæi corporibus suis in assumptione ciborum, contemnentes interdum quæ habent, et quærentes quæ non habent, ex qua necessitate debilitates interdum, et morbos contrahunt, nec honorant semetipsos, cum omnia munda sint mundis (*Rom.* XIV, 20 ; *Tit.* I, 15), nihilque possit esse pollutum, quod cum gratiarum actione percipitur, et idcirco a Domino sit creatum, ut saturitate et adimpletione carnis humanos artus vegetet atque sustentet. Elementa autem mundi a quibus, imo quibus mortui sumus, Lex Moysi, et omne vetus instrumentum intelligendum est, quibus quasi elementis et religionis exordiis Deum discimus, et ab elementis litteræ, quæ destruitur, transire faciunt ad spiritum vivificantem. Qui ergo mundo, et elementis ejus mortui sumus, non debemus ea observare, quæ mundi sunt, quia in altero initium, in altero perfectio est.

Sequitur : *Non in honore aliquo ad saturitatem carnis*. Non quod honoratius illo magis, quam illo cibo caro satietur, cum ad ejus necessitatem non pertineat, nisi quolibet valetudini apto alimento refici atque fulciri.

(CAP. III.) *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Et ideo nihil terrenum ambiatis, nihil transitorium, vel mortale quæratis, sed cœlestem sectamini sapientiam, non terrenam. Resurrectio tamen duas habet formas, ut primo animo de terris resurgat ad cœlos, deinde recepto corpore resurgat raptus obviam Christo (*I Thess.* IV, 16).

Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Vita vestra, id est beatitudo vestra, *abscondita est*, non ut non videatur, sed ut conservetur, sicut scriptum est : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal.* CXXVI, 4). Hic enim labor exigitur, sed in futuro præmium reservatur. Pro eo quod sequitur :

(1248) Maurini in editione operum divi Ambrosii post verbum *quos* addiderunt *deos* ex pluribus, ut aiunt, codicibus ; in nostro autem textu, quamquam expositio hujus versiculi exinde desumpta sit, verbum *deos* non legitur.

(1249) *Perpetuam* habet textus divi Ambrosii, a quo desumpta hæc expositio.

(1250) In cod. *sipiam.*

(1251) Loco *ubi* legeretur fortasse melius *quamvis*

Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria. Vita nostra Christus est, quia videlicet ipse est verus Deus, et vita æterna, sine cujus gratia quisquis se vivere credit, vivens mortuus est. Et ideo omnes fideles non debent modo hic quærere gloriam suam,eo quod illi Dei sint, et tamen nondum apparet quid esse debent. Quid est enim dicere, *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria*, nisi quod et Joannes evangelista ejus coapostolus in sua epistola fidelibus scripsil, dicens: *Charissimi,'nunc filii Dei sumus, et nondum apparet quid erimus; scimus enim quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est?* (*I Joan.* III, 2.)

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. Quoniam omnia simul peccata corpus esse in epistola ad Romanos significat (*Rom.* VI, 6). Idcirco singula delicta describens, membra ea appellat, ut post acceptam,ac servatam Evangelicam de Salvatoris plenitudiue rationem, bonæ vitam operam darent, abstinentes se ab omni turpitudine,et desiderio malo, quo possint peritiæ divinæ fructum non amittere. Per tropum loquitur, per efficientem id quod efficitur,quia non statum cordoris jubet interimi, nec membra destrui, quæ sunt organa animæ ad agendum opus bonum,membrorum enim malum usum, sicut solet,nominat membra.Nam de corpore nostro idem Apostolus alio loco dicit: *Nemo enim unquam odio habuit carnem suam,sed nutrit, et fovet eam* (*Ephes.* v, 29). Ad cujus ergo formam proximos diligere jubemur, si nobismetipsis iniqui exstiterimus? Quid enim mortificare jubeat Apostolus,consequenter abjungit, dicens:

Fornicationem, immunditiam, libidinem. Hæc sunt. quæ Apostolus mortificari jubet, non statum corporis, qui si bene regatur, si adjutorium nobis est. Vitiorum quippe consuetudo, vel appetitus est reprimendus, non corpus necandum. Omnis enim incontinentia, immunditia dici potest atque libido.

Et concupiscentiam malam. Non enim diceret Apostolus, *et concupiscentiam malam*, nisi esset et bona, sicut ipse de se testatur, dicens: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Ubi enim in malo est, vitium est; ubi vero in bono, non est vitium, sed affectio.

Sequitur: *Et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.* Recte avaritia idolis comparatur, quia dum metallis auri et argenti, de quibus fiunt simulacra, homines immoderate serviunt,aurum pro Deo venerantur. Avaritiam tamen idololatriæ comparavit,ut nihil illa scelestius demonstraret. Sub uno nomine duo pessima et impia genera designavit, quæ omni ratione monet fugienda. Primum enim et pergrave crimen idololatria est. Quid enim tam perniciosum, tamque funestum, quam ad injuriam creatoris Dei, lignis,et lapidibus, vel aliis metallis honorificentiæ ejus nomen tribuere, cum ipsi non patiantur, ut servus nomine Domini nuncupetur, quem non natura utique,sed quædam conditio subjicit servituti? Aliud contra crimen est avaritiæ, non dispar malitia, sed diversum in nomine. Unde ad Timotheum I, VI, 10 ait; *Radix enim omnium malorum est avaritia* (1252). Omnium enim capax est delictorum, ut aviditatis suæ, quod impossibile est, impleat desiderium, semper bibens et semper sitiens. Non immerito ergo sub uno nomine utrumque malum ostendit. Pene enim uno explentur opere,quia sicut idololatria uni Deo auferre nititur gloriam, ne quod ejus peculiare est, solus audiat nomen deitatis sibi soli condignum; ita et avaritia in Dei se res extendit, ut si potest fieri, unus solus creaturam ejus sibi usurpet, quam Deus omnibus fecit. Unde dicit Deus per prophetam: *Meum est aurum et meum est argentum* (*Agg.* II 9). Utraque igitur Deo est inimica; ambæ enim Deo abnegant quæ ejus sunt.

Propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ. Sive, ut alii codices habent, *super filios incredulitatis* (1253). Filios incredulitatis appellat Sodomitas et eos, qui in diluvio perierunt, sive eos qui Dei verbo increduli fuerunt in deserto. Malorum memoratorum causa venturum dicit judicium Dei, ut vindicetur in hos, qui contempto Deo et lege ejus, interdicta sequi malueruat. Et est sensus vel ordo verborum. Ex præteritis futura timenda sunt, quia quorum imitatores fueritis, eorum recte et filii vocabimini.

Sequitur: *In quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis* Cum autem dixit: *cum viveretis in illis*. ostendit illos diu male vixisse, et quasi dicat: Nolite nunc Jam ita vivere, ne frustra videamini credidisse.Quantum illis beneficium præstiterit gratia Dei per Jesum Christum, non tacet, ut gratulentur evasisse se iram, quæ ventura est repente super infideles totius terræ, et tales semetipsos præbeant, ut parere possint præceptis ejus, a quo a morte secunda sunt liberati.

Nunc autem deponite et vos omnem iram, indignationem, malitim, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nunc ab his prohibet quæ minora peccata videntur, ne forte quia superius quæ graviora sunt, mortificanda mandavit: hæc admittenda, aut quasi non periculosa non fugienda putarentur. Hæc indisciplinatio nec filiis hominum bene edoctis convenit: quanto magis filiis Dei?

Nolite mentiri invicem. Non enim oportet mentiri filios veritatis, cum omne mendacium de diabolo sit, qui homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit,

Sequitur: *Exspoliantes vos veterem hominem cum*

(1252) Ita et divus Ambrosius: Vulg. vero *cupiditas*.

(1253) Ita divus Chrysot. Scilicet ἀπείθεια, quæ in versione *incredulitas reddita est;* facile scilicet fuit unum pro altero Græce scribere, cum diffidentia ἀπιστία Græce scribatur.

actibus suis, et induite (1254) *novum, eum, qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Tam verbo quam actu, ad Ephesios quoque apertius hanc imaginem nominavit, scilicet aliis verbis idipsum præcipiens : *Exspoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum, qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum* (*Col.* III, 9, 10). Quod ergo ibi legitur, *induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est*, hoc isto loco, *induite novum hominem, qui renovatursecundum imaginem ejus, qui creavit eum.*Ibi autem ait, *scundum Deum*; hic vero, *secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Pro eo vero, quod ibi posuit, *in justitia et sanctitate veritatis;* hoc posuit hic *in agnitione Dei.* Fit ergo ista renovatio, reformatioque mentis, secundum Deum vel secundum imaginem Dei. Sed ideo dicitur *secundum Deum*, ne secundam aliam creaturam fieri putetur; ideo *secundum imaginem Dei*, ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio, ubi est imago Dei, id est, in mente. Quemadmodum dicimus secundum corpus, mortuum,non secundum spiritum, qui de corpore fidelis et justus abscedit. Quid enim dicimus secundum corpus,mortuum, nisi corpore, vel in corpore, non anima, vel in anima mortuum? Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversationis, sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio, remissione omnium peccatorum. Si ergo spiritum mentis nostræ renovamus, et ipse est novus homo, qui renovatur in agnitione Dei,secundum imaginem ejus, qui creavit eum, nulli dubium est, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animæ partem,sed secundum rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus, qui creavit eum.Secundum hanc autem renovationem efficimur etiam Filii Dei per baptismum Christi, et induentes novum hominem, Christum utique induimus per fidem. Quis est ergo, qui ab hoc consortio feminas alienas, cum sint nobiscum gratia cohæredes, et alio loco idem Apostolus dicat : *Omnes enim Filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, non est servus neque liber : non est maculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu?* (*Gal.* III, 26, 27.) Nunquidnam igitur fideles feminæ sexum corporis amiserunt? Sed quia ibi renovatur ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, hoc est, in spiritu mentis suæ.

Ubi non est gentilis, et Judæus, circumcisio, et præputium, Barbarus, et Scytha, servus, et liber, sed omnia, et in omnibus Christus. Ac si patenter dicat : Apud Deum non præjudicat sexus, vel conditio, aut genus, vel provincia, sed sola conversatio cum fide recta requiritur. Scythia est provincia remota sub septentrione frigoribus rigens, moribus barbara. Hæc ex causa Scythas fertur esse vocatos.

Sequitur : *Induite ergo vos sicut electi Dei* (1255), *viscera misericordiæ. benignitatem, humilitatem,modestiam,patientiam.*Ista enim habere, atque implere, est deponere veterem hominem cum actibus suis, et induere novum, eum, qui renovatur in agnitione, secundum imaginem ejus, qui creavit eum. Ad hæc eos facienda hortatur, quæ meritum collocant apud Deum. A peccatis autem abstinere timor facit: veretur enim ne mala faciens pœnis subdatur. Hæc autem,quæ nunc facienda monet,ad profectum pertinent meritorum : ex voluntate enim fiunt, non ex necessitate.Qui ergo ab illicitis se abstinet,habet laudem; qui vero a licitis temperat, et laudem habet, et præmium.

Supportantes invicem, exemplo Christi, qui infirmitates nostras portavit, tam spiritales quam etiam corporales. *Et donantes vobismetipsis*, id est, indulgentes, et dimittentes alterutrum, sicut et Christus omnibus indulsit, etiam et persecutoribus suis.

Si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis. Ac si dicat : Si ille indulget, qui potest vindicare, et parcit, in quo non potest inveniri peccatum; quanto magis vos, qui non potestis vivere sine peccato, quorum vindicta aut parva aut nulla est? Nolite ergo exigere parva a conservis, ne vobis indulta multa peccati debita requirantur.

Super omnia autem hæc charitatem habentes. Quia enim omnium major est charitas, huic magis studendum hortatur.Tunc enim omnia,quæ supra servanda mandavit, ad effectum præmiorum poterunt deduci, si duce charitate iter ambulent legis. Tota enim mente operatur,qui de amore aliquid facit.Hypocrisis et simulatio non est in charitate,sicut Joannes ait : *Timor*, inquit, *non est in charitate* (*I Joan* IV, 18) : qui enim timet perfectus non est; perfecta enim dilectio foras mittit timorem.Unde et Dominus amari se maluit, quam timeri. Hæc est enim, quæ complectitur unitatem; hæc quæ omnes unum corpus facit; hæc est, quæ veram habet pacem, quam corde puro custodit. Potest enim pax dici, et non habere charitatem. Charitas enim semper secum habet pacem.

Quod est vinculum perfectionis. Perfectionis enim vinculum charitas dicitur; quia omne bonum,quod agitur, nimirum per illam,ne pereat.ligatur : a tentatore namque citius, et quodlibet opus evellitur,si solutum a vinculo charitatis invenitur. Si autem mens, Dei ac proximi dilectione constringitur, cum tentationum motus quælibet ei injusta suggesserint obicem se illis ipsa dilectio opponit, et persuasionis, undas virtutum ostiis, ac vecte intimi amoris frangit.

Et pax Christi exsultet in cordibus vestris. Pax Christi talis est,qualem ille habuit cum seipso, qui

(1254) Codex noster cum Ambrosiastro *induite;* Vulg. cum Hieronymo, seu Pelagio *induentes.*

(1255) *Sancti, et dilecti* insuper habent aliæ lectiones.

nullum habuit in seipso peccatum, quam qui in seipso habuerit, quanto profectius habuerit, tanto amplius in mundo pressuram sustinebit, sicut ipse Dominus discipulis suis testatus est, dicens : *Hæc locutus sum vobis,ut in me pacem habeatis* (*Joan.* XVI, 33). In mundo autem pressuram habebitis. Pax enim Christi bellum est mundi.

In qua et vocati estis in uno corpore ; et gratia(1256) *estote*, hoc est,nolite esse veteris legis æmulatores, quæ vicem reddit injuriæ,sed æmulatores estote gratiæ Evangelii,quæ non solum ignoscit inimicis,sed etiam, ut eis dimittatur, pro illis exorat.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia. Verbum Christi evangelica sunt mandata, quæ non solum sufficienter, sed et abundanter habere debent non solum sacerdotes, sed etiam fideles laici. Et invicem semetipsos debent monere et docere : pro eo quod sequitur :

Docentes, et commonentes vosmetipsos psalmis hymnis et canticis spiritalibus. Hæc meditanda monet semper,quæ sonent Christum. Hæc in corde habenda, quæ Deo Patri semper gratias referant, ut vox canora illi serviat,illum laudet psalmus,hymnus extollat. Et huic soli notum sit, qui occulta pervidet mentis,a quo speratur et præmium : *psalmis* Davidicis,*canticis* Moysi, et omnium prophetarum ; *hymnis*, sicut fuerunt melodiæ in camino triuin puerorum.Ideo ista dicimus,ut ædificatio Ecclesiæ sapienter a vobis, et rationabiliter proferatur. De psalmis autem, hymnis et canticis, quid inter se distant (*Ephes.* v,19), in præcedente jam epistola ad Ephe, sios disputatum est.

Sequitur : *In gratia cantantes in cordibus vestris Deo*, id est, non solum ore, sed etiam corde canite, ut cor cum voce concordet, ut intelligere valeatis quod canitis. In cordibus enim cantari mandavit, ne favore hominum fieret, et structum amitteret.

Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi. Sive enim docetis, sive aliquid boni operamini, nihil ad vestram gloriam, sed ad Domini faciatis. Quod supra in corde Deum laudari,et illi gratias referri præcepit,nunc tam in verbo,quam in opere totius conversationis nostræ nomen Domini Jesu laudari, et exaltari hortatur : ut cum verba nostra carent reprehensione, et opera nostra,bona sunt, magnificetur Dominus Jesus,cujus magisterio invituperabiles sunt discipuli.Tunc enim veras gratias agimus Deo, si per ipsum modum præceptorum ejus custodiamus.

Gratias agentes Deo et Patri per ipsum, id est, gratias Deo referentes, qui Filium suum ad hæc inspiranda,et docenda destinare dignatus est.*Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet,in Domino.* Ita præcidit mulieres subditas debere esse viris,sicut mandavit Deus inter cætera dicens ad mulierem : *Et ad virum tuum conversatio tua, et ipse tui dominabitur* (*Gen.* III, 16) ; ut ipso ritu et disciplina timeat virum suum quasi dominum,ex quo cœpit esse.Timebat enim,ne cessante in plerisque carnis officio,aut in mulieribus subjectio, aut in viris cessaret charitatis affectus.Qualem enim habet principatum Christus in Ecclesia, ad hanc formam vir, et uxor constringitur. Post hæc transit ad viros, ut pari modo præciperet viris quid agendum sit cum uxoribus. Sequitur enim, et dicit : *Viri, diligite uxores vestras* (1257). Ecce discipulus uxorem diligendam prædicat, cum magister dicat : *Qui uxorem non odit, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26). Nunquid aliud judex nuntiat, aliud præco clamat? An simul et odisse possumus,et diligere? Sed si vim præcepti perpendimus,utrumque agere per discretionem valemus, ut eos, qui nobis carnis cognatione juncti sunt, et quos proximos novimus,diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur,odiendo,et fugiendo nesciamus.Quasi enim per odium diligitur,qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur. Ut autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de affectione procedere,sed de charitate, addit protinus dicens : *Adhuc autem et animam suam.* Odisse itaque præcipitur proximos, odisse et animam nostram : constat ergo quia amando debet odisse proximum,qui sic eum odit,sicut semetipsum.Tunc etenim bene nostram animam odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus,cum ejus appetitus frangimus, et voluptatibus reluctamur.Quæ ergo contempta ad melius ducitur,quasi per odium amatur.Sic nimirum exhibere proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis, et diligamus quod sunt,et habeamus odio quod in Dei nobis itinere obsistunt.Absit ut fidelis homo cum audit ab Apostolo: *Diligite uxores vestras*,concupiscentiam carnis diligat in uxore, quam nec in seipso debet diligere, audiens alterum Apostolum dicentem : *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quoniam si quis dilexit hunc mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II, 15).

Et nolite amari esse ad illas. Nunquam rem naturalem hortaretur novæ vitæ prædicator, nisi continentes esse cœpissent,quod ipsa natura poscebat; sicut ad Ephesios jam plenius adnotatum a nobis est.

Filii, obedite parentibus vestris per omnia : hoc enim placitum est in Domino. Præparat eos disciplinæ, pro eo quod illos a parentibus secundum Deum præcipit erudiri, ut mutuam vicem dilectionis exhibeant. Tunc enim possunt filii Deum habere propitium,si debitam honorificentiam rependant parentibus circa obsequium illorum.

Patres, nolite ad indignationem provocare filios

(1256) Variæ hic lectiones. Græca enim div. Chrysost. scilicet, illaque div. Ambros., nec non Vulg., neque prætermittenda illa divi Hieronymi,seu Pelagii, habent *grati estote*.In expositione autem novissime citata divus Hieron. sic habetur : In nonnullis exemplaribus habet, *gratia estote*.Ab his igitur textum desumpsit Atto noster, qui legit *gratia* compendiose scil. *grā estote.* Cui lectioni et expositio respondet.

(1257) En a divo Gregorio homil. 37, in Evangelia desumptam explanationem.

vestros.Sicut igitur in filiis obsequium,et subjectionis merces est demonstrata ; ita in parentibus moderatum jubetur imperium,ut non quasi servis,sed quasi filiis præesse se noverint. Nec hoc præcepti fine contentus est ; sed adjungit : Modestos enim prcipit parentes debere esse filiis, ne coarctati ab eis delinquant in illos, et Deum offendant ; quod nolunt : ira enim inconsiderata res est, intantum ut aliquando nec sibi parcat qui irascitur. Debent enim recordari patres quia fuerunt et ipsi filii ; considerare autem filii.quia futuri sunt patres,ut æquilibrato consilio utriusque partis,et filii subjecti sint et patres modesti.

Ut non pusillo animo fiant, id est, ne exasperati fiant iracundi, sed vestro semper exemplo discant esse patientes. *Servi,obedite per omnia dominis carnalibus*. Prævidit sane hic Apostolus, ne doctrina Salvatoris nostri in aliquo blasphemaretur, si credentes servi inutiles suis dominis exstitissent ; et qui forte permissurus erat etiam alios servos suos fieri Christianos,de ipsis jam factis inciperet pœnitere. Si vero videret eos in melius profecisse. et ex infidelibus fideles effectos, non solum alios suos optaret credere famulos, sed etiam ipse per fidem similiter salvaretur.

Non ad oculum servientes,quasi hominibus placentes. Non ad oculum servientes, ut hi faciunt, qui hominibus placere desiderant : sed ut necessitatem vertatis in voluntatem,et ex humana servitute mercedem apud Dominum acquiratis; maxime cum dominus carnis a Creatore,et Domino diversa non imperet. Quoniam Deo aliter serviri non potest,quam puro corde ; occulta enim pervidet animorum :sic et hominibus debere servire præcepit. Qui enim ad oculum servit,in occulto aliud facit ; qui snim animo, talis est foris, qualis et intus. Si ergo in hoc obsequio fuerit fidelis, promerebitur Dominum.Idcirco in domini carnalis causa justum vult esse servum et obsequentem, ut possit et in Dei rebus et fidelis esse et obsequens.Si enim in præsenti ideoneus fuerit,ubi scit nulla esse nisi corruptibilia præmia,quanto magis propensior erit in Dei devotione quem scit fidelibus immortalia daturum præmia ?

Sed in simplicitate cordis,timentes Dominum : qui ubique semper videt,et odit omnem simulationem; humanus enim oculus falli potest. Et ideo vos sic agite,ut necessitatem conditionis voluntatem faciatis religionis ut per vestra bona opera Domino gratiæ referantur, cum vos viderunt ex Christianitatis tempore omnes in melius profecisse.

Quodcunque facitis ex animo operamini ; cum omni humilitate,deposita priore superbia et simulatione.

Sicut Domino, et non hominibus. Domino et non hominibus exhibemus quidquid in ejus amore hominibus exhibemus. *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis*, apud quem *non est personarum acceptio*.Ut promptos illos in obsequio, et fide faciat, mercedem illos bonorum operum accepturos promittit a Deo in regno Christi. Quod,ut probatum sit et acceptum,sic illos vult obsequi,sicut Domino, a quo mercedem exspectant. At si inique egerit, non solum hominem offendit, sed et Deum,quem in admissa frauds carnalis domini contempsit.Si autem bene egerit,non erit apud Deum servus hominis quasi despectior,sed remunerabitur quasi liber inter homines, servus autem Christi, quod dignitatis est nomen.

Domino Christo servite.Domino enim Christo servit quicunque propter illius amorem fideliter homini servit. *Qui eum injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit; et non est personarum acceptio apud Deum* Sive enim servus, qui dominum contempserit, sive dominus qui servum inique tractaverit, sciat apud Deum inultam non esse hujuscemodi injuriam.

(Cap. IV.) *Domini, quod justum, est, et æquum servis præstate*, id est,patres vos debent magis sentire. quam domines ; quia idcirco antiqua consuetudo est, ut boni domini patres familias appellentur.

Scieentes quoniam et vos Dominum habetis in cælo: apud quem usque adeo unum estis, ut æqualiter empti sitis,et una utrisque sit hæreditas repromissa; et ideo qualem erga vos Dominum esse vultis, tales estote circa conservos vestros, potiusquam servos. Ne domini temporales superbia extollantur,præsumentes de dominatu, mitigat et cohibet animos illorum,ut adhibita consideratione humani generis animadvertant auctorem Deum non servos et liberos,sed omnes ingenuos condidisse.Sed hoc mundi iniquitate factum,ut dum alter alterius fines invadit tunc captivos ducit ingenuos ; unde et manucapti dicti sunt a veteribus, inde mancipia. Hic casus et conditio etiam nunc apparet. Alii redimuntur, alii remanent servi. Apud Deum autem hic servus habetur,qui peccaverit.Denique peccati causa Cham servus audivit. Cui sententiæ veteres assensere, ita ut definiredt omnes prudentes esse liberos;stultos autem omnes esse servos ; quia prudens abstinet a peccatis, ut his ingenuus sit, qui recta sequitur ; servus autem,qui per stultitiæ imprudentiam subjicit se peccato. Unde et Cham propter stultitiam, quia risit nuditatem patris stulte *Gen.* IX.22) servus est appellatus. Ostendit ergo dominis,quia non vere sunt domini,sed quasi per imaginem : corporum enim, non animorum sunt domini.Solus enim Dominus,et auctor rerum invisibilis Deus,tam corporibus quam animis dominatur, ut hæc considerantes, justa ab eis exigant servitia ; talia utique, qualia et a se exigi volunt a Domino communi.Nam cum ipsi non ut dignum est, Deo serviant, quem non negant omnium potestatem habere, ejusque quotidiana dona, ministeria creaturæ humanæ usibus exhiberi ; a paribus suis, non dicam fratribus tam gravia exigunt servitia ut ferri non possint, non ponentes in animo, quia et ipsi, velint nolint, servi sunt, et viderint cujus meriti.

Orationi insiate, vigilantes in ea. Ideo dicit, vigilantes in ea, quia torpens, et negligens petitio nec ab homine aliquid potest impetrare ; quanto magis

apud Deum jam credentibus (1258) mysterium Domini Christi in evitandis vitiis peccatorum orationi instandum ostendit, ut meritis crescant, deficientibus tentationibus adversarii. Quos intantum dignos habet, ut judicet eos etiam se posse precibus ajuvare asserendum audacter Evangelium, ad quod manifestandum legationem acceperat.

In gratiarum actione id est, pro omnibus, quæ vobis sunt concessa, vel etiam in adversis, quæ ipso dispensante eveniunt. *Orantes simul et pro nobis, ut Dominus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis, ut credat ex initio fidei facto, et ea, quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur et disputantur, admittat, ne per infidelitatem ea, quæ dicuntur, improbet ac repellat ? Quid est enim dicere, *orantes simul et pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium verbi* nisi apertissima demonstratio etiam ipsum initium fidei esse donum Dei ? Non enim orando peteretur ab eo nisi ab ipso tribui crederetur. Hoc donum cœlestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui sicut Scriptura dicit in Actibus apostolorum, Deus aperuerat sensum, et intendebat in ea (*Act.* xvi, 14), quæ a Paulo dicebantur ; sic enim vocabatar, ut crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adjuvando, vel judicando, vel inspirando, ut etiam per eos impleatur quod manus ejus et concilium prædestinavit fieri (1259).

Propter quod etiam vinctus sum (*ut manifestem illud ita ut oportet me loqui*). Id est, ut ipse det quid, cui, et quando rationabiliter debeam prædicare ; quia in nobis ad aurem, prædicantibus, ille in corde intus operatur.

In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes, Quoniam necesse est ambulare nos inter fideles (1260), et colloquia miscere causa conversationis mundanæ, hoc est, quod commonet, ut cum sapientia sit ipsa conversatio propter scandalum gentilium, ne occasionem per nos accipiant blasphemandi, et incitentur ad persequendum. Quid enim opus est loqui cum eo, quem sciant intractabilem. et obstinatæ mentis, paratum ad contumeliam faciendam ? Ideo hæc monet, ut opportuno et loco, et tempore, magistra modestia, religionis verba promantur ; aut si persona talis in medio est, quæ perstrepat, reticendum. Aliter enim cum potentibus mundi, aliter cum mediocribus, et aliter cum humilibus agendum est. Aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iracundis quibus cedere (1261) oportet. Hoc est redimere tempus. Cum enim insidianti Dominicis verbis, et furenti temporis audaciæ cedis. injurias infesti temporis lucrifacis. Nam si caput id est, rex assentit, corpori est libertas loquendi verba Dei cum mansuetudine, ut provocentur ad bonum. Perstrepentibus tamen, et animosis ad convitia semper cedendum. Vincis enim cum cedis.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus ; id est, sapientiæ rationem in vobis semper habete, ne religio nostra a philosophis, et gentibus stultitia æstimetur. *Ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Hoc est, quod et beatus Petrus apostolus in epistola sua fidelibus scripsit, dicens : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe* (*I Petr.* iii, 15), sed tamen aliter paganis, aliter Judæis, aliter hæreticis, atque aliter philosophis, vel cæteris infidelibus est respondendum.

Quæ circa me sunt, omnia vobis nota facit Tychicus charissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino ; frater, in lege ; *fidelis minister*, sacri Evangelii ; *conservus*, in labore.

Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui est ex vobis, et omnia, quæ hic aguntur, nota faciet vobis. Hinc colligere possumus, quod has quatuor epistolas scripserit Roma de carcere, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colsssenses et ad Philemonem. Ad Ephesios, pro eo quod ait : *Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam : omnia nota vobis faciet Tychicus, charissimus frater, et fidelis minister in Domino : quem misi ad vos in hoc ipsum ut cognoscatis quæ circa nos sunt et consoletur corda vestra* (*Ephes.* vi, 21, 22). Tychicus autem iste, qui ad Ephesios missus est, et ad Colossenses cum Onesimo mittitur. Eo tempore Onesimum habuit comitem quando Onesimus ad Philemonem pro se familiares litteras perferebat (*Philem.* 10). Ad Philippenses autem, pro eo quod ait : *Salutant vos omnes sancti maxime autem qui de Cæsaris domo sunt* (*Phillipp.* iv, 22). Illud autem proprie habet in hac Epistola ad Colossenses, quod Onesimus, qui Philemoni suo domino per epistolam commendatur (*Philem.* 10), perlator quoque hujus Epistolæ fuit pro eo quod in consequentibus ait : *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, et fidelis minister et conservus in Domino : quem misi ad vos ad hoc, ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo, et fideli fratre, qui est ex vobis.* Si autem Philemon, ad quem illa Epistola scripta est, Onesimi dominus fuit, imo frater esse cœpit ex domino (*Philem.* 16), et ad Colossenses dicitur quod Onesimus ex eis sit : ratio nos ipsa, et ordo instruit, quod et Philemon Colossensis fuerit ; et eo tempore communem ad omnem Ecclesiam Onesimus Epistolam tulerit, quando privatas, et sui commendatrices ad dominum litteras sumpserat (1262). Est et aliud indicium, quod in hac Epistola et Archippus nominatur, cui hic cum Phile-

(1258) In autog. *prudentibus.*

(1259) Valde notanda sententia de prædestinatione, et gratia, jungenda his, quæ sæpssime in Epistolæ ad Rom. expositione leguntur.

(1260) *Fideles* habemus in cod., quod divo Ambrosio duce emendandum censuimus.

(1261) In aut. *cedi.*

(162) Pulcherrimum argumentum, quo hæc, et

mone scribitur : *Dicite*, inquit, *Archippo : Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas* (*Philem.* II, 17).

Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, id est, qui mecum tenetur in vinculis,et compatitur mihi charitatis affectu. Iste Aristarchus bonæ conversationis ac meriti videtur, qui devotione Dominica particeps,et socius laborum Apostoli designatur.*Et Marcus consobrinus Barnabæ* (*Act.* XV, 36). Marcum autem, ut commendet quid sit, non tacet, ut cum laudabilis viri Barnabæ affinis addiscitur, honorabilis habeatur,quem putamus fuisse Evangelii scriptorem (1263). Sobrini dicuntur, quasi sororini, id est, qui de singulis sororibus nascuntur.

Si venerit ad vos, excipite illum. Idcirco præcipit Colossensibus, ut benigne susciperent Marcum, et non eum repudiarent, pro eo quod eum noverant ab eo per inobedientiam discessisse.

*Et Jesus, qui dicitur justus, qui sunt ex circumcisione.*Ac si dicat : Hi soli modo mecum sunt : sive hi soli ex circumcisione mei sunt adjutores in Novo Testamento, per quod pervenitur ad Dei regnum. Jesum istum,quem justum nomine vocari,appellat, quibus solis testimonium perhibet, quia hi ex circumcisione adjutorio fuerunt ei, assentientes, et participes sententiæ ejus,ut jam circumcidi ulterius non debere prædicarent. Ideo participes illos dicit suos in regno Dei. Circumcidundum autem esse,et Sabbata, et neomenias servandas prædicare, non spiritale est, sed terrenum (1264).Id quod superius dicebamus,quoniam ad Colossenses Epistola eodem tempore,et per eumdem esset scripta bajulum litterarum, quando ad Philemonem quoque scripta est, etiam eorum,qui salutantur,nomina docent.Pro eo quid ita scribitur : *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ et Epaphras, qui est ex vobis,servus Christi ;* et paulo inferius : *Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas ;* et : *Dicite Archippo : Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas ;* et : *Memores estote vinculorum meorum.* Si autem ex eo aliquis non putat pariter scriptas,quod adColossenses pauca sint nomina,quæ Philemoni non ferantur ascripta, sciat non omnes omnibus at amicos esse,aut notos; ad Philemonem Epistola una tempore,et a vinculis Romæ scripta probantur.

(1263) Hic de illo Marco sermo est, qui et Joannes Marcus, Act. XII, 12, cognominatus est filius vero fidelis cujusdam mulieris,Mariæ nomine, in cujus domum fideles,apostolique convenire solebant,divi Barnabæ discipulus,et consobrimus fuit, Act.xv,37. Hic sanctis Paulo et Barnabæ adhæsit, cum Antiochiam redirent, Act. XII, 25, eosque etiam Pergen Pamphiliæ comitatus est. Hunc,cum Paulus et Barnabas invisendarum Ecclesiarum causa in Asiam regredi instituissent,itineris comitem, repugnante Paulo, assumere, volente Barnaba, Paulus solus in Asiam se contulit,a Barnaba,et Joanne isto Marcoqui ad Cyprium insulam se contulere, se dividens. Hic insuper opem Paulo in carcere detento plurimam contulit. In Asia Timotheo laboranti adhæsit (*II Tim.*, IV, 11). Hujus diem festum Latina, Græcaque Ecclesia agit 27 Septembris. Bibli in Phænicia,episcopus fuisse dicitur,et a Græcis apostolus appellatur. Ubi vel qua morte obierit, valde incertum ; fortasse Ephesi,ubi celeberrimum sepulcrum ejus colebatur. Vide Euseb. l. III, cap. 39. et l. VII, cap. 25 ; Chrysost. orat. 67, p. 504. 6.

Hinc parum fundata videtur opinio non auctoris nostri tantum, sed et aliorum, quæ nunc jam pene exsolevit,scilicet eumdem hunc esse Joannem Marcum cum sancto Marco evangelista,Petri discipulo, socio et filio, I Petr. v, 13, de quo nimis longum, et a proposito nostro alienum foret, a tot scriptoribus tum antiquis, tum modernis dicta referre. Vide Calmet, Diction. histor. sacrum ad verbum *Marcus*.

et aliud,privatam ad unum hominem,aliud ad publicam,et universam Ecclesiam epistolam dirigere.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu. Qui sit autem Epaphras, qui in epistola Pauli Philemoni directa scribitur, *concaptivus* (*Philem.* 23) Pauli : ex eo quod ibi additum est : *In Christo Jesu*,possumus suspicari eadem cum Romæ pro Christo vincula sustinuisse quæ Paulus; et vinctum Christi, et concaptivum quoque ejus potuisse dici. Aut certe ita, quod nobilis et ipse sit in apostolis, ut Andronicus, et Julia,de quibus scribitur ad Romanos : *Salutate Andronicum, et Juliam* (1265) *cognatos, et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.*Hæc de Epaphra.Cæterum cooperatores Evangelii,et vinculorum suorum, cum ad Philemonem quoque Epistolam scriberet (*Philem.* 24), Marcum ponit, quem, sicut dixi, puto Evangelii scriptorem,Aristarchum,cujus supra fecimus mentionem,et Demam,de quo in alio loco dicit, *Demas me dereliquit* (*II Tim* IV, 7), et Lucam medicum,qui Evangelium,et Artus apostolorum Ecclesiis scribendo tradidit. Chariorem facit illis Epistolam, quando eis qui ex ipsis est, testimonium reddit.

Servus Christi Jesu semper sollicitus pro vobis in orationibus. Ille vero servus Christi comprobatur, qui pro ejus corpore semper sollicitus invenitur. Tam salutaria se illis exoptare testatur, ut illum qui civis illorum est, et affectu unanimitatis charissimus, participem suæ defensionis in profectu eorum ostendat.

Ut stetis perfecti,et pleni in omni voluntate Dei. Quid est ut stetis, nisi ut perseveretis? Unde dictum est de diabolo.*In veritate non stetit* (*Joan.*VIII, 44), quia fuit ibi, sed non permansit. Nam utique isti in fide jam stabant.Nec aliud oramus,cum oramus ut qui stat stet, nisi ut perseveret.

Testimonium enim perhibeo illi, quod habet multum laborem pro vobis, et pro his, qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli. Laodicia et Hierapolis civitates sunt Asiæ minoris. Quia enim sollicitus erat pro Ecclesia,ideo servus Christi Jesu scribitur : et magnum testimonium ejus Apostolus de eo concelebrat: *Testimonium perhibeo illi, quod habet multum labo-*

(1264) Verba in imo marg. leguntur.

(1265) *Rom.* XVI, 7. Vulg. *Juniam*.

rem pro vobis, sicut et de se testatur,quod in labo- A ribus multus fuerit.Ut sollicitos eos salutationis suæ faciat, aliorum vigilantia quanta sit pro his, ostendit. Sollicitior enim quis sit,puto, quando in causa sua alterum viderit labore.

Et dicite Archippo : Vide ministerium,quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Quod est ministerium,quod Archippus accepit a Domino ad plebem Legimus alio loco : *Et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ, quæ in domo tua est* (*Philem.* 2) : ex quo putamus aut episcopum eum fuisse Ecclesiæ Colossensis, cui admonetur studiose diligenterque præesse, aut Evangelii prædicatorem.Aut si ita non est illud mihi in præsentiarum sufficit, quod et Philemon, et Archippus, et Onesimus ipse, qui litteras perferebat, fuerint Colossenses : et eodem B tempore quatuor, ut ante diximns, epistolæ Roma directæ sint.

Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas. Vere charissimus Apostolo fuit Lucas, quia omnia postponens, Apostolum secutus est semper, qui et Evangelium et Actus apostolorum scripsisse perhibetur.

Salutate, fratres, qui sunt Laodiciæ, et Nympham, et quæ in domo ejus est, Ecclesiam. Quoniam simili modo,et pro his qui Laodiciæ sunt, sollicitus erat, in eorum epistola hos salutandos commonet Nympham chariorem existimans, cujus et domum salutat. Tam enim devota videtur fuisse, ut omnis domus ejus signo titulata esset crucis.

Et cum tecta fuerit apud vos Epistola,facite, ut et in Laodicensium Ecclesita legatur, et eam, quæ Laodicensium est legatis. Quia generales sunt instructiones Apostoli, et ad omnium profectum scriptæ epistolæ : idcirco etiam Laodicensibus Epistolam hanc legi præcepit, ut per hanc quid agendum sibi esset addiscerent : et Colossenses,ut eorum legerent juxta sensum suppradictum.

Et dicite Archippo : Vide ministerium, quod accepisti in Domino ut illud impleas. Præpositum illorum per eos ipsos cammonet, ut sit sollicitus de salute ipsorum. Et quia plebis solius causa scribitur Epistola, ideo non ad rectorem ipsorum,sed ad Ecclesiam. Post enim Epaphram, qui illos imbuit, hic accepit regendam eorum Ecclesiam.

Salutatio mea manu Pauli. Omnes, quas manu propria non scribebat epistolas,ne a falsis fratribus B corrumperentur, proprio signo hebraicis litteris in fine subscribendo roborabat. Unde alio loco dicit: *Salutatio mea manu Pauli ; quod est signum in omni epistola* (*II Thess.* III, 17).

Memores estote vinculorum meorum. Dicit memorans, ut in mente habeant exitus ejus, quos patiebatur pro salute gentium, et tales se præberent ut non ægre ferret pati pro his injurias. Ac si dicat : Quia enim vestri causa hæc patior, et vos imitamini exemplum meum.

Gratia Domini Jesu vobiscum. Amen. Gratia dicitur quasi gratis data : cum illis enim vere est gratia,qui cum eam acceperint,et in ea permanserint, de propriis meritis non extolluntur.

Deo gratias. Amen

EPISTOLA I AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM (1266).

Ut horum, id est, Thessalonicensium exemplo alios exhortetur ad fidei incrementa,istos laudat eo quod in accepta gratia permanentes, ad profectum præmii aucti sunt meliora sectando,ut et ad perfectum tenderent, eorum virtutibus quæsita dignitas cæteros provocaret. Tantæ enim fidei imbiberant spiritum, ut spe futurorum etiam civium suorum Macedonum,persecutiones illatas pro nomine Christi devoto animo paterentur. Ut horum ergo meritum, et suam ex eorum profectu lætitiam litteris signet, ita scribit ad eos (1267).

(Cap. I.) *Paulus, et Silvanus, et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre, et in Domino Jesu Christo. Gratia vobis et pax.* Trium quidem episcoporum nomina litteræ continent. Sed sensus D

(1266) Titulus hic in codice desideratur.

(1267) Hoc argumentum divi Ambrosii, seu Hilarii diaconi est, imo et integra Epistolæ expositio.

(1268) Vulg. *laboris et charitatis.*

C et verba solius Apostoli sunt.Quia enim cum magno gaudio exsultant in profectu illorum, ex consensu ad plebem Epistola scribitur in exultatione Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi,pacem et gratiam his exoptans.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione memores operis fidei vestræ, et laborum charitatis,(1268) *et expectationis* (1269) *Domini nostri Jesu Christi coram Deo, et Patre nostro* (1270). Quoniam omnia bona a Deo sunt,idcirco ei primum gratias referunt in profectu illorum,qui dignatus est non solum donum suum dare hominibus sub peccato constitutis,sed et in filios hos adoptare,simul adjuvans eos ad omnia exitia toleranda, ut digniores fiant. Quamobrem meminisse horum dicunt se in orationibus suis, eo quod crebrescerent in opere

(1269) Vulg. loco *exspectationis*, habet, *et sustinentiæ spei.*Tectum cum divo Ambrosio legit interpres noster.

(1270) Vulg. *ante Deum et Patrem nostrum.*

fidei cæteris Ecclesiis, ut nutu Dei perficerent opus cœptum, prompti in studio charitatis et patientiæ, et spei adventus Domini *ante Deum*, qui dignatus est Filium suum incarnare pro salute humana. Placitum enim Dei est, si proficiatur in Christo.

Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram: quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in verbo (1271) *solum, sed et in virtute. et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis vestri causa* (1272). Humiles se fuisse inter eos significant, ut illis formam darent mansuetudinis, non quod defuerint quæ ad fidem illos hortarentur magnalia, quia doctrinæ Evangelicæ robur virtus præstabat signorum, et prodigiorum in Spiritu sancto, id est, non in phantasia, sed in veritate plenitudinis, ut nulli necessitati deesset auxilium, sed superabundans gratia videretur et in doctrina, et in conversatione, et in ægris curandis, ut perfectum opus Spiritus sancti appareret in Thessalonicensium Ecclesiis, ut in nullo se minores videntes Judæorum Ecclesiis, gauderent in dono Dei, qui participes illos facere dignatus est promissionis Abrahæ.

Et vos imitatores nostri facti estis, et ipsius (1273) *Domini, suscipientes verbum in pressura multa* (1274), *cum gaudio Spiritus sancti, ita ut fueritis vos exemplum omnibus* (1275) *credentibus in Macedonia et in Achaia.* Cupidi credulitatis probra et injurias a civibus suis passi tolerarunt fiducia futurorum. Unde et æmuli dicuntur apostolorum et ipsius Domini, quia et Dominus eadem a Judæis passus est, et apostoli sequentes fidem Dei, persecutiones passi sunt, *gaudentes, quia digni habiti sunt pro nomine Domini contumelias pati* (*Act.* v, 41), scientes pro his magna fore præmia repromissa. Idoneus enim servus probatur, quando pro nomine domini sui inimicos ejus offendit. Cujus rei memores gavisi sunt spe promissionis in pressura. Itaque magna exhortatio est ad protectum, cum similes illos factos dicit et Christi et Apostoli (1276), ad formam præbendam cæteris credentibus illis in locis, quibus fama illorum ambulabat.

A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia, et in Achaia, sed in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, processit. Tale est hoc, quale et illud ad Romanos, I, 8, cum dicit: *quia fides vestra prædicatur in universo mundo.* Sed his amplius, quia non solum fides, sed opus fidei illorum pervenit in omnem locum.

Ita ut non necesse habeamus nos aliquid eloqui. Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum ab idolis, ad serviendum Deo vivo et vero, et ad exspectandum Filium ejus de cœlis, quem suscitavit ex mortuis Jesum, qui eripuit nos ab ira veniente. Sic peragresse dicunt famam introitus sui, et conversationis eorum cum prædicatione Evangelii, ut non esset necesse ea dicere. Superfluum est enim ea fari, quæ nota sint. Ad omnes enim in circuitu pervenerat, ita ut et annuntiarent cæteris qua devotione susceperant apostolos. Et quia ad omnia, quæ audierant ab eis, fuerant promptiores, relinquentes deos mortuos, exspectarent autem Christum de cœlis, quem humanæ salutis causa mortuum audierant, et resurrexisse devicta morte, et cum carne assumptum in cœlos, ministra nube, ad confusionem prudentium mundi, qui consideratione habita mundanorum, carnis naturam, quæ gravis est, putant non posse fieri, ut sustollatur in cœlis. Hoc effectu fit Spiritus sancti, ut erubescant terrigenæ prudentes.

(CAP. II.) *Ipsi enim scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi, et contumeliis afflicti, sicut scitis, in Philippis, exerta libertate ausi sumus in Domino nostro, loquendo ad vos Evangelium Dei in magno certamine.* Hanc pressuram, quam nunc memorat, passus est in Philippis cum Silea (1277), propter spiritum Pythonem, quem a puella ejecerat (*Act.* XVI, 18): quod jam suo loco dictum est. Cui pressuræ non cessit, sed fortior inventus est, dum audet prædicare, nec loqui timet, spe utique promissi præmii, ut et hi securi essent in persecutionibus, gaudentes propter futuram mercedem. Signum ergo devoti et fidelis prædicatoris dicit esse, si in pressura loqui verbum Dei non timeat, inanem illum significans, qui terrore præsenti formidinem patitur prædicandi. Qui enim securus est de promissa spe, non cedit, ut coronetur.

Nam exhortatio nostra non ex fallacia, neque in immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes, sed Deo, ei qui probat corda nostra. Hoc propter pseudoapostolos dicit, qui dolo, et fallacia prædicabant non missi, ut circumvenirent gentes ad serviendum legi factorum. Iste autem electum se, et missum prædicare multis probat rebus, quia et in pressuris fortior inventus est, et in conversatione irreprehensibilis, ut nihil esset in hoc, quod minus Deo dignum videretur, prosequentibus signis. Quidem enim, quæstus causa, Christum prædicabant, favori hominum servientes, quia et in arguendo remissiores erant, quippe cum nec auctoritas esset, et in tribulatione infirmi, quia non ex corde, sed in fallacia erat sermo eorum. Omnis enim, qui sine spe agit, orta tribulatione succumbit.

Neque enim unquam in verbo adulationis conversati sumus, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ: Deus testis est. Nunc aperit quod supra significavit, cum dicit: non in occasione avaritiæ: Deum dans

(1271) Vulg. *in sermone.*
(1272) Loco *vestri causa.* Vulg. habet *propter vos.*
(1273) Vulg. *ipsius* non habet.
(1274) Vulg. *excipientes verbum in tribulatione multa, in gaudio*, etc.
(1275) Vulg. *ita ut facti sitis forma.* Sufficiat una vice dixisse textum epistolæ hujus divi Ambrosii textui in omnibus ad apicem consentire.
(1276) Ambrosiaster, *apostolorum.*
(1277) Sive *Sila.*

testem, quia istud et corde faciebat, non hypocrisi, quasi contemnens pauca,ut forte plura offerrentur. Unde et ipsos convenit, scientes ac probantes, quia nulli fuerat adulatus. Pseudo enim apostoli formam avaritiæ dari sibi optabant, ut ipsa occasione, dum veros apostolos omnia illata vident accipore, possint ipsi sine invidia simpliciores homines deprædari.

Ne quærentes ex omnibus (1278) *gloriam, neque a vobis neque ab aliis, cum possemus oneri esse, ut Christi apostoli.* Intantum gravat pseudoapostolorum causam, ut se abnuere dicat, cum liceret illi obsequia requirere, ad comprimendos eos, quibus nec facultas erat, nec pudor, et tamen honorem sibi poscebant. Se enim potius quam Dei doctrina commendari volebant. Apostolus autem, qui gloriam non ad præsens, sed in futuro quærebat, se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur.

Sed fuimus parvuli in medio vestram, tanquam si nutrix foveat filios suos; ita desiderantes vos, cupimus impertire vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, qui carissimi nobis facti estis. Tantum affectum habere se circa illos ostendit, quem, quia verus est, non verbis magis quam rebus, probatum vult videri. Potest enim in verbis latere fallacia, ut his exhortationibus provocati, omnem sensum suum in dilectione haberent Apostoli.

Meministis enim, fratres, laborem nostrum, et fatigationem; nocte ac die operantes ad hoc, ne quem vestrum gravaremus. Hoc est, quod dicit in Actis apostolorum xx, 34 : *Omnia*, inquit, *quæ mihi et his qui sunt mecum fuerunt necessaria, laboraverunt manus istæ.* Unde et in alia epistola dicit: *Qui non laborat, nec manducet* (*II Thess.* III, 10). Et hoc contra pseudoapostolos, qui, ut otiosi manducarent, prædicatores esse se fingebant. Ut ergo exemplum daret, quemadmodum gubernanda sit vita Christiana, et simulatores proderet, labori insistebat humano, offuscans pseudoapostolos; præterea quia qui labori insistunt, a malis cogitationibus declinant occupantes animum suum, et a periculis prohibentes.

Prædicavimus vobis Evangelium Dei. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste et sine querela vobis, qui creditis, facti sumus, sicut scitis, quomodo unumquemque vestrum, ut pater filios, obsecrantes vos et consulentes (1279) *ad hoc, ut ambuletis digne Deo, qui vocat vos in suum regnum et gloriam.* Manifesta sunt hæc. Commonet enim illos quomodo crediderint se prædicante, et qualem eum fuerint experti et quæ præcepta dederit eis, ut digni fierent Deo, qui illos vocavit de terris in cœlos, ut exsuscitet lætitiam illorum.

Ideoque et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quod cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, suscepistis non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, quod et operatur in vobis, qui credidistis. Deo gratias referunt, quia aperuit sensum illorum ad recipiendum Evangelium suum. Gloria enim prædicantium est, cum audientes facile credunt. Tanta enim devotione receperunt verbum, ut probarent se intellexisse Dei doctrinam.

Vos enim, fratres, imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, quæ sunt in Christo Jesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis, qui et Dominum interemerunt Jesum et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placuerunt, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui, ut salventur, ad hoc ut suppleant peccata sua semper; sed pervenit ira Dei super eos usque ad finem. De impietate atque incredulitate queritur diffidentium Judæorum, qui non solum suæ salutis inimici sunt, verum etiam aliorum, prohibentes ne credant, ne salvi fiant, ab initio parricidæ. Vel Domino enim communi parcere debuerant, qui conservis et præpositis suis non pepercerunt. Ut repleantur peccata eorum in tantum, ne aliquando misericordiam consequi mereantur. Ideo Thessalonicenses a civibus suis eadem passos dicit imitatos patientiam sanctorum, et Domini nostri Jesu Christi : cujus sceleris auctores inducit Judæos, ut et quanta gloria digni sint, qui pro nomine Domini patiuntur, et quæ ultio infestis, infidis præparata sit, dignoscatur.

Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, facie, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre in multo desiderio. Quapropter voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus et semel et iterum, et impedivit nos Satanas. Non animo, sed corpore divulsos se dicunt ab eis. Charitas enim non dividitur, nec separatur, sed propter majorem instructionem etiam faciem eorum cupere se dicunt videre. In rebus enim divinis deficiunt articuli comprehendere quæ possunt dici. Nec enim sufficit dies stylo his, quæ una hora possunt depromi, ut non dicam quædam esse mystica religionis nostræ, quæ propter carnalem sensum, ne scandalum patiantur, facile publicari non debeant, quia non omnibus dicenda sunt omnia, sed pro uniuscujusque captu moderanda sunt dicta ; aliter rudibus, et aliter fundatis. Idcirco præsentia corporis requiritur, quia sic perficitur veritas charitatis. Quamvis enim charitas non dividatur, desiderium tamen facit absentia corporis. Denique osculis, et amplexu animorum expletur voluntas. Cui rei impedimento fuisse asserit Satanan, quia etiam apostolis manus obvias tendebat, ne veritatis ratio hominibus panderetur. Accendebat enim perfidorum mentes, ut eos verberibus ac vinculis detinerent, ne loquerentur verbum Dei. Dixerunt enim majores Judæorum apostolis : Nonne præcipientes denuntiavimus vobis, ne loque-

(1278) *Ex hominibus* legit. Vulg., et divus Ambrosius.

(1279) Vulg. et divus Ambrosius et divus Chrysostomus, *consolantes*.

remini in nomine Jesu ulli hominum (*Act.* v, 28)? Sed quia quod non est a Deo, stare non potest (*Ib.*), dissolvuntur impedimenta Satanæ.

Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos coram Domino nostro Jesu in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra et gaudium. Manifestum est, quia perfectio discipulorum, gaudium et corona magistri est. Ili enim sunt qui labores fructum suorum edituri sunt. Fructus enim magistri discipulus est obediens, cujus dum bona conversatio proficit magistro, fructus sui edat laborem. Labor enim discipuli in opere bono coronam dat magistro judice Christo.

Idcirco jam non tolerantes, optimum duximus, ut Athenis soli relinqueremur; et misimus Timotheum (1280) *fratrem nostrum, et participem operis Dei in Evangelio Christi, ad hoc, ut et vos confirmet, et deprecetur pro fide vestra, ne quis moveatur in his pressuris; ipsi enim scitis, quia ad hoc positi sumus. Nam et cum apud vos eramus, prædicavimus vobis passuros nos pressuram, sicut et factum est, et scitis.* Desiderii supra memorati causas expressit. Idcirco enim præsentes esse apud eos volebant, ut animos eorum firmarent, ne quis ex his scandalum pateretur de pressuris apostolorum, ut qui tanta signa facerent, aliquando infirmarentur, ita humiliati, ut verberibus et vinculis subjacerentur. Ad quam rem excusandam. Timotheum (1281) missum testatur, idoneum doctorem, qui ostenderet hinc merita crescere Christianis, si pro nomine Domini passi gratias agant, a quo hujus rei mercedem exspectant simulque preces Deo funderent, ut stabiles essent. Quam persecutionem idcirco se passuros prædicaverant, ut per id, quod præscientiam hujus rei habere se protestarentur, posse se effugere et declinare has injurias approbarent. Sed quia spes magna in his est, ideo illatas sufferre dicit (1282) quidem libenter. *Ideo et ego non tolerans amplius, misi ad hoc, ut cognoscerem fidem vestram, ne quo modo attentaverit ille tentator, et inanis fiat labor noster.* Istud propter quosdam dicit, qui possint seduci astutia Satanæ. Quia in omni plebe est pars firma, et infirma, quorum causa sollicitus erat, ne amitteret fructum credulitatis eorum. Et quia diutius passus non est nescire se quid certius ageretur circa illos, misit (1283) Timotheum episcopum a se creatum, a quo posset certum scire.

Modo autem cum venisset Timetheus ad nos a vobis, et annuntiasset nobis fidem, et charitatem vestram, et quoniam memoriam nostri habetis bonam, semper desiderantes nos videre, sicut et nos vos; ideo consolationem sumus adepti, fratres, in nobis super omnem necessitatem, et pressuram nostram per vestram fidem, quia nunc vivimus, si vos steteritis in Christo. Declaravit cur alacri sermone scribat ad eos. Ideo enim nuntio veniente, et firmitatem devotionis illorum in fide, et dilectione Apostoli declarante, lætus factus de communi concordia scribit ad eos, securum habens fructum fidei et bonæ conversationis eorum.

Quam enim gratiarum actionem possumus referre Deo de vobis super omni gaudio, quo gaudemus propter vos coram Deo nostro, nocte, dieque abundantissime orantes, ut videamus faciem vestram, et suppleamus quæ desunt fidei vestræ? Nihil dicit tam dignum, quod sufficere possit ad compensationem acquisitæ salutis gentium. Et quoniam provexerant se perseverantia fidei, et actu vitæ melioris, magis et magis cupit eos videre, ut ea, quæ ad perfectionem illorum pertinent, ediscant, sacramenta scilicet rerum spiritalium, quæ facile publicari non debent, ut scirent quis, et quam immensus est, quem judicem sperabant. Aliud est enim fidem accipere, et aliud expositionem fidei. Altera enim disputatio est de natura Patris et Filii, et alia de personis. Pater ingenitus est, Filius vero genitus. Quantum ad personas pertinet, diversum videtur, cum sit individua unitas naturæ. Unitas enim non in persona est, sed in substantia. Spiritus autem sanctus non degener putetur, quia tertius ponitur. Qui ergo de secunda persona non ambigit, admittit et tertiam.

Ipse autem Deus, et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos. Integro ordine iter suum disponi postulat; primum a Deo Patre, quia ab ipso sunt omnia, deinde a Domino Jesu Christo, per quem sunt omnia, ut virtus, atque providentia Patris et Filii adventum ejus commendet, ut et acceptabilis fiat audientibus se, et impedimenta diaboli solverentur ad dirigendum iter ejus. *Vos autem Dominus multiplicet et abundare faciat charitatem in invicem et in vos, et in omnes, sicut et nos in vos, ad confirmanda corda vestra irreprehensa in sanctimonia coram Deo et Patre nostro, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis suis.* Ut gaudium suum, quo de eis gaudet, cumulet, in omnibus bonis multiplicari illos exoptat, ut veniens ad eos plus inveniat in eis, quod laude dignum sit, quam a Timotheo audierat, ut irreprehensibiles inveniantur cum sanctis in charitate Dei Patris, et adventu Domini nostri Jesu Christi, cum cœperit ante tribunal ejus examinatio singulos approbare. Deum vocat propter terrorem majestatis ejus; Patrem vero propter benignitatem, qua dignatur credentes sibi adoptare in filios, quod in adventu Domini manifestabitur.

(Cap. IV). *Quod superest itaque, fratres, rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis qualiter oporteat vos ambulare et placere Deo, sicut et ambulatis* (1284), *abundetis*

(1280) In cod. *Titum*: quod juxta omnes lectiones emendandum fuit.
(1281) Hic clare legitur *Timotheum*.
(1282) Verbum *dicit* ex Ambrosiastro addidimus.
(1283) Iterum clare *Timotheum*.
(1284) Vulg. sic *et ambuletis*.

magis. Hoc est,quod supra dixi, quia ad cumulandum gaudium suum, crescere illos vult bonis operibus secundum mandata apostolica.

Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum nostrum Jesum Christum. Nam hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; abstinere vos a fornicatione; scire unumquemque vestrum suum vas possidere in sanctimonia et in honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum, ut ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut et prædicavimus vobis et testificati sumus.Cum laudet eos in tota Epistola, tamen commonet ne aliqua subreptione ad illicita deducantur, et incurrant vindictam, quam ultricem malorum didicerant, scientes hoc Deo placere,si corpora sua incontaminata custodiant; sed et cum fratribus simpliciter agant,ne similes gentibus inventi,adoptionis nomine abdicentur.

Non enim vocavit nos Deus in immundilia, sed in sanctimonia. Quapropter qui spernit hæc, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum sanctum in vos (1285). Ut fortius astringat ad ea quæ docet,Dei interponit personam, dicens : Non hominem spernitqui præterit præcepta,sed Deum.Quem ideo dicit Spiritum sanctum nobis dedisse, ut sancte vivamus, quia in corpore subdito peccati non habitat Spiritus sanctus (*Sap.* I, 4, 5).

De affectione autem fraternitatis non habemus necessitatem scribendi vobis. Ipsi enim vos a Deo docti estis ad hoc, ut vos invicem diligatis. Nam et facitis illud in omnes fratres per universam Macedoniam. Etiam hoc cum facere illos laudat, commonet tamen ut propensius hoc agant. Quos enim ab ipso Deo doctos dicit, promptiores esse debere in fraterna charitate significat. Propter multam enim charitatem Deus misertus est nostri, cujus imitatores effecti non immerito adoptatos nos ostendimus a Deo filios.

Hortamur autem vos, fratres, abundare magis, et eniti quiescere, et vestrum negotium agere, operari manibus vestris, sicut vobis præcepimus, ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius desiderium sit vobis. Iterum eadem hortatur, ut data opera abundent bonis actibus. Ut enim significaret vere hoc esse (1286), quod placet Deo, frequenter hoc monet. Justitiæ enim via tenenda est, ut ad misericordiam juro veniatur: ut qui inferiores sunt substantia, manibus laborent, ut ipsa intentione tollantur a vulgari inquietudine,ut et a prava cogitatione, ut disciplina eorum etiam ab infidelibus laudetur, et possint provocari ad fidem.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de his, qui dormiunt, ne contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.Nam si credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit, sic et Deus illos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Manifesta est ratio, quia si resurrectio creditur mortuorum futura, non sunt lugendi qui cum signo crucis exeunt.Lugendi autem vere sunt infideles,qui hinc transeunt in gehennam, ut ediscant verum esse quod credere noluerunt. Fideles autem resurgendi ad gloriam, ii sunt, qui per Jesum,id est sub spe fidei hujus exeuntes, adducentur cum eo in adventum ejus, ut ab omnibus videantur. Cum ipse tamen defuncti excessum lugendum prohibeat, alibi dicit : *ne tristitiam haberem* (1287).Sed etiam suo loco solutum est.(*Philip.* II, 27).

Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini,quia nos, qui vivimus,qui subrelicti sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt; quia ipse Dominus in jussu, in voce archangeli, et tuba Domini descendet de cælo,et hi qui mortui sunt in Christo, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, una cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Quare consolamini vos invicem in his verbis.Sensu Domini loqui se profitetur, cum dicit : Hoc vobis dicimus in verbo Domini.Ut enim fidam spem et ratam gloriam resurrectionis sanctis promissæ demonstret,ordinem ipsum quomodo futura sit,exponit, nutu judicis Christi,sancto Spiritu intimante, ut ipsa spe, qui charos suos præmiserunt, non doleant, addiscentes quia in adventu Domini priores resurgent,qui in Christo moriuntur.Ipse enim Christus Dominus voluntate Patris,quasi primus angelus cum exercitu cœlesti,sicut continetur in Apocalypsi Joannis apostoli,descendet de cœlo ad gerendum bellum nomine Domini contra Antichristum. Quo exstincto, jussu ejus resurgent mortui.Hoc est ergo in tuba Dei descendere, nomine Dei bellum gerere. Est enim, ut ipse dixit ad Jesum filium Nave (*Jos.* V, 14), dux et princeps exercitus Domini, propter quod archangelus dicitur.Cum autem in tuba Dei descendet, Deus est, quia utrumque continent Scripturæ, sicut et in Exodo,quem angelum(1288)in flamma apparuisse Moysi legimus, statim ipsum in subjectis esse Deum agnoscimus, Filium Dei,dicente eadem Scriptura(*Ib.*,6).Et accedens, inquit,Moyses avertit se,quia non potuit considerare in faciem Dei. Deus ergo est,quia Filius Dei verus est. Dux autem, et princeps ideo, quia caput omnium est,quia per ipsum omnia.Resurgentibus ergo primis, qui in Christo mortui sunt, deinde nos, qui vivimus rapiemur una cum illis,bajulis nubibus obviam Christo in aera,ut cum Domino omnes veniant ad prælium, ut quos occiderat, videat vivos. Quia sicut Domino famulatæ sunt nubes, ita et his,quos fratres suos dignatus est appellare. *Et sic semper*

(1285) Vulg. *in nobis*, ita et Ambrosiaster et Hieronymiaster.

(1286) Ambrosiast. *Significat, et vere hoc esse*. In autog. vero : *Significat vere*.

(1287) Scil. in expositione cit. tex. ad Philipp.

(1288) Vulg. loco *angelus* habet *Dominus*.Sed vide Act. VII, 39; ubi Stephanus narrans quæ Moysi acciderunt, inquit : *Apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi*.

cum Domino erimus. In ipso enim raptu mors proveniet, et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Cum enim tollentur morientur, ut pervenientes ad Dominum, præsentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non ossunt. Hac spe consolari se invicem jubet eos, qui adhuc more gentili charorum suorum excessum putabant lugendum.

(Cap. V.) *De temporibus autem et momentis, fratres, non est necesse vobis scribi. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, ut fur noctu, sic veniet. Et cum dicit; pax, et firmitas, tunc repentinus illi superveniet interitus, quemadmodum dolor partus prægnanti, et non effugient*. Hoc est, quod in Evangelio Dominus locutus est, dicens: *Vigilate, quia nescitis horam, qua Dominus vester veniet* (*Matth.* xxiv, 42; *Marc.* xiii, 33; *Luc.* xii, 37.) Et iterum: *Si quis vobis dixerit: ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere* (*Matth.* xxiv, 23; *Luc.* xvii, 21). Subito enim, et ex inspe-rato apparebit, sicut coruscatio apparet ab oriente in occidentem, habens secum militiam exercitus Dei Patris, ad perditionem Antichristi et satellitum ejus. Cum enim securi fuerint perfidi de regno diaboli, interfectis sanctis, id est, Enoch, et Elia, et læti de victoria invicem sibi mittentes munera, sicut dicit Apocalypsis, tunc illis subito veniet repentinus interitus. In adventu enim suo Christus hos omnes disperdet, ut videntes sancti, qui evaserint, glorientur.

Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur comprehendat: Omnes enim vos filii luminis estis, et filii Dei; non estis noctis, neque tenebrarum. In tenebris ignorantiam significat et mendacium: in die autem, scientiam et veritatem. Idcirco Christianos non in tenebris dicit; gentiles autem, vel incredulos Judæos, filios tenebrarum, quia cultores sunt mendacii. Quamobrem fideles securos esse debere significat, quia non ignorant futurum adventum Domini, sed exspectant solliciti ut veniat. Qui autem ignorant diffidentes de eo, repente illos comprehendet improvidos, et interficiet.

Igitur non dormianus, sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus: Hi enim, qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui inebriantur, nocte sunt ebrii. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti thoracem fidei, et charitatis, et galeam, spem salutis; quia non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis. Ut, sive dormiamus, sive vigilemus, simul cum eo vivamus. Propter quod exhortamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis. Apertum est quod dicit. Commonet enim ne securi de nomine Salvatoris negligenter agamus; ideoque tribus nos propugnaculis muniri debere, id est, fidei, et spei, et charitatis. Dum enim fides manet, spem excitat; spes autem necessario sollicita est de promissione, nec dormit; charitas autem devotum offert Domino. Nihil enim adversum admittit charitas. Idcirco enim mortuus est pro nobis Dominus Jesus, et resurrexit, ut sive vigilemus, hoc est vivamus, sive dormiamus, id est, moriamur, una cum illo æterna vita fruamur. Hoc est quod supra dixit, quia fideles in adventu Domini, tam mortui, quam vivi, obviam tollentur Domino, et semper vivent cum eo. In hoc meditandum docet, ut invicem se in eo ædificent sensu.

Rogamus autem vos, fratres, ut cognoscatis eos qui laborant in nobis in Domino, et monent vos, ut illis summum honorem habeatis in charitate propter opera ipsorum. Pacem habete inter vos. Hoc est, quod dicit et in alia Epistola (*I Tim.* v, 17), presbyteros duplici honore honorandos, qui laborant in verbo et in doctrina. Potest enim pigere eum, qui inopiam patitur exercitium facere, quod prosit audientibus. Quid enim prodest honorem sine fructu habere? Aut quid magnum est offerre ei carnalia, qui tribuit spiritalia? Sicut enim divitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas, dum saturari quærit, a justitia declinat. Hinc Salomon nec nimis divitem se petit fieri, nec egestosum (*Prov.* xxx, 9). Hoc ipsum tamen in charitate fieri debere, ut honorificentia sacerdotis non de timore magis sit, sed de amore, ut etiam illi proficiat, qui facit. Res enim, quæ sponte non fit, ad effectum non pervenit. Quamvis ad præsens proficiat sumenti, nihil tamen proderit in futuro danti. Et quia dissensio multa generat mala, pacificos eos esse hortatur.

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, opitulamini infirmis, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete in Domino. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in vobis. Quoniam necesse est quosdam esse in plebe immodestos, quosdam autem pusillanimes, hoc est, timidos, quosdam vero fide infirmos: ideo hos, qui modesti sunt, et magnanimes, et fide fundati, hortatur cum prece, ut his consulant, ut possint proficere sufferentes eos, ne si retributio fit malorum, pejores se fiant. Idcirco nihil aliud quam bonum sectandum hortatur non solum in causa fratrum, sed in omnium Possunt enim bonis operibus attrahi infideles ad credulitatem, ex qua semper gaudeatur in Domino, hoc est, in bonum. Orandum autem sine intermissione. Sedulæ enim preces provocant animum judicis ad dandam misericordiam. In omnibus vero actibus bonis Deo gratias agendas, qui hanc tribuit doctrinam in Christo Jesu Domino nostro.

Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Hoc dicit, ut non facile alicui per Spiritum loquenti interdicatur. Exstinguitur enim, si incipientis loqui fervor contradictione sopitur, ne forte non intelligentes dici ab eo spiritalia injuriam faciant Spiritui sancto, et peccent per ignorantiam; neque aliquem, qui quasi Scripturas revelet, non audiri patienter debere, sed omnia dicta examinari, et sic judicari, ne forte gratiam datam fratri dum respuunt, auctori repugnent. Omnia ergo, quæ dicuntur, probanda monet,

et quidquid sobrie, et bene dictum fuerit, retinendum. Quæcunque enim apostolorum, et ipsius Domini dictis congruunt, eo bene dicta habenda sunt, et retinenda ; ab his autem, quæ inimica fidei videntur, abstinendum. Solent enim spiritus mundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, et inter hæc subinducere prava, ut per hæc, quæ bona sunt, accepto ferantur et mala : ut quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur ab invicem, sed per id, quod licitum est, commendetur illicitum, auctoritate nominis, non ratione virtutis. Solent enim sub apostolorum nomine, et ipsius Domini, et nefanda docere, et adversa. Ideoque omnia probanda monet, quia non possunt eloquia Domini esse diversa. Hinc est unde et Joannis apostoli Epistola : *Nolite*, inquit, *omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV, 1) ; quia si multa bona dicat; in aliquo autem, quod fidei adversum est, promat, sciatur non esse Spiritus sanctus. Nihil enim erroris in sancto Spiritu poterit reperiri. Sed aut per exercitium eloquii quædam spiritalia, quædam vero carnalia, quia omnis error carni deputatur, aut certe commento quodam astutiæ bona fingit, ut his inserat mala, sicut supra memoravi : quemadmodum in Montano, et Priscilla, et Maximilla prophetis Cataphrygarum spiritus mundi imitatione quadam boni simulavit, ut per multa verisimilia, nec non et vera, mentiretur se esse Spiritum sanctum.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia perfectos, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Deus pacis Christus est. Ait enim : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Quippe cum omnia, quæ habet Pater, Filii sint, sanctificare nos optat Apostolus, ut nos illustret pietate elementia sua, et omne votum nostrum dirigat in perfectione, ut integer sit spiritus datus nobis. Tunc enim integer est, si bonæ vitæ studeamus, animam habentes mundam, et corpus sine querela, ut totus homo sit perfectus. Potest enim corpus mundum esse, et anima inquinari per malum cogitatum ; ideoque totum in homine mundum dicit esse debere. Si autem mala vita, vel cogitatio intercedat, non erit integer spiritus, quia deserit hominem peccatis obnoxium. Dum enim dissentit anima, et corpus, quamvis sine sensu sit, alieni ab illo efficiuntur, et velut perdens eos non erit integer spiritus. Ad hoc enim datur homini, ut maneat, et sit quasi caput ejus. Integer ergo non erit, quia perdit membra, dum recedit ab eo homo, ea agens, quæ odit Spiritus sanctus.

Fidelis est Deus, qui vocavit vos, qui et faciet. Fratres, orate pro nobis. Fidelem Deum dicit in promissis suis, ut securi de præmio recte versentur. Et quia qui recte, juxta Evangelium, vivunt, facile poterunt impetrare quæ postulant; idcirco orare eos pro se hortatur. Facile enim multi impetrant quod desiderant.

Salutate fratres omnes in osculo sancto. Sancta oscula sunt in salutatione Christiana ; cætera carnalia sunt, quia quidquid sine Christo fit, carnale est, ac per hoc mortale. Qui enim auctorem vitæ contemnit, in morte est.

Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc omnibus fratribus. Astringit eos ut soliiciti sint ad legendam Epistolas cunctis fratribus, ut cognoscant et laudes, et admonitiones suas, per quas fiant perfecti

Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Sic illos in bonis operibus vult proficere, ut gratia Domini nostri Jesu Christi maneat in eis in æternum.

Finit, Deo gratias. Amen.

EPISTOLA II AD THESSALONICENSES (1289).

Quoniam in prima Epistola ad Thessalonicenses data, inter cætera etiam de adventu Domini quædam scripsit, et de resurrectione sanctorum : nunc aliam scribit ad eos, in qua significat, licet obscure, neque enim posset aperte scribere, de abolitione regni Romani, et de Antichristi apparentia, et damnatione, et de quorumdam fratrum inquietudine.

(CAP. I.) *Paulus, et Silvanus, et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Solemnibus verbis scribit ad eos. Solito enim more sermonum caput continetur Epistolæ : et idem ipsi tres sunt, quorum nomine scribitur, sicut et prima Epistola.

Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, sicut dignum est, quoniam superexcrescit fides vestra, et multiplicatur charitas uniuscujusque omnium vestrum in vos invicem. Deo se debitores de horum profectu gratiarum actione profitentur. Et ut non qualecunque esse debitum ostenderet, *sicut dignum est*, ait : Ut pro tam infinito dono satis grandes gratias referendas Deo testarentur. Post acceptam enim primam Epistolam, meliores esse, quam fuerant, perstiterunt ; ita ut in eo copiosi et abundantes viderentur, quod post Domini et Dei devotionem habemus mandatum, ut diligamus nos invicem.

Ita ut nos ipsi in vos gloriemur in Ecclesiis Dei pro

(1289) Cujus argumentum, et expositio æque, ac primæ ad Thessalonicenses eosdem. divi Ambrosii, sen Hilarii diaconi est. Titulum autem, qui desideratur in codice, addendum judicavimus.

patientia vestra, et fide in omnibus persecutionibus vestris, et pressuris, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, in hoc, ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini. Gloriam esse suam in horum conversatione, et persecutione toleranda testantur, in tantum, ut apud cæteras Ecclesias exempla eorum proferantur, ut imitatione ipsorum crescant in devotione passionum pro Christo, et mereantur consequi quæ promissa sunt sanctis in die justi judicii Dei, cujus amore mundum spernere non dubitarunt. Ipsæ enim pressuræ exempla sunt futurorum meritorum in his qui patiuntur ad gloriam; in illis autem, qui persequntur, ad perditionem.

Siquidem (1290) *justum apud Deum retribuere eis, qui vos deprimunt, pressuram; et vobis, qui pressuram sustinetis, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus in igne flammæ dantis vindictam in eos, qui non noverunt Deum, et in eos qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui pœnas solvent in interitum æternam a facie Domini et gloria virtutis ejus.* Quoniam exemplum justi judicii Dei apparere dicit sive in bonos, sivet in malos, idcirco subsecutus ait: Siquidem justum apud Deum, ut reddat unicuique secundum opera sua. Quid tam justum, ut qui in sæculo bonos deprimunt, et extorres faciunt persecutionibus, in futuro eadem patiantur, quæ faciunt; illi autem, ut sint in requie cum cæteris sanctis, qui de magna tribulatione venientes regnum accipient æternum in adventu Domini de cœlo, cum cœperit venire cum cœlesti exercitu et ministro igne ad dandam vindictam in paganos, qui ignorant Deum Patrem esse Christi Jesu, et Judæos, qui dicentes se Deum scire, non credunt Evangelio Christi, quod dedit illi Pater Deus, ut traderet servis suis? Quos omnes præsentia Domini, et gloriæ majestatis ejus ignis exuret, ut debitas reddant pœnas interitus in æternum, semper sentientes, non tamen penitus deficientes, ut ipsa pœna illos quodammodo generet semper, quo consumantur.

Cum venerit clarificari in sanctis suis, et mirificari in omnibus, qui crediderunt, quia fidem habuit testimonium nostrum super vos in die illa adventus Domini. Duplicem sensum (1291) continet. Adveniet enim punire malos, et glorificare bonos. Ipse enim clarus et mirabilis videbitur in eos, qui credunt exemplo et fidei apostolorum, cum fuerint coronati, testimonium reddente eis Evangelio in die Domini. Severus autem apparebit in incredulos, cum æternis pœnis cœperint coarctari. Corona enim discipulorum magistri est gloria, et veritas ejus incredulorum est pœna, quia quod prædicabatur, non crediderunt.

In quo et oramus semper pro vobis, ut vos dignos habeat vocatione sua Deus noster, et impleat omni placito bonitatis, et opere fidei in virtute; ita ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in ipso secundum gratiam Dei et Domini nostri Jesu Christi. Gaudio addit et preces, ut quia devoti sunt, dignetur Deus adjuvare eos, ut perficiant opus cœptum ad claritatem Domini nostri Jesu Christi, ut perseveranti discipulorum testimonium sit magistri ad gloriam. Auctoritas enim magistri in discipulorum est fiducia, cum se in accepta gratia faciunt digniores.

(Cap. II.) *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ne facile moveamini a sensu vestro, neque conturbemini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per Epistolam, tanquam a nobis missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo; quia, nisi venerit defectio primum, et revelatus fuerit homo ille peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se ipsum, quasi sit Deus* Obsecrat eos ne leviter et facile de adventu quasi imminenti Domini opinionem reciperent: et talia dat mandata, ut etiamsi per spiritum aliquis velut propheta fuerit locutus, credi ei non debeat; neque si per tractatum, aut per epistolam nomine forte apostolorum scriptam, assensum tribuendum. Solent enim tergiversatores, ut fallant, sub nomine clari alicujus viri epistolam fingere, ut auctoritas nominis possit commendare, quod per ipsum recipi non possit. Hoc ideo, ne ipsa perturbatione, dum incauti invenirentur, possint seduci ad adorandum diabolum qui idciro hæc jactabit, ut sub Salvatoris nomine apparens ac falens sanctos, velit se adorari, ut decipiat credentes in Christum. Sed et locum, aut occasionem fallendi, quam se putat habere. non habeat impudentissimus Satanas, tempus et signa adventus Domini designavit; quia non prius veniet Dominus quam regni Romani defectio fiat, et appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine. Sciens enim venturnm Dominum ad se comprimendum, nomen ejus sibi usurpabit, ut et regnum ejus verum videatur, et trahat secum qui simul cum eo pereant, ut in sede Domini, in sede sedeat Christi; ut ipsum Deum se asserat, non Filium Dei. Unde in Evangelio ad Judæos Dominus ait: *Ego veni in nomine Patris mei, et non me recepistis: et alius venerit in nomine suo, illum recipietis* (*Joan.* v, 45). Quamobrem ex circumcisione, aut circumcisum venire illum, sperandum est, ut sit Judæis credenti illi fiducia. Itaque cum Thessalonicensibus scribit Apostolus, docet omnes in re hujuscemodi cautos esse debere.

Non meministis quod me adhuc apud vos agende hæc dicebantur vobis? Et nunc quid detineat, scitis, ad hoc, ut reveletur ille in suo tempore. Hoc superesse dicit, ut reveletur ille, qui ante Dominum venturus est, ut jam speretur et Dominus venturus, quod supra, quasi sub velamine fatus est, dicens: *Nisi prius venerit defectio,* quam regni Romani abo-

(1290) Vulg. habet, *si tatem:* unde forte *si quidem* legendum.

(1291) Verbum *continet* supplevimus ex operibus divi Ambrosii.

litionem superius intelligendum memoravi ;ut cum defecerit et venerit Antichristus, tunc adventus Domini imminere credatur.

Nam mysterium jam operatur iniquitatis ; tantum ut qui nunc tenet, teneat, quousque de medio fiat. Mysterium iniquitatis et a Nerone cœptum est, qui zelo idolorum, et apostolos interfecit, instigante patre suo diabolo, usque ad Diocletianum,et novissime Julianum,qui arte quadam et subtilitate cœptam persecutionem implere non potuit, quia desuper concessum non fuerat. His enim ministris utitur Satanas,ut interim sub turba deorum ad seducendos homines unius veri Dei manifestationem illudat,quandiu steterit regnum Romanum.Hoc est quod dixit : *Donec de medio fiat.*

Et tunc revelabitur ille iniquus (*Isa.* xi, 4), *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui ,et destruet illuminatione præsentiæ suæ. Cujus est adventus secundum operationem Salanæ in omni potestate, et signis, et prodigiis mendacii.* Post defectum regni Romani appariturum Antichristum dicit, sicut memoratum est.Novissimo enim tempore sciens diabolus imminere sibi interitum,deficiente autem regno Romano,et ille de cœlis mittetur deorsum projectus in terram,sicut dictum est in Apocalypsi Joannis apostoli, subornabit sibi, in quo, et per quem signa quædam virtutis permissu justi Dei faciens,se commendet, ut adoretur quasi sit Deus. Imitabitur enim, ut sicut Filius Dei divinitatem suam homo natus vel factus,signis ac virtutibus demonstravit, ita et Satanasin homine apparebit, ut virtutibus mendacii ostendat se Deum,sicut supra dictum est, Revelatio vero mysterii iniquitatis hæc est. Cum apparuerif Antichristus,cognoscetur ipse esse quasi eorum Deus,quos prius nutu ejus, ut deos coluit vulgus,quorum sit ipse primus, aut summus,quod signorum virtutibus faciet credibile. Ideo mendacii portenta dixit,quia hoc se vult credi per signa,quod non est,ut decipiat quos circumventurus est. Quod sonetis ideo prædictum est,ut sciant quid caveant.

In omni fallacia iniquitatis his qui pereunt, pro eo quod dilectionem veritatis non susceperunt ad hoc, ut salvi fierent. His dicit fallaciam iniquitatis prodigiorum ejus proficere,qui perituri sunt. Quia enim veritatem spreverunt, per quam salvari poterant, apostolis prædicantibus, traditi sunt diabolo. Nolentes enim salvari, deseruntur a Deo.

Et idcirco mittit illis Deus operationem erroris in hoc, ut credant mendacio, quatenus judicentur omnes, qui non crediderunt veritati,sed consenserunt iniquitati. Operatio erroris est falsis fidem committere,ut qui claritatem luminis diem esse consentire noluerunt,putent tenebras diem dici debere ut possint propensiori delicto rei facti sine contradictione damnari,veritatis inimici, factores (1592) autem iniquitatis.

Nos vero debemus gratias agere Deo semper de vobis,fratres,dilecti a Domino, quia assumpsit Deus a principio ad salutem iu sanctificationem spiritus, et fidem veritatis, in quam et vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi. Hoc loco præscientia Dei personat, qui scit omnium mentes ante nativitatem eorum. Nec enim latet illum qui credituri sunt. Idcirco hos a principio scit fideles fore,qui credentes augmentum fidei faciunt,non detrimentum : sanctificati enim per fidem veritatis Evangelii Filii Dei, acquirantur ad augmentum gloriæ corporis Christi,sicut in alia Epistola ait : Ut crescant, inquit, omnia in incrementum Dei (*Ephes.* iv, 15 ; *Coloss.* ii, 19.) Quicunque enim deserto diabolo confugiunt ad fidem Christi,augmentum faciunt Deo in corpore Christi, qui prius fecerant detrimentum.

Iteque, fratres,state, et tenete traditiones nostras, quas didicistis, sive per verbum,sive per Epistolam nostram. Ut præscientia Dei maneat in salutem illorum, idcirco in traditione Evangelii standum, ac perseverandum monet,ut solliciti sint ne desidia et otio torpentes in operibus Dei,non impleant quod cœperunt. Sic enim præscitur credere et posse manere, si crebra admonitione pulsentur.

Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem æternam,et spem bonam in gratiam, consoletur corda vestra, et stabiliat in omni opere et verbo bono. Quoniam Pater, et Filius una virtus, unaque divinitas, et scienta (1293) est ; ideo non dubitavit primum Dominum nostrum Jesum Christum nominare, deinde Deum Patrem nostrum dignatione ejus, non veritate naturæ : qui in tantum dilexit nos, ut Filium suum daret pro nobis, Deum pro hominibus, pro servis Dominum, pro adoptivis Filium vernm, ut mors ejus vita nostra sit, et resurrectio ejus justificatio nostra, secundus adventus ejus requies vitæ nostræ et gloria in æternum, ut ista spes consolatio sit præsentium pressurarum, per quam fundati bonis operibus crescerent, et doctrina.

(Cap. III.) *Quod reliquum est, fratres, orate pro nobis,ut verbum Domini currat, et clarificetur, sicut et apud vos et liberemur ab iniquis et nequam hominibus. Non enim omnium est fides.* Ut dignetur Deus doctrinam suam infatigabili cursu dirigere,et transfundere per os Apostoli sui in aures audientium, et ut compesceret, et sedaret malorum hominum,seditiones, qui diffidunt veritati,et loquendi fiducia cresceret Apostolo ad ejus fructum, et ad conversionem multorum.

Fidelis autem Deus, qui stabiliet vos et custodiet: a malo. Quoniam Deus fidelibus et bonæ vitæ auxilium suum non defuturum in necessitate promisit, ad confirmationem illorum ; hi autem tam in fide quam in opere æmuli erant bonorum,idcirco fidelem

(1292) *Fautores* legitur in impressis divi Ambrosii expositionibus.

(1293) In operibus divi Ambros. impressis loco *scientia* legitur *substantia*, forte *essentia* legendum erit in cod.

Deum dicit in promissis ejus, quia providentia ejus esset circa eos.

Confidimus autem in Domino de vobis, quod ea, quæ præcipimus, et facitis, et facietis. Propter quod mereri illos, ut Dei defensione tutos præstari confideret, idcirco ea, quæ illis præcipiebat in nomine Domini fieri ab illis, et futura esse non dubitabat.

Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione Dei et exspectatione Christi. Hoc illis exoptat a Deo, quod non ambigit posse præstari, ut in Dei charitate cor eorum proficeret ad exspectandum adventum Domini, ut condemnato (1294) sæculo desideretur adventus ejus qui sæculum vicit.

Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi secernere vos ab omni fratre intemperanter ambulante, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Quoniam in omni plebe non omnes obedientes sunt verbo doctrinæ, non legis, sed suum placitum et consilium sequentes, propter hoc declinandum ab his præcipit, ut cognoscant semetipsos errare.

Ipsi enim scitis quemadmodum debeatis imitari nos; quia non intemperanter viximus inter vos, neque gratis panem edimus a quoquam, sed in labore, et fatigatione, nocte, dieque operantes ab hoc, ne graves essemus cuiquam vestrum, non quia non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Non illos ignaros dicit operis et laboris sui, quem sedulo exitu operabatur, ne pane indigeret alieno, ut exemplum daret eis ad imitandum illum. Neque enim reprehensibile esset, si panem ab his acciperet ab corporis curam, qui animis illorum escam spiritalem præbebat, quæ etiam corpori immortalitatem cum gloria procuraret. Tunc etenim exerta potest esse libertas, si semetipsum quis ventris causa aut pecuniæ nulli subjiciat, suo pane contentus; maxime, quod ad laudem magis proficit, si cum liceat, et sit sumendi potestas, contineat. Hic talis prodesse potest audientibus se. Reverentiam enim habebunt rigoris hujus, et ea, quæ ab hoc mandantur, prætermitti non poterunt.

Nam cum essemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis, quod si quis non vult operari, nec manducet. Non solum verbis docebat, sed hortabatur et factis. Idonei enim magistri est, si ea, quæ verbis doceat, operibus expleat. Tunc etenim addiscentes vera esse sciunt quæ audiunt, si negligi illa non viderint a doctore. Quamvis enim manifeste vera esse non ignorentur quæ docentur; tamen si negligi cœperint a magistro, difficile proficiunt audientibus. Magis enim opera suadent, quam verba. Quamobrem magis præmiis remunerandi sunt, qui, negligentibus magistris, de solis verbis proficiunt, tam in opere, quam in sensu. Forma enim erat his qui mediocris, vel tenuis erant substantiæ in plebe, ut discerent quatenus libertatem suam non amitterent. Unde et Salomon: Raro, inquit, inferes pedem ad amicum tuum; ne saturatus tui oderit te (*Prov.* xxv, 17). Qui enim frequenter ad alienam mensam convenit, otio deditus aduletur necesse est pascenti se, cum religio nostra ad libertatem homines advocet. Ideoque si quis, inquit, manducare spernit, cesset a labore ut quia nullus sine cibo potest vivere, det operam laborandi, ut arbitrio suo vivens, Deum possit habere propitium.

Audivimus enim quosdam ambulare inter vos intemperanter, nihil operantes, sed curiose agentes. Qui otiosi esse desiderant, id agunt, quatenus occasio nascatur, qua introitum suum desiderabilem faciant domibus divitum, ambulantes, et opiniones verborum subtiliter colligunt, scientes quid de quo velint audire, ut libenter et requisiti pascantur. Quod factum valde adhorret a disciplina Dominica. Horum enim venter Deus est, qui fœda cura necessaria provident.

His igitur hujusmodi denuntiamus, et exhortamur in Domino Jesu Christo, ut cum quiete operantes, suum panem manducent. Ut eis facilius suadeat, interposito nomine Domini Jesu Christi, exhortatur eos, ut obaudiant quid eis sit utile.

Vos autem, fratres, nolite deficere benefaciendo. Quod si quis non obaudit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, et nolite cum eo versari, ut reverentia confundatur. Non velut inimicum existimetis, sed monete consiliis, ut fratrem. Propter quod superius unumquemque suum panem manducare præcepit, ne forte quidam illorum occasionem parcitatis et inhumanitatis captarent, ideo statim subjecit: *Vos autem*, inquit, *fratres, nolite defatigari benefacientes* (*Gal.* vi, 9). Neque enim in reprehensionem venit, qui humanus in largiendo est; sed hic, qui cum possit laborem ferre, otio vult vitam agere. Quem si Epistolæ auctoritas non corrigit, notandum hunc, nec conversandum cum eo præcipit, ut confusus qui ab omnibus evitatur, subjiceret se præceptis Apostoli. Quod tamen sine iracundia et contumelia vult fieri, ut patienter declinetur ab eo; ita tamen, ut si res attulerit loqui cum eo, monendum illum, ut patiatur se corripi, nec ultra præcepta Apostoli contemnenda: familiaritatem quoque tandiu cum eo non habere, quandiu obaudiens fiat. Nam si ad iracundiam contumeliis lacessitur, pejor fiet. Incitatur enim ad contentionem, et incipiet erratum suum velle defendere; possit autem erubescere emendare se, ne quod prius excusabat, postea fateri videatur.

Ipse autem Deus pacis det vobis pacem semper in omni loco. Dominus cum omnibus vobis semper. Quod suum est, bono voto illos prosequitur quasi charissimos filios, optans semper cum eis pacem habere, quæ dux ad vitam æternam, cum his enim Dominus se esse promisit, qui fuerint pacifici.

Ipsa salutatio mea manu Pauli; quod est signum

(1294) *Contempto* habent impressi cod.

in omni epistola; in scribo. Propter interpolatores et adulteratores scripturarum semper se manu sua in omni epistola sua salutationem subdescribere testatur, ut sub nomine ejus Epistola accepto ferri non possit, quæ non fuerit manu ejus subscripta. A *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus.* Hæc salutatio manu Apostoli conscripta est, qua gratiam Domini nostri Jesu Christi optat esse cum eis. *Amen.*

Finis Epistolæ secundæ ad Thessalonicenses.

EPISTOLA I AD TIMOTHEUM (1295).

ARGUMENTUM.

Timotheus filius fuit mulieris Judææ fidelis, patre Græco, cujus causa parvulus circumcidi non potuit. Qui studio matris suæ sacras litteras didicit, quibus operam dans bonam sibi vitam instituit. Hunc Apostolus cum voluisset assumere, sciens idoneum fore dispensatorem evangelicæ veritatis, causa Judæorum B compulsus est circumcidere eum, instantibus eis, ut qui matre Judæa natus esset, incircumcisus assumi non deberet ad magisterium propter testimonium generis. Hunc ergo jam creatum episcopum instruit per Epistolam quomodo deberet Ecclesiam ordinare.

(Cap. I.) *Paulus Apostolus Christi Jesu secundum imperium Dei Salvatoris nostri Jesu Christi spei nostræ, Timotheo germano filio in fide, gratia, misericordia, pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.* Patris, et Filii imperio Apostolum se factum ostendit, ut in Deo Patre salutem, et Christo Filio ejus spem prædicaret, ut quia nemo negat salutem esse in Deo, nec quisquam dubitaret spem esse in C Christo Jesu, quem a mortuis excitatum, exemplum hujus spei dedisse cognosceret. Hoc modo scribit Timotheo, ut securus esset de sua ordinatione, quia imperio Patris, et Filii electus est ad docendum. Quem verum Filium appellat, sed in fide, sicut dicit ad Corinthios: *In Christo enim Jesu*, inquit, *per Evangelium ego vos genui* (*I Cor.* iv, 15). Hæc vera et firma generatio est, quæ nescit occasum, nescit morbos, et pestilentiam, et quæ ignorat famem et sitim. Dicit autem in regno Dei nullius egere, quia futura est domo Dei immortalitas gloriosa in regno Dei et Christi, quorum gratiam, et misericordiam, et pacem exoptat cum isto manere.

Sicut rogavi te subremanere Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denunties quibusdam ne aliter doceant, neve intendant fabulis, et genealogiis infinitis, D *quæ quæstiones præstant, magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.* Filius a Patre rogari non debuit, sed propter charitatis affectum, et ut illi formam humilitatis ostenderet, obsecrat episcopus coepiscopum suum, ne pateretur Judæos aliter populum, quam ab Apostolo tradebatur, docere, nec oblectarentur fabulis, quas narrare consueti sunt Judæi de generatione suarum originum de Abraham, et Isaac, et cæteris patriarchis, et de circumcisione, et his, quæ postea tradita sunt a Moyse, ne circumvenirentur ad hæc colenda, quæ carnaliter data fuerant Quid enim opus est, generationum, quas constat esse infinitas per traducem, facere mentionem; e quid, et quatenus factum est sub unoquoque eorum, et non potius compendio per fidem salutem quærere? Inde enim quæstiones oriuntur, cum quid, et quando, et quomodo, et quare factum est, tractatur: quæ res impedit salutem.

Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non simulata: a quibus quidam errantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant. Quoniam omnium major est charitas, hanc finem esse dixit, id est, perfectionis, consummationem omnium præceptorum, si tamen ex corde puro sit et bona conscientia. Vera enim charitas non potest malam vitam habere, nec simulatam fidem, in quibus omnis lex impletur, et prophetæ. Quidam autem Judæorum mysterium legis ignorantes, et prophetarum, quia usque ad Christum servanda sunt tradita, erraverunt, prædicato Christo, et legem factorum in neomeniis, et circumcisione, et escis discernendis servari debere. Idcirco in vaniloquium dicit eos esse conversos, quia volebant docere quæ ignorabant.

Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: certum habens hoc, quod justo lex non est posita; injustis vero et inobsequentibus impiis et peccatoribus, scelestis et profanis, parricidis et matricidis et fornicatoribus, homicidis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adservatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. Bonam esse legem, quæ per Moysen data est, non negat; ita tamen, ut sensus ejus sciatur, et quomodo data est, recipiatur. Hic enim scit legem, et qua causa data sit, qui prædicatio Christo deserit illam ex parte, qua lex factorum appellatur; circa dilectionem autem Dei utatur ea, asserens, et affirmans quæ a Salvatore dicta sunt, a lege et prophetis. Hic enim legitimo utitur lege, qui potest discernere ea, quæ ad tempus data sunt, ab his quæ perpetua sunt; et quæ ad Christi pertinent sacramentum, servari jam in futurum non oportere, quasi venturus credatur qui jam venit. Si ergo omnia locis suis accipiantur, bona sunt; si quo

(1295) Hujus Epistolæ, ut et duarum superiorum argumentum et expositio Hilarii diaconi est.

minus, mala erunt asserenti perverse. Peccare est enim unaquæque minime locis suis exponere. Præterea quia justis lege non opus est, id est, his qui, accepta remissione peccatorum, justificati sunt, ne jam vivant sub lege, a qua liberati sunt dono Dei per fidem Christi, ut de cætero servata lege naturæ, quæ Creatoris cognitionem recepit, et non peccari hortatur; judicii diem expectent, in quo justi remunerandi sunt custodientes legem naturalem, quam si humanum genus ducem habuisset, lex in litteris per Moysen data non fuisset. Sed quia contemptui ducta est, quasi nullius esset auctoritatis, Scriptura firmata est, ut sciretur quod servanda esset, et propter tempus præsens, et quia requisiturus est in futurum qui illam firmavit, a quibus neglecta, et a quibus servata est. Itaque non solum propter malos actus et vitia corporis legem datam dicit, sed propter perfidiam, qua spernebant Creatorem, ut bene vivere addiscerent et gratias agerent Conditori.

Et gratias ago ei, qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro, quod fidelem me existimavit, ponens in ministerium, qui prius eram blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci nondum credens. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu. Propter quod omnis incredulus infirmitatem animi patitur, constrictus carnali ratione ne credat spiritali; idcirco Christo se gratias dicit agere, quia apparentia majestatis suæ inbecillitatem mentis ejus roboravit; quia impossibile putabat esse quod de Domini potestate, et gemina nativitate, et resurrectione, et spe prædicabatur. Confirmatus autem talis visus est, qui dignus esset ac posset dispensator esse sacramenti Dominici, ut ea vera per legem firmaret, quæ prius amore legis incredibilia judicabat, et in persecutionibus gauderet, quas prius quasi juste credentibus inferebat, dolens quia fecerat, lætus quia patiebatur. Tantam enim spem didicerat in eo, quem ante negabat, ut plus gauderet in patiendo, quam prius exsultaverat in persequendo. Non enim malitia hoc agebat, sed errore, cui facile potest, cum recipiscit (1296), ignosci. Qui autem scit vera esse quæ negat, hic non errore hoc agit, sed malevolentia. Hujus insanabile vulnus est. Invidia enim compellitur falsum appellare quod scit verum.

Humanus sermo, et omni acceptione dignus quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem magnanimitatem, et patientiam, ad exemplum eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Quid tam gratum, tamque jucundum, quam peccatoribus indulgentiam prædicare Quis enim sine peccato est, ut hoc munus non communi (1297) gratiarum actione suscipiat, Deum auctorem hujus præferens, et collaudans in Christo? Qui ut hominem peccatis ablueret, de cœlestibus ad terrena descendens, carnem peccati accepit, terrenis se admiscuit, ut eum cœlestem efficeret, mori se passus est, ut illum morte erutum paradiso redderet immortalem. Quis hæc beneficia non in infinitum extollat, quæ Deus præstitit homini, Dominus servo, Conditor creaturæ; ut plus adhuc esset in beneficiis humamis, quam cum fecit quæ non erant, posteaquam fecit? Etenim derelictus ab his, et contemptus, et contumelis appetitus, addit ad beneficia non requisitus, ut gracior esset, et plus præferendus dum reparat quam cum fecit, ut ostenderet unum se esse, qui hæc omnia possit. Igitur sic Christus præsidium tulit homini, ut puritatem suam non violaret, nec admitteret potestatem. Hominem enim nasci se voluit, pro certo habens carnis contactu se minime violari. Conversationi humanæ se miscuit, sciens peccatis se corrumpi non posse. Occidi se passus est, non nescius mortem sibi dominari non posse, sed eam sua opprimere potestate. Hæc ergo gessit, ut omnia se posse doceret. Humilitas enim ista non ad diminutionem ejus proficit, sed ad gloriam, et non solum ejus, verum etiam in ipsum credentium. Dignitas est enim servum esse potentis. Cum ante Apostolum multi utique credidissent Judæorum ex his, qui Dominum ipsum occiderunt, Apostolus tamen, ut se humiliet, adhuc dolens de sua incredulitate, primum se omnium peccantium vocat. Quoniam enim præ cæteris sacramento se imbuit Salvatoris, propius ad cognoscenda magnificentiam ejus accedens, accusat se magis, qui tantum boni tarde agnovit, nec ultro, sed misericordia ejus præventus, ut ipse testis esset, divinitatis ejus, quem prius ut hominem mortuum æstimabat. Hæc accusatio ejus est. Iaus vero Salvatoris qui ad exemplum cæterorum credentium persequentem se vocavit ad gratiam, ut per patientiam suam, magnanimitatem in eo ostenderet cæteris, qui inimico tam benevolus exstitit, qualis esset futurus ad se decurrentibus.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Hæc ad Dei Patris personam pertinent, quem immortalem ideo solum, et invisibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipso est, ut ipsi soli magis competat in veritate, quia quisque immortalis est, non a se hanc habet, sed ab illo. Simili modo et in Evangelio legitur dicente Domino: *Quia nemo est*, inquit *bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* x. 18). Et iterum ipse dicit: *Bonus homo de bono thesauro profert bona* (*Matth.* xii, 35). Nemo tamen, nisi unus Deus, bonus est, quia Ipse fons bonitatis est, ex quo cæteri potantur, ut boni sint. Ipse est et invisibilis solus Deus, quia nulli unquam visus est. Omnia enim

(1296) Emendatum legitur in Ambrosiastri Operibus. In marg. ita: *potuit, cum resipuit.*

(1297) In impressis divi Ambrosi Operibus *non cum omni.*

agit per Filium, quem idcirco visum dicimus, ut licet aliter quam est, apparuisse (1293) tamen illum significemus. Honorificentiam ergo,et gloriam Deo Patri in veritate pronuntiat, cujus pietate ac providentia Christus liberavit peccatores ex morte.

Hoc præceptum commendo tibi, fili Tomothee, secundum præcedentes super te prophetias,ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus, et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. Postquam Dei Patrie, et Christi Filii ejus, quæ et quanta beneficia sint circa peccatores homines, memoravit ; qui cum essent puniendi, non solum ignovit eis, sed et justificavit,et in filios sibi adoptavit, quo ordine populum disciplina ecclesiastica imbueret : in subjectis ostendit,commonens,ut memor electionis suæ sanctus Timotheus id, ad quod destinatus est, impleat. Prædestinatus est enim, quando ad hoc ab Apostolo assumptus est, ut ordinaretur, dignus judicatus futurus episcopus, ut impleret militiam evangelicam in fide et pura conscientia. Qui enim fideliter docet,non potest malam habere conscientiam. Tunc enim fidem exhibet prædicationi, si se abstineat a contrariis omnibus, quia exemplo bonorum operum multos lacessit ad credelitatem, fidentes de spe prædicationis. Nam qui fidem spernit, procul dubio malæ est conscientiæ. Aut enim hypocrita prædicator, aut apertus blasphemus, sicut erant Hymenæus, et Alexander, qui deferentes fidem naufragi facti sunt, id est, nudi veritate, aut privati vita. Quid est enim veritas, nisi vita ? Quos tradidisse se dicit Satanæ, ut emundarentur (1209) causa blaspheniæ. Traditio autem hæc est, quia commotus Apostolus blasphemiis eorum sententiam protulit in eos. Diabolus autem, qui ad hoc paratus est, ut aversus a Deo accipiat in potestatem, audita sententia, corripit eos, ut intelligerent hac causa se pœnis adstringi, quia blasphemaverant. Hinc est, quod in Evangelio dictum est inter cætera : *Jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat* (*Joan.* v, 14). Ostendens causa peccati aliquando infirmitates inferri corporibus, Et quia ministro diabolo fiunt, declaravit Dominus, dicens inter multa : *Hæc autem cum sit filia Abrahæ, quam alligaverat Satanas decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo die Sabbati ?* (*Luc.* xiii, 16).

Cap. II.) *Exhortare ergo primum omnium fieri deprecationes, orationes, prostulationes, gratiarum actiones pro hominibus, pro regibus, et pro omnibus qui in sublimiori loco positi sunt, ut placitam, et quietam vitam degamus in omni pietate, et castitate. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Hæc regula ecclesiastica est tradita a magistro gentium, qua nituntur sacerdotes nostri, ut pro omnibus supplicent,deprecantes pro regibus hujus sæculi, ut subjectas habeant gentes, ut in pace positi, in tranquilitate mentis, et quiete Domino nostro servire possimus. Orantes etiam pro his, quibus sublimis potestas est credita, ut in justitia, et veritate gubernent rempublicam,suppeditante rerum abundantia,ut amota perturbatione seditionis, succedat lætitia. Panis enim confirmat cor, et vinum lætificat mentem (*Psal.* ciii, 14). Postulantes vero pro his, qui in necessitate varia sunt, ut eruti, et liberati Deum collaudent incolumitatis auctorem. Referentes quoque gratiarum actiones pro his quæ nobis quotidie Dei providentia præstantur ad vitam,ut in his omnibus Pater collaudetur Deus, ex quo sunt omnia,et Filius ejus, per quem sunt omnia. Ut sopitis omnibus, quæ huic imperio infesta,et inimica sunt,in affectu pietatis, et castitatis Deo servire possimus. Perturbatio enim, et captivitas nec pietatem servat, nec castitatem. Unde enim pius, qui nudus est ? Et unde castitas, ubi potestatis suæ non est ? Ut ergo hæc servari possint, quies necessaria est, ut placita Deo reddantur obsequia, qui omnes homines salvos vult fieri, et cognoscere veritatem. *Hæc*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Si Deus utique, qui omnipotens dicitur omnes homines salvos vult fieri, cur non impletur ejus voluntas ? Sed in omni locutione sensus et conditio latet. Unde dicit Petrus apostolus (*II Petr.*. i, 20) : *Omnis scriptura indiget interpretatione* (1300).Vult enim Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum.Non enim sic vult, ut nolentes salventur,sed vult illos salvari, si et ipsi velint. Nam utique qui legem omnibus dedit nullum excepit a salute. Nunquid non medicus idcirco proponit in publico,ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab ægris requiratur ? Non est enim vera salus, si nolenti tribuatur, nec gaudere potest in percepta salute, qui invitus, si tamen potest fieri, accipit medicinam, ut non dicam quia medicinæ effectum habere non potest,nisi ad illam æger animum commodaverit. Quia hæc medicina non est corporalis, sed spiritalis,quæ neque dubiis proficit, neque invidis. Fides enim est,quæ dat salutem, quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nihil proderit, sed et oberit. Fidei etenim gratia hanc habet potestatem, ut devotis sibi divinam infundat medelam, indevotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat.

Unus enim Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Dei, et Christi unam significat esse voluntatem in salvandis hominibus : unde Deum Patrem, quia ab ipso est omnis auctoritas, unum esse fatetur, et unum mediatorem Dei, et hominum

(298) Ita etiam in impresso a Maurinis Ambrosiastro, ubi adnotarunt editores *apparaisset* minus recte in aliquibus manuscriptis legi. In nostro codice recte legitur *apparuisse*.

(1299) In Ambrosiast. *emendarentur*.

(1300) Vulg. *Omnis prophetica Scripturæ propria interpretatione non fit*.

Christum Jesum.Missus enim a Patre,factus arbiter, reconciliavit Deum et homines, reformando eos ad agnitionem ejus.Quia enim unus est Pater et Filius, non persona, sed indifferenti natura, ut arbiter esset Dei et hominum, Filius Dei assumpta carne, homo natus est,ut Mediator Dei et hominum homo esset Christus Jesus, id est, non sine divinitate, quia in Deo homo erat, et Deus in homine; et ut ex utroque esset Mediator, et utrumque reconciliaret, in se primum hoc fecit. Non enim poterat unitatem Dei custodiens,Mediator Dei et hominum vocari, quasi alius esset Deus,qui dissidentem hominem a Deo in gratiam revocaret, sed homo, qui legem datum non præteriret, factus est arbiter inter eum qui peccavit, et inter illum qui peccare ignorat, ut hic ignosceret,et homo de cætero in Dei fide maneret.

*Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Cujus testimonium temporibus suis datum est; in quo positus sum ego prædicator et apostolus (veritatem dico, non mentior), magister gentium in fide et veritate.*Quoniam homo jam reconciliatus Deo,obnoxius erat morti infernæ, ne ad eum, cui reconciliatus erat, possit ascendere; Salvator,ut arbitrium suum ad effectum perduceret,mori se passus est, contra jus,ut descendens ad inferos mortem de impietate, quam in eo gesserat, damnaret, auferens ei quos tenebat,ut de cætero quisque signum ejus haberet, ab ea teneri non posset. Cujus rei testimonium, tempore quo surrexit, ostendit. Destructio enim mortis,resurrectio mortuorum est.Quam spem missus est hic Apostolus gentibus prædicare, ut ab eo discerent quare spes esset in Christo. Hinc enim datus est magister, ut fidem doceret et veritatem.

Volo itaque orare viros in omni loco, levantes sanctas manus sine ira et disceptatione. Pacificum animum in oratione esse debere, ut ad effectum deducatur oratio.Sanctæ enim manus sunt quando cor mundum est.Sic tamen in omni loco orandum præcipit,ut competens locus intelligatur,non utique importune, aut sordido loco, quippe cum prohibeat Dominus vulgo orare (*Matth.* VI, 6) : sed hoc monet, ne in sola Ecclesia putarent orandum.

Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia, et pudicitia, ornantes semetipsas non tortis crinibus,aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa : sed (quod decet mulieres) profitentes pietatem per opera bona. Humili habitu mulieres orare debere, non in jactantia. Qui enim vult audiri,inclinare se debet,amota a se pompa, ut misericordiam Dei provocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se facit credi. Quis enim prudentium jactanter ornatam mulierem non horreat? Quanto magis auctor Deus,qui corpus a se liberum factum, obligatum metallis videt?Nam humilis habitus bonæ professioni congruit ut possit non aliud æstimari quam cernitur. Quæ autem in domo Dei cum pompa se mavult videri, non utique propter Deum, sed propter homines consequitur quod vult,ut gloriosa videatur, nihil consecutura a Deo, nisi maculam. Quanto enim hominibus splendida videtur, tanto magis despicitur a Deo.

Mulier in silentio discat in omni subjectione. Docere autem mulieri non permittitur, neque dominari viro, sed esse in silentio. Non solum habitum humilem habere debere mulierem, verum etiam auctoritatem ei denegandam, et subjiciendam præcipit viro, ut tam habitu, quam obsequiis sub potestate sit viri, ex quo trahit originem.Adam enim primus creatus est, deinde Eva,et Adam non est seductus ; mulier autem seducta facta est in prævaricationem.

Salva autem erit per filiorum generationem, si manserint (1301) *in fide, et in dilectione, et sanctimonia cum pudicitia.*Præfert virum mulieri, propter quod primus creatus est; ut inferior sit mulier, quia post virum, et ex viro creata est. Accedit et aliud,quia diabolus non virum seduxit, sed mulierem ; vir autem per mulierem deceptus est, ac per hoc nulla illi concedenda audacia est, sed esse debet in humilitate, quia per illam mors intravit in mundum. Salva autem erit,inquit, per filiorum generationem, si tamen in fide manserint, et charitate et pura vita. Hos enim filios dicit, qui regenerantur per fidem Christi,quia si in generatione sua perseveraverint, cum his liberabiter resurgens ex mortuis, non quod ab illis liberalitur, sed per illorum generationem, cum credunt qui destinati sunt in vitam æternam, pervenitur ad resurrectionem ex mortuis, et fiet salva credentibus illis, et vitam castam agentibus (1302). Tandiu enim resurrectio suspensa est, quandiu omnes credant prædestinati ad salutem.

(Cap. III.) *Humanus sermo est : Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quoniam episcopum bonæ vitæ esse oportet; idcirco qui episcopatum cupit, bonum opus desiderat; hoc enim cupiens, bonam vitam appetere videtur, si tamen non ab his declinet, quæ in subjectis habentur, ne ambitione et desiderio pecuniæ hoc egisse videatur.

Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse. Qualis episcopus debeat esse, describit, ut nemo episcopatum appetat, nisi fidus fuerit, qui ab omnibus contrariis abstinere se potest,ut non indignus sit sua professione.

Unius uxoris virum. Quamvis secundam numero uxorem non sit habere prohibitum, ut tamen quis dignus ad episcopatum sit,etiam licita debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis, quia cæteris melior debet esse,qui cupidus est sedis illius.

Sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem,

(1301) Vulg. *permanserit :* in Græcis editionibus autem habetur *si permanserint*, quibus nostra consentit.

(1302) Id est, propter educationem et institutionem,quod est præcipuum mulierum munus; quod si negligant, salvæ fieri nequeunt. Non negandum tamen obscuram esse hujus loci interpretationem.

non obnoxium vino,non verberatorem sed modestum, non litigiosum, non asperum, domum suum bene regentem, filios habentem subditos cum omni (1303) *charitate.* Talem hominem, qui hæc custodiat, quæ enumerat, bona,creari debere dicit episcopum. Hæc enim signa sunt dignitatis episcopalis. Si quis autem potiora sectatus, et corpus et animam suam Deo dicaverit, ne se copulet matrimonio,tanto magis dignus fiet. Ideo enim inferiorem posuit, ut de notiore nemo dubitaret.

Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Manifestum est, quia tunc potest idoneus rector futurus probari, si prius domum suam recte gubernaverit : *Qui enim in minimis fidelis est, et in magnis* (*Luc.* XVI, 10).

Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. Verum est, quin rudes in fide solent extolli superbia, maxime si accipiant ordinem. Novitate enim et potestate inflatur, arbitrans se præ cæteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis collatum in se honorem, putat non magis ad suum,sed ad aliorum profectum se vocatum, quasi beneficium religioni det magis quam accipiat ab ea; per quam rem elatus incurrit laqueum diaboli. Inventa enim occasione superbiæ illius,Satanas præcipitat eum. Ideoque in Salomone legitur : *Superbis Deus resistit* (*Prov.* XV, 21; *Sap.* XV, 14; *Eccli.* X, 21). Unde in alia Epistola idem Apostolus ait : *Qui se putat esse aliquid, se ipsum seducit* (*Gal.* VI, 3). Et Dominus : *Qui se*, inquit, *exaltaverit humilitabitur* (*Luc.* XIV, 11).

Oportet autem eum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt. Sensum Dominicum secutus, ait oportere futurum episcopum, testimonium bonum habere ab extraneis : quia qui *minimis fidelis est, et in magnis*, sicut dicit Dominus (*Luc.* XVI, 10). *Si in alieno mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* (*Ibid.* 11). Ut hic, qui in mundanis rebus, et conversatione humana fidelis minime invenitur, dubium non sit,quia et in divinis rebus idoneus non erit. Si autem hominibus fidem exhibuerit, multo magis Deo.Si timorem Dei ante oculos non habuerit episcopus,tempori magis se commendans, hunc quasi infidelem et pseudoprophetam deserit Deus, et deformis videtur omnibus et maculosus, quia aliter facit quam prædicat, verbis suis ipse se accusans, quia deputatus est gregi Satanæ.Tunc enim vera se probat prædicare, si ea conetur et gerere. Magna ergo cura eligendus est qui domum Dei regendam accipiat.Si enim terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cœlestium?

Diconos pari modo publicos, non bilingues, non vino multo deditos, non turpibus lucris vacantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura; et hi autem probentur primum,et sic ministrent sine crimine. Qui tanta cura diaconos eligendos præcipit, quos constat ministros esse sacerdotum,quales vult esse episcopos, nisi, sicut ipse ait, irreprehensibiles? Negotia tamen publica, turpia, vilia non habentes. Scit enim ideo negotiari,ut capiant lucra, nec aliud profitetur,quam gerit. Turpis enim deprehenditur, cum se purum ostendit. Post episcopum tamen, diaconatus ordinationem subjecit.Quare? Nisi quia episcopi et presbyteri una ordinatio est. Uterque enim sacerdos est. Sed episcopus primus est : ut omnis episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est.Denique Timotheum presbyterum ordinatum significat; sed quia ante se alterum non habebat,episcopus erat.Unde et quemadmodum episcopum ordinet,ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit quod non accepit.

Mulieres similiter pudicas, non studentes discordiæ. sed sobrias, fideles in omnibus. Quia sanctum præcepit creari Episcopum,adæque et diaconum,non utiqoe disparem vult esse plebem, quippe cum dicat Dominus : *Sancti estote, quia ega sanctus sum* (*Lev*, XIX, 2). Ideoque etiam mulieres, quæ inferiores videntur, sine crimine vult esse, ut munda sit Ecclesia Dei. Sed Cataphrygæ occasionem erroris captantes,propter quod post diaconos mulieres alloquitur, etiam ipsas diaconas debere ordinari vana præsumptione defendunt,cum sciant apostolos septem diaconos elegisse. Nunquid nulla mulier tunc idonea inventa est, cum inter undecim apostolos sanctas mulieres fuisse legamus? Sed ut hæretici animum suum verbis, non sensu legis astruere videantur, Apostoli verbis contra sensum nituntur Apostoli, ut cum ille mulierem in Ecclesia in silentio esse debere præcipiat, illi econtra etiam auctoritatem in Ecclesia vindicent ministerii.

Diaconos sint unius uxoris viri, filiós bene regentes, et domos proprias. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multum fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. Ea, quæ minus dixerat de ordinatione diaconatus, nunc subjecit.Ostendit etiam istos unius uxoris viros esse debere, ut hi ad ministerium Dei eligantur, qui non sint egressi constitutum Dei. Homini enim unam uxorem decrevit Deus, cum qua benedicatur. Nemo enim cum secunda benedicitur.Qui si filios bene gubernaverint, et domos suas, id est vernaculos, aut domesticos,poterunt digni fieri sacerdotio, et fiduciam habere apud Deum, ut sciant se posse impetrare quod postulant,jam de cætero se ab usu feminæ cohibentes. Veteribus enim idcirco concessum est levitis,aut sacerdotibus uxores ad usum habere, quia multum tempus otio vacabant a ministerio aut sacerdotio.Multitudo enim erat sacerdotum et magna copia levitarum,et unusquisque certo tempore serviebat divinis cæremoniis secundum institutum David. Hic enim viginti et quatuor classes consti-

(1303) Vulg. et Ambrosiast. *castitate.*

tuit sacerdotum, ut vicibus deservirent. Unde Abias octavam classem habuit; cujus vice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon II, XIII : ita ut tempore, quo non illos contingebat deservire altari, domorum suarum agerent curam. At ubi autem tempus imminebat ministerii, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, ut unus in civitate Episcopus; ac per hoc omnes a conventu feminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, ut post conventum legitime purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada; et non desunt qui prope quotidie baptizentur ægri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant ut privati. Si enim plebis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit, ut vacent orationi : quanto magis levitis, aut sacerdotibus oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actores Dei sunt.

Hæc tibi scribo, sperans me cito venire ad te. Si autem tardavero, ut scias quemadmodum oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis. Quantum ad scientiam ejus pertinebat, hoc erat in eo quod citius illum visurus esset. Sed quia solet aliud Deo placere, cujus providentia ipsi soli cognita est, idcirco ne forte, inquit, tardem, scribo tibi, ut scias quomodo Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei, ut cum totus mundus Dei sit Ecclesia, tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus (1304). Mundus enim in prævaricatione est diverso turbatus errore. Ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei, et veritas, ubi secundum voluntatem suam timetur, hoc profitentibus de eo servis, quod ipse dignatus est edocere. Ne forte verba ejus esse negarentur. virtutibus hæc signavit, quæ a nullo alio fieri possunt, ut his infidelitas accusata inexcusabilis pereat. Firmamentum enim veritatis hujus signa sunt et prodigia.

Et quidem omnium confessione magnum est hujus pietatis mysterium. Nullum fidelium admirari negat sacramentum veritatis in Ecclesia prædicatæ, quam pietatem appellat. Magnanimitate enim et clementia sua cognoscentibus se divina tribuit dona, excepta remissione peccatorum, quam hic in præsenti largitur.

Quod declaratum est in carne, justificatum est in spiritu, visum est angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Sacramentum mysterii Dei, quod est Christus in carne, dicit manifestatum quod latebat in spiritu. Natus enim homo Filius Dei, qui in secreto erat apud Deum, opere, et prædicatione declaravit se creaturæ. Et hoc est justificatum esse in spiritu, operibus et virtute claruisse eum, qui erat in carne, quis esset; deinde apparuisse angelis, non jam in formæ humilitate, sed in potestate. Tandiu enim aspectu humilis visus est per carnem, quandiu devicta morte resurgeret a mortuis et videretur majestas ejus, qui natus ut homo, non erat, totus homo : ut agnoscentes angeli mysterium, quod prius latuit, declaratum in carne, genu illi flectentes quasi Deo gratias agant, quia didicerunt veritatem, quæ gentibus prædicata est, ut ab errore liberarentur; in quo mundus proficit, ut non damnetur. Ideo enim creditum est mundo Dei sacramentum, ut perfidia ejus veniam erroris mereri non possit; sicut dicit Dominus de Judæis : *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (Joan. XV, 22) : quia quod velut infirmum et deforme contempserunt, assumptum est in gloria. Post crucem manifesta persona et virtute sua, Salvator palam famulantibus nubibus ascendit gloriosus in cœlos.

(CAP. IV.) *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritus fallaces, doctrinas dæmoniorum in simulatione falsiloquorum, cauteritatam habentium conscientiam suam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Quæ sibi Spiritus sanctus futura revelaverit ad instructionem Ecclesiarum et cautelam, non tacet, ut prænonitæ Ecclesiæ sollicitæ sint, ne ab hujusmodi possint circumveniri hominibus. Quid enim tam clarum, tamque apertum ad evitandos, aut magis condemnandos doctrinæ hujus pertiferæ viros, potuit manifesta voce præfari, nisi ut asseverationem eorum, fallacem ac simulatam doctrinam dæmoniorum nun-

(1304) Anno Christi 366 creatus fuit papa Damasus. Obiit anno 384. Divus Ambrosius episcopus creatus fuit anno 374, mortuus vero anno 397. Hilarius diaconus anno 362. Luciferi jam socius legationis ad Constantium imperatorem Luciferiano schismati adhæsit usque ad rebaptizationem eorum, qui ab Arianis baptizati erant. Quod schisma cum ipso Hilario cito periit auctore Fleurio hist. eccles. lib. xv, num. 29. Hic autem tanquam vivens pontifex asseritur Damasus. Frequens citatio divi Gregorii, et infinita alia argumenta, quæ nimis longum esset, et abs re hic referre, et quæ fusius in præfatione, probant cæteras epistolas, hisce ad Thessalonicenses duabus, duabusque ad Timotheum exceptis, longe post Hilarium et divum Ambrosium expositas esse : in primis scilicet ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, etc., usque ad illam ad Philippenses longe est expositio hæc ab illa Ambrosiastri : quid dicamus de his Epistolis ad Thessalonicenses et Timotheum, valde incerti sumus, mentio hic de Damaso coævum redolet. Posset tamen hæc esse ex iis interpolationibus, quæ sæpissime fieri solebant ab expositoribus. Vide de hac re præfationem.

cuparet, ut cum hujus asseverationis sermones audiuntur, a diabolo composita esse doctrina hæc sciretur, quam prædixerat Spiritus sanctus, quæ de incarnatione Salvatoris asserit falsa, quæ nunc in Marcionitis, quamvis pene defecerint, vel Patritianis (1305), aut maxime in Manichæis denotatur? Hi enim et Christum natum negant, et nuptias prohibent, et abstinendum a cibis tradunt. Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit et notam infligit, ita et fallacia conscientiam, quæ dolo malevolentiæ aliud scit, et aliud profitetur, denotat ad perditionem. Jam enim immutari hos negat, ut salventur, quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari; nihil enim pejus simulatione. Tales enim hi sunt, quales et Judæi illi, qui intelligentes Christum Dei virtute operari, in Beelzebub hæc ab eo fieri dicebant (*Matth.* xx, 24; *Marc.* III, 22; *Luc.* XI, 15). Ut enim Fabricatorem hominis male tractent, cum natos se non doleant, nuptias tamen prohibent, et Christo carnem subtrahunt, et ut ad ejus injuriam proficiant, ab his, quæ usibus nostris instituit, abstinendum docent, ut per id quod despiciuntur, mala esse et malo auctore inventa videantur. Hinc est unde Apostolus omnia a Deo bona facta esse ostendit, si tamen cum gratiarum actione sumantur. Immunda enim erunt ei qui non laudat in his Creatorem. Non enim possunt bene illi proficere, qui sic illa sumit, ut male tractet Auctorem eorum.

Hæc igitur proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Quid tam verum, quid tam clarum, ac providum, nisi ut disciplina Christiana incorrupta tradatur, ut fructus ejus in area Dominica fertilis ac firmus collaudetur? Hoc est, ut in die judicii non reprobus, et igni comburendus censeatur. Hoc boni doctoris est atque idonei ministri Domini Jesu Christi, quippe cum enutritum hunc dicat verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam ab infantia assecutum hunc asserit. Qui enim integris omnibus Hebræorum libris imbutus erat, accepta fide perfectum fecit doctorem.

Profanos autem, et aniles fabulas abnue, exercens temetipsum ad pietatem. Corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis et futuræ. Profana verba, adversa intelliguntur; aniles autem fabulæ, deliramenta sunt quædam. Hæc quorumdam perstrepentium vocibus solent in contentionem deduci, ut quasi tractatus habeatur rei inanis, cujus effectus nullus est, nisi vanitatis. Ab his ergo, quæ contraria sunt, declinandum monet: simili modo et ab illis, quæ anilia sunt, vanitate quadam composita. Sunt enim aliqui, qui calore animi mittunt se in disputationes hujusmodi. Pietati autem operam dandam commonet, quia grandem habet profectum. Qui enim misericordiæ student senioribus, vicem reddentes parentibus, et in præsenti vita auxilia Dei non deerunt illis, et in futuro immortalitatem habebunt cum gloria. Exercitium autem corporale ad modicum utile dicit. Jejunare enim, et abstinere a cibis, manente auctoritate Creatoris, non multum prodest, nisi ut detur huic pietas, cujus opera multorum precibus adjuvatur ad Dominum promerendum. Denique illos, qui fratribus largi sunt, et variis titulis obsequentes, in vitam æternam proficere Evangelicus sermo testatur; dissentientes autem ab hoc opere, in æternum ignem. Corporis autem exercitium nihil aliud quam carnis frena sunt. Si quis ergo, quia misericordia magna res est, lubricum tamen carnis patiatur, hujusmodi quid fiet? Sine dubio vapulabit, quia illud oportet fieri, et hoc minime prætermitti. Si autem solum corporis habuit exercitium, perennes pœnas patietur, sicut in Evangelio Dominus repromisit. Omnis enim summa disciplinæ nostræ in misericordia et pietate est. Aliud tamen exercitium corporis habent carnales, et aliud spiritales. Carnales enim sagina et pastibus nutriunt corpora sua, ut celeri motu proficiant ad perditionem; spiritales autem jejunis et abstinentia temperant corpora sua, ut pigra facta circa desideria, possint digna esse futura resurrectione. Hic enim propter spem futuram castigat corpus; ille vero propter futuri desperationem fovet, curam ejus agens ad tempus, ut moveatur citius ad peccandum.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus. Ad hoc enim laboramus, et persecutiones patimur, quia speramus in Deum vivum, qui est salutaris omnium hominum, maxime fidelium. Dignum est plane, et accepto ferendum pro spe, quæ est in Deo, pati persecutiones, quia in præsenti vita spes caduca est, in promissione autem Dei, firma atque stabilis. Ipse est enim salus omnium, quia ex ipso, et per ipsum vivunt, quantum ad præsentem vitam pertinet, omnes; quantum vero ad promissam salutem, fideles. Cognoscentibus enim se, post hanc vitam, quæ morte finitur, aliam daturam promisit, quæ immortalitate vigebit. Ideo ergo ait, *maxime fidelium.*

Præcipe hæc, et doce. Nemo juventutem tuam contemnat, sed forma esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Timotheus, quantum ad ætatem pertinet, juvenis erat; quantum ad mores et conversationem, senior et gravis. Quem ideo sic monet, ut profectus ejus per omnia exemplum esset bonorum operum, ut in adolescente mirabilis videretur et gravis disciplina, ut actus ejus excusarent ætatem, et non quasi juvenis, sed quasi senior haberetur, et erubescerent majores

(1305) Hi ultra sæculum quintum non pervenere, teste Phylastrio et Augustino, qui hujus sectæ superstitum mentionem faciunt. Hæc cum aliis quamplurimis probant has quatuor Epistolarum ad Thessalonicenses, et ad Timotheum expositiones vel ab Ambrosiastro deeumptas, vel interpolationibus refertas ex aliis antiquioribus. Vide præfationem.

natu, nisi se exhibuissent, juxta formam hujus, A conversatione et moribus graves; junvenes autem coævum suum haberent magistrum. Mirabilis adolescens sanctissimus Timotheus, cujus exemplo indisciplinata coercenda juventus est, et seniorum irreverentia punienda.

Dum vemo, attende lectionem, exhortationem, ac doctrinam. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. Intentum hunc vult esse et deditum exercitio lectionis, ut omni cura diligentiaque hoc enitatur, ut exhortetur et doceat. Exhortatio est, cum miti verbo aliquos provocamus ad bonum opus. Docere vero, quando ea quæ latent intimamus mentibus audientium. Si enim rector populi ab his dissimulat, negligit gratiam datam sibi. Ad hoc enim B creatur dux populo ut hujus salutis sollicitudinem gerat, admodum, docendo, ut fructum habeat ordinatio; quem ad hoc utique Deus constituit, ut proficiat saluti plebis suæ. Qui ergo in hac auctoritate positus indiligens fuerit, Dei contemptor habebitur, minimus in regno Dei vocatus (*Matth.* v, 19.) Neque enim poterit facere, qui nec docere dignatur. Gratiam tamen dari, ordinari significat per prophetiam et manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus, manus impositiones vero, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientia sua, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.

Hæc meditore, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, et doctrinæ; insta C *illis. Hoc enim faciendo, te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Ut forma sit omnibus non solum in bonis operibus, verum etiam in doctrinæ exercitio admonet. Apparere enim debere significat exercitii profectum non in doctrina duntaxat, sed et in gestis. Bona enim arbor bonos facit fructus (*Matth.* VII, 17): similiter et bona doctrina mala opera habere non potest. Ut cum visa fuerint bona opera, divini magisterii fructus esse intelligantur, et auditores possint proficere. Tunc vera enim et metuenda esse intelligunt, quæ dicuntur, quando ab eo ipso qui docet, magna veneratione observari videntur; quod rectori plebis duobus proficit modis, et suorum enim bonorum operum, et audientium mercedem accipiet; quomodo, si negligens fuerit, tam pro se D quam pro eis redditurus est rationem?

(CAP. V.) *Seniorem ne increpaveris, sed exhortare, ut patrem; juniores, ut fratres; anus, ut matres; adolescentulas, ut sorores in omni castitate.* Propter honorificentiam ætatis, majorem natu cum mansuetudine ad bonum opus provocandum, ut facilius suscipiat admonitionem. Potest enim vereri commonitus, ne postea corripiatur, quod turpe est seniori. Nam apud omnes utique gentes honorabilis est senectus. Unde et Synagoga, et postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod qua negligentia obsoleverit, nescio, nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. Juniores quasi fratres censet admonendos cum affectu dilectionis, ut videntes amoris causa se commoneri, facilius se corrigant; quippe cum videant non discrepare opera ejus a prædicatione. Anus vero quasi matres, cum miti sermone doceri se vident, non aspere accipiant, quia honorifice proficiunt. Asperum est enim senibus, cum corripiuntur a junioribus, quod temperamento quodam leniri vult, ut profectus sit et docenti, et audienti. Adolescentulas, ut sorores admonet edocendas, ut prompte possint bonæ conversationis suscipere disciplinam. Quando enim non cum imperio insinuari sibi videt, quæ ad bonam pertinent vitam, consentit, humilem se præbens admonenti. Blanditiis enim solent obtineri, quæ auctoritate non possunt. Nam animalia quando membra sua zelantur, blanditiis tamen cedunt.

Viduas honora, quæ vire viduæ sunt. Has viduas dicit honorandas, quæ data opera viduæ sunt. Quæ, cum possent nubere, ut meliores essent et dignæ Deo, secundas nuptias respuerunt, scientes semel benedici conjugium, æmulæ sanctisimæ Annæ, quæ jejuniis et obsecrationibus Deo serviebat noctu dieque, unius viri experta concubitum (*Luc.* II, 36, 37):

Si qua autem viduo filios, vel nepotes habet, discat primum domum suam pie tractare, et mutuam vicem gratiarum reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram. Deo. Viduam prius in hac vita et conversatione dicit probandam, ut tunc demum digna sit vidua Ecclesiæ nuncupari, quæ non quæstus causa, quam defensionis, ecclesiasticæ succumbat disciplinæ. Præire enim debent merita, ut accedenti debitus honor tribui videatur. Quæ enim affectos suos pie tractavit, et domum bene gubernavit, Dei legem servavit, digna effecta renumeratione Ecclesiæ.

Nam quæ vere vidua est, et desolata, sperat in Deo, et instat orationibas noctu dieque. Viduam filios aut nepotes habentem non facile admittendam ad stipendia Ecclesiæ, quia si pie et sollicite domum suam gubernavit, necesse est reddi illi vicem a suis sicut et illa reddidit propinquis. Si autem, ut assolet, impietas fuerit operata, ut anus despiciatur a suis, quos pia tractaverit, dignum esse hanc suscipi ab Ecclesia, quia in Domini lege fideliter conversata est. Vidua igitur desolata, aut a suis contempta, sperat in Deo. Videns enim ex nulla parte se habere suffragium, toto animo devota est Deo, de quo solo auxilium vitæ salutisque expectat.

Nam quæ in deliciis, est vivens mortua est. Viduam, propter quod vidua dicitur, talem esse debere significat, u ad Dominum promerendum orationibus vacet, Deo serviens noctu dieque, ut ostendat idcirco se nuptias secundas contempsisse, ut instaret disciplinæ. Si enim sub nomine viduæ deliciis vacet, aut luxuriæ, vivens mortua habenda est, quia impostura genus est aliud agere, et aliud profiteri, non obsequia et devotionem Dei, sed honorem viduæ volentes habere: cum nominis ipsius professio

hoc indicit, quia spreto viro Deum elegit, cui serviat tota mente propter vitam promissam. *Et hæc præcipe, ut irreprehensibiles sint.* Tantum diligentiam actuum ac morum viduam vult habere, ut reprehendi non possit. Amota enim a spe mundanæ conversationis, et corporis curandi officio, propter hoc se ad Deum contulit, ut probabilem agat vitam. Sublatis enim occasionibus, quæ aditus solent aperiro peccatis, potest bona conversatio incolumis permanere.

Si quis autem suornm et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Hanc viduam, quæ negligens fuit circa suos affectos, ut educaret eos in disciplinam et correptionem Domini, inhonorandam (1306) dicit, quia sicut perfidi, legi Dei non obedivit. Ut pejor habeatur necesse est, qui sub lege et timore Dei agens contemptor est, quam qui non subjectus est legi. Ilic enim nescit ; ille autem contemnit.

Vidua eligatur annorum non minus sexaginta, unius viri uxor (1307), *in aperibus bonis testimonium habens, si filios enutrivit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si pressuram patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Si prærogativa præteritorum operum vidua commendatur, eligendam hanc docet. Domini enim judicio ascribitur nomen ejus ecclesiasticis monumentis, quam dignam vetus vita declarat. Imbuta enim divinis obsequiis et in vitam atterens, suscipienda est in sinu Ecclesiæ qui olim se vovit legitimis servitiis.

Juniores autem viduas devita. Cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt. Prohibet adolescentulas viduas in hac suscipi professione. Lubricæ enim ætati fides facile haberi non debet, quippe cum quarumdam exempla præcedant, quæ post professionem vitæ, deliciarum oblectatione, nomen, non opera viduitatis habent, et conversæ nuptiis sollicitantur. Qui enim putat se in Christo deliciis vitam agere, minime innocens perseverat. Luxuria enim trahit illum ad sua membra, ut subjiciatur peccato. Deliciæ enim janua sunt peccati. Non enim quo tendat ignoratur, qui fluidam amat vitam.

Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid maneat tales, ostendit, ne facile audeant, quod implere difficile est, aut si animus est huic devotioni deditus apud se interim teneat, quia didicit temerarium esse profiteri, quod adhuc juvenili ætati credi non debet. Damnationi enim fit obnoxius, qui ab hoc declinat, quod recte fecerat. Quantum enim laudabile est, si impleat quod ultra vires ejus creditur, tanto magis puniendus erit, si hoc audeat sibi imponere præsumptione temeritatis, quod ferre non possit, nec ad veniam debet pertinere, quia primordio infidelis inventus est.

Simul autem (1308), *et otiosæ, discunt circumire domos, non solum autem otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Quædam virgines et viduæ, commendante professione (gloriosum est enim hujus rei vocabulum) acceptabiles sunt domibus divitum; quæ id agunt, ut pareant voluntatibus erum, ambulantes et quærentes quæ perferant ad illos, quibus delectentur, ut otiosæ muneribus afficiantur, et malo more plus quærant fabulis quam quæ operantur manibus, ut elatæ procedant et compositæ, contra professionem suam agentes. Quæ res solent illis etiam in hac vita esse contrariæ. Revelatur enim id quod semper occultum putant. Quid est enim, ut ea loquantur quæ non oportet! Nuptiarum enim sunt proximæ, multorum secretorum partieipes, adulatrices, servorum querulæ.

Volo itaque juniores nubere, filios procreare, ma tresfamilias esse. Hoc est enim regere domum (1309), *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam deerraverunt post Satanam :* Quoniam, quæ supra dixit de hujusmodi, contraria et illicita sunt, perducent eas ad mortem. Idcirco consilium dat et præcipit ea fieri quæ licita sunt. Melius est enim domus suæ curam gerere quam in aliena domo adulari. Et multum expedit nubere quam sub bona et pia professione nobiliter incedere. Plus autem est cum pudore manibus victum quærere quam inverecunde cum otio aliena utensilia expectare. Sic enim invenit occasionem Satanas quomodo subvertat animas inconsultas, cum pia profitentes injuste versantur. Nihil enim tam periculosum est quam si professioni gesta repugnent. Apertum enim motum non zelatur Satanas, quia gaudet in illo ; istum vero, quem videt fallere, id aget ut manifestet illum suum filium esse, non Dei ; quod factum non displicet Deo.

Si quis fidelis, vel si qua fidelis habet viduas, sufficienter subministret illis, ut non gravetur Ecclesia, ut veris viduis sufficiat. Quid mirum si apostolica potestas futura potuit prævidere ? Nam apparet quod dixit, quia fidelium viduæ nunc multum gravant Ecclesiam, et eorum, qui locupletes videntur mundi, et per senectutis causam desistentes eas ab opere lanificii, retrahunt eis et vestimentum et victum, non totum tamen ex parte, ut illæ ipsa inopia ad Ecclesiam convertantur ut vivant. Quos oportebat non solum suis indigentibus largiri, verum etiam alias inopes pascere et contegere ; quod multum obest. Cum enim his datur, cæteris aut minus aut non datur, quibus magis dandum est, quæ dignæ sunt Ecclesiæ sumptibus ministrari. Sic autem gravatur, cum cogitur vestire multos, quæ

(1306). Verbum *dicit*, quod in codice desideratur, addendum sensus et Ambrosiastri Maurina editio uasere.

(1507) Subauditur ut in Vulg. *quæ fuerit.*

(1308). In cod. *Simulatæ*, ubi nos legimus, *simul autem.*

(1309) Verba, *hoc est enim regere domum*, Ambrosiaster non habet.

deberet vestire paucos, et plebs, quæ libenter et frequenter possit ministrare paucis, cogitur plures dimittere, ut aut murmuret aut tardius occurrat. Nam cum præcipiat unius viri uxorem eligi viduam, nunc inveniuntur inter eas non tanium duum, aut trium maritorum uxores, sed et quæ turpius vixerint. Quod aliquando per negligentiam fit, aliquando potestate insinuante.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habeantur digni, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Boni dispensatores ac fideles, non solum honore sublimi digni debent judicari, sed et terreno, ut non contristentur indigentia sumptuum, sed magis gaudeant fide sua et doctrina. Instantior enim fit, si non humilietur inopia, et crescit in illo auctoritas, cum videt se etiam in præsenti laboris sui fructum percipere, non ut abundet, sed ut non deficiat.

Dicit enim Scriptura: non infremabis bovem triturantem (*Deut.* xxv, 4: *I Cor.* ix, 9); *Dignus est operarius mercede sua* (*Matth.* x, 10; *Luc.* x, 7). Tanta merces debet esse evaugelizantis regnum Dei, qua neque contristetur neque extollatur.

Adversum presbyterum accusationem ne receperis. Quoniam hujus ordinis sublimis honor eet; hujusmodi enim vicarii Christi sunt: idcirco non facile de hac persona accusatio debet admitti. Incredibile enim debet videri istum, qui Dei antistes est, scenicum esse turpissimum (1310).

Delinquentes autem coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant. Quomodo non facile credi debet de presbytere crimen, si probetur tamen, aut sit manifestum, quia irreverenter versatus est, publice præcipit arguendum, ut cæteri terreantur. Quod non solum ordinatis proficit, sed et plebi. Quando enim vident dignitosum virum erroris causa corripi, necesse est ut sibi caveant.

Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in partem aliam declinans. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Temetipsum castum custodi. Contestationem depromit apud Deum Patrem, et Christum Filium ejus, et electos angelos, quos Dominus in Evangelio sanctos appellat. Hi ergo electi sunt, quia sunt alii reprobi, qui sunt non Dei angeli, sed diaboli, assentientes apostasiæ ejus. Sub testatione ergo ea, quæ ad ordinationem Ecclesiæ mandat custodiri, præcipit nihil fieri sine præjudicio, ne facile aliquis accipiat ecclesiasticam dignitatem, nisi prius de vita ejus et moribus fuerit disputatum, ut dignus approbatus minister, aut sacerdos constituatur, ut non postea, si reprehensibilis videatur, pœniteat forte principem populi non ad liquidum præjudicasse quid mereretur, quem improbabiliter ordinavit; nec illum, cujus peccata ad suspicionem veniunt ordinandum, ne commaculetur ordinatur vitiis et delictis ejus. Si ergo omnino latentia sunt delicta, immunis erit rector, quia conscientia ejus libera est. Suspicio enim trepidum facit. Peccat enim, si non probat, et sic ordinat. Melior enim cæteris debet probari qui ordinandus est. Non enim sufficit si sine crimine sit, quia merita ejus debent præire bonorum operum ut dignus habeatur ad ordinationem. Hæc episcopus custodiens, castum se exhibebit religioni, cujus rei in futuro præmium consequatur.

Jam noli bibere aquam, sed vino modico utere propter stomachum, et crebras tuas infirmitates. Nunc speciale consilium dat, ut seipsum salubri regat doctrina. Prudenter enim Deus sibi serviri vult, non ut nimietate sua debiles fiant, et postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim, ut si fieri potest, cœptum obsequium gradatim provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur. Intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut cum de infirmitate sollicita est, non tautum dedita sit divinis servitiis. Damnum ergo affert improvidentia. Anima enim in tranquillitate posita, totum cor extollit ad Deum, integro consilio obsecrans quæ petenda sunt.

Quorumdam hominum peccatu manifesta sunt præcedentia in judicium, quosdam vero et subsequuntur. Pari modo et opera bona manifesta sunt; et quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Nullam excusationem vult intelligi fore eorum, qui his adhærent, quorum peccata propalam sunt, ut cum evitandi sint, magis honori sint. Hoc ergo significat ut homo Dei ab his secernatur, maxime dispensator Christi. qui etiam corripiendi eos habet auctoritatem; qui, si se emendare promittunt, retinendi sunt. Alios vero subsequi mala opera illorum ostendit, quia cum viventes æstimantur boni, mortui deteguntur, ut qui prius ostendebant se idoneos, postmodum declarentur impostores. Superiore ratione, sicut mala, ita et facta bona manifesta sunt. Bona enim vita et actus modesti abscondi non possunt adhibita pietate faciunt perfectos. Sed sicut quædam mala occulta ad præsens sunt, ita et bona. Nemo enim omnia in hominibus potest scire; sed ex his, quæ videt et audit, probat et judicat. Perpendit enim an ea quæ dicuntur conveniant ei de quo dicuntur, sive bona, sive mala. Quæ autem occulta fuerint hominibus, in die judicii palam fient. Propter hoc ergo dicta sunt, ut sciant hujusmodi graviorem se causam habere præ cateris. Pejor est enim qui se, cum sit malus, bonum ostendat, quam ille qui aperte est malus.

(Cap. VI.) *Quotquot* (1311) *sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.* Servorum obsequiis dominos Deo gratias vult referre. Cum enim per Dei disciplinam fidelia illis exhibuerint

(1310) In Ambrosiastri oper. impress. post ea verba, *Dei antistes est*, legitur, *criminose versatum*, *sicut credibile est scenicum*, etc.

(1311) Vulg. *quicunque*.

servitia, forte etiam ipsi huic se subjiciant disciplinæ.

Qui vero fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti qui beneficium recipiunt. Si profanis dominis serviendum tota sollicitudine imperat, quanto magis fidelibus? Tunc enim probat se timori Dei subjectum, si fideli et temporali domino toto animo fuerit obsecutus. Nec contemnendum putet, quia frater dicitur causa communis fidei quia magis corripiendus erit qui fidelem Dominum contemnendum putaverit.

Hæc doce, et exhortare. Doctrinam Dominicam manifestari vult, ut obtrectatores studeant, quia non est quod reprehendatur in ea, considerantes pariter quæ in sacris eorum sint occulta turpia, et erubescant per quod inexcusabiles erunt.

Si quis aliter docet non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et huic, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbit autem, et nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus fit invidia, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictiones hominum, qui corrupti sunt mente et veritate caruerunt, existimantes quæstum esse pietatem et Dei culturam: discede ab hujusmodi. Discrepantes a disciplina catholica spernendos præcipit, maxime qui convicti et correpti acquiescere nolunt perturbatione mentis pravæ, qui contentionibus delectantur et pascuntur. Elatus enim vinci se non patitur: quippe cum ad favorem quærendum in conflictum prorumpat; quod a mansuetis, et bonis viris vitandum est. Contentio enim nunquam est sine lite, et parum esset, si lis sola oriretur, sed blasphemiæ et inimicitiæ; quod a Dei servis alienum est. Ab his autem qui, corrupti mente veritate privati sunt, utile judicatur. Dei enim culturam et pietatem quæstum existimant, non de futuro aliquid sperantes, sed quomodo in præsenti se transigant providentes sicut et mundanæ sectæ, quas constat propter præsentia lucra inventas. Non nescii quosdam hoc libenter audire, quod in hac vita florendum sit; ideo desistendum ab hujusmodi.

Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Magnas divitias, et acquisitionem in eo dicit si quis fidelis suo contentus sit. Pius enim in semetipso et cæteris est, qui misericordiam Dei acquisiturus ad futuram vitam, ad præsens sufficere sibi putat quod habet, non dubitans ex eo ipso largiri. Omnis enim avarus impius est, et sibi et cæteris nocens.

Nihil enim intulimus in hunc mundum. Verum quia nec auferre possumus quidquam. Habentes autem alimentum, his contenti sumus. Frustra mortales homines copiæ illudere et locupletes fieri velle aperta voce declarat, cum sciant nihil se proprium habere in mundo. Cui rei proficit humana cupiditas, nisi quia ipsa sibi inimica existit? Nihil enim intulit mundo; nihil auferre poterit. Qui sibi incutit sollicitudinem et quærit congregare, talis hinc exiet qualis venit. Quod etiam scripsit Job, et in sua passione fatetur, dicens: *Nudus evivi de utero matris meæ, nudus oportet ut eam in terram. Sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Quod si avari non retinerent in perniciem suam, pauci conderent quod pluribus posset sufficere cum eorum ipsorum emolumento.

Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum. et desideria multa, et inutilia, et nociva quæ demergunt homines in exitium et interitum. Radix enim sæuium malorum est avaritia, et quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Nihil tam asperum, tamque perniciosum est quam si ecclesiasticus maxime qui sublimis loci est, divitiis hujus sæculi studeat, quia non solum sibi ipsi, sed et cæteris obest. Contrariam enim formam dat hominibus; necesse est enim multos imitatores ejus existere ad perditionem. Quanto enim honorificentior ordine est, tanto magis suadet imitandum se, maxime in hac re, quæ in ista vita proclivis est. Avaritia enim omnia mala potest admittere. Ideo radix omnium malorum est, quia, ut desideria sua expleat, quod impossibile est, et maleficia, et homicidia, et obscenitatem, et quidquid sceleris est perpetrat, nec ad præsens secura, quia semper cupida et in futuro damnata.

Tu autem, homo Dei, hæc fuge. Abscindere se hominem Dei ab hac hortatur et præcipit, ut et hic securus sit et in futuro præmiis remuneretur divinis. Non enim immerito coronandus est qui hanc spernit quæ multis suadet.

Sequere autem justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, tranquillitatem animi. Certa bonum certamen fidei, adprehende vitam æternam ad quam vocatus es, et confessus es bonam confessionem coram multis testibus. Quoniam avaritia res iniqua est, hominem Dei ut ab hac dissentiat, justitiam sequi jubet, atque pietatem et alia quæ memorat. Non enim poterit hanc evitare, nisi his adhæserit quæ avaritiæ adversa sunt. Qui enim fieri potest, ut avarus fidelis sit, qui operibus negat, quod verbis fateri videtur? Unde autem amator fraternitatis, cujus manus sunt aridæ? Quomodo vero patiens, qui semper ad aliena se tendit? Aut quatenus quietem animi possit habere, qui die noctuque aviditate cupiditatis incenditur? Sed quia ab homine Dei Timotheo iniquitas hæc aliena erat, bonum certamen fidei aggredi jubetur. Fidei enim victoria est, cum omnia vitia, et crimina subjugantur, ut ad æternæ vitæ præmia veniatur, cujus confessio inter ipsa rudimenta fidei teste interrogante (1312), et respondente monumentis ecclesiasticis continetur.

Præcipio tibi in conspectu Dei, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum immaculatum, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, quem suis temporibus ostende

(1312) A cæteris codic, supplevimus verbum hoc, *interrogante*, quod in cod. nostro desideratur.

beatus ille, et solus potens (1313). *Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lumen habitat* (1314) *inacessibile, quem vidit nemo hominum, nec videre potest : cui honor, et potestas æterna. Amen.* Magna vigilantia, atque providentia præcepta dat rectori Ecclesiæ.In hujus enim persona totius populi salus consistit.Non sollicitus de cura Timothei, tam circumspectus est, sed propter successores ejus, ut exemplo Timothei Ecclesiæ ordinationem custodirent.Denique ut serves, inquit, mandatum immaculatum usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi.Quod sic astringit, ut coram Deo,et Christo hoc se mandare testetur.Ut terrorem incutiat,passionem Christi memorat. Cujus passionis reus necesse est fiat, qui hoc spernit, propter quod passus est Christus. Nec diem judicii tacuit, quod prædestinato tempore futurum est Dei nutu : quem solum beatum,et potentem,et regem regum, et Dominum pronuntiat. Solus est enim ipse, qui propriam, et a nullo habet acceptam beatitudinem, atque potentiam, dominatum, et regnum nec non immortalitatem. Hæc omnia habet Pater,similiter et Filius a Patre.Lumen autem inaccessibile solius Patris est,quia nulli unquam apparuit. Denique subjecit: *Quem vidit nemo hominum,nec videre potest ;* non quia aliud lumen Filii sit, quippe cum in psalmo scriptum sit; *Et in lumine tuo videbimns lumen* (*Psal.*xxxv, 10) ; hoc est,lumen Patrts esse in Filio : sed quia nemo vidit Patrem, ac per hoc inaccessibile habitat lumen,Non est enim ordo alicui videndi Patrem, nisi Christo,qui de Deo est : hic videt Deum. Filius autem,quia omnia ipse agit, et apparere dicitur, et videri. Illud ergo peculiare Patris est, quod supra dictum est, cui bonor, et potestas æterna, *Amen,* hoc est. verum.

Divitibus hujus sæculi præcide non (1315) *superbe sapere, neque sperare in incerlo divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, in voluntate operum bonorum divites esse factis bonis, faciles ad impertiendum, communicatores, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum. ut apprehendant veram vitam.* Vera vita illa est quam speramus futuram, quæ non occasu, non temporibus terminatur.Æterna est enim, et mertto vera appellatur. Hæc enim præsens, imago vitæ est, non veritas. Et quia imago non omnino inanitas est,in hac vita illa acquiritur : et ut ad illam festinaretur,ex imagine,quam præcellat veritas,addiscitur, quæ neque superbia, neque spe divitiarum attingitur, sed humilitate, et spe Dei,qui hanc promisit. In ipso enim sperandum est, quia ipse præstat quæ usibus sunt necessaria, non ipsis copiis, sed in auctore earum. Quæ enim spes videtur in re caduca, atque incerta ? Quippe cum aliquanti ex his discedant : qui autem in his manere videntur,nullum lucrum ex his capiunt in futurum sed damnum, nisi cum indigentibus partiantur. Neque enim æterna sunt, ut futuræ vitæ præponantur.Sic superbos faciunt,quasi immortalitatem polliceantur.Resurrectionis exemplum habemus in Christo et a multis non sic diligitur Christus, sicut divitiæ, quarum nullum exemplum videtur, quod aliquem a morte liberaverint.Christus nos redemit non divitiæ. Ipse enim futuræ vitæ iter ostendit.ut his omnibus spretis ipsum sequamur,ut ad immor tales, et cœlestes divitias veniamus. Quare hoc inniti debemus, ut bonis factis divites simus, et de his terrenis copiis spiritales divitias acquiramus. Seminemus in terra, ut metamus in cœlis,ubi thesaurus collocatur æternus.

O Timothee, (1316) *commendatum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones* (1317) *fallaces nominis scientiæ, quom quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum.* Eadem admonet ut ea, quæ supra dicta sunt, serventur, contraria autem religioni evitanda,quæ nomen tantum scientiæ usurpant, fallaces in professione, ut decipiant simplices. Fidem enim simulant, a qua exciderunt, ut perfidiam inferant. Et manu propria subscripsit, dicens : *Gratia tecum. Amen.*

Finis Epistolæ primæ ad Timotheum.

(1313) In cod. *pontifex.*
(1314) Verbum *habitat* desideratur.
(1315) Vulg. *sublime.*
(1316) Vulg, *depositum,*
(1317) Vulg. *falsi.*

EPISTOLA II AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM (1218).

Aliam Epistolam scribit ad Timotheum, ut jam eruditum ecclesiastica disciplina, et quæ spes sit promissionis,suo exemplo ad martyrium provocet, et quia futurum est, ut quidam a sana doctrina,eo quod dura illis videatur, ad fabulas convertantur, id est, ad humana commenta.

(CAP. I.) « Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei secundum promissionem vitæ,quæ est in Christo Jesu, Timotheo dilecto filio. « Hujus rei gratia Apostolum se Christi Jesu Dei voluntate appellatum significat, ut quæ,et quanta promissio in futuro in fide Christi sit, edoceret,ut prædicatione ejus crementum faciat in salvandis disciplina Dominica.Idonei enim servi sunt,qui instantia sua,et

(1318) Argumentum,et expositio hujus Epistolæ, ejusdem auctoris sunt ac trium superiorum; scilicet Ambrosiastri.

fide, negotia dominorum suorum exaggerant.Quod ideo huic quasi charissimo filio scribit,ut hujus rei imitator existat eadem cæteris tradens, ut per traducem indeficiens sit idoneus doctor, per quem asserta veritas multos acquirat ad vitam promissam.

« Gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. » Gratiam huic Patris in miseratione exoptat,ut adsit ei, et Christi Jesu Domini nostri, quia Deus gratiam suam per Christum largitur, ut una gratia sit utriusque

« Gratiam habeo Deo meo,cui servio a proavis in conscientia pura, quod indeficientem habeam tui memoriam in precibus meis,nocte dieque multum desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum,ut gaudio replear, recordationem accipiens ejus, quæ est in te, sinceræ fidei, quæ habitavit primum in avia tua Loide,et matre tua Eunice : certum autem habeo quod et in te. » Quoniam dignum est meminisse bonorum, idcirco Deo gratias agit, quia memor erat Timothei viri mirabilis, ut etiam hoc ipsum Dei donum sit. Non enim sine merito est,qui cogitat de bonis viris. Et quia idem Deus Christianorum est qui erat Judæorum,ei se Deo gratias referre testatur, cui a proavis famulatus est. Quando enim hoc sperabant progenitores ejus,quod hic cœperet prædicare, una earum fides est.Et quia in parentum successit servitia,et quia in his erat adhuc, cum illi Deo servirent,recte ait : Cui a proavis servivi, et servio. Quomodo ? In conscientia pura, inquit. Sic enim aliquando persecutus est. Ecclesiam,ut ut Dei amore hoc ageret,non malevolentia. Nam simili modo et in Epistola ad Hebræos scriptum est, quia Levi, qui decimas accepit (*Hebr.* VII, 9), decimas dedit Melchisedech ; quia in Abrahæ, inquit, lumbis erat Levi (*Ibid.*, 10),quando decimas obtulit Melchisedech (1319).Ita et hic a proavis Deo se dicit servisse, quia et Levi in proavo decimas dicitur obtulisse. Est enim pater Levi Jacob, avus Isaac, proavus Abraham. Multum ergo se memorem esse Timothei profitetur, et avide illum desiderare propter lacrymarum ejus recordationem,quas amore fuderat Apostoli, sicut intelligitur, recedentis a se. Non immerito ergo amantem se desiderat,ut gaudio impleatur ex communi lætitia, causa fidei sinceræ, quam et in via ejus, et in matre fuisse significat, certissime et in eo.Omnis itaque hic affectus propter fidem est, quæ erat in eis inviolata.

« Qua de causa admoneo te, ut recrees donum Dei,quod est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis,et dilectionis,et sobrietatis. » Propterea se parentum ejus sinceritatem fidei significavit memorasse,ut fortiorem hunc faceret. Quis enim laudem illorum audiens, quorum in eo ipso particeps est,non crescat, addens animum hujusmodi viribus ? Sic ergo recreat in se donum gratiæ Dei acceptum per ordinationem presbyterii : dum animum suum confovet mentis alacritate,gaudens in semetipso, sicut in novitate ordinationis gaudetur. Denique subjecit : nec enim, inquit, dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis.Innovatus enim homo exit de timore,accipiens spiritum lætitiæ propter justificationem, quia omnis injustus in timore est, non fortis, sed infirmus, non in dilectione, sed in odio, nec in mentis sobrietate, sed errore saucius. Si autem his caruerit per fidem,et fortes,et dilectus, et sobrius erit.

« Noli itaque erubescere in testimonium Domini nostri, neque in me vincto ejus. » Constantiam habendam docet,nec trepidari debere in professione. Non est enim unde erubescatur in ea, quia si homo visus est Christus,gestis tamen apparuit Deus ; et si crucifixus est,resurrexit tamen a mortuis,et multis videntibus, suscipiente eum nube,in cœlum ascendit. Non est ergo infirmitatis causa,sed potestatis ; quia ubi putatur imbecillitas, ibi apparet potentia. Itaque stulte infirmatus dicitur, qui vicisse probatur. Hoc modo nec in Apostolo est quod ad ruborem pertineat ; quia si pressuris,et cædibus humiliatus dicitur, ex illa parte confundit obtrectatores suos, quia in signis, ac prodigiis nutu mirabilis (1320) pervidetur: ut intelligatur non infirmitate humiliari, sed voluntate,ad quemdam meritorum profectum.Idcirco enim Deus servos suos ab iniquis humiliari permittit,ne illis injuste præmia dare videatur.

« Sed collabora in Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos salvos fecit. » Quoniam virtute Dei victa est mors, ut nos salvi esse possimus : juxta hoc ergo convenit vicem nos ex aliqua parte reddere Redemptori. Quia enim ad omnia ei beneficia respondere non possumus,vel legationem ejus fideliter et instanter agamus.

« Et vocavit vocatione sancta. » Vocatio sancta est cum electi sunt ad gubernandum populum sanctum Dei. Ad sanctam autem senior vocatur, qui dux eligitur sanctitatis.

« Non secundum merita nostra.» Verum est,quia si ad liquidum quæras, nullus hominum dignus potest videri vicarius esse Christi.Omnes enim, quos elegit, prius fuerant peccatores. Quantum ergo ad comparationem cæterorum pertinet,hi digni inventi sunt ; quantum vero ad rem ipsam, omnes indigni sunt.

« Sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.» Quoniam dignatione sua Deus olim decrevit peccatores salvos facere (præscius enim fuit Deus quid futurum esset in homine, antequam faceret eum et peccaret) quomodo retintegraretur, prædestinavit, quo tempore, et per quos,et qua ratione salvari possint : ut neque merito suo qui salvantur, neque horum, per quos vocantur, sed Dei

(1319) Verba, *quia... Malchisedech*, in margine inferiori scripta leguntur.

(1320) Verba, *quia... mirabilis*, quæ in codice desiderantur, ex impressis codicibus addenda censuimus.

gratia istud donum præstari videatur per fidem Christi.

« Nunc vero declarata per illuminationem adventus Salvatoris Domini nostri Jesu Christi. » Donum Dei, quod ante tempora sæcularia latebat in mysterio, incarnatione et adventu Christi declaratum testatur, quando cœperunt homines remissa peccatorum accipere.

« Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam æternam per Evangelium, in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus et magister gentium. » Qua ratione salvum fecit populum suum Christus, ostendit, dicens : Quia mortem destruxit quæ erat hominis inimica ne ab inferis posset resurgere tunc demum vitam illuminavit æternitate, ut resurgens a mortuis jam mori non possit. Obscura enim vita est quæ tempore definitur, dum soporatur, dum ignorat, dum male versatur. Et quomodo illuminetur vita osfendit, quia per Evangelium credentibus datur æternitas, magistro gentium prædicante.

« Qam ob tausam et hæc patior. » Prædicans Dei donum, diabolum patitur inimicum, ut pressuras ei exsuscitet, quia populum de faucibus ejus eruit. « Sed non confundor. » In hoc securus, quia pro tribulationibus magna promissa merces est, non confunditur, sed gloriatur in pressuris.

« Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illa die. » Hoc est quod dicit quia spe et fiducia magnificentiæ Salvatoris securus est, quia quod commendat illi in tuto est. Quid autem illi commendat, nisi salutem suam, ut hic pro illo patiens, salutem inveniat pene illum, cum cœperit judicare, ut puniens infideles, istum dignum æterna vita pronuntiet ?

« Formam habens sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu bonum commendatum custodire per Spiritum santum qui habitat in nobis. » Præcepta sua cum gestis formam appellat salutaris doctrinæ, quam istum sequi mandat, ut custodiat ea Spiritu sancto favente.

« Scis hoc, quod aversati sunt omnes a me, qui in Asia sunt, ex quibus est Phygellus et Hermogenes. » Hi quos memorat fallacia pleni erant. Simulabant enim amicitias Apostoli, ut adhærentes ei addiscerent unde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent ; qui, pasteaquam viderunt manifestos se, recesserunt ab eo.

« Det misericordiam Dominus Onesiphori domui quia sæpe me refrigeravit, et super catenam meam non erubuit. » Duplici genere refrigerium hoc intelligendum est, quia et in necessitate custodiæ solatio suo refrigeravit eum ; et si qua illi opus erant, sive indigentibus ministravit. Spe enim eorum quæ promissa sunt, non illum puduit accedere et requirere hominem positum in custodia. Illi enim, quos supra memorat, quia erubescebant de cruce Christi, in necessitate deseruerunt Apostolum.

« Sed cum fui Romæ, sollicite me quæsivit et invenit. Det illi Dominus invenire misericordiam apud Dominum in illa die. » Romam veniens Apostolus, cum appellasset Cæsarem, a militibus custodiebatur. Tunc enim eum Onesiphorus (1321) charitatis causa et magisterii, magna diligentia requisitum invenit Cujus visitatio tam acceptabilis fuit Apostolo, ut eum sic Domino commendet, ut inveniat misericordiam apud Deum in die judicii, ut sicut Apostolum requirens invenit, ita et misericordiam quærens, inveniat apud judicem. Hoc enim orat, ut præstet ei Dominus Pater cœli et terræ, invenire gratiam apud Deum humani generis, Filium scilicet. Tale est hoc, quale et illud in Genesi : « Et pluit, » inquit, « Dominus sulphur et ignem super Sodomam et Gomorrham a Deo de cœlo. (*Gen.* XIX, 24). »

« Quanta autem Ephesi ministraverit, melius tu nosti. » Quoniam solent quidam personis magis quam causis servire, volentes gratificari majoribus, ideo Apostolus Onesiphori bonum generale ostendit ne videretur forte personæ se commendasse, dum Apostolo ministravit. cum constaret illum magnanimum omnibus fuisse.

(CAP. II.) « Tu ergo mihi confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu, et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. » Constantem hunc, et robustum esse præcepit in docendo gratiam Dei quæ est in Christo Jesu, et non solum in gratia, sed etiam in mysteriis quæ sunt de Christo, arcana fidelibus ac dignis tradi vult qui alios possint docere, non passim vulgaribus ac negligentibus. Magna enim cura eligendus est doctor.

« Labora ut bonus miles Christi. Nemo enim militans Deo obligat se negotiis sæcularibus, ut placeat ei cui se probavit. » Manifestum est quod dicit, quia *nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Negotia enim sæcularia avaritiæ serviant necesse est, et nisi fuerint mentiti, transegisse non possunt. Est ergo, sed leve peccatum. Ecclesiasticus autem idcirco Deo se probat, ut huic devotus officium impleat, quod spopondit, in Dei rebus sollicitus, a sæculari negotio alienus. Non enim convenit unum duplicem professionem habere.

« Et nisi certet quis, non coronatur, nisi legitime certaverit. » Dei militem tam exercitatum vult esse in Dei operibus, vel officio deputato, ut possit ad gloriæ meritum pervenire, tota mente viligantem divinis obsequiis, præsentia spernentem, cœlestia diligentem. Ad hoc enim se probavit, ut hic laborans remuneretur in cœlis.

« Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus intellectum in omnibus. » Tantæ abstinentiæ fuit sanctus Timotheus, ut etiam a licitis temperaret. Hoc enim vult intelligi, quia a participatione gazophylacii se abstinebat, cum hoc Dominus decreverit ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio

(1321) *In cod.* Onisiphorus.

vivant. Ideo Apostolus prius hunc sumere præcepit qui primus est, et sic cæteris distribuere.

« Memor esto Christum Jesum surrexisse a mortuis ex semine David,secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula,quasi latro ; sed verbum Dei non est alligatum.» Quoniam multi futuri erant filii diaboli,qui Dei Filium incarnatum negarent, idcirco hoc memorat,quoniam fallaciter sub nomine apostolorum hoc asseverare nituntur. Subjecit,«secundum Evangelium meum,» ut excluderet malæ mentis falsa colloquia. Nec enim plus hæreticis credendum est de apostolis quam his ipsis deprædicatione sua testantibus. Quam prædicationem cum labore se agere queritur. Pressuris enim tribulabatur et carceribus, eo quod tam Judæos quam gentiles offenderet,sicut illis videbatur,incredibilia prædicando. Iratos enim habebat Judæos propter legem quam cessare docebat. Gentiles autem inimicos faciebat, quia unum Deum prædicabat in Christo. Unde quasi latronem hunc tractabant, alligantes, claudentes,si posset tacere,nescientes quia verbum Dei alligare non poterant. Denique sæpe clausus non dispendium fecit, sed lucrum. Neque enim defuit cui prædicaret in carcere, ut quos libere invitare ad fidem non posset, in vinculis positus pasceret Dei verbo.

« Ideo omnia suffero propter electos, ut et ipsi salutem consequantur,quæ est in Christo Jesu,cum gloria cœlesti. » Ut prædicatione sua salvaret homines prædestinatos ad vitam, exitiis erat subjectus sciens profectum se habiturum quæsite salutis illorum.

« Si enim commortui sumus, et convivemus ; si sustinemus,et conregnabimus.» Sic posse ad immortalitatem, et gloriam Christi pervenire significat,si in forma baptismatis manserimus,ubi omnia delicta moriuntur,ut innovati omnia vitia vetera et crimina fugiamus, ut actoris secuti vestigia, peccatis mortui videamur. Si vero additum fuerit ad causam, ut et tribulationes ac pressuras non ægre pro nomine Domini patiamur, sustinentes hæc simul cum illo regnabimus. Dignum est enim ut qui pro illo opprobria patitur aut exitia, in regno ejus gloriosus appareat.

« Si negamus, et ille negabit nos. » Verum est : quia si minime confessi illum fuerimus coram hominibus,tunc dicet et ipse nobis in illa necessitate futuri judicii, nescio vos. Hæc est punitionis significatio.

« Si non credimus, ille fidelis permanet, negare semetipsum non potest.» Nemo potest Domino auferre quod habet. Quis enim illo fortior est, per quem omnia extiterunt ? Nec addi potest perfecto, quia non illi aliquid præstat, qui credit in illum, quomodo nihil aufert, qui non credit ei. Quidquid ergo agitur ad profectum nostrum pertinet, ne in ignorantia maneamus. Nec enim a nobis firmatur, cum ipse ex se, et apud se firmus sit.

« Hæc admone contestans coram Domino. Non verbis pugnare ; ad nihil enim utile est,nisi ad subversionem audientium.» Contentiones vitandas monet. Præcepta autem danda sub Dei timore, et terrore, quia contentio potest adhuc minus stabilitis generare scrupulum. Solent enim in contentione talia opponi, elimato malevolentiæ ferro, ut moveant animos insipientum fratrum.

« Sollicite cura temetipsum, ut probabilem exhibeas Deo operarium, non impudoratum, recte tractantem verbum veritatis. » Quoniam sunt aliqui, qui contentionem dicant prodesse,Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat ut unusquisque hoc curet,ut spreta altercatione semetipsum probabilem faciat,et impudoratos appellans eos qui contentionibus nituntur. Necesse est enim ut contentio extorqueat aliquid,imo multa quæ dicantur contra conscientiam, ut intus in animo perdat,foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licet sciat vera quæ audit. Recte autem tractat et bona conscientia qui volentibus loquitur et pacificis. Collatio ergo inter Dei servos esse debet, non altercatio.

« Profanas autem vocum novitates devita ; plurimum enim proficient ad inanitatem. Sermo enim eorum velut cancer serpit, » Hoc idem adhuc prosequitur, ut contentiones vitentur. Nec enim congruit unius fidei viros habere contentionem, sed in tractatu patiantur se invicem et consentiant bonis dictis. Si quid autem improbabile videtur, cum pace dissimuletur. Adversarii enim et dissidentes solent se invicem provocare,ex quibus unus catholicus est et alter profanus. Hic ergo catholicus,cui Apostolus mandat ut spernat et declinet a fabulis inanibus, quietus debet esse, ut semper de conscientia verba emittat,nec patiatur se coram impia verba depromi, Dant enim quibudam occasionem ut in pejus proficiant. Non enim desunt qui audientes profana, concipiant cogitatum malum, ideoque obest contentio.

« Ex quibus est Hymenæus et Phyletus, qui deerraverunt a veritate, dicentes resurrectionem jam factam esse,et fidem quorumdam subvertunt.» Nunc ipsorum,quorum causa vitandas contentiones monet. prodidit nomina quos et profanos et impios designavit, errantes a veritate. Hoc enim negabant, quod palmare est Christianorum, ut credant se in futurum a mortuis resurgere. Hi autem, sicut ex alia Scriptura docemur, in filiis fieri resurrectionem dicebant, quibus non deerat qui assensum præstaret perversum contra fidem, quam in primordio fuerat consecutus.

« Firmum tamen fundamentum Dei stat, habens hoc sinaculum. Cognovit enim Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. » Fundamentum Dei fides est,quæ continet quæ promisit Deus, quæ fides non poterit infringi perfidorum et hæreticorum commentis. Quamvis enim hi negent futura quæ credimus,Deus tamen dabit quæ credimus daturum illum, teste

promissione ejus. Signaculum itaque promissionis Dei fides nostra est, quæ firmat Dei verba. In die judicii cognoscet Deus qui habent signum ejus, dissentientes a perfidorum, et hæreticorum iniquitate, quæ Dei promissionem infirmare se putat. Nihil enim tam iniquum, quam Dei fidei contraire. Sic et Dathan, et Abiron et Chore dictum est a Moyse, cum contra Dei præceptum offerre sacrificia præsumerent. Cognovit itaque Dominus qui sunt ejus. Quo dicto ostendit,quæ pernicies maneret eos, qui Dei verba inverterent.

« In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quædam in honorem,quædam autem in contumeliam. » Hoc dicto significavit in Ecclesia diversos esse homines ; quosdam bonos et summos viros, quos in auro intelligi vult ; quosdam bonos tantum, quos in argento designat ; alios vero non bonos, quos vasa lignea et fictilia appellat ; quod nulli ambiguum puto. Nam in Corinthiorum hoc Ecclesia probat frequens sermo objurgantis Apostoli. Nunc autem in Ecclesia nostra palam est ; et in templo Jerosolymis, in quo typus erat Ecclesiæ, manifestis lectionibus approbatur. Erant enim illi Sadducæi, ex quorum radice erant Hymenæus et Phyletus. De quorum prava sententia, cum Apostolus esset locutus, statim hoc subjecit, ut non esset mirabile in Ecclesia videri homines dissentientes. Nam in Corinthiorum Ecclesia, de qua dixi, quidam erant, qui dissentientes resurrectionem negabant. Insanus tamen Novatianus ut errori suo blandiatur, aliter hoc intelligendum tradit, ut domus magna totus mundus significari credatur, quia habet hominum diversitatem, cum constet Apostolum exemplo usum domus divitis et opulentis, quæ quamvis copiosa sit, (1322) habeat tamen et vitiosos et prava sentientes, sicut superius memoravi. Quos contumelia dignos ostendit, non tamen perituros, sed purgandos per ignem, quia domui ex aliqua parte necessaria sunt. Novatianus autem elatus superbia, ut Ecclesiæ suæ veritatem, et sanctitatem generalem defenderet, hoc modo intelligendum decrevit, quasi Ecclesia penes ipsum sit, et cunctos habeat purificatos propter illas causas, quibus nos innocentes accusat. Sed quid opus erat hoc loco de mundo aliquid dicere, aut ut quid affirmaret mundum domum magnam significare ? Nam dicit Dominus apostolis : » Non estis de mundo. Ego autem elegi vos (*Joan.* xv, 19). » Quomodo ergo intra mundum concludendi sunt, qui negantur de mundo esse ? Et ideo Apostolus : « Quid inquit, mihi de his, qui foris sunt, judicare ? (*I Cor.* v, 12.) » Nam in una domo omnes sub uno sunt nomine. Uno enim Domini sui nomine censentur omnes. Mundus autem diversæ professionis continet homines,ita ut dispares profiteantur se habere deos et dominos. Non ergo domum magnam mundum dixit, sed Ecclesiam, in qua omnes, sub unius Domini sunt nomine.

« Si quis ergo purgaverit semetipsum ab his,erit vas in honore sanctificatum,utile Domino,ad omne opus bonum præparatum. Nunc alia hæresis fraude sua convincitur, quæ asserit animas quasdam natura esse malas, quæ ad bonum cogi non possint : cum hic dicat posse malos immutari in bonos et sordidos purificari. Poterant enim Hymenæus, et Phyletus mundare sensum suum,si voluissent,ut fierent vas sanctificatum, præparatum in honorem.

« Juvenilia autem desideria fuge. » Juvenilia desideria adversa sunt. Sunt enim voluptates mundanæ, quæ omnibus illecebris mancipatæ sunt, ac per hoc Dei servo fugiendæ sunt.

« Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem cum bis qui invocant Deum de corde puro. » Hæc sectanda jubet,quæ juvenili ætati devia videntur et aspera. Qui enim justitiam elegit, ei nihil facit contrarium ; et qui fidem diligit servant mandata. Qui autem charitatem sequitur, omnibus humilis est. Pacis vero custos nullum lacessit ad jurgium.

« Stultas autem, et ineruditas quæstiones devita, sciens quia generant lites. » Insensatæ quæstiones partim infidelium,partim hæreticorum sunt,aliorum ex parte indefidelium,quæ modestos homines cogunt ad litem. Immutantur enim nimia contradictione impietatis eorum,et irati dicunt aliquid contra propositum suum. Nam solent quidam hæreticorum patientiam fingere quamvis a catholico non possint audire aliquid asperum, ut commendent prava sua colloquia ; ideo dissimulandum ab his est.

« Servum autem Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, modestum ; corrigentem eos, qui diversa sentiunt, ne quando det illis Deus (1323) pœnitentiam ad agnitionem veritatis, et resipiscant a diaboli laqueis capti ab eo ad ipsius voluntatem. » Hæc nulla indigent interpretatione : sunt enim manifesta,quantum tamen prosit modestia, declaravit. Si enim hoc in quibusdam hæreticis placitum est,quia humiles videntur, quanto magis laudabile, et fructuosum erit in catholico,si fuerit mitis, in quo et sensus utilis, et gravita imitanda perspicitur ?

(Cap. III.) « Hoc autem scito, quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines sui tantum amatores,avari,insolentes,superbi, blasphemi,parentibus non obsequentes, ingrati, impii, sine fide,sine dilectione, criminatores,incontinentes, immites, bonorum inimici, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes formam pietatis, virtutem ejus abnegantes. Et hos devita. » Prophetia est hæc sancti Apostoli, in qua prævidit quanta mala futura essent hæreticorum, essent et Judæorum. In his enim omnia ista, quæ reliqua, quæ sequuntur.

(1322) In cod. impressis post verbum *sit*, legitur *habeat tamen vasa lignea et fictilia. Hoc modo et Ecclesia, quaquam sancta dicatur, habet tamen*, et

(1323) *Pœnitentiam* habent omnes lectiones, sed in nostro cod. *patientiam* legitur.

inimica fidei sunt denotantur. Ipse enim Apostolus dixit : « Quo enim mihi de his, qui foris sunt, judicare? (*I Cor.* v, 12.) » Qui enim male de Deo sentiunt,et non timent,quod ad injuriam ejus pertinet, profiteri;quomodo in conversatione humana possunt esse benevoli? Ideo enim dixit : habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, quia profitentur quidem semetipsos Christianos, cum sint et nequissimi operis, et sensus perversi. Non enim in professione magis, quam in gestis laus Dei, et virtus est.

« Ex his sunt enim qui irrepunt in domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis,quæ ducuntur variis desideriis,semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. « Quamvis omnibus hæreticis hoc conveniat,ut subintrantes domos, mulieres subdolis,et versutis verbis capiant, ut per eas viros decipiant, more patris sui diaboli, qui per Evam Adam circumvenit : Manichæis tamen præ cæteris congruit. Nulli enim tam importuni, tam fallaces, tam captiosi sunt, quam ipsi, quos constat aliud colere, et aliud profiteri, aliud intus gerere, et foris aliud vindicare. Nam sanctimoniam defendunt, et lege sua favent, et turpiter vivunt : misericordiam laudant, cum inter se injusti deprehendantur ; mundum spernendum asserunt,et semper accurati procedunt ; jejuniis insistere se jactanter prædicant (1324), cum omnes saginati videantur, tantum quod arte quadam pallidi cernuntur, ut fallant.Hæc ergo Apostolus maxime de his prophetavit, quos constat apostolorum tempore non fuisse, sicut nec Arianos : quippe cum Diocletianus imperator constitutione sua designet, dicens : Sordidam hanc, et impuram hæresim, quæ nuper, inquit, egressa est de Persida. Hi inveniunt mulieres præ vanitate novum aliquid desiderantes audire, et per ea, quæ placida sunt suadent illis fœda, et illicita. Cupidæ enim sunt discendi,cum judicium non habeant probandi : hoc est semper discere,et veritatis scientiam non habere.

« Quemadmodum autem Janne et Mambres restiterunt Moysi (*Exod.* VII, 11), ita et hi resistunt veritati (1325) homines corrupti mente,reprobi circa fidem,sed non proficient amplius. Ignorantia enim eorum evidens erit omnibus,sicut et illorum fuit. » Exemplum hoc de apocryphis est (1326). Jannes enim et Mambres fratres erant magi, vel venefici Ægyptiorum, qui arte magiæ suæ, virtuti Dei, quæ per Moysen agebat,æmulatione commentitia resistere se putabant.Sed cum in Moyse virtus in operibus cresceret, humiles facti confessi sunt cum dolore vulnerum, Deum in Moysen operatum.Unde similiter et hos non amplius proficere in impietate assertionis suæ dicit,quia imperitia eorum palam fiet, et sedu-

(1324) Verba, *jejuniis... prædicant*, in superiori margine leguntur.

(1325) Verba, *ita... veritati*, in cod. desiderantur, sed ex vulg. et Ambrosiast. addidimus.

(1326) Divus Chrysost. in hunc loc. hom. oct. ait : *Qui nam isti sunt magi tempo Moysis? Quomodo autem nomina eorum nusquam alibi feruntur? Vel traditiones non scriptæ sunt, vel spiritu Paulus hæc didicerit.*

ctio : et licet inviti, confitebuntur tamen suam imperitiam in ultimo.

« Tu autem assecutus es doctrinam meam,institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutionem, passiones. » Eorum vuli esse æmulum, quæ enumerat. Hæc enim in ultimo non ad pœnitentiam,sed ad lætitiam proficient.

« Qualia mihi facta sunt Antiochiæ,Iconii,Lystris: quales persecutiones sustinui,et ex omnibus liberavit me Dominus.Sed et omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur. Nequam autem homines et deceptores proficient in pejus, ipsi errantes, atque alios erroribus involventes. » Ideo quæ, et quanta passus sit memorat, ut auxilia Dei ostendat, quibus defendit, et tutos præstat servos suos ab imprudentia Satanæ,ut securos illos faciat, et erigat,ne timeant quæ irrogari possunt a perfidis, sed in persecutione alacres sint, certi quia omnes, qui in Christo recte conversantur, odio habentur etiam a corporis sui membris.Mali autem in deterius proficient, dum vident multos sibi dare assensum, ita ut cæteros in errorem mittant.Dum enim sciuntur esse mali, et deceptores, et nihilominus florere, et prosperari in mundo,attrahunt quosdam, ut imitatores eorum effioiantur, non solom in propriis erioribus puniendi, verum etiam in horum, quos exemplo suo perdunt.

« Tu vero persevera in his, quæ didicisti, et quæ tibi credita sunt : sciens a quibus didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ possunt te erudire ad salutem. » Multum prodesse significat Veteris Testamenti habere notitiam. Ipsas enim sacras litteras dicit,quæ Christi personam insinuant, et Incarnationem ejus ad salutem hominum redimenda declarant. Hortatur enim, ut in his proficiat. Antiquitas enim hæc robur est novitatis : sciens quia a quo didicit,firma est auctoritas. Signa enim, et prodigia vidit facta per eum,quibus omnis sermo succumbit.

« Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, ad correptionem, ad redintegrationem, ad eruditiouem, quæ est in ipsa justitia, ut paratus sit homo Dei ad omne opus bonum consummatus. » Manifestum est, quia omnis scriptura, cujus Deus auctor ostenditur, utilis est. Ad hoc enim data est, ut proficiat imperitis, et instauret deformes, attrahens iniquos ad justitiam, ut homo Dei in omni opere bono perfectus sit. In novo enim homine gradatim proficiens, constituit illum hominem Dei.

(Cap. IV.) « Testor coram Deo, et Christo Jesu,qui judicaturus est vivos, et mortuos, et adventum ipsius et regnum ejus : prædica hoc verbum, insta

opportune, importune (1327), argue, hortare, increpa, in omni magnanimitate et doctrina. » Tam sollicite mandat inviolate prædicandum Dei donum, ut cum testatione Dei Patris, et Christi Filii ejus, hoc moneat curandum, instandumque in eo, ut assidua prædicatione, et crebra objurgatione cum opportunitate provocet ad meliorem profectum. Et ut facilius arguenti assentiant, sine amaritudine hoc agendum hortatur.

« Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed a sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus : et a veritate quidam auditum avertent, ad fabulas vero convertentur.» Et hæc simili modo prophetia, est sancti Apostoli, qui præscius futurorum, instandum in doctrina sollicite præcepit, ut firmati in fide, et bonis operibus cruditi in disciplina sana robusti maneant, ut postremo tempore, cum quidam a veritate ad errorem converti cœperint, immobiles perseverent. Tales enim dicit futuros, qui pro desideriis suis doceri se velint, ut a magistris constantibus, et veracibus ad hos convertantur, qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant, quia veritas illis aspera videtur, ut relicta sana doctrina fabulis vacent. Nolunt enim argui maligna opera sua : quare tales volunt magistros, qui serviant moribus eorum. Pruriunt enim aures eorum, ut audiant fabulas vanitatum compositas sub nomine doctrinæ, quibus delectentur. Quod nullis tam proprium est, quam Manichæis, qui nescio quæ habent diversa commenta inflatis nominibus nuncupata, cum sint res frivolæ, et quædam deliramenta.

« Tu vero sobrius esto, in omnibus patiens, opus fac evangelistæ, ministerium tuum exple. Ego enim jam delibor, et tempus solutionis meæ instat.» Admonet et hortatur, ut vigilet, in disciplina ecclesiastica viriliter agat, Scripturas explanet, ut prudentes, et eruditi inanes fabulas vitent. Apostolus enim sciens passionem suam imminere, exemplum piæ conversationis, et sanæ doctrinæ in sancto Timotheo vult relinquere, ut per traducem nunquam deessent doctores idonei. Tamen passionem suam delibationem appellat, Deo enim immolatur, qui pro justitia ejus patitur.

« Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi : quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum ejus. » Omnia, quæ sibi, et cæteris utilia, et prospera essent, servasse se memorat. Non solum enim verbis, set et in operibus formam se præbuit audientibus, ut et auctori suo veritate prædicationis fidelis dispensator existeret, et contra mundi principes, et potestates omni sollicitudine, et peritia colluctatus, exemplum, quomodo vincerentur, relinqueret; et ut inviolata doctrina, et agonis legitimum certamen dignos illos faceret coronari, quia Deus justus judex dabit amplissima præmia diligentibus se, et exspectantibus Filium ejus de cœlis.

« Sollicitus esto venire ad me quam primum. Demas enim me dereliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adhuc tecum : est enim mihi utilis in ministerio. Tychicum autem misi Ephesum. » Cum constet omnem instructionem juris ecclesiastici in epistola contineri, propter multam tamen charitatem præsentiam ejus desiderat: Marco autem idcirco testimonium perhibet, quia memor est præteritorum ejus laborum.

« Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, et libros, maxime autem membranas.» Apostolus natura Judæus fuit, et nec quidquam habuit alienum. Unde ergo illi penula? Sed quia erat a Tarso, quos constat in societatem Romanorum receptos, ut de cætero cives appellarentur Romani, idcirco necesse est eos et curiam habere, in qua more Romanorum penulati conveniant. Quicunque enim illo tempore cum muneribus obviam exissent Romanis, immunitate perpetua donati, cives Romani, et fratres eorum nuncupabantur, teste eodem Apostolo. Potest ergo fieri, ut si non suam, quia totum se legi dederat, patris sui haberet penulam.

« Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Reddat (1328) illi Dominus secundum opera sua : quem et tu devita. Valde enim restitit verbis meis.» Alexander iste, et Demas supradictus collegæ fuerunt. Hi prius cum Apostolo erant simulantes illi amicitiam; et quia fallaces tempore probabantur, ambo ab eo recesserunt. Hic autem ærarius, qui audacior erat in malis, sic (1329) ab eo recessit, ut et contradictor verborum ejus existeret. Qui ergo Apostolo ausus erat contradicere, non immerito evitandum hunc admonet, Dei judicio istum dimittens.

« In prima mea defensione nemo mihi adfuit; sed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur.» Pressuram, et tribulationes sibi illatas, defensionem suam nuncupat. Passio enim Christianis vita est, et persecuito defensio. Pressura enim illata pro justitia defendet illum in die judicii, reos constituens perfidos. Inter ipsa ergo initia illatæ pressuræ derelictum se conqueritur; et quia scit hanc esse consuetudinem, non illis vult imputari, quia et Dominum a Judæis apprehensum discipuli reliquerunt : quippe cum scriptum sit in propheta : « Percutiam pastorem; et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII, 7). »

« Dominus autem astitit mihi, et confortavit me, ut per me prædicatio impleretur, et audirent omnes gentes. » Propter quod Domini Christi auxiliis munitum se dicit, et auctum virtute, ut prædicationem impleret in omnibus gentibus; idcirco ignosci

(1327) Verbum *importune*, quod in cod. deest, ex Vulg., et cæteris restituimus.

(1328) Vulg. *reddet*.

(1329) Verba, *hic... sic*, adjecta fuere ex impressis cod.

petit eis, a quibus derelictus est in necessitate, ut bene acceptus a Deo, vindictam non quærat. Hac enim causa amplius adjutum se credit a Deo, quia derelictus est ab hominibus.

« Et liberatus sum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regno suo cœlesti. Cui gloria in æternum. Amen. » Similiter dicit et Petrus coapostolus ejus, quia adversarius noster diabolus circuit, fremens, sicut leo, quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8). Sed quia in Apostolo occasionem non inveniebat, qua illum deciperet, per filios suos pressuram illi excitabat, et pœnas, ut si non quasi peccator, vel quasi justus, de hac tamen tolleretur vita, ne multos hortaretur ad fidem. Quod cum prope impleret, Dei providentia liberatus Apostolus, insultat illi, infirmum illum testificans, quia de ore ejus ereptus est; quia quod cupivit implere, non potuit. Igitur Dei auxiliis morti se ereptum gratulatur, et de providentia Domini tam securus est, ut et de futuris tentationibus liberari se credat, et non solum liberari ad præsens, verum etiam salvum se futurum in die judicii, et regnaturum cum Domino Christo in æterna sæcula.

« Saluta Priscillam, et Aquilam, et Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Sollicitus esto ante hiemem venire. » Aquila, et Priscilla hi sunt, apud quos hospitatus operabatur manibus. Onesiphorus autem hic est, cui testis est in (1330) secunda Epistola. Quid est tamen, ut præsente Apostolo, qui mortuos excitabat, Trophimus infirmaretur? Sed signa propter incredulos facta sunt. Et quia ex diversis causis meritum collocatur apud Deum, ut sive qui in tribulatione, sive qui in ægritudine Deo gratias agit, nec ab adversa parte suffragium quærit, ut proficiat meritis apud Deum. Propter imbres autem, et frigora commonuit, ut autumno ad se veniret.

« Salutat te Eubolus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et omnes fratres. » More consueto impleta est Epistola salutatione fratrum.

« Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Vale. » Hæc subscriptio Apostoli est : quod signum esse dicit in omni Epistola. Et quia Filius Dei idem filius hominis est, et Jesus dicitur, et Christus, ut et homo significetur, et Deus, duobus nominibus nuncupatur. Utroque tamen nomine dignitas designatur, qua ratione sunt posita nomina.

Finis Epistolæ secundæ ad Timotheum.

(1330) *In prima* legitur in cod.

CAPITULATIO AD TITUM.

1. Titum instruit quales debeat episcopos ordinare : et ut Cretenses increpet dure.
2. Quia omnia munda mundis : et ut senes, anus, juvenes, adolescentulæ castitatem servent, et servi dominis obtemperent.
3. Quia apparuit gratia Dei erudiens nos, ut pie vivamus : et ut cum omni imperio arguat, potestatibus subditos esse se et modestos.
4. Quia eramus et nos aliquando insipientes. Sed benignitas, et humanitas Dei, non ex operibus nostris, salvos nos fecit : et ut stultas quæstiones, et hæreticum hominem post unam correctionem devitet.

ARGUMENTUM AD TITUM.

Titum commonefacit et instruit de constitutione presbyteri, et de spiritali conversatione, et hæreticis vitandis, qui in scripturis Judaicis credunt scribens ei ab urbe Roma.

INCIPIT EPISTOLA AD TITUM.

(Cap. I.) « Paulus servus Dei. » Quid est quod Salvator noster ac Dominus apostolis dixerit : « Jam non dicam vos servos, sed amicos (*Joan.* xv, 15) : » et ejusdem magistri discipulus, imo Apostolus, in quo Christus loquebatur, nominavit se servum? Sed et idem Dominus alio loco ad eosdem apostolos dixit : « Dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus (*Luc.* xvii, 10). » Et dum utrumque a Christo dictum est, quomodo intelligi debeat, solerter intuendum est. Ex his Domini verbis patet duo esse genera bonæ servitutis, unum timoris, aliud dilectionis; unum timentium servorum, aliud diligentium, et placentium filiorum. Timet enim ancilla, ne flagelletur; timet matrona, ne offendat animum viri sui. Sed servitutis timor, qui habet pœnam, foras mittit perfectam charitatem

(*I Joan.* IV, 18). Perfectus autem servitutis timor, non solum non habet pœnam, sed ad ipsum pervenitur per lætitiam, Psalmista hortando testante, qui ait : « Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum (*Psal.* LXXXV, 11) ; » et iterum : « Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). » Hunc namque timorem habent et sancti angeli, quem profecto habuerant et sancti apostoli, per adventum scilicet Spiritus sancti, per quem descendit charitas in cordibus nostris. Idcirco et a Domino non dicti sunt servi, sed amici, qui tamen et a semetipsis, et a Domino dicti sunt servi : nimirum non ex timore, sed amore Deo placendi.

« Apostolus autem Jesu Christi. » Discrevit servitutem ab apostolatu ; quia non omnis, qui servus, statim et apostolus, sed quicunque apostolus et servus. Sed Paulus ideo apostolus, quia ipsum Jesum Christum missus fuerat prædicare. Et hoc sciendum, quia si Pater, et Filius unum sunt, et qui crediderit in Filium, credit et in Patrem. Quia omnis, qui non credit in Filium, nec Patrem habet. Servitus itaque indifferenter apostoli Pauli, sicut ad Patrem, ita ad Filium referenda est.

« Secundum fidem electorum Dei ; » id est, eorum, qui non tantum vocati sunt, sed et electi. Electorum quoque ipsorum magna diversitas est, pro varietate temporum, sensuum, atque sermonum. Nec statim qui electus Dei est, vel juxta electionem possidet fidem, vel juxta fidem habet scientiam veritatis. Sed (1331) secundum eam fidem, quam ipsi infundit, et facit credentes, quos et in præscientia sua elegit, sicut dicit : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* XV, 16). »

« Et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est. » (1332) Quæritur quare ad id quod ait : « Secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, » Junxerit : « Quæ secundum pietatem est. » utrum nam sit aliqua veritas, quæ non in pietate sit posita, et nunc ad distinctionem illius inferatur agnitio veritatis, « quæ secundum pietatem est. » Est plane veritas, quæ non habet pietatem. Si quis grammaticam artem noverit, vel dialecticam, ut rationem recte loquendi habeat, et inter falsa et vera dijudicet. Geometria quoque, et arithmetica, et musica habent in sua scientia veritatem, sed non est illa scientia pietatis. Scientia pietatis est nosse legem, intelligere prophetas, Evangelio credere, apostolos non ignorare. Et e contrario multi sunt, qui habent pietatis veram cognitionem, sed non statim et cæterarum artium, et earum, de quibus supra mentionem fecimus, juxta veritatem est (1333).

« In spem vitæ æternæ. » Hæc igitur veritas, cujus agnitio juxta pietatem est, in spem vitæ æternæ posita est ; quia statim ei, qui se cognoverit, præmium tribuit immortalitatis. Absque pietate vero notitia veritatis delectat ad præsens, sed in æternitate præmium non habet.

« Quam promisit qui non mentitur, Deus (1334). » Si non mentitur, agnoscite veritatem, et veritas liberabit vos ; quia veritas Christus est, et non aliud exhibet, quam promisit, et justis scilicet, et injustis, quamvis durum hoc hominibus videatur (1335). Vel sic accipiendum : Quod promisit Abrahæ, quod benedicerentur in ipso omnes gentes, hæc in Christo implevit per prædicationem apostoli Pauli, et cæterorum ejus coapostolorum.

« Ante tempora sæcularia. Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi (1336). » Ecce dixit quod fuerint tempora æterna, quæ tamen non fuerunt Deo coæterna. Siquidem ille ante tempora sæcularia, id est, æterna non solum erat, verum etiam promisit vitam æternam, quam manifestavit temporibus suis, id est, congruis. Quid aliud Verbum suum ? Ipse est enim vita æterna. Quomodo autem promisit, cum hominibus utique promiserit, qui nondum erant, ante tempora æterna, nisi quia in ejus æternitate, atque in ipso Verbo ejus eidem coæterno, jam in prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat ?

« Secundum præceptum Salvatoris nostri Dei. » Non hic alius intelligitur Salvator Deus, quam Filius. Ipse enim unus, idemque cum Patre, et Spiritu sancto, unus, et verus Salvator et Deus est.

« Tito dilecto filio. » Titum filium suum vocat, scilicet doctrina, exemplo, eruditione, atque disciplina, non tamen natura, « secundum communem fidem. »

(1337) Utramnam omnium, qui in Christo credebant, communem dixerit fidem, an communem, suam tantum et Titi ? Quod quidem melius videtur apostoli Pauli, et Titi fidem fuisse communem, quam omnium credentium ; in quibus pro varietate mentium fides quoque communis esse non poterat, sed diversa.

« Gratia et pax a Deo Patre, et Jesu Christo Salvatore nostro (1338). » Gratiam Dei commendat, ut et in cæteris epistolis, per quam nobis donantur

(1331) Huic sententiæ eodem scriptoris caractere in marg. adnotatum legitur *ān*. Quid hæ litteræ significent, viderit lector. Videbitur paulo inferius etiam divi Hieron. sententias adnotari.

(1332) Ibi in margine, ut supra adnotatum inspeitur hoc modo. Ih., scil. Hieronymus, sive Hieronymiaster, cujus est hæc sententia, seu interpretatio.

(1333) Fortasse perperam adjecta hæc postrema verba, quæ sensum obscurant.

(1334) Ibi in marg. ita adnotatum est, *AN*, scilicet Augustinus.

(1335) Brevis hæc expositio, quæ Augustino in marginis adnotatione tribuitur, de verbo fere ad verbum in Pelagii divo Hieronymo tributo commentario legitur.

(1336) Hic in marg. adnotatum est ita āg, idem scil. August.

(1337) *Ih*, scilicet Hieron.

(1338) *Ag*, scilicet August.

peccata, ut reconciliemur Deo; pax autem, qua reconciliamur Deo.

« Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas. » Reliquit Titum discipulum Cretæ, ut rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret : et si quid videbatur deesse, corrigeret, ipse pergens ad alias actiones, ut rursum in eis Christi jaceret fundamentum. Quod autem ait : « Ut ea, quæ deerant, corrigeres, » ostendit nec dum eos ad plenam venisse scientiam veritatis ; et licet ab Apostolo correcti fuerint, tamen adhuc indigere correctione.

« Et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego tibi disposui (1339). » Diligenter Apostoli attendamus verba, dicentis : Ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego tibi disposui : qui, qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus disserens, hoc est : « Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, » etc., postea intulit : « Oportet enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem. » Idem est ergo presbyter qui episcopus; et antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, et diceretur in populis : « Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ (*I Cor.* I, 12), » communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, putabat suos, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii ; relegat Apostoli ad Philippenses verba, dicentis : « Paulus et Timotheus servi Christi Jesu, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus, gratia vobis et pax (*Philipp.* I, 1, 2), » etc. Philippis una est urbs Macedoniæ, et certe in una civitate plures, ut nunc (1340) putantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo in tempore, quos presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis, quasi presbyteris est locutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miserit Ephesum, et vocaverit presbyteros ejusdem Ecclesiæ, quibus postea inter cætera sit locutus : « Attendite vobis, et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum (*Act.* XX, 28). » Et hic diligentius observandum, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem episcopos dixerit. Videamus igitur qualis presbyter, sive episcopus ordinandus sit.

« Si quis est sine crimine : » hoc enim inter peccatum distat, et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum, crimen ; et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde et prædicator sanctus, cum virum dignum gratiæ sacerdotalis describeret, nequaquam dixit : Si quis sine peccato, sed, « si quis, sine crimine est. » Quis vero esse sine peccato valeat, cum Joannes dicat : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » In qua videlicet peccatorum, et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, crimina vero exstinguunt. Electus sacerdos Ecclesiæ non tantum eo tempore, quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, et præteritas maculas nova conversatione deleverit, sed ex eo tempore (1341), quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruerit? Aut qua libertate corripiat peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat eadem commisisse, quæ corripit?

« Unius uxoris vir (1342). » Quod est cibus ad salutem corporis, hoc est coitus ad salutem generis. Et utrumque non est sine delectatione carnali. Diversa opera Patrum non faciebat, nisi diversitas temporum. Sic autem necesse erat ut carnaliter coirent etiam non carnales prophetæ, sicut necesse erat, ut carnaliter vescerentur etiam non carnales apostoli. Ecclesiæ dispensatorem non licere ordinari, nisi unius uxoris virum, acutius intellexerunt qui nec eum, qui catechumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt (1343). De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur : propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina, etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurde visum est, eum, qui excesserit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessarium.

(1339) Verba, quæ sequuntur usque ad textum : *si quis est sine crimine*, divi Hieron. in hanc Epistolam sunt. Adeantur in hanc quæstionem responsiones theologorum, et canonistarum, quæ Aerei hæresim confutant.

(1340) In cod. *et nunc*. Quod emendandum censui, tum sensus gratia, tum juxta lectionem divi Hieronymi in hanc Ep., et hunc locum, cujus est, hæc sententia. Quod autem habet idem divus Hieron., *ut nuncupantur*, codex noster *nunc putantur* legit ; addatur igitur codex noster duobus illis, in quibus Maurini asserunt rectius legi *nunc putantur*.

(1341) Verba *quo... tempore*, in imo marg. cod. scripta sunt.

(1342) *Ag*.

(1343) Non absurda opinio, et per ea, quæ inferius leguntur, auctori nostro satis probata, a divo Hieronymo minus bene audit, qui in hunc locum ait: *Multi superstitiosius magis, quam verius, etiam eos qui cum gentiles fuerint, et unam uxorem habuerint, qua amissa, post baptismum Christi, alteram duxerint, putant in sacerdotio non legendos*. Vide quæ sequuntur.

Filios habens fideles non in accusatione luxuriæ, aut non subditos (1344). » Primum itaque dicendum est,quod tam sanctum nomen sit sacerdotii,ut nobis etiam ea, quæ extra nos sunt posita, reputentur, non quo propter vitia nostra episcopi non fiamus, sed quo propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi simus. Qua enim libertate possumus alienos filios corripere,et docere quæ recta sunt, cum nobis statim possit qui fuerit correptus, respondere , ante doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat ; exhæreda ergo filium fornicantem ;abjice filios tuos vitiis servientes ? Cum autem nequam filius in una tecum convivat domo,tu audes de alterius oculo festucam detrahere,in tuo trabem non videns ? (*Matth.* VII, 5 ; *Luc.* VI, 41.) Non itaque justus polluitur ex vitiis filiorum; sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ principi reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum suorum extraneos reprehendere delinquentes.

«Oportet episcopum sine crimine esse. » (1345) Nullus autem in Ecclesia recte posset ordinari minister, si dixisset Apostolus : Si quis sine peccato; aut si dixisset : Nullum peccatum habentes, sicut ait : Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine ; sine peccato autem in hac vita neminem dixerim.

« Sicut Dei dispensatorem.»Si enim humanarum legum dispensatores probi(1346)quæruntur, quales esse debent qui divina jura dispensant ?Et non comedens et bibens cum ebriosis,percutiat servos et ancillas, sed incertum Domini exspectet adventum et det conservis in tempore cibaria. Inter villicum autem et familiam hæc sola distantia est,quod conservus præpositus est conservis suis. Sciat utique episcopus et presbyter sibi populum conservum esse non servum.

« Non superbum, id est, non tumentem et placentem sibi quod episcopus sit, sed quasi bonum villicum acquirentem, quod pluribus prosit.

« Non iracundum. » Iracundus est qui sæpe irascitur, et ad levem responsionis auram atque peccati, quasi a vento folium, commovetur. Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est ; sed ille dicitur iracendus, qui crebro hac passione superatur.

« Non vinolentum. » Prohibet quoque Apostolus episcopum esse vinolentum,ut sensu occupato, vel exaltet risum contra gravitatis decorem, et labiis dissolutis cachinnet,vel si paulum tristis cujusdam rei fuerit recordatus,inter pocula in singulius prorumpat et lacrymas.

« Non percussorem.» Quod quidem et simpliciter intelleetum ædificat audientem, ne facile manum porrigat ad cædendum ; ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Percussorem autem episcopum ille condemnat,qui dorsum posuit ad flagella et maledictus non remaledixit. Sed melius est ut non percussorem illum esse dicamus,qui mansuetus et patiens,scit in tempore quid loquendum sit,quid tacendum,nec sermone inutili conscientiam percutit infirmorum.

« Non turpis lucri cupidnm.» Turpis quoque lucri appetitus ab eo,qui episcopus futurus est,esse debet alienus.Sunt enim multi « docentes quæ non oportet,turpis lucri gratia ; » qui totas domos subvertunt, et putant quæstum esse pietatem. « Melior autem est, » juxta Salomonem, « modica acceptio cum justitia,quam multa genimina cum iniquitate (*Prov.* XVI, 8) ; » et magis eligendum in paupertate nomen bonum quam in divitiis nomen pessimum (*Prov.* XXII, 1). Episcopus,qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum et vestitum,his tantum debet esse contentus.Qui altario serviunt, de altario (1347) vivunt (*I Cor.* IX, 13).Vivunt, inquit, et non divites fiunt. Unde et æs nobis excutitur e zona ; et una tantum tunica induimur (*Matth.* X, 9, 10 ; *Marc*,VI, 8, 9), ne de crastino cogitemus (*Matth.*VI,34). Turpis lucri appetitio est plusquam de præsentibus cogitare.

Huc usque quid non debeat habere episcopus,sive presbyter,Apostoli sermone præceptum est ; nunc e contrario quid habere debeat,explicatur.

« Sed hospitalem. » Ante omnia hospitalitas futuro episcopo denuntiatur.Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant:« Hospes fui,et suscepitis me (*Matth.* XXV,35) ;»quanto magis episcopus, cujus domus omnium commune esse debet hospitium ? Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens,implevit hospitalitatis officium.Episcopus nisi omnes receperit,inhumanus est.

« Benignum,» ut hospites cum benignitate suscipiat.Benignus autem dictus,quasi nimium bonus, « Sobrium,» id est, temperatum. « Castum,» ab omni crimine. « Justum,»in judicio. « Sanctum, » in opere per continentiam.«Continentem.» Hoc dicit,ne, quia unius uxoris dixerat virum, locum incontinentiæ dedisse putaretur.Quomodo itaque mansuetudo,patientia,sobrietas, moderatio, abstinentia a lucri appetitione,hospitalitas quoque et benignitas præcipue esse debent in episcopo,et inter cunctos laicos eminentissime ; sic et castitas proprie, et,ut ita dixerim pudicitia sacerdotalis,ut non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam ab intuitu oculorum,et cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera. Justus quoque episcopus esse debet et sanctus,ut justitiam in populis, quibus præest, exerceat, reddens unicuique quod meretur,nec accipiat personam in judicio. Inter laici

(1344) *Ih.* scilicet divus Hieronymus.
(1345) *Ag.*
(1346) Per hanc lectionem evincitur mendosa lectio Vallarsiana hujus loci in commentario Pelagii divo Hieronymo tributo,ubi loco *probi* legitur *presbyteri.*
(1347) Non *altario*, sed *sacrario.*

autem et episcopi justitiam hoc interest quod laicus potest apparere justus in paucis : episcopus vero in tot debet exercere justitiam, quos et subditos habet.

« Amplectentem eum,qui secundum doctrinam est,fidelem sermonem (1548).» Scilicet ut diligat doctrinam,et semper inde loquatur ; nec fabulas vanas et otiosas sectetur.

« Ut potens sit exhortari in doctrina sana. »Sana doctrina illa est,quæ sanat audientes,ut quod dono Dei habet, non ei existat ingratus, sibi hoc ascribendo.

« Et eos,qui contradicunt, redarguere. » Talis eligendus est Ecclesiæ præsul,qui exhortari possit nutantes, et contradicentes redarguere, hoc est, testimoniis Scripturarum convincere.Hæc sententia, etiamsi sola esset,posset sufficere adversus eos,qui dicunt magistris Ecclesiarum innocentiam vitæ posse sufficere absque scientia Scripturarum.

(1349) « Sunt enim multi,et non subditi, vaniloqui et mentium deceptores. »Qui Ecclesiæ futurus est princeps,habeat eloquentiam cum vitæ integritate sociatam,ne opera absque sermone sint tacita, et dicta factis deficientibus erubescant, maxime cum sint non pauci, sed plures , nec subditi, sed protervi. Tales homines doctor Ecclesiæ, cui animæ populorum creditæ sunt,Scripturarum debet ratione superare, et silentium illis testimoniorum pondere imponere.

« Maxime qui de circumcisione sunt (1350).» Qui humanas potius traditiones,quam divina mandata loquuntur. « Quos oportet redargni ; id est, prudenter Scripturarum testimoniis eos oportet convincere.

« Qui universas domos subvertunt ; » id est, non unam, aut paucas domos'sed nniversas cum dominis famulisque subvertunt. « Docentes quæ non oportet », de ciborum differentiis, de Sabbati jam (1351) aboliti otio, de circumcisionis injuria : quæ jam superflua sunt temporibus Christi, cæremoniæ scilicet Judæorum.

(1355) « Turpis lucri gratia.»Quia enim deus est eis venter ipsorum. turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos,ut quasi magistri a sectatoribus suis alantur.Possumus autem et aliter interpretari hoc, quod dictum est :« Turpis lucri gratia,» ut putemus Apostolum communi verbo usum, quo omnes hæretici, cum perversa docent, se hominum solent asserere lucratores, cum non lucrum sit, sed perditio, animas interficere deceptorum.

« Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces. » Id quod ait, « proprius eorum propheta, » non specialiter ad Judæos, et eos, qui de circumcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, et vaniloqui et mentium deceptores, qui utique quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt, amantes mendacium, et non quomodo solet incurri, sed semper idem, assidue mendaces (1353).

« Malæ bestiæ, ventres pigri (1351), » id est voratores otiosi, et idcirco ferias, et otia libenter admittunt (1355). Dictum est hoc de quodam Epimenide, qui Cretensis fuit, in cujus libris hoc invenitur versuum hexametrum, qui in Græcum pedibus stat, in cujus libris hoc invenitur (1256) ; qui homo inter prophetas Dei non invenitur. Nec ad illa eloquia Dei pertinet, quæ Judæis dicit esse credita, Ideo non commemoravit Apostolus nomen ejus,sicut solet commemorare prophetas Dei (1357) in qua est auctoritas Dei.

« Testimonium hoc verum est » (1358). Non totum carmen, de quo testimonium sumptum est: sed tantum hoc testimonium, hic versiculus, quo mendaces vocantur. Et utique qui in una tantum poematis parte concessit (1359), et cætera confutasse credendus est.

« Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide. » Quia enim mendaces sunt, et malæ bestiæ, qui falsa persuadent, qui ferarum ritu sanguinem sitiunt deceptorum, idcirco increpa illos, ut sani sint in fide ; de qua fidei sanitate in consequentibus loquitur : Senes sobrios esse, honestos, pudicos, sanos in fide, et charitate, et patientia ; ad quam fidei similitudinem, doctrina quoque sanitas appellatur.

« Non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum, se aversantium a veritate. » Traditionibus humanis, de quibus Judæi in Evangelio (*Matth.* xv, 9-14) arguuntur per Isaiam (*Isa.* xxix, 13) : Deum non corde, sed labiis honorantes.

(1348) *Añ.*
(1349) *Ih.*
(1350) *Añ.*
(1351) *Abolitione* legit Vallarsius in divi Hieronymi expositione, a quo hæc interpretatio, ubi nos legimus *aboliti otio*.Meliorem autem lectionem nostram probant,quæ sequuntur in expositione illius versiculi : *Malæ bestiæ* ; ubi, *idcirco ferias, et otia libenter admittunt*, legitur.
(1352) *Ih.*
(1323) Quinam fuerit hic propheta, de quo Apostolus, Callimacusne, an Epimenides, vide divum Hieronymum in hunc locum cum notis Vallarsianis.
(1354) In marg,hujus expositionis adnotatum est ita : *Añ.* Verba autem sunt e commentario sæpius citato Palagii excerpta.
(1355) In marg. *Ag.*
(1356) Mendam, vel potius mendas, quæ in hoc textu irrepserunt, corrigere ausus non sum ob nimiam verborum alterationem, qua opus fuisset. Vide inter opuscula divi Augustini libr. II, contra advers. Leg. et Prophet., § 13, edit. Paris., tom, 8, col. 588, ubi hæc verba desiderantur, quamvis tota in hujus versic. textum ejus sit.
(1357) Divus August. cit. loco post ea verba ita prosequitur : Aliquando dicens, *sicut et David dicit* (*Rom.* IV, 6). *Isaias autem audet. et dicit* (*Rom.* X, 20) *sicut et Osee dicit* (*Rom.* IX, 25), vel tacitis eorum nominibus, cum dicit, *sicut scriptum est*, et ea Scriptura intelligitur, in qua etc., quæ et in nostro textu.
(1358) *Ih.*
(1359) Divus Hieron. *consensit*,

« Aversantium se a veritate » A gratia scilicet Novi Testamenti, quæ in Evangelio revelata est, et prædicata vel imaginibus, sive dictis et factis in Veteri Testamento. (1360) « Omnia munda mundis. » Quia superius dixerat. « Sunt enim multi non subditi, vaniloqui et deceptores, maxime qui de circumcisione sunt, » et de his, qui ab eis decepti fuerant, consequenter addiderat, « increpa illos acriter, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum, aversantium veritatem, » et quomodo ad Galatas et ad Romanos plenissime disputatur, putabant inter cibos esse distantiam, cum aliqui mundi, aliqui viderentur immundi; propterea nunc infert, « omnia munda mundis, » his videlicet, qui in Christo credunt et sciunt omnem creaturam Dei bonam esse, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.

« Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum » (1361). Coinquinati sunt, et infideles, qui non credunt jugum legis, Christum, donando fidem, a collo credentium abstulisse, id est omnia, quæ temporalaliter in figura fuerant data (1362), illi immunda vocabant.

Sed inquinatæ sunt eorum et mens, et conscientia (1363). Propterea etiam quæ munda sunt per naturam, eis immunda fiunt, non quo immundum fiat aliquid, sed pro qualitate vescentium, et mundum mundis et immundum contaminatis fiat. Alioquin infideles quosque atque pollutos, etiam panis benedictionis, et calix Dominicus non juvat, quia qui indigne comederit de pane illo et de calice biberit, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI, 27). Adventu enim Christi purgata sunt omnia.

« Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. « Neminem enim, ita ut se, dicunt nosse Christum, quibus ex lege promissus est, sed factis negant adventum ejus (1364), dum se sine legis auxilio putant justificari non posse.

« Cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi » (1365). Quomodo igitur labiis quis honorat Deum, et corde procul recedit, ita Deum sermone quis confitetur, operibus negat. Negans autem operibus Deum, confessione simulata, recte exsecrabilis et profanus est: et nulla veritatis ratione persuasus, inobediens et incredulus appellatur. Unde evenit ut ad omne opus bonum reprobus sit; quo scilicet etiam illa, quæ naturali bonitate superatus forte bona aliqua fecerit, non sint bona, dum mentis perversitate sunt reproba.

(CAP. II.) « Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam. » Hoc igitur nunc Apostolus Titum filium in Christo et discipulum suum docet, ut ea loquatur quæ sanæ conveniant doctrinæ; quia tunc doctrinæ sit sanitas, cum doctoris doctrina pariter et vita consentiunt.

(1366) « Senes, ut sobrii sint. » Hic senes Ecclesiæ seniores appellat, quos necesse est omnibus formam præbere, ne junioribus malum exemplum præbeant.

« Pudici, prudentes, sani in fide; in dilectione; in patientia (1467). » Generaliter Tito ante præcipiens quid ipse loqui deberet ad cunctos, in eo, quod ait: « Tu vero loquere quæ decent sanam doctrinam. » Nunc per singulas species, quid unamquamque ætatem deceat; exponit; primum senibus viris convenientia; deinde anus quid deceat; tertio, quæ adolescentibus apta sint, tam maribus videlicet quam feminis; licet in præcepto mulierum vetularum de adolescentibus feminis mandata subjecerit, ut non tam ipse doceret adolescentulas, quam quid a vetulis docerentur exponeret. Extrema de servis, et per singulas ætates, et conditiones sic decenter præcepta constituit, ut sermo ejus; vitæ morumque sit regula.

« Anus similiter in habitu sancto (1368) « Id est quæ eligebantur ad aliarum exemplum. Est ergo habitus non sanctus, de quo alibi dicit: « Non in tortis crinibus, aut veste pretiosa (*II Tim.* II, 9). »

« Non criminatrices, » id est ne vel cognita vel incognita aliorum peccata, quasi convicia, aliis in facie proferant.

« Non vino multo servientes. » Sed modicum ad sobrietatem propter salutem corporis bibentes.

« Bene docentes. Docere illas permisit; sed feminas, et hoc non in Ecclesia, sed privatim in suo sexu.

« Adolescentulas, ut viros suos ament. » Ut non alienos, sive quia aliquæ continentes erant ne, si non diligerent viros suos, verbum Dei, tamquam dissidium prædicans, culparetur.

« Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, » ne viros suos in aliquo constristent.

« Benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei, » ne, vel ipsi blasphemarent, si negligentes essent, vel alii videntes eas pejores effectas, quam fuerant ante fidem, detraherent Christianæ religioni (1369).

In eo vero, quod superius ait: « Anus similiter » (1370), hoc est ita ut viri senes in omnibus sobriæ,

(1360) *Ih.*
(1361) *An:* quæ expositio Pelagii est.
(1362) Deest fortasse, *et quæ.*
(1363) *Ih.*
(1364) Textus hic Pelagii, seu Hieronymiastri est, qui ita habet: *Se melius Christum dicunt nosse, ut lege promissum: sed factis*, etc. Legendum itaque, seu potius intelligendum de Judæis, qui nemi-nem æque ac ipsi, asserebant nosse Christum.
(1365) *Ih.*
(1366) *AN.*
(1367) *Ih.*
(1368) *An.*
(1369) In cod. *Christianam religionem.*
1370) *Ih.*

honestæ, pudicæ, sanæ in fide, et castitate (1371), et patientia, ut non sint accusatrices, non vino multo servientes, bene docentes, et in sexu suo hoc habeant proprium, ut sint in habitu sancto.

« Juvenes similiter exhortare, ut sobrii sint. » Sicut in eo, quod supra præceperat, dicens « Anus similiter in habitu sancto, » similitudinem anuum dixeramus ad senes esse referendam ; ita nunc in eo quod intulit : « Juvenes similiter hortare, ut pudici sint, » similitudinem juvenum ad anus, et per anus ad senes arbitramur aptandam, ut senum habeant sobrietatem, et honesti sint, et pudici, et sani in fide, et charitate, et patientia ; ut pudici sint in omnibus, tam scilicet mente, quam corpore, tam opere, quam cogitatione; ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis.

« In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, » Nihil enim prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quam verbo.

« Servos dominis suis subditos esse. in omnibus placentes, non contradicentes, nou fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. » Quoniam Dominus, et Salvator noster, qui in Evangelio ait : « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* xi, 28), » nullam conditionem, ætatem, sexum, a beatitudine arbitratur alienum : propterea nunc Apostolus et servis præcepta constituit, scilicet, ut parti Ecclesiæ, membrisque corporis Christi. Et quomodo superius anus, adolescentulas, juvenes, quid Titus erudire debere, edocuit ; ita nunc servis apta præcepta constituit: primum ut subditi sint dominis suis in omnibus ; in his autem omnibus, quæ non sunt contraria Deo, ut si dominus ea jubet, quæ non sint adversa Scripturis sanctis,subjicintur servus domino; si vero contraria præcipit, magis obediat spiritus, quam corporis domino. Diligenter attendite quomodo congrua personis præcepta decernat : « Servi, inquit dominis suis subditi sint in omnibus. »

« Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos. » Post catalogum doctrinæ ad Titum, quid senes, quid anus, quid adolescentulas, et juvenes, quid ad extremum servos erudire deberet, recte nunc intulit : « Apparuit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus. » Non est enim ulla differentia liberi, et servi, Græci, et barbari, circumcisi, et habentis præputium, mulieris, et viri, sed cuncti in Christo unum sumus ; universi ad Dei regnum vocamur ; omnes post offensam Patri nostro reconciliandi sumus, non per merita nostre, sed per gratiam Salvatoris nostri : vel quod Dei Patris vivens, et subsistens gratia ipse sit Christus, vel quod Christi Dei Salvatoris hæc sit gratia; et non nostro merito salvati simus secundum illud. quod in alio loco dicitur : « Pro nihilo salvos facies eos (*Psal.* xv, 8). » Quæ gratia omnibus hominibus ideo apparuit, ut erudiret nos.

(1372) « Ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria. » Sæculare est omne desiderium carnale, et omnis ambitio temporalis, Deo ipso dicente : « Attendite, ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ. Sobrie, juste, et pie vivamus in hoc sæculo (*Luc.* xxi, 34). » Admonet nos quidem alio loco idem beatus Apostolus. dicens : « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* xii, 3). » Verumtamen in hac tripartita divisione, in qua dicit, ut sobrie, et juste, et pie vivamus, videtur mihi, quia ille sobrie vivit, qui non sequitur delectamenta luxuriæ ; juste vivit, qui proximum nullatenus lædit, et ei beneficia, in quantum valet, impendit ; pie vivit, qui a societate ecclesiasticæ unitatis nulla ratione discedit ; sed intra Ecclesiam positus, ea, quæ certissime novit, ad scientiam veræ fidei pertinere indubitanter tenet; illa vero, quæ ignorat, aut de quibus dubitat, humiliter, ac patienter explorat, donec, si quid aliter sapit, Deo sibi revelante cognoscat. Hæc autem sobrietas, justitia,et pietas, quæ cunctis debent inesse fidelibus, ita sibi connexæ sunt, ut si una earum defuerit, altera, quæ videtur inesse, nullatenus prosit. Neque enim sobrietas, qua quisque in seipso a flagitiis abstinet, nisi pia, et justa fuerit, id est, ut et in Deum recte credat : nec fructuosa justitia est, qua unusquisque hoc impendit proximo, quod sibi delectatur impendi, si sobria, piaque non fuerit: pietas quoque mortua est, qua in Deum recte creditur ; si vel morum sobrietas, vel proximi charitas non tenetur. Tunc igitur animæ vera salus acquiritur, si et pietas in fide, et justitia in charitate, et sobrietas in castitate, ac parcimonia teneatur.

(1373) « Expectantes beatam spem. » Ille fiducialiter hæc exspectat, qui ita dixerit,sicut superius idem Apostolus docet. Beata spes nulla melius alia credenda est, quam illud, quod dicturus est Dominus in die judicii his,quia a dextris ejus erunt : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* xxv, 34). »

« Et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. » Magnus Deus Christus est, testante Propheta, qui dicit : « Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (*Psal.* xlvii, 2). Ipse et Salvator omnium, maxime fidelium. Adventus gloriæ ejus non ille intelligendus est,quo invisibiliter quotidie cum Patre,non absque Spiritu sancto,ad fideles veniunt, et impios derelinquunt ; sed ille intelligendus est, quando in majestate sua, et Patris venturus est, et omnes angeli ejus cum eo, et mittet eos ad congregandum electos suos, a summis cœlorum, usque ad terminos eorum, et congregabunt ante eum omnes gentes, et segregabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis (*Matth.* xxv, 31), etc.

(1371) D. Hieron. *charitate.*
(1372) *Añ.*
(1373) *Añ.*

« Qui dedit semetipsum pro nobis. » Si ille semetipsum dedit, hoc est, crucifigendum se impiorum manibus obtulit, et Pater eum tradidit, quia proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32) : licet ipsa passio pro salute nostra facta, solius Filii exstiterit personalis, tamen salus nostra in Patre, et Filio cum Sptritu sancto communis est.

« Ut nos redimeret ab omni iniquitate, » id est, ab omnibus actualibus et originalibus peccatis. Audiant hæc qui de propriis meritis extolluntur ; quia propterea Christus pro impiis mortuus est, ut nos ab omni iniquitate liberaret.

« Et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorum bonorum operum. » Populus acceptabilis Deo, sectator operum bonorum est, qui ex bonis operibus non extolluntur, sed ex eo, quod bonum agunt, in Domino gloriantur, et non in se ipsis.

« Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. » Non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. Cum omni imperio quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis. Unde etiam de Domino scriptum est : « Erat enim docens, sicut potestatem habens (*Matth.* VII. 29); *Marc.* I, 22; *Luc.*. IV, 32) ; » non sicut Scribæ et Pharisæi. Singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate, mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id, quod nobis per humilitatis suæ innocentiam ministravit. Nos enim, qui infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur quia, aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus aut tales aliquando fuimus, et si jam divina gratia operante non sumus, ut tanto temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos in iis (1374) quos emendamus. agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc aut illi sunt, quos emendare cupimus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus. Pensandum nobis quoque est qualiter loquamur : nam sæpe verba, quæ hunc ad salutem revocant, alium vulnerant. Unde Paulus quoque apostolus, qui Titum admonet, dicens : « Argue cum omni imperio, » Timotheum exhortatur, dicens : « Argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina (*II Tim.* IV, 2). » Quid est, quod uni imperium, et alii patientiam præcipit, nisi quod unum lenioris, alterum vero ferventioris spiritus esse conspexit. Leni per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi : is autem, qui per spiritum fervebat, per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo infervesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret. Curandum quoque quantum loquamur, ne, si ei, qui multa ferre non valet, verbum, vel exhortationis, vel increpationis longius trahimus, auditorem nostrum ad fastidium perducamus.

(1375) « Nemo te contemnat. » Nolo te talem exhibeas, ut possis ab aliquo merito contemnui. Ergo quæ nunc ed Titum ponitur, illum sensum habet : nemo eorum, qui in Ecclesia sunt, te segniter agente sic vivat, ut se putet esse meliorem. Qualis enim ædificatio erit discipuli, si intelligit magistro se esse majorem ? Unde non solum episcopi, presbyteri, et diaconi debent magnopere prævidere, ut cunctum populum, cui præsideut, conversatione, et sermone præcedant ; verum, et inferioris gradus, exorcistæ, lectores, æditui, et omnes omnino, qui domui Dei serviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quam clericos.

(CAP. III.) « Admone illos, principibus, et potestatibus subditos esse. » Quia dixerat : « Admone illos, principibus, et potestatibus subditos esse, » poterat his, qui tormenta formidant, occasio ad negandum dari, dum juxta Apostoli dictum, se assererent principatibus et potestatibus esse subjectos, et facere quod juberent : propterea subjecit :

« Dicto obedire, ad omnes opus bonum paratos esse. » Obedire ad omne opus bonum ; si bonum est, quod præcipit imperator, et præses, jubentis obsequere voluntati ; sin vero malum, et contra Deum sapit, responde ei illud de Actibus apostolorum : « Obedire oportet Deo magis, quam hominibus (*Act.* V, 29). » Hoc ipsum et de servis intelligamus apud dominos, et de uxoribus apud viros, et de filiis apud parentes : quod in illis tantum debeant dominis, viris, parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non veniant. Quod vero sequitur : « Paratos esse, » dupliciter legendum, ut vel subaudiatur, ad omne opus bonum paratos esse ; vel certe cum superioribus copulato hoc, quod ait, « obedire ad omne opus bonum, » et huc usque finito, quasi aliud proprium et speciale præceptum sit. « paratos esse, » juxta illud, quod in Levitico scriptum est : « Hircum qui emittitur, maledicta populi sustinentem, tradi in manus hominis parati (*Levit.* XVI, 21). »

« Neminem blasphemare (1376). » Id est, nec illos blasphemare, qui blaspbemari merentur ; sed potius illud implere, quod idem Apostolus alio loco præcipit dicens : « Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et nolite maledicere (*Rom.* XII, 14). »

« Non litigiosos esse, sed modestos. » Litigiosus autem est, qui malum pro malo reddendo, non exstinguit, sed provocat litem. Modestus est, qui mitis, et tranquillus in injuriis persistit ; et non solum non reddit malum pro malo, sed etiam pro malo bonum,

« Ad omnes homines. » Non solum bonis, sed etiam malis, ut vincere studeat in bono malos.

(1374) Loco *in iis*, in autog. *verius*.
(1375) *Ih.*
(1376) *A* .

« Eramus enim et nos aliquando insipientes, et increduli.» Ne desperarent correctionem,suum proponit exemplum : sive quia et nos tales, inquit, fuimus, debemus eorum, qui tales sunt, insipientiam ferre patienter. Et notandum quales nos Christus invenerit, vel quales fecerit, ut non de nostris meritis præsumanus, nec de naturæ bono gloriemur.

« Errantes, et servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia, et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. » Ecce quales eramus ante gratiam per liberi arbitrii libertatem. Alii hunc locum ita istelligunt, ut non de Paulo et apostolis, sed sub apostolorum persona de aliis dictum putent : ut quomodo sub persona sua, et Apollo, et Cephæ, de dissensione,et sehismate, quod arguebat Corinthios, est locutus (*I Cor.* I) ; ita etiam in præsenti loco, se, et apostolos nominans, omnes, qui in Christo crediderant, quales fuerint ante regenerationem lavacri vitalis, ostenderit. Simul autem et humilitas ejus est admiranda, quod in omnem humilitatem, justitiamque legis, quasi quisquilias,et purgamenta contempsit, recte se sine Christo vitiis omnibus servisse memorarit.

« Cum autem benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos (1377). » Quæ nos Judæi fecimus,quanto magis gentiles, qui ligno, et lapidi servierunt. Et notandum quod ait Apostolus, quia non ex operibus justitiæ salvos nos fecit ; quia nullis nostris meritis sumus salvati de sola misericordia Redemptoris. Conticescant præcipitatores, magis quam defensores liberi arbitrii.

« Secundum suam misericordiam salvos nos fecit. » Secundum suam misericordiam, quæ nos in omni opere bono et prævenit inspirando, et subsequitur adjuvando, non secundum industriam, vel laborem nostrum.

« Per lavacrum regenerationis. » Regeneratione illa de qua Dominus dicit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 3). »

« Et renovationis Spiritus sancti, » de qua Apostolus alio loco dicit : « Renovamini Spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV, 23) » : Ista renovatio non in uno momento fit, sicut in baptismo uno momento fit remissio omnium peccatorum.

« Quem effudit in nobis abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. » Nomen effusionis largitatem gratiarum significat in hæredibus Novi Testamenti, plusquam in prioribus justis.

(1378) Diligentius attendamus, et inveniemus in præsenti capitulo manifestissimam Trinitatem. Benignitas quippe atque clementia Salvatoris nostri Dei, non alterius quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis,et renovationis Spiritus sancti, quem effudit super nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, justificavit nos in vitam æternam. Salus credentium mysterium Trinitatis est.

(1379) « Ut justificati gratia ipsius. » Advertendum quod gratia illius justificamur, non meritis nostris.

« Hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. » (*Rom.* 8, 17). Et notandum quod secundum gratiam Dei justificamur,vel hæredes efficimur vitæ æternæ; non secundum carnalem hæreditatem, ut Judæi autumant : neque secundum merita nostra, quæ antea bona non habuimus, ut Pelagiani superbiunt.

« Fidelis sermo est : et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus. » (1380) Hoc, quod ait, fidelis sermo, ad superiora jungendum est, in quibus præmiserat : « Ut justificati ipsius gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ. » Dignus enim fide super hæreditate Dei sermo, et super spe vitæ æternæ (1381). Unde oportet de his non dubium, non timentem et ipsam credere, et, ut credant cæteri, confirmare. Non solum autem, sed et hoc cum cæteris his qui voluerint credere, confirmandum est. Quapropter ait : « Et de his volo te confirmare. » Qui autem ista vera esse crediderint, necesse est ut curam habeant bonorum operum, per quæ hæreditas Dei, et spes vitæ præparatur æternæ.

« Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ. » Quod autem ait : « Genealogias, et contentiones, et rixas, quæ veniunt ex lege, devita. » proprie pulsat Judæos, qui in eo se jactant et putant legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum ; quæ quia barbara sunt, et etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur a nobis. Et si forte erravimus in accentu, in extensione, et brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiæ, maxime in aspirationibus, et quibusdam cum rasura linguæ litteris proferendis.

« Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. » Legitur in codicibus (quod verum papa quoque Athanasius approbat) « post unam, et alteram correptionem ; » quod scilicet non sufficiat tantum semel eum corripi, vel commoneri, qui aliquo sit depravatus errore, sed et secunda ei sit adhibenda doctrina, et in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quare autem post primam et secundam correptionem devitandus sit,

(1377) *A* .
(1378) *Ih.*
(1379) *Añ.*
(1380) *Ih.*
(1381) Verba, *Dignus... æternæ*, in imo marg. xstant.

reddit causas, dicens : « Quod subversus est ejusmodi et peccat, cum sit semetipso damnatus. » Qui enim semel, bisque correptus, audito errore suo, non vult corrigi,errare æstimat corrigentem ; et e contrario se ad pugnas, ét jurgia verborum parans,cum vult lucrifacere a quo docetur.Propterea vero a semetipso dicetur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cætera vitia, per sacerdotes de Ecclesia propelluntur ; hæretici autem in seipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes ; quæ recesio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.Inter hæresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod hæresis perversum dogma habeat ; schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur : quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam fingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

« Cum misero ad te Arteman, vel Tychicum, festina ad me venire Nicopolim : ibi enim statui hiemare.» Quia ergo post fundamentum aliarum Ecclesiarum necessarius erat Titus,qui ædificium superstrueret, scribit ei, ut cum Arteman, vel Tychicum, unum scilicet e duobus, qui secum fuerant, Cretam misisset,impleturos locum ejus, ipse Nicopolim veniret, ibi se hiematurum esse contestans. Ex quo paternos Pauli in Cretenses probemus affectus,Necessarium habet Titum in Evangelii ministerium ; tamen non eum ante ad se vult venire,nisi in locum ejus Artemas vel Tychicus successor advenerint. Nicopolis ipsa est, quæ ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit.

« Zenam legisperitum, et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. » Iste et Apollo, de quo et ad Corinthios scribitur : « Unusquisque vestrum dicit : Ego sum Pauli, ego Apollo,ego Cephæ (*I Cor.* I, 12). » Fuit autem vir Alexandrinus ex Judæis, valde eloquens et perfectus in lege episcopus Corinthiorum ; quem propter dissensiones,quæ in Corinthio erant,ad vicinam insulam Cretam cum Zena legis doctore putandum est transfretasse, et Pauli Epistola, dissensionibus.quæ Corinthi ortæ fuerant temperatis, rursum Corinthum ravertisse. Zenam vero legis doctorem, de alio Scripturæ loco, quis fuerit, non possumus dicere, nisi hoc tantum,quod et ipse apostolicus vir, id operis,quod Apollo exercebat, habuerit, Christi Ecclesias exstruendi. Præcipit itaque Tito ut, quoniam de Creta ad Græciam navigaturi erant, non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea quæ ad viaticum necessaria sunt.

« Discant autem et nostris bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. » Supra dixerat : « Zenam legis doctorem, et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. » Quia ergo poterat suboriri occulta responsio,ut non tam Titus quam quicunque Epistolæ lector hoc diceret ; et unde Tito, ut viaticum non habentibus largiretur ? Solvit hanc quæstionem, et quasi nihil sibi opponatur, elidit, dicendo : « Discant autem nostris bonis operibus præesse in necessariis usibus,ut non infructuosi sint. » Nostros suos (1382) vocat, qui in Christo crediderunt, qui quia Christi erant, recte et Pauli et Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in discipulos potestatem, doce eos non esse infructuosos, sed evangelistis et apostolicis viris, qui bonis operibus serviunt, ministrare ; et ministrare, non in quibuscunque causis,sed in necessariis : habentes quippe victum et vestimentum, his contenti sumus (*I Tim.* VI, 8) : et qui altario serviunt, de alterio vivunt (*I Cor.* IX, 13) ; et qui participes spiritalium nostrorum facti sunt, debent nobis sua participare carnalia. Et ne forsitan vel Epistolam Pauli vel præceptum Titi facile contemnerent infructuosos vocat, quicunque evangelistis non ministraverint.

« Salutant te qui mecum sunt omnes. » Vel solita consuetudine usus est, ut Titum ab ¡omnibus, qui secum eraat, diceret salutari, vel certe proprie in Titum, quod talis esset, ut amorem ¡eorum, qui cum Paulo erant, omnium mereretur. Magna vero laus Titi per Paulum ab omnibus salutari.

« Saluta eos, qni nos amant in fide. » Si omnis, qui amat, amaret in fide, et non essent alii, qui absque fide diligerent,nunquam Paulus ad amorem fidem apposuisset, dicens : « Saluta eos, qui nos amant in fide. » Amant quippe et matres filios, ita ut mortem pro eis oppetere sint paratæ,sed non amant in fide ; uxores maritos, quibus frequentissime commoriuntur ; sed amor illi non fidei est. Sola sanctorum dilectio in fide diligit, in tantum, ut etiamsi ille, qui diligitur, infidelis sit, tamen sanctus in fide cum diligat, secundum illud : « Omnia vestra in fide [*charitate*] fiant (*I Cor.* XVI, 14). » Et alibi : « Diligite inimicos vestros, (*Luc.* VI, 32), Diligit sanctus inimicos suos, et ideo in fide diligit, quia credit in eum, qui pollicitus est se pro expletione mandati retributurum esse mercedem.

« Gratia Dei cum omnibus. Amen. » Sciendum quod in Græcis codicibus ita scriptum est : « Gratia cum omnibus vobis,» ut nec « Domini,» nec « nostri » in libris feratur authenticis. In commune itaque sanctis, atque credentibus, Tito et cæteris,qui cum eo erant, imprecatur gratia. Et quomodo Isaac patriarcha benedixit filium suum Jacob (*Gen* XXVII, 27-29), et ipse Jacob duodecim Patriarchas (*Gen.* XLIX, 1-28) : Apostoli quoque, domum ingredientes dicebant : « Pax huic domui (*Matth.* X, 15). » Et si digna erat domus, requiescebat pax eorum super eam ; si vero se exhibebat indignam, revertebatur ad eos qui eam fuerant imprecati.Ita et nunc in fine Epistolæ suæ Apostolus gratiam credentibus impre-

(1382) In autog. *usus*,sed *suos* ex divo Hieronymo legendum comperimus.

catur ; quæ cum voto habebat effectum, et erat in potestate credentium, si talem se benedictus, qualem benedicens, præbere voluisset.

A *Explicit ad Titum, scripta de Nicopoli. Habet versus* CXVII.

INCIPIT EPISTOLA AD PHILEMONEM.

ARGUMENTUM.

Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo ejus. Scripsit autem et ab urbe Roma de carcere ; et hoc ejus principium est :

« Paulus vinctus Jesu Christi. » In nulla Epistola hoc cognomine usus est licet in corpore Epistolarum ad Ephesios videlicet, et Philippenses et Colossenses, esse se in vinculis pro confessione testetur; majoris, autem mihi videtur supercilii, « vinctum Jesu Christi » se dicere, quam Apostolum. Gloriabantur quippe apostoli, quod « digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. v, 1) ; » sed necessaria auctoritas vinculorum. Rogaturus pro Onesimo, talis rogare debuit, qui posset impetrare quod posceret. Felix nimirum, qui non in sapientia, non in divitis, non in eloquentia, et potentia sæculari, sed in Christi passionibus gloriatur. Non omnis autem qui vinctus est, vinctus est Christi ; sed quicunque pro Christi nomine et pro ejus confessione vincitur, ille vere vinctus dicitur Jesu Christi, et sanguis effusus ille tantum martyrem facit qui pro Christis nomine funditur.

« Et Timotheus frater. » Hoc ideo, ut sciamus hanc quoque de carcere, et inter vincula fuisse dictatam, ubi semper Timotheus cum illo perseveravit quo tempore videntur ad Philippenses, Colossenses et ad Ephesios Epistolæ esse dictatæ.

« Philemoni dilecto, et adjutori nostro, et Appiæ sorori charissimæ. » Scribunt igitur Paulus et Timotheus Philemoni charissimo et cooperatori, qui ideo charissimus dictus est, quod in eodem Christi opere versetur. Appiæ quoque sorori, quæ vel soror vel conjux ejus creditur esse. Inter duos quippe viros et apostolicos, inter cooperatorem Pauli et commilitonem ejus, medium Appiæ nomen inseritur, ut tali ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere, sed meriti.

« Et Archippo commilitoni nostro. » Hunc Archippum arbitrandum est cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem exstitisse victorem ; et propterea nunc commilitonem dici, quod in eodem certamine belloque superaverit.

« Et Ecclesiæ, quæ est in domo tua. » Scribitur Ecclesiæ, quæ in domo ejus est. Verum hoc ambignum est, utrum ecclesiæ quæ in domo Archippi sit, an ei quæ in domo Philemonis. Sed, ut certius, putatur, non ad Archippi, sed ad Philemonis referendum esse personam, cui ipsa quoque Epistola deputatur.

« Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo. » Adhuc a duobus ad plures scribitur ; et in omnibus pene Epistolis æquale principium est, ut gratiam ei et pacem a Deo Patre et a Christo Domino imprecetur. Ex quo ossenditur una Filii Patrisque esse natura, cum id potest Filius præstare quod Pater ; et id dicitur Pater præstare, quod Filius. « Gratia » autem est, quia nullo merito nec opere salvamur. « Pax » qua reconciliati Deo per Christum sumus. Licet. Paulus et Timotheus pariter scribant ad Philemonem, Appiam, et Archippum tamen in sequentibus approbatur Paulum tantummodo ad Philemonem scribere, et unum cum uno sermocinari.

« Gratias ago Deo meo semper, memoriam tui faciens in orationibus meis. » Hæc jam non ut Paulus et Thimotheus, Philemoni et cæteris, sed solus Paulus, ad solum Philemonem loquitur. Hunc autem morem scribendi in aliis Epistolis ejus invenire possumus : quod cum ad plures, et plures in præfatione ponantur, postea per totum corpus Epistolæ, unus disputans inducatur. Quod vero ait : « Gratia ago Deo meo, et semper, memoriam tui facio in orationibus meis, » ambigue dictum est, utrum gratias agat Deo semper, an memoriam ejus faciat in orationibus suis semper. Sed tamen utrumque intelligi potest : quod ille, qui præcepit aliis ut in omnibus gratias agant Deo, nullis augustiis poterit coarctari, ut gratias semper Deo ipse non referat. Si autem pro sanctis, et melioribus quibusque Paulus semper orabat (sanctus autem et Philemon est, tanquam bens in se fidem, et charitatem, ut non solum auditu ei, verum etiam opere nosceretur), et pro Philemone Paulum semper orasse credibile est : quo scilicet fides charitas, quam habebat in Christo, et in omnes sanctos ejus, per communicationem fidei et operationem agnitionis in omni bono, Christi misericordia servaretur.

« Audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos. » Quod charitatem haberet Philemon in Domino, non difficilis interpretatio est ; quia post Deum, diligere jubemur et proximos. Et non solum fidem et charitatem in Deum, et in sanctos ejus sufficere nobis posse credamus ; sed ut id, quod credimus, opere compleatur.

« Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis boni in Christo Jesu. » Quantis gradibus, quantisque profectibus apostolicus in altiora sermo se tendit ! Ut quidquid boni in Philemone

laudatur, de apostolorum exemplo sumitur, et inde bonum sit, quia de Christi fonte ducatur.

« Gaudium enim magnum habui,et consolationem in charitate tua ; quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. » Plenius inculcat, et edocet, quare dixerit : « Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis. » Dignum siquidem erat agere gratias Deo semper pro charitate Philemonis, qui internum cordis affectum, et profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refrigeraverat.

« Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinent : et propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi. » Multis Philemonem laudibus ante præmissis, cum res talis sit, pro qua rogaturus est, quæ et præstanti sit utilis, et roganti, poterat Paulus magis imperare quam petere. Sed hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetrarat, utique impar sui in cæteris esse non poterat. Sed vult magis petere, quam jubere, grandi petentis auctoritate proposita, per quam et Apostolus obsecrat, et senex, et vinctus Jesu Christi. Totum autem pro quo rogat, illud est. Onesimus servus Philemonis, fugam furto cumulans, quædam rei domesticæ compilarat : hic pergens ad Italiam, ne de proximo facilius posset apprehendi, pecuniam domini per luxuriam prodegerat. Hoc ne quis putet temere, et ut libet, a nobis fictum, in sequentibus discat. Nunquam enim Paulus diceret : « Si quid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa : ego Paulus scripsi mea manu ; ego reddam : » Nec sponsor rei fieret ablatæ, nisi esset id, quod ablatum fuerat, dissipatum. Hic igitur, cum ob confessionem Christi Paulus Romæ esset in carcere, credidit in Dominum Jesum, et ab eo baptizatus, digna pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit : in tantum, ut Apostolus conversionis ejus testis fieret, qui quondam Petrum increpuerat, non recto pede in Evangelii veritate gradientem (*Gal.* II, 11). Quantum igitur ad peccatum, et ad facinus pertinet, quod homines læserit, veniam non meretur ; quantum vero ad Apostoli testimonium, qui scit eum plene esse conversum, grandi pondere premitur, qui rogatur, ut qui de servo fugitivo atque raptore, minister Apostoli factus erat. (Quod autem aliud habebat Apostolus ministerium, nisi Evangelii Christi Jesu ?) Jam non quasi a Domino, sed quasi a conservo, et coevangelista, ignosceretur ei, qui servus esset Christi similiter, et minister.

« Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo. » Volens impetrare quod postulat, jam non pro servo Philemonis, sed pro filio suo se asserit deprecari, et illo filio, quem genuerat in vinculis Evangelii, hoc est, quæ pro Christi Evangelio sustinebat.

« Qui tibi aliquando inutilis fuit. » Tibi, inquit, soli ; non cæteris : nunc e contrario utilitatis comparatione, qua et ipsi domino, et Paulo utilis est, cæterisque per Paulum, plus charitatis meretur, quam odii ante meruerat. Unde ait :

« Nunc autem et tibi et mihi utilis. » Domino in eo utilis, quia posset Paulo servire pro domino suo ; Paulo vero in eo utilis, quia illo in carcere, vinculisque detento, posset et in Evangelio ministrare.

« Tu autem illum, id est, ut mea viscera suscipe. » Viscera significant internum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem, cum totum quidquid in nobis est, suscipitur a rogato. Aliter autem, omnes liberi, viscera sunt intelligenda parentum.

« Quem ego volueram mecum retinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii. » Idcirco filium suum, et filium vinculorum, et ministrum Evangelii in vinculis constituti, inculcat, atque replicat, ut Philemon ille prudenter, et dispensatorie tantum in præfatione laudatus, non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus.

« Sine consilio autem tuo nihil volui facere : uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. » Potuit itaque apostolus Paulus absque voluntate Philemonis Onesimum sibi in ministerium retentare ; sed si hoc sine Philemonis voluntate fecisset, bonum quidem erat ejus, sed non voluntarium. Quod autem non erat voluntarium, alio genere arguebatur non esse bonum. Nihil quippe bonum dici potest, nisi quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda prudentia, qui idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut possit domino suo prodesse, qui prodesse non poterat, si domino teneretur absente.

« Forsitan ideo discessit. » Pulchre autem addens, « forsitan, » sententiam temperavit. Occulta sunt quippe judicia Dei, et temerarium est quasi de certo pronuntiare, quod dubium est. « Forsitan, » inquit, « ideo discessit, » caute, timide,trepidando, et non totum fixo gradu, ne, si non posuisset, « forsitan, » omnibus servis fugiendum esset, ut Apostoli fierent discipuli.

« Ad horam a te. » Quod autem, « ad horam, » junxit, horam pro tempore debemus accipere. Ad comparationem enim æternitatis, omne tempus breve est.

« Ut æternum illum reciperes : jam non sicut servum, sed pro servo charissimum fratrem. » Nullus æternus dominus servi sui. Potestas quippe ejus, et utriusque conditio, morte finitur. Onesimus vero, qui ex fide Christi factus æternus est, æterno Philemoni, quia in Christum et ipse crediderat, spiritu libertatis accepto, jam non servus sed frater cœpit esse, de servo, frater charissimus, frater æternus, æterno et ipsi Apostolo, dominoque suo, cui Onesimum, ut carnis ante conditio, multo amplius postea spiritus copulabat. Et tunc quidem, quando erat ei subjectus in carne, non erat ei junctus in Domino; nunc autem et in carne ei junctus est, et in Domino. Ex quo intelligimus servum, qui crediderit in Christo, duplici domino suo lege constringi, ut ei et car-

nis necessitate jungatur ad tempus, et in æternum spirltu copuletur.

« Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. » Quod dicit, si me vis habere socium, habeto et Onesimum, quem ego consortem, et filium, et viscera mea habeo : quem si non suscipere, nec habere volueris, et ipse intelligis, quod me habere non possis.

« Si autem aliquid nocuit, aut debet, hoc mihi imputa. » Imitator Domini sui, et Christum in se loquentem habens,ea juxta vires suas debet facere, quæ Christus.Si enim ille infirmitates nostras portavit, et plagas nostras doluit, juste Apostolus pro Onesimo se opponit, et spondet quæ ille debeat.Ut autem supra diximus,totum illud est, quod ablatum furto et luxuria perditum non poterat absolvi : quod Philemon grandi pretio compensabat,dum pro servo.fugitivo, et pecunia perdita, fratrem charissimum, et fratrem reciperet æternum, et per eum sibi Apostolum faceret debitorem.

« Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam. » Quod Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum. Hujus sponsionis,Epistola hæc et manus testis est propria : quam non solito more dictavi, sed mea manu ipsa conscripsi.

« Et non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes, » Propter sermonem enim Christi, quem tibi evangelizavi, per quem et Christianus effectus es, mihi ipsum debes, Quod si tu meus, et tua omnia mea sunt,Onesimus quoque,qui tuus est,meus est. Poteram igitur eo uti ut meo ; sed voluntati tuæ relinquo ut mercedem habeas ignoscendo.

« Ita, frater, ego te fruar in Domino.» Si enim non addidisset» in Domino,» sed,« te fruar,» tantum dixisset,in eo constituisset spem beatitudinis suæ, quanquam etiam vicinissime dicitur, frui, cum dilectione uti. Cum enim adest qui diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat : per quem si transieris,eamque ad illud,ubi permanendum est, retuleris, uteris ea, et abusive, non proprie diceris frui ; si vero inhæseris, atque permanseris, finem ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere, et proprie frui dicendus es : quod non faciendum est nisi illa Trinitate, id est, summo et incommutabili bono.

(1383) « Refice viscera mea in Christo. » Sicut ipse frui vult Philemone in Domino:ita viscera sua, Onesimum,quem et superius eodem nomine appellavit, refici vult per Philemonem.

« Confidens in obedientia tua,scripsi tibi : sciens quoniam et super id, quod dico,facies. » Qui præsumit de eo, quem rogaturus est, ipsum quodammodo præsumptione præjudicat,ne ei negare liceat, quod rogatur. Porro si scit ille, qui postulat plusquam rogavit,rogatum esse facturum : ideo minora petit, ut habeat rogatus voluntariam et majorem præstatione mercedem. Si autem Philemon hæc ad hominis præceptum facit, quanto magis faciet ob dilectionem Dei, Unde et merito Apostoli voce laudatur quod mandata ejus opere perpetrarit.

« Simul autem,et para mihi hospitium. » Hoc idcirco dicit, ut dum eum exspectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est;et ut venturus ad novam civitatem, prædicaturus crucifixum, et inaudita dogmata delaturus,sciebat ad se plurimos concursuros ; et necesse erat plurimum, ut domus in celebri esset urbis loco, ad quam facile conveniretur. Deinde, ut ab omni importunitate vacua, ut ampla, quæ plurimos caperet audientes; et ne proxima spectaculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis ; prostremo,ut in plano potius esset sita quam in cœnaculo. Ob quam causam eum æstimo etiam Romæ in conducto mansisse biennio. Nec parva, ut reor, erat mansio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant.

« Spero enim per orationes vestras donari me vobis. « Filium patri,Deus rogatus indulget, et frater sæpe fratris oratione servatur. Apostolus vero totius Ecclesiæ precibus conceditur ob eorum, qui eum audituri sunt, utilitatem. Et hoc donum, non tam in eum dicitur esse,qui differtur a martyrio ad martyrium præparatus, quam in eos,ad quos Apostolus mittitur.Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, et de vinculis liberatus sit, ipse in alio loco dicit : « In carceribus frequenter (*II Cor.* XI, 23) :» de quibus nonnunquam Domini auxilio,crebro ipsis persecutoribus nihil dignum in eo mortis inventibus, dimittebatur. Necdum Christianum sanguinem Neronis gladius dedicaret. Sed pro novitate prædicationis, sive a Judæis invidentibus, sive ab his qui sua videbant idola destrui ad furorem populis concitatis missi in carcerem, rursum impetu et furore deposito, laxabantur, Et hoc ita esse, ut dicimus, apostolorum Acta testantur, in quibus et Agrippa lrquitur ad Festum, potuisse dimitti Paulum, si non appellasset Cæsarem (*Act.* XXV, 32). Et quia nullam invenerit causam, præter quæstiones quasdam de religione propria,de quodam Jesu,quem Paulus vivere prædicaret. Ex quo animadvertimus et cæteris judicibus similiter eos potuisse dimitti, id agente Domino, ut in toto orbe nova prædicatio disseminaretur.

« Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas adjutores mei. » Id, quod in principio dicebamus,quoniam ad Colossenses Epitola eodem tempore, et per eumdem esset scripta bajulum litterarum, quo ad Philemonem quoque scripta est, etiam eorum, qui salutantur, nomina docent.Nam et in ipsa ita fieri scribitur : « Salutat vos Aristarchus concaptivus meus,et Marcus consobrinus Barnabæ,et Epaphras, qui est ex vobis servus Christi (*Coloss.* IV, 10), » Et paulo inferius : « Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas ; et dicite Archippo:Vide ministerium,quod accepisti in Domino,ut illud impleas.Et

(1383) *Ih.*

memores estote vinculorum meorum. » Si autem ex eo aliquis non putat pariter scriptas,quod ad Colossenscs pauca sint nomina, quæ hic non ferantur ascripta, sciat non omnes omnibus aut amicos esse aut notos ; et aliud privatam ad unum hominem, aliud publicam ad universam Ecclesiam Epistolam fieri. Qui sit autem Epaphras, concaptivus Pauli, ex eo quod hic additum est, « in Christo Jesu, » possumus suspicari eadem eum Romæ pro Christo vincula sustinuisse,quæ Paulus : et vinctum Christi, ita captivum quoque ejus potuisse dici. Aut certe ita quod nobilis et ipse sit in apostolis, ut Andronicus et Julia, de quibus ad Romanos : » Salutate Andronicum et Juliam cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo (*Rom.* XVI, 7). » Hæc de Epaphra. Cæterum cooperatores Evangelii, et vinculorum suorum, cum ad Philemonem Epistolam scriberet, Marcum ponit, quem puto Evangelii scriptorem (1384),et Aristarchum,cujus supra fecimus mentionem) et Demam, de quo in alio loco dicit : « Demas me dereliquit (*II Tim.* IV, 9), » et Lucam medicum, qui Evangelium et actus apostolorum Ecclesiis scribendo tradidit. Quomodo enim apostoli, e piscatoribus piscium,piscatores hominum facti sunt; ita hic, de medico corporum, in medicum versus est animarum, de quo et in alio loco dicit : « Misi cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias (*II Cor.* VIII, 18) ; » cujus liber quotiescunque legitur in Ecclesia,toties ejus medicina non cessat.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. » Cum enim in spiritu gratia divina fuerit, totum hominem facit spiritalem,ut adhæreat Domino mente et corpore, et impleatur in eo quod scriptum est : « Qui adhæret Domino, unus spiritus est (I *Cor.* VI, 17). » Interpretatur autem secundum Hebræos, Paulus admirabilis : Timotheus, beneficus : Philemon, mire donatus, sive os panis, ab ore, non ab osse ; Appia, continens, aut libertas ; Archippus, longitudo operis ; Onesimus,respondens : Epaphras, frugifer, et, videns, sive, succrescens ; Marcus, sublimis mandato ; Aristarchus, mons operis amplioris ; Demas, silens ; Lucas,ipse consurgens. Quæ omnia, si juxta interpretationem suam voluerimus intelligere, non est difficile admirabilem, atque beneficum præcipue ad eum scribere, cui universa concessa sunt vitia, et os ejus pateat ad cœlestem panem. Deinde ad continentem, et liberam, et ad longitudinem operis ; quod nunquam a sancto labore desistat. Scribat autem pro eo, qui respondeat testimonio suo, necnon eum, cui specialiter Epistola dedicatur, salutari ab ubertate crescente. Et eo, qui factus sit per mandata sublimior, illoque, qui per majora opera in montem usque succreverit, ab eo quoque,qui posuit custodiam ori suo, et ostium munitum labiis suis : qui idcirco forsitan tacuit, quia ad modicum Apostolum dereliquerat. Et ad extremum ab eo, qui per se ipse consurgens quotidie augeatur, processusque habeat, dum Evangelio ejus orbis impletur, qui toties crescit quoties auditus vel lectus fuerit.

Explicit ad Philemonem scripta ab Roma. Habet versus XXXIV.

(1384) Hæc divi Hieronymi sunt. Vide tamen quæ ad Coloss. de hoc Marco, sive Joanne, Marco, alio ab evangelista adnotavimus.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

INCIPIT CAPITULATIO AD HEBRÆOS.

1. Quia in novissimis diebus Pater sit locutus in Filio : qui splendor, et figura substantiæ sedit ad dexteram : melior angelis effectus.

2. Observanda quæ audivimus,ne forte effluamus : et quia Jesus modico quam angeli minoratus est : et non confundetur fratres vocare, ut per mortem destrueret diabolum, et fieret fidelis pontifex.

3. Ut consideremus Apostolum, et Pontificem Jesum, qui fidelis est, sicut Moyses in domo : et hodie si vocem ejus audieritis : et ut timeamus, ne forte exacerbando non intremus in requiem.

4. De requie Sabbati : et quia iterum terminat diem : et vivus est sermo Deo : et qui Jesus Pontifex magnus compassus est nobis.

5. De Melchisedech ; qui perfectorum est solidus cibus : et possibile est, eos, qui semel illuminati sunt, renovari : et de terra, quæ bibit venientem super se imbrem.

6. De Hebræis, quod ministraverunt sanctis : et de jurejurando, quod sicut anchoram habemus : et de Melchisedech,ubi occurrit Abrahæ : secundum cujus sacerdotium Jesus innocens impollutus manet in æternum.

7. Quia nihil ad perfectum adduxit lex : et de tabernaculo vero : et quod ait : Ecce dies veniunt.

8. De tabernaculo, et quæ in ipso fuerunt : et quia non sanguis hircorum, sed sanguis Jesu mundat credentes, et sine sanguine non fit remissio.

9. Quia non in manufactis introibit Jesus, sed in cœlum, consummatione sæculorum : et quia in legalibus hostiis commemoratio fuerit, non emundatio peccatorum : et quod ait : Hostiam, et oblationem noluisti.

10. Quia caro Christi velamen sit : et de baptismo : et quia voluntarie peccantibus, et Filium Dei conculcantibus terribilis erit exspectatio judicii : et de Hebræis, qui vinctis compassi sunt ; et patientia necessaria est, donec veniat qui venturus est.

11. De fide sanctorum peregrinantium in terra, et exspectantium civitatem.

12. De tribulationibus, et mortibus sanctorum, quorum patientiam imitari nos oportet : et ut aspicientes passionem Jesu, in diciplina tanquam filii perseveremus.

13. Ut manus remissa erigamus : pacem, et sanctimoniam sectantes : et de Esau : et quia non ad ardentem montem, sed ad Sion eccessimus ; et non contemnamus de cœlo loquentem.

14. Ut regnum immobile suscipiamus, quia Deus ignis consumens est:et de charitate,et hospitalitate, et toro immaculato : et de præpositis,et Jesu Christo heri, et hodie : et de escis, quæ non prosunt.

15. De altari, quod habemus : et quia Jesus extra castra passus est : et de præpositis.

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Hebræi proprio gentis suæ vocabulo appellabantur, qui in Christo crediderunt ex Judæis ; quorum Ecclesiæ ab Apostolo fundatæ erant per universam Judæam, de quibus hic idem Paulus ad Galatas scribens, ita dicit : « Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo (*Gal.* I, 22). » Hi ergo cæterorum, qui Christum non receperunt, Judæorum acerbissima persecutione in festinatione perterriti, Christianam religionem ab apostolis sibi traditam deserebant. Hos Paulus apostolus adhortatione sua roborans ad pristinam revocat fidem scribens eis ab Italia per Timotheum, quibus proœmium solitum de nomine suo ideo in hac Epistola non præmisit, quia ipse specialiter ad gentes missus erat, cæteri vero apostoli ad Judæos.

INCIPIT PROLOGUS AD HEBRÆOS.

In primis dicendum est,quare apostolus Paulusin hac Epistola, quam Judæis scripsit, quos Hebræos, et non Israelitas voluit nominare, non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis scriberet dignitatem. Hæc causa est : quod ad eos scribit, qui ex circumcisione crediderant, quasi gentium Apostolus, et non Hebræorum. Sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem ipse demonstrans, meritum officii sui noluit anteferre. Pro eo quod apud Hebræorum Ecclesias quasi destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis, et veritate Christi reddere rationem, ne odium nominis fronte præfati tituli, utilitatem excluderet lectionis. Quod alii sic intelligunt : quod propterea Paulus solita consuetudine nec nomen suum, nec apostoli vocabulum præposuisset, quia de Christo erat dicturus : « Habentes ergo pontificem, Sacerdotem,et Apostolum confessionis nostræ Jesum » : nec fuisse congruum, ut, ubi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus apostolus poneretur.Hanc Epistolam fertur Apostolus ad Hebræos conscriptam Hebræa lingua misisse. Cujus sensum et ordinem retinens Lucas evangelista, post excessum beati Apostoli Græco sermone composuit. Et tota ejus intentio in hac Epistola fuit, ut Hæbræos, id est gentem suam, ad Christi convocaret fidem : et eminentiam gratiæ, quæ per Filium data est, a legalibus discerneret umbris, quæ angelicis ministrationibus fuerunt patribus visæ. Idcirco primo posuit prophetas diversis modis patribus locutos esse,dicens :

(Cap. I.) « Multifarie, multisque modis olim Deus loquens patribus nostris (385) in prophetis : novissime diebus istis locutus est nobis in Filio suo. »

(1385) *Nostris* Vulg. non habet.

Hoc in ipso exordio scribens apud Hebræos beatus Paulus, bene satis exortus est. Dicendo autem : « Multifarie, multisque modis, » ostendit quoniam nec ipsi prophetæ gratiam Deum videndi promeruerunt : quod nemo illorum vidit, sicut ille est, sicut alibi dictum est : « Ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum assimulatus (1386) sum ; » Filium autem unigenitum vidisse, constat esse manifestum. Considera prudenter.Primum ex prophetis eminentiam nisus est approbare.Deinde veluti hoc concesso, astruit et pronuntiat quoniam illis quidem per prophetas locutus est, deinde per angelos ; siquidem et angeli locuti sunt Judæis : ac si diceret : Quid magnum, si prophetas misit patribus nostris ? Nobis enim ipsum proprium Filium unigenitum misit, et per ipsum unigenitum loqui dignatus est. Nos vero in hoc etiam superiores existimus, et multo amplius habemus quia nobis quidem Dominus est locutus ; illis autem, servi et conservi, hoc est, vel prophetæ vel angeli. Dicendo autem : « Olim et novissimis diebus, » insinuat nobis, multo in medio tempore percurrente, quando jam proximi eramus ad pœnam ; quando omnia charismata quieverunt ; quando spes salutis nulla jam erat ; quando ab omnibus minores esse putabamur ; tunc ampliores existimus. Animadvertendum quod « in » præpositio, etiam pro « per » accipitur. Non enim dixit : « Christus locutus est, » quamvis ipsum locutum constet esse manifestum ; sed quoniam adhuc animæ eorum, quibus scribebat, debiles erant, et necdum poterant pleniter de Christo percipere, dixit quod Deus per Filium suum locutus est nobis. Vide quomodo communem facit hanc causam, et se ipsum apostolis ordine pari conjungit, dicens : « Locutus est nobis in Filio suo. » Filii quippe nomen commune est :

(1386) Vulg. *assimilatus.*

Ubi enim proprius inteligitur Filius,superior est et excellentior : « Quem constituit hæredem universorum, » id est, totius mundi. Non jam portio Domini tantum Jacob, et pars ejus Israel, sed omnes omnino nationes ; hoc est, Filium suum Dominum nostrum hæredem constituit universorum sicut in Actibus apostolorum Petrus loquitur, dicens : « Et Dominum eum, et Christum Deus fecit (*Act.* II, 36). » Hæredis autem utitur nomine, ut ibi quidem per hoc astruat, et ostendat quod proprius sit Filius,et quod dominationis illi nulla contingat amissio. Deinde ad altiora sermonem tendit dicendo : « Per quem fecit et sæcula,» ut ostenderet eumdem novissimis diebus venisse in mundum per quem factus est mundus, magnitudinem ejus ostendens,qui fuit Novi Testamenti lator et auctor Ubi nunc sunt qui dicunt ; Erat quando non erat? Quod enim evangelista Joannes dicit : « Omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3), » hoc iste significavit, dicendo : « Per quem fecit et sæcula. » Unde etiam iste et ante omnia sæcula, et opificem eum esse declarat. Post hæc, quibusdam gradibus eleganter utens, pervenit ad id, quod omnibus istis quæ supra dixit, multo magis est et insonuit, dicens : « Qui est splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus,portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens.» Multa enim vera de Deo intelligimus, quæ loqui penitus non valemus. Multa item loquimur, et ea intelligere non sumus idonei : verbi gratia quia ubique est Deus, scimus, quomodo ubique sit, intellectu non capimus : item: Quoniam est incorporea quædam virtus quæ omnibus est causa bonorum,scimus; quomodo autem, vel quæ ista sit, penitus ignoramus. Ecce dicimus de ea aliquid,et eam intelligere non valemus. Dixi quippe quia ubique est, sed non intelligo ; dico, quia sine principio, sed qualiter, sit.non intelligo ; dico quoniam genuit Filium de se ipso, sed nescio qualiter hoc intellectu percipiam, ut genitus non sit posterior genitori.Sunt etiam quædam, quæ dici non possunt, quamvis mente capiantur : exempli gratia, intelligit mens sed non valet dicere : maxime autem ubi de Deo loquitur aliquid vel audimus, ita ut etiam ipsum Paulum videas in quibusdam talibus rebus infirmari, et non pleniter explicare. Quoniam neque ad loquendum lingua sufficit,neque ad percipiendum prævalet intellectus Et quid dico linguam vel intellectum, cum neque ipsa pars mentis eminentior,quæ eis multo superior est aliquid integre valet comprehandere, quando aliquid de divinitate disseritur ? S enim pax Dei transcendit omnem mentem (*Philip.* IV, 7), et ea, quæ præparata sunt diligentibus eum,in cor hominis non ascendunt (*I Cor.* II. 9) : multo amplius ipse, qui pascit (1387), Deus, qui omnium est opifex rerum, inæstimabiliter nostras cogitationes exsuperat ; per splendorem quippe gloriæ divinitatis declarat essentiam. Sic etiam unam sumpsit rem ad demonstrationem trium personarum, qui scilicet in igne, et splendor et calor est. Unde etiam subjungit :

« Qui est figura substantiæ ejus.» Figura quippe altera est ab eo, cujus enuntiat formam ; altera autem, non in omnibus, sed secundum personam. Nam et hic figura æqualitatis omnino præbet indicium ad illud, cujus figura suspicionem vel pravæ dissimilitudinis procul dubio non recipit.Hoc enim figuram dixit, quod alio loco formam nominat,ubi ait : « Qui cum in forma Dei esset (*Philipp.* II, 7). » Forma enim illic, et figura hic unam declarat essentiæ æqualitatem.

« Portansque omnia verbo virtutis suæ. » id est, gubernans,siquidem cadentia,et ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est continere mundum quam creare. Sed, si oportet aliquid audacius dicere,adhuc amplius est.Nam in faciendo quidem ex nullis exstantibus, rerum essentiæ productæ sunt ; in continendo vero, ea quæ facta sunt,ne ad nihilum redeant,continentur. Hic ergo dum reguntur, et ad invicem sibi repugnantia coaptantur, magnum et valde mirabile,plurimæque virtutis indicium declaratur. Dicendo autem « portans, » facilitatem continendi voluit designare.Non enim dixit gubernans,ex metaphora eorum qui sine ullo labore digito vel movent aliquid, vel efficiunt. Quomodo enim Joannes dixit :» Quod factum est in ipso vita erat (*Joan.* I, 3), » volens a creaturis distinguere universis : quod cunctorum vitam ipsum esse constat ; sic etiam ipse dicit ; portans omnia. Non sicut pagani, qui eum a conditione rerum et providentia dicunt esse privatum.Dicendo enim : « Verbo virtutis suæ, » significavit, quod sine labore cuncta contineat.

Post tantam divinæ majestatis in Filio claritatem jam nunc ad humilitatem incarnationis ejus descendit, dicens : « Purgationem peccatorum faciens. » Postquam dixit superius illa magna valdeque miranda, dicit nunc et de cura ejus, ac sollitudine quam hominibus gerit. Et quamvis illud universale sit, quod omnia continet ! verumtamem hoc multo amplius est universale, quantum in ipso est, quod in eum omnes crediderunt. Unde etiam Joannes dicit : « Vita erat (*Ibid.*,4) ; » sed providentiam ejus manifestans,iterum dicit,quoniam lumen est : « Per ipsum,» inquit,« lumen.Purgationem faciens peccatorum » nostrorum ;duo quædam in hoc loco significat majora : quod de nobis curam gerat,vel quod peccata nostra mundaverit; et quod per semetipsum hoc opus impleverit.Et in multis locis invenies cum in hoc maxime gloriantem,non solum quoniam conversi sumus ad Deum, sed etiam in eo quod per Filium fuerit istud effectum. Et vere magnum hoc munus est, et majus effectum, dum nobis est per Filium contributum.

Post hæc confestim de resurrectione atque ascensione ejus instituit nos ad cœlestia erigere,et intueri

(1387) Fortasse *pax sit.*

inenarrabilem ejus gloriam,Unde et adjungit : « Sedet ad dexteram majestatis in excelsis. » Vide qualibus nominibus utitur, quia non potuit rerum nomina propria reperire, neque majestatis nomina neque gloriæ, quod desideravit : quod supra jam dixi, quod sæpius quædam nobis occurrunt, quæ intelligimus quidem,sed indicari non queunt.Nam necdum vocabulum index propriæ constat essentiæ nec proprium potest illi ullum vocabulum reperiri. Et quid mirum si in Deo sic est, cum neque in angelo proprium nomen invenies, quod ejus declaret essentiam ? Arbitror autem quod neque animæ reperta est apta denuntiatio.Non enim mihi videtur hoc nomen,quod integre substantiam ejus ostendat ; nam eamdem rem, et animam, et cor, et mentem isvenies nominari. « Cor, inquit, mundum crea in me, Deus (*Psal.* L,12).» Etiam spiritum dictam frequenter invenies. Hic enim dextera pro honore ponitur, non ut Deus corporeus esse creditur.Nam et Pater a dextris esse scribitur Christi « Dominus,inquit,a dextris tuis confringet (1388) in die iræ suæ reges (*Psal.* CIX,5). » Ambo ergo a dextris sunt,quia nihil est in Divinitate sinistrum,quia unum est (1389) jam cum Deo assumptus homo, qui suscitatus est.

Quid est « in excelsis? » Num in loco altiori concludit Deum? Absit hoc. Sed,sicut jam dixi,per dexteram non Deum deformavit,sed similitudinem demonstravit honoris. In excelsis ergo dicens, non eum lococ oneludit,sed ostendit omnibus altiorem et evidentiorem,hoc est,quia usque ad ipsum pervenit solium paternæ claritatis. Sicut ergo Pater in excelsis est, sic et Filius. Consessus enim, hoc est, ambarum personarum sedes,nihil demonstrat aliud nisi honoris æqualitatem. Et adhuc excellentiam ejusdem Filii ostendere aggressus est dum dicit : « Tanto melior angelis effectus,quando differentius præ illis nomen hæreditavit, » In hoc, quod dixit, « factus,» factum pro suscepto debemus intelligere, tanquam si diceret: Melius est susceptus ab angelis. Et unde hoc asseverat ? Ex ipso nomine, Animadvertis quia solet Filii nomen proprietatem cognitionis ostendere. Et sane,nisi esset proprius Filius quod nihil est aliud quam qui de ipso est genitus, quomodo posses ex hoc amplitudinem honoris asserere ? Si enim in gratia esset Filius,non solum differret a Patre, sed etiam minor angelis esset.Quomodo hoc,inquit, dicis ? Quia et homines justi,Dei filii appellati sunt.Proinde nomen filii,nisi proprietatem ostendat, non valet ostendere quæ differentia inter creaturas et Creatorem.

« Cui enim aliquando angelorum dixit:Filius meus es tu, ego hodie genui te? » (*Psal*...,7.) Subauditur « nulli. » Quod vero dixit, « Filius meus es tu. » nihil aliud manifestat,nisi quod ex ipsa essentia Patris est genitus.Ideo præsenti tempore posuit, «hodie : » quia Deo nihil est præteritum vel futurum, sed semper præsentia cuncta. Potest enim et secundum carnem hoc accipi dictum, quia sicut caro communicat altioribus, sic et divinitas humilibus communicare dignata est.

Et iterum : « Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium (*II Reg.* VII, 14). » Hoc enim absque ulla dubitatione de incarnatione Filii dicitur, ideo verbum futuri temporis posuit : « Ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. « Et adjungit : « Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : et adorent eum omnes angeli Dei (*Psal.* XCVI, 7). « Introitum ergo, assumptionem carnis appellat. Quod ergo hic introitum, hoc in Evangelio exitum nominavit : « Ego a Patre exivi, et veni in mundum (*Joan.* XVI, 28). » Et alio loco : « Exiit qui seminat, seminare (*Luc.* VIII, 5). » Merito ergo exitum vocat suæ incarnationis manifestationem. Foris enim eramus a Deo ; egressus est quippe ad nos, hoc est, carnem sumens collocutus est nobis,cum præcepta nobis instituit, et sic nos a peccatis emundans ad Deum convertit.Et idcirco exitum vocat suæ incarnationis adventum ;Paulus autem introitum.Dicendo enim : « Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrarum, » hoc significat, hoc est, cum ei committit orbem terrarum. Hoc non de substantia Verbi, sed de forma servi dictum accipe, in qua forma primogenitus est in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29). Si enim in mundo erat, et juxta Joannem (I, 10,) Mundus per ipsum factus est,quo alio modo introducitur, nisi secundum carnem ? Tunc enim totum orbem possedit, cum ab universis est agnitus.

« Et adorent eum omnes angeli Dei. » Id est, Christum secundum carnem Deus Pater jussit a cunctis angelis adorari. Sed quærat aliquis : Nunquid angeli tandum adorare præcepti sunt ? Non. Sed omnis creatura,sicut idem Paulus in alio loco dicit: « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II, 10). »

« Et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus,et ministros suos flammam ignis (*Psal.* CIII, 4). » Ac si diceret : Ipsum, quem præcepit angelis adorari,illi dedit potestatem, ut quotiescunque vult de spiritibus angelos faciat ; ministros autem suos flammam ignis, quia qui in conspectu illius quotidie assistunt, in amore illius inflammantes seu incendentes facit. Sciendum vero est quod angeli nomen est officii, non naturæ, qui etiam semper sunt spiritus, sed non semper angeli vocari possunt. Quæris hujus naturæ nomen, spiritus est ; quæris officii, angelus est. Ex eo quod est spiritus est ; ex eo quod ait, angelus est,quia angelus Græce, Latine *nuntius* dicitur, sicut homo nomen est naturæ,miles vero nomen officii. Sic enim qui erant jam spiritus conditi a creatore Deo, facit eos angelos, mittendo nuntiare quod jusserit.

(1388) Vulg. *confregit*.
(1389) Verba *in*. . . . *est* in superiori margine exstant.

« Ad Filium autem : Sedes tua Deus in sæculum sæculi (*Psal.* XLIV, 7). » Intuere quomodo dividat, et cum quanta claritate creaturas a Filio discernat. Neque differentius nomen appellabat Filii nomen, si ejusdem esset significationis. « Sedes, tua, Deus, in sæculum sæculi. » Ecce habes regni signaculum. « Virga æquitatis, » inquit, « virga regni tui. » Ecce habes et aliud signaculum. Virga vero regulam divinæ significat æquitatis, quæ veraciter recta dicitur, quia nulla pravitate curvatur. Virga justos regit, impios percutit; sed hæc virga, fortitudo est invicta, æquitas rectissima, inflexibilis disciplina. Hanc enim virgam regni, honoris insigne, sceptrum dicebant antiquitus, designantes in ea virtutum regem, Dominum Salvatorem.

« Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.» Ipsa est virga recta et dominatio dominantium, amare justitiam et odisse iniquitatem. Nemo enim perfecte diligit justitiam, nisi qui actus pessimos abominatur, cui veritatis amor odium est falsitatis.

Sed huic amori bonitatis et odio iniquitatis, quæ præmia sint reddita, subter exponit, dicens :« Propterea unxit te Deus, Deus tuus. » Repetitio autem ista, quod dicit :« Deus, Deus,» præconium magnæ dilectionis ostendit. Sed quomodo Deus, cujus thronus est in sæculum sæculi, ungitur a Deo : nisi Christus Jesus, qui ex ipsa unctione Christi nomen accepit? Chrisma quippe, unctio; Christus, unctus dicitur. Unctus enim Christus, et regem significat et sacerdotem,quia dignitates istæ sumebantur per sacratissimas unctiones. Nam et ipsum nomen Christi, sicut jam dictum est, a sancto chrismate vocatur. Sed in illa natura unctus dicitur, in qua per dispensationem carnis nasci, et mori, et resurgere veraciter dicitur Christus. Cæterum deitas ejus nullo munere, nullo honore indiguit adjuvari.

« Oleo exsultationis, » duplici modo unctionem illam sanctam provenisse significat. Non oleum visibile, sed Spiritus sancti gratiam invisibilem, de qua beatus Petrus apostolus in Actibus apostolorum (x, 38), testatur, dicens :« Jesum Nazarenum,quem unxit Deus Spiritu sancto, et virtute. » Et in prophetia : « Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum (*Psal.* LXXXVIII, 2), » per oleum sanctum significans Spiritum sanctum. Sive etiam oleum lætitiæ illi fuit, peccati maculam non habere. Unde se sanctorum conscientia semper exhilarat, quando nulla recordationis asperitate mordetur.

« Præ participibus tuis.» Ideo autem dictum est, « præ participibus tuis,» quoniam hanc benedictionem supra omne humanum genus, sive reges, sive sacerdotes in Veteri Testamento, sive etiam apostolos et martyres in Novo, figurabatur accepisse, et unctus singulariter cæteros ungere, id est, sanctificare debuisset. In ipso enim fons est benedictionis, a quo, prout ipsi visum fuerit, per universos electos emanat.

Post humanitatis igitur excellentiæ, quæ præest filiis Dei, iterum ad æternitatem divinitatis in eodem Filio Dei convertit se apostolus testimonium alterius psalmi dicere. Ait enim : « et : Tu in principio, Domine, terram fundasti. » Ne forte enim audiens, « cum introducit Primogenitum in orbem terræ, » postea illi donatum munus existimes, ita subjungit : « Et : Tu in principio, Domine, terram fundasti (*Psal.* CI, 26). » Non nunc, sed ab initio per divinitatis potentiam, Creator ante creaturas, sine aliquo initio cognosceris exstitisse.

« Et opera manuum tuarum sunt cœli. » Hic manus, virtutem jussionis Dei debemus accipere. Nam in alio loco dicit : « Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt (*Psal.* CXLVIII, 5).

« Ipsi peribunt. » Pereunt enim ab eo statu, in quo nunc sunt, dum mutantur in melius creaturæ. « Tu autem permanes. » Ut sicut æternitatem Domini ostendit, antequam crearet omnia, sic post cœlos mutatos, ipsum dicit in majestatis suæ gloria permanere. » Et omnes ut vestimentum veterascent. » Ipsum veterascit, quod, more vestis, vetustate consumitur, sicut caro humana morte : quæ tamen melius in resurrectione mutabitur. Addidit quoque : « Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. » Sicut quilibet amictum involvit, atque permutat, sic et ipsum mundum immutaturus est (1390), et conditionem et transformationem, quæ sit in melius, tam facile poterit operari, sicut quilibet amictum involvat atque permutet.

« Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. » Sicut enim Moysi famulo suo dixit : « Ego sum qui sum : » sic istis tribus versibus commutatio creaturæ, et æternitas Domini hoc in loco a Propheta admirabili brevitate descripta est.

De majestatis divinæ æternitate in Filio, iterum beatus Paulus ad humanitatis ejus glorificationem sermonem direxit, dicens : « Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis? » (*Psal.* CIX, 1.) Victori Filio, et per sanctam incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis confessus paternæ majestatis offertur, ut per hunc situm susceptæ humanitatis gloria declaretur. « Quoad usque ponam inimicos tuos. » Quod autem a Patre subjiciuntur Filio inimici, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ, qua in altero alter operatur, significat. Nam et Filius subjicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram. « Scabellum pedum tuorum. » Per pedes autem Domini, stabilitas æterna significatur, ubi ille, tanquam vestigiis positis, omni potentiæ suæ virtute consistit. His pedibus constat esse subdendos, qui quotidie vitiorum contrarietate derelicta, revertuntur ad Dominum, et tanquam scabellum pedibus, ita ejus prædicatio-

(1390) In Cod. *iñ maturus est.*

nibus inclinantur. Sine dubio de illis inimicis dicit, qui conversi ad dexteram collocantur. Non hic adverbium « quousque, » alicujus temporis fidem (1391) designat, sed æternitatis potentiam demonstrat.

« Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? » Ac si diceret : Angelos constituit ministros, Filium autem ad dexteram sedere fecit, quod nulli unquam angelorum concessit. Nam et Filius missus est, sed non sicut minister, neque perfunctus cujuslibet officiis, sed sicut Filius unigenitus; Filius vero, sicut Dominus salvat; isti vero, sicut servi, salvatis per fidem deserviunt. Siquidem pro nostra salute ministros constat effectos, quamvis nobis superiores sint; tamen ad nostram salutem ministerium exhibent : siquidem et functionis officium illud declarat, nam angeli Græce dicuntur, Latine, *nuntii*. Propter nos ubique mittuntur; propter nos laborant; propter nos decurrunt; nobis suo funguntur officio. Et harum rerum exemplis pleni sunt libri Veteris et Novi Testamenti. Nam et pastoribus angeli evangelizaverunt (*Luc.* II, 9) : et ad Mariam angelus venit (*Luc.* I, 28) : et talia multa in divinis legimus Scripturis. Simul etiam et eorum sublevat mentes, ostendens honorem nobis a Deo plurimum condonatum. Intelligite igitur nunc quantus nobis honor existit, ut sicut ad amicos, ita ministros angelos suos nobis destinet Deus.

(Cap. II.) His ita introductis de angelorum ministerio, per quos etiam ipsa lux ministrata est, mox subjunxit de excellentia gratiæ, quæ per Dei Filium nobis allata est, dicens : « Propterea abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus. » Quare « abundantius » dixit? Hoc est quam in lege solebamus. Sed nomen legis obticuit; nam in astructione sua manifestum hoc facit. Et quare abundantius nos oportet observare ea quæ audivimus? Nonne et illa Dei sunt, et ista? « Abundantius » ergo dixit, aut quam solebant in lege, aut certe, amplius non comparens absit (1392). Sed quia per multa tempora magnum apud eos auctoritatis pondus Vetus habebat Testamentum; hæc autem, quia velut nova illis dicebantur, ne contemptibilia judicarent, ostendit; ex abundantia, quoniam hæc amplius observare debemus, quæ per Dei Filium audivimus, quam ea quæ per angelos dicta sunt, more suo suam illis conjungens personam, in eo quod dixit, « audivimus : » et inde secutus adjunxit : « ne forte pereffluamus, » hoc est, ne forsitan pereamus, ne forsitan excidamus, nolens ab auditis per inania effluere audientium sensum : quod etiam sequenti-

(1391) In cod. *temporibus fidem.* Fortasse *finem*, cui refertur æternitas, quæ sequitur.

(1392) Fortasse : *aut certe amplius : non quod non comparens absit*, etc., id est, *ne inducerentur credere Deum abesse, quia amplius non comparet.* Sensus enim valde obscurior.

(1393) Sensus hic aliquanto obscurior. Videtur

bus verbis explicavit, dicendo :« Si enim qui per angelos dictus est sermo. » Quidam dicunt quod in hoc loco Moysen tangat, eo quod Decalogum legis in monte Sinai a Domino acceperit, sicut illic scriptum est : « Moyses loquebatur, Dominus respondebat ei (*Exod.* XIX, 19) : » et alibi : « Lex per Moysen data est (*Joan.* I, 17); » sed hic per angelos datam esse docet Apostolus : nam et in epistola ad Galatas III, 29, simili modo dicit :« Disposita per angelos in manu Mediatoris. » Et iterum in Actibus apostolorum VII, 53 : « Accepistis legem in mandatis angelorum, et non custoditis.» Et ubique per angelos datam esse plurimis ostenditur locis. Aut quia de omnibus his, quæ in Veteri Testamento dicta vel facta sunt, aut certe quia Deus erat in angelis, « factus est firmus (1393). » Quid est factus firmus? Videlicet verus, tanquam diceret, fidelis in tempore opportuno.

« Et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam retributionis mercedem. » Hoc est quia nihil remansit inultum, sive quod promisit, sive quæ comminando dixit; cuncta, quæ prædicta sunt, accepit justam mercedis retributionem. Quare autem dixit, mercedis retributionem, cum merces in bono poni soleat? Sed iste mos est Apostolo, ut non magnam verborum habeat rationem, sed indifferenter, vel quæ in bono dicuntur, vel quæ in malo, pro alterutro ponere; sicut alibi dixit : « In captivitate redigentes omnem sensum ad obediendum Christo (*II Cor.* X, 5); » ita et hic « mercedis retributionem. »

« Et quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? » Per hæc verba satis significat, quia non erat tanta salus in Veteri Testamento, quanta est in gratia, quam Dei Filius nobis attulit. Non enim nobis nunc sicut illis, terræ divitias, sed cœli gloriam promittit Deus. Non victoriam de terrenis hostibus, sed de spiritualibus concessit. Non vitam infeliciter pereuntem, sed perpetuam æternaliter donavit beatam. Hæc quippe omnia breviter intimavit, dicens : « Si tantam neglexerimus salutem. » Deinde supereminentiam eorum, quæ per Dei Filium dicta sunt, adjunxit : « Quæ, cum initium accepisset enarrari per Dominum, » hoc est, ab ipso fonte hæc quæ dicimus, habuerunt principium. Non enim quæ dicimus ab hominibus vel etiam ab angelis illata sunt, sed ipse Filius unigenitus nobis ea impertivit.

« Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, » hoc est, qui a Domino audierunt, ipsi nos propriis confirmaverunt virtutibus. Quod etiam Lucas dixit in principio Evangelii sui :« Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermo

tamen interpretandus, qui per angelos dictus est *sermo factus* est firmus, aut quia de omnibus his, quæ in Veteri Testamento dicta, vel facta sunt, firmum factum fuisse constat, quia ut infra habetur, fideliter verificata sunt; aut certe, quia Deus erat in angelis, firmus factus est.

monis (*Luc.* I, 2).» « In nos,inquit,confirmata est, » credita est atque perfecta ; quæ salus, quæ nobis per eumdem Filium data est, permanet in æternum.

« Etiam (1394) contestante Deo signis et prodigiis(1395), et variis virtutibus. » Quomodo testificatur Deus? Non verbo neque voce,sed virtutibus et prodigiis;simul etiam affluentiam significans gratiarum quæ non erant apud antiquos, neque tanta signa, neque tam diversa prodigia, quanta data sunt postquam glorificatus est Jesus. Ostendit ergo quia non simpliciter est illis creditum, sed per signa et prodigia. Et post hoc intulit : « Et Spiritus sancti distributionibus,secundum suam voluntatem. » Divinæ vero voluntati atque consilio cuncta contribuit ; divinoque consilio, velut si diceret: Ipse novit quid cuique prosit, vel cui quid sit ad commodum, quapropter ipse gratiam unicuique distribuit. Quod etiam ad Corinthios facit, dicens : « Deus posuit unumquemque, sicut voluit (*I Cor.* XII, 18). » Et iterum: Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem (*Ibid.*, 7). »

« Secundum voluntatem ejus. » Ostendit ergo secundum voluntatem Dei dona unicuique dari, ne in superbiam subleventur, ne influentur ventositate jactantiæ, ne altitudo muneris negligentiores efficiat. Qui enim compotem se virtutis existimat, non sibi ex gratia largientis advenisse munus illud arbitratur, sed ex suorum debito meritorum. Proinde hujusmodi homo inflatur ventositate superbiæ. Idcirco ergo Deus convenienter cuncta dispensat. Quod in Ecclesia quoque provenire conspicimus, dum alius quidem habet facultatem sermonis ad docendum, alius autem neque os aperire valet. Non contristetur iste, qui similem non habet gratiam, sciens quia unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Si enim homo paterfamilias novit cui negotium quacunque committere debeat,multo amplius Deus, qui cunctorum novit mentes hominum,et scit omnia antequam fiant.

« Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. » Nunquid nam de altero orbe disputat? Non. Sed de hoc. Propter hoc etiam addidit, « de quo loquimur, » ne mentem auditoris errare permitteret,dum alius quæreretur. Quomodo ergo eum futurum vocat? Futurus quippe erat orbis, ut fieret, hoc est, ut crederet. Hunc ergo orbem futurum, non angelis subdit, sed Christo. Non enim angelis salutem nostram, quæ novissimo tempore facta est in orbe, subjecit, quæ a prophetis futura esse olim prædicta est, sed Filo suo, ad quem vox paterna, sicut superius demonstratum est, sonuit, dicens : « Filius meus es tu, ego hodie genui te : Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. »

Et hoc propheticis confirmat exemplis, dicens : « Testatus est in quodam loco quis, dicens (*Psal.* VIII, 5) : » Cur non ipsum nomen Prophetæ anteposuit, sed abscondit? Facit hoc etiam in aliis testimoniis, sicut supra lectum est. Existimo quod non abscondentis, sed ostendentis intuitu, ostendens eos multam habere scientiam Scripturarum,ut nec opus haberet nomen posuisse dicentis, sed veluti de re manifesta, et in promptu constituta induceret testimonia, dicendo : « Quid est homo, quod memor es ejus?Quid est homo,» cum despectu pronuntiandum est, id est, fragilis et caducus Adæ sequax, et in veteri peccato generali pravitate devinctus. Hujus memor est Dominus, quando ei peccata dimittit et misericordiæ suæ dona largitur. « Aut Filius hominis,quoniam visitas eum? » Hic jam voce surgendum est,pro eo quod Dominum significat Salvatorem,qui non ut cæteri mortales, ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto et beatæ Mariæ semper virginis utero,tanquam sponsus de glorioso thalamo processit. Et considera quod superius dixit : « Memor es : » subjecit autem, « visitas. » Memor fuit, cum patriarchis de cœlo misertus est : visitavit, cum « Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). » Nam visitare dicimus, quando medicus ad infirmos ingreditur, quod in adventu Domini revera constat impletum.

« Minuisti eum. » Hinc jam Domini Salvatoris humilitas narratur et gloria. Minoratus est enim, non necessitate ministratoria, sed pietatis suæ spontanea voluntate : sicut Apostolus ait : « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* II, 7). »

Sequitur : « Paulo minus ab angelis. » Ex ea siquidem parte Creator angelorum minor factus est angelis,ex qua crucem pro hominum suscepit.Bene autem dixit, « paulo minus, » quia etsi mortale corpus assumpsit, tamen peccatum non habuit.

« Gloria, et honore coronasti eum. » Honore coronatus est, cum post resurrectionem Deus, in eo quod homo factus est, nimis mirabilem mundi credulitatem exaltatus accepit. Gloria coronatus est in resurrectione et ascensione,et honore in concessione paternæ majestatis.

« Et constituisti eum super opera manuum tuarum. » Superius de gloria ejus, et honore narratum est, nunc ponitur et potestas, ut agnoscatur Christi Domini majestatis perfectissima plenitudo. Dicendo enim, « super opera manuum tuarum, » omnis illi creatura subjecta monstratur, quia sicut a Domini opere nihil est exceptum, ita nec a potestate Christi aliquid probatur esse divisum.

« Omnia subjecisti sub pedibus ejus ; in eo enim quod omnia subjecit,nihil dimisit non subjectum ei.» Dicendo enim omnia, nec terrena videtur excepisse, nec cœlestia. Et quem prius propter humilitatem carnis paulo minus ab angelis dixerat esse minoratum post ascensionem dicit pedibus ejus omnia fuisse subjecta, ut ista distinctio et dubietatem

(1394) Partic.*etiam* in Vulg.non legitur,sed in textu Ambrosiastri, a quo multa sparsim excerpta sunt.

(1395) Vulg. *portentis.*

titubantibus auferret, et gloriam sanctæ incarnationis ostenderet. « Sub pedibus » ait, ut omnis creatura merito ipsum colere atque adorare videatur.

« Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. » Hoc itaque ait de non credentibus in eum, quia necdum omnia Evangelica obtinuit prædicatio. Superius dixit, nihil dimitti sibi non subjectum, et hic astruit, necdum omnia subjecta sibi videri, quia illic universalem, sive voluntariam, si sive necessariam subjectionem designat; hic tantum voluntariam, qua fideliter (1396) credunt in eum.

« Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis ejus, gloria, et honore coronatum. » Hic ostendit quia gloria et honor crux est Christi, pro qua modicum minoratus est ab angelis, sicut ipse Dominus eum semper vocat, dicens : « Ut glorificetur filius hominis (*Joan.* XVIII, 4). » Si ille ea, quæ pro servis passus est, gloriam vocat, multo amplius, tu homo, quando pateris, tibi ad gloriam pertinere sempiternam dubitare non debes. Et addidit : « Ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. » Ipsum vero gratiam nominavit, qui pro omnium salute gustavit mortem. Non enim debebatur nobis, ut Filius Dei pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit. Ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille tamen quod suum erat implevit. Proprie dixit : « gustavit mortem : » quia brevi tempore in illa fuit, ut ea devicta confestim resurgeret.

« Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari ; » id est, perficere omnium salutem. « Propter quem omnia, » id est, per ejus mortem, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris, restaurata sunt, per quem etiam et omnia creata sunt. Vides quantum est in medio nostrum. Et ipse Filius, et nos filii : ille proprius, nos adoptivi, sed ille salvat, et nos salvamur. Vides quomodo nos et conjungit et discernit. « Multos filios, » inquit, adducens in gloria, hic conjunxit : « Auctorem, » inquit, « salutis eorum ; » hic discrevit.

« Qui enim sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes. » Ecce iterum quomodo conjungit, honorans et consolans, et Christi fratres eos nominans, secundum quod ex uno eos esse dicit. Deinde muniens sermonem suum et ostendens, quoniam de eo, qui secundum carnem est, dixit, intulit : Qui enim sanctificat, » hoc est Christus ; « et qui sanctificantur, » hoc est nos. Intueris quantum interest. Ille quidem sanctificat ; sanctificamur autem nos. Et addidit, « ex uno omnes. » Unus est enim Deus, a quo omnia ; sed ille aliter ; aliter nos : ille quasi proprius Filius : nos vero quasi adoptivi : attamen unum habemus Deum Patrem : ille quasi proprius sanctificat ; nos sicut adoptivi sanctificamur.

(1396) Fortasse *fideles* legendum loco *fideliter*.

« Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens. » In eo enim, quod dixit, non erubescit fratres eos vocare, demonstrat non rei naturæ esse, sed misericordiæ ejus esse tantum, et humilitatis multæ, qui nos fratres elegit sibi. Et hoc prophetico affirmat testimonio, ne quasi novum putaretur, et non multo ante prædictum. Ait enim : « Nuntiabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI, 23). » Post sacram passionem et resurrectionem, dicit gloriam divinitatis toto orbe vulgandam. « Nuntiabo » enim dicit, id est narrare faciam, sicut in Evangelio mulieribus dicit : « Ite, dicite, fratribus meis (*Marc.* XVI, 5). » Fratres autem dicuntur, qui diligunt et diliguntur. Et addidit : « In medio Ecclesiæ laudabo te. » In medio sanctorum laus Domini resonat per eum, qui ait : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis (*Luc.* X, 21). » Laus enim Domini vera, non solum ore, sed etiam corde et opere perficientis præcepta Domini narratur.

« Et iterum : Ego vero fidens in eum (*Psal.* XVIII, 3). » De suscepto homine hoc dictum est, cujus confidentia tota in Deo Patre esse non dubium est : sicut in Evangelio ipse ait, pro quibus supplicabat, dicens : « Volo, Pater, ut ubi ego sum, et isti sint mecum (*Joan.* XVII, 24). » Quos etiam confidentiam ut haberent exhortabatur, dicendo : « Confidite, quia ego vici mundum (*Joan.* XVI, 23). »

« Et rursum : Ecce ego, et pueri, quos mihi dedit Deus (*Isa.* VIII, 18). » Hoc testimonium de Isaia protulit Apostolus, ad Christum et ad apostolos referens, quos propter innocentiam pueros nominavit : de quibus ipse Dominus ait : « Sinite parvulos venire ad me, quia talium est regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 11). »

« Quia ergo et pueri comminicaverunt carni et sanguiui ; et ipse similiter participavit eisdem. » Attende similitudinem ejus, secundum carnem, in qua ipse cum pueris participatus est. Erubescant omnes hæretici ; cooperiantur confusione, et verecundia, qui putative dicunt eum advenisse, et non vere. Non enim tantum dixit, quoniam participatus est istis et tacuit, quamvis etsi diceret, sufficienter dixisset : sed addidit « eisdem ; » et aliud eum plus constat posuisse, hac est proximius, quod non in phantasia, non in imagine venerit aliorum, sed veram ejus ostendit fraternitatem et humanitatem in Christo non fictam. Quia sicut pueri carne et sanguine constant, similiter et ille participavit carni et sanguini, ut haberet unde gustaret mortem pro puerorum salute

Cujus dispensationis affatim causam subjungit, dicendo : « Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum. » Hinc jam mirabile quiddam demonstrat, quia per quod potestatem habuit diabolus, per hoc et victus est, et arma, quæ fuerunt illi fortia adversum mundum, hoc est, mors, per ea illum Christus percussit. Hic magnitudinem virtutis ejus qui vicit insinuat. Intueris quantum bonum operata est mors. « Ut liberaret

eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. » Quare tremitis, quare timetis eam quæ jam condemnata est? Jam terribilis non est, sed optabilis, quasi laborum finis et requiei initium. Cur ait : « Timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituri ? » Servi siquidem fuerunt mortis, quia mortem timebant, et necdum erant soluti a timore mortis, cujus legibus tenebantur. Nunc itaque sancti derident eam, qui agone transacto, et morte devicta, ad regnum transituri sunt. Unde et ipse Paulus ait : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23). »

« Nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus assimilari. » Idcirco namque Redemptor noster, non angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit, ut et perditum angelum non apprehendendo desereret, et hominem in semetipso apprehendendo repararet. Multam enim Dei misericordiam volens Apostolus demonstrare et charitatem, quam circa genus humanum habuit, postquam dixit : « Quoniam ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem : » exsequitur amplius hunc sensum, unde participaret carnem et sanguinem, et ait : Non enim quemquam angelorum apprehendit, ut una persona Dei Filius naturæ eorum conjungeretur, sed hunc honorem et hanc dignitatem humanæ naturæ Deus, Dei Filius, attribuit, ut Deus et homo una esset persona. Quare non dixit, suscepit? Scilicet isto verbo usus est, hoc est, apprehendit, quia nos quasi recedentes ab eo, et longe fugientes, eramus longe ; insecutus apprehendit, et in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit. Mira conjunctio, dum æterno et immortali mortalis adunatus est ! Quantum festinaverit circa naturam humanam, ostendit : et quoniam multa cura est Deo de illa, sic etiam hic multo amplius est, quod ponit ex comparatione. Non enim angelorum quemquam apprehendit, et revera magnum et mirarabile et stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere, et adorari ab angelis, et archangelis, et cherubim, et seraphim. Hoc ergo sæpius in mente versandum et laudandum est valde. Quia non dixit, homines, simpliciter, apprehendit, sed « semen Abrahæ, » et honorat hic patriarcham, atque eos qui de ejus sunt genere, ad quos hæc Epistola scripta est. Commemorat de beneficiis Dei, et de propinquate carnali ad Christum, et de promissione, quæ dicta est ad Abraham : « Tibi et semini tuo dabo terram hanc (*Gen.* XII, 7). » Quia ex uno omnes, id est, ex Abraham Christus secundum carnem, et illi, ad quos hæc loquitur.

« Unde debuit per omnia fratribus assimilari. » Quid est, « per omnia » Natus est, educatus, crevit, passus est etiam, et mortuus, ut per omnia similis esset fratribus, qui hujusmodi conditioni subjecti sunt, superius enim dicit splendorem eum gloriæ, et paternæ substantiæ figuram, per quem sæcula fecit, qui sedet in dextera Patris. Iste tantus, et tam miserabilis, et tam gloriosus, tantum nostræ salutis curam habuit ut frater noster in omnibus fieret, et propter hoc angelos quodammodo reliquit, aliasque cœlorum virtutes, ut nos apprehenderet, et ovem perditam, passione sua inventam, humeris impositam reportaret ad cœlestem patriam (*Luc.* XV, 4, 5). Hic vero tantus, et talis sacerdos noster fieri voluit apud Patrem, seipsum offerens pro nobis. Proinde secutus et infert : Ut « misericors fieret, et fidelis pontifex a Deo, ut repropitiaret delicta populi. » Propter hoc, inquit, carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, ut pro nostris interpellaret peccatis. Non est enim magis totius hujus miranda dispensationis causa quam hæc sola. Vidit quippe humanum genus in iræ fumo jacens, peccatorum vinculis ligatum, morti obnoxium, tyrannidem patiens, et misertus est ejus, sicut fidelis pontifex. Non itaque alia fuit causa illi per omnia fratribus assimilari, nisi ut fidelis pontifex esset, « Fidelis, » dicit, hoc est, verus et potens. Ministerium quippe sacerdotis est fidelem esse ut possit eos, quorum est sacerdos, liberare a peccatis.

Proinde de ejus potentia subsecutus, abjunxit : « In eo enim, in quo passus est ipse, tentatus, potens est et eis qui tentatur auxiliari. » In eo, id est, homine, in quo passus est, potens est vinctos liberare, tentatosque adjuvare ne vincantur : quia tentationes nostras non solum sicut Deus novit, sed etiam sicut homo in seipso per experimentum cognovit. Et licet Deus in sua natura impassibilis, tamen in nostra, quam assumpsit, idem Filius passibilis fuit, atque nostræ naturæ consimilis. In ea vero carne, quam suscepit, multa sæva passus est. Novit quid sit tribulatio, novit quid sit tentatio ; sed per patientiam vicit. Ipse vero tentatus est, sed non superatus. Quid ergo est quod dicit : Potens eos, qui tentatur, adjuvare ? Tanquam si diceret : Cum multa alacritate protendit manum ad compatiendum.

(Cap. III.) « Unde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate Apostolum, et Pontificem confessionis nostræ Jesum. » Adhuc etiam de incarnationis Christi loquitur mysterio. Nam et in Evangelio ipse testatur se missum non esse, nisi ad oves perditas domus Israel (*Matth.* XV, 24). Apostolus igitur Hebraice, Latine dicitur *missus*. Cognoscite quid est Jesus et qualis, et non habebitis opus consolatione alia, neque solatio. Pontificem eum dixit confessionis nostræ, id est fidei nostræ, cui iste populus novus est commissus, sicut Moysi prior populus in regimen datus est. Sed huic majora, vel longe meliora commissa sunt. Vult enim beatus Paulus apostolus erigere animos Israelitarum ad excellentiam promissionum Dei, ut intente parent se accipere, quod Deus benigne illis promisit afferre, nominans eos fratres charissimos, ad cœlestia vocatos, participes cum Christo hæreditatis Dei, « qui fidelis est ei, » id est, Deo Patri, « qui

fecit eum. » De humanitate dicit ejus,qui factus est ex semine David secundum carnem, non de divinitate, quæ facta non est, sed genita a Patre unius substantiæ cum eo.

« Sicut et Moyses in omni domo illius (*Num.* XII, 7). » Præpositurus eum Moysi secundum comparationem in lege sacerdotii, hunc sermonem induxit, asserens eum fidelem esse in domo sua. Fidelem, id est, devotum, defendentem ea quæ sunt ejus, non permittentem corrumpi ; quæ domus nos sumus, sicut in sequentibus dicit ; sicut Moyses fidelis fuit in domo sua, id est, populo priore, Confestimque assecutus ostendit quomodo domus illius esse debeamus. Ait enim : « Quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus : » quia, » qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Domum enim dicit pro his, qui in domo habitant ; sicut Ecclesiam dicit, non pro lapidibus, vel ædificiis,sed pro his,qui convocantur in ecclesia. Intulit: « Dei domus sumus nos, » id est, factura Dei, creati in Christo Jesu. Huc usque comparationem fecit de incarnatione Christi cum Moyse. Dehinc se ad altiora ejus narranda convertit, dicens : Amplioris enim gloriæ iste præ Moyses dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. » Non dixit, quanto majorem habet honorem ab operibus artifex, sed quanto domus, qui construxit eam. Vides quoniam non de templo dicit, sed de omni populo ; primo de illo, quem Moyses de Ægypto eduxit, et deinde de eo, quem Christus de diabolica liberavit servitute, sibique in domum acquisivit.

« Omnis namque domus fabricatur ab aliquo ; qui autem omnia creavit, Deus est. » Hic factorem a factura discernit, utriusque domus auctorem Deum esse intelligi volens : sed aliter illius, cui Moyses præfuit ; aliter illius, cui Christus dux esse et Dominus cognoscitur. Ideo subsecutus ait : « Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus,tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant ; Christus vero tanquam filius in domo sua ; quæ domus sumus nos,si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. » Iste autem, id est Jesus in paternas res, sicut filius ingreditur : ille autem, id est Moyses, sicut famulus Dei in domo sua. Hic iterum eos hortatur stare fortiter, et non subrui. Domus quippe Dei erimus,si fiduciam spei, et gloriam usque in finem firmam retineamus. Bene dixit, fiduciam spei nostræ : quoniam omnia bona sanctis in hac vita in spe sunt, donec ad speciem perveniant perfectæ beatitudinis : « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 24). » Bona enim,quæ nobis promissa nisi in spe,et illum patienter exspectantes, usque ad finem firmam spem retineamus (1397).

« Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus : hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra (*Psal.* XCIV, 8-11). » Locutus est beatus Apostolus de spe in superioribus, quia oportet nos sperare quæ futura sunt. Spes autem quæ videtur non est spes, Historia vero, quam Propheta hic rememorat, notissima est. Cum enim egressi essent Israelitæ de terra Ægypti (*Num.* XIV, 1-4), et multam viam perambulassent, et multa indicia virtutis Dei accepissent in Ægypto, in mari Rubro, in eremo, consilium fecerunt mittere speculatores (*Num.* XIII, 1-4), qui deberent inspicere naturam terræ quæ promissa est eis. Illi vero pergentes reversi sunt, terram quidem valde mirantes, majorum fructuum procreatricem esse dicentes, sed virorum inexpugabilium esse illam provinciam, et fortium. Israelitæ vero ingrati, et insensati, quos oportebat ut recordarentur tantorum Dei beneficiorum, et quomodo eos conclusos in medio tanti exercitus Ægyptiorum eripuit de periculis, et fluviorum fontes sine defectione donavit, et manna tribuit, et alia miracula, quæ operatus est, et credimus fecisse Deum : illi nec Deum crediderunt, nec horum aliquid rememorati sunt : sed timore sunt perterriti, dicentes : Revertamur in Ægyptum. Deus igitur iratus eis, quia sic cito obliti fuerunt beneficiorum Dei, miraculorumque ejus,juravit ut non intraret generatio illa in requiem promissam olim patribus ; et sic omnes perierunt in eremo, præter duos tantummodo homines (*Num.* XIII, 18-34; XIV, 5-45). Quare ergo David hæc postea dixit, post generationem illorum loquens : « Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra, » ne similia patiamini, qualia progenitores vestri, ne privemini requie promissa ? Quia est quædam (1398) requies. nam si jam acceperant requiem,quæ erat in Palæstina, quare eis iterum dicit : ne obduretis corda vestra, sicut patres vestri ? Quæ ergo est alia requies. nisi regnum cœlorum, cujus imago et umbra est Sabbatum ? Tres itaque requies Apostolus memorat in hac Epistola : unam Sabbati, qua Dominus requievit ab operibus suis ; secundam in Palæstina, in quam ingressi Israelitæ requieturi erant ex miseria multa et laboribus ; tertiam, quæ vera est requies,hoc est, regnum cœlorum, quod superius jam diximus. Ad quam quos pervenire contigerit, revera requiescent a laboribus et afflictionibus suis, de qua Propheta loquitur ad veros Israelitas, dicens: Hodie si vocem ejus audieritis ne obduretis corda vestra. Aliquando enim audierunt patres vestri vocem illius per Moysen, et obdurati sunt. Ergo tunc per præconem locutus est,cum Deo obdurastis corda vestra. Per se nunc loquitur : Mollescant corda vestra. Qui præcones ante mittebat, ipse venire dignatus est. Ore suo hic loquitur, qui loquebatur per ora prophetarum. Ad ejus vocem, qui præcones misit, et nunc per se clamat, nolite claudere corda vestra.

(1397) Verba, *spem retineamus*, quæ in cod. desiderantur, supplenda ex Ambrosiastri textu censuimus.

(1398) Desiderari videtur *alia*, ut legatur : *Quia est quædam alia requies*, scilicet æterna, et cœlestis, ut infra habetur.

Recordamini qualiter obdurati sunt patres vestri, et quomodo non introierunt in requiem promissam ; sed amaricati murmurantes contra Deum, perierunt in deserto. Patres vestri erant, qui perierunt ; nolite imitari eos : et patres vestri non erunt, quamvis de eis nati sitis ; scientes quia « Deus potens est de lapidibus sucitare filios Abrahæ (*Matth.* XIII, 9). »

Quadragintas annis offensus fui generationi huic.» Multis modis eos castigans ; ipsi tamen semper corde erraverunt. Quadraginta diebus Dominus in deserto jejunavit, ut triumpharet de eo, per quem illi quadraginta annis murmuraverunt contra Deum in eremo. Post quam consummatam in passione et resurrectione totam victoriæ gloriam, quadraginta diebus fuit cum discipulis, antequam cœlum ascenderet. Primis quadraginta diebus tentationem hujus peregrinationis ostendit : posterioribus quadraginta diebus consolationem, quam sancti habituri sunt in patria. Corpus enim ejus, id est Ecclesia, necesse est tentationes patiatur in hoc sæculo ; sed non deest ille consolator, qui dixit : « Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVII, 20.) » Quibus juravi propter infidelitatem suam, non introisse in requiem meam. Loqui Deum, magnum est ; quanto magis jurare ? Jurationem confirmationem fieri voluit. Per quem juravit Deus, nisi per seipsum ? Non enim habet majorem per quem juret. Seipsum confirmat minas suas. Sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur. Juravit, ut non intrarent in requiem ipsius ; et tamen oportet intrare aliquos in requiem ipsius. Illis ergo reprobatis, nos intrabimus, quia etsi aliqui ex ramis propter dissimilitudinem et infidelitatem fracti sunt, nos propter fidem et humilitatem inserimur. Sequitur enim exhortatio apostolica ad populum de requie introeunda.

Dicit enim : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo. » Quippe ex duritia infidelitas nascitur et sicut obdurata corpora et dura, non obsequitur verbo Dei (1399). Si enim patres vestri, inquit, quia non speraverunt, sicut oportebat sperare hæc passi sunt, quæ leguntur in historia, cujus ante memoravimus, et perierunt in deserto propter duritiam cordis ; multo amplius vobis talia timenda sunt. sicut illis acciderunt. Ad illos enim sermo iste factus est, qui in præsentia fuerunt, vel futuri sunt. Ideo dicit. » hodie. » Hodie namque semper est, donec constat mundus.

Intrat enim plus dicere, de « hodie » subjungens : « Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. » Hoc est ædificato invicem, corrigite vos ipsos, ne contingant vobis similia ne obduretur quisquam ex vobis, decipiente peccato infidelitatis. Attendis quia infidelitate peccatum facit. Sicut enim infidelitas malignam vitam procreat, sic etiam anima, cum in profundum malorum venerit, contemnit (*Prov.* XVIII, 3) : contemnens autem, neque credere patitur, ut se a timore mortis perpetuæ liberet.

Deinde infert Apostolus : « Participes enim Christi effecti sumus. » Participamur ex eo, inquit, id est, unum facti sumus cum illo. Siquidem ipse caput est, et nos membra ; cohæredes, et concorporales illi, secundum sptritalem hominem, qui creatus est in ipso.

« Si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. » Quid est initium substantiæ ? Fidem significat, per quam subsistimus, et Deo nati sumus in filios, et essentiales filii, ut ita dicam, facti sumus· Quod diligentissime observandum est, ne cujuslibet doctrinæ macula corrumpamur.

Deinde subinfert Apostolus adhuc de « hodie » dicere : « cum dicitur, » inquit : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione » usque « ex his quæ audierunt. » Hic vero Apostolus propheticum testimonium intrat explanare, quod superius posuit. Dixit enim : « Hodie, » inquit. « si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra sicut in amaritudine. » Quorum obduratorum mentionem facit ? Nonne eorum, quorum cadavera prostata sunt in deserto ? Quod enim dicit, tale est : Audierunt et illi, inquit, sicut et nos audivimus, sed nihil profuit illis sermo auditus. Non ergo putetis, quia ex auditu tantum prædicationis introitus sit ad requiem Dei ; quia et illi audierunt per Moysen ; sed nihil utilitatis ex auditu habuerunt, quoniam non crediderunt, nec sermo auditus fide comtemperatus est. Discrevit eos, qui crediderunt prædicationis verbo, ab illis qui non crediderunt. Ait enim : « Sed non universi. » Caleb vero, et Josue, qui non consenserunt infidelibus, effugerunt pœnam quæ illis illata est, nec hoc solum illis donatum est mortem evadere, qua cæteri perierunt, sed etiam datum est illis terram repromissionis intrare, eamque laudabiliter pro sua portione hæreditare. « Hodie, » inquit, « si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, » Hodie enim semper est. Nec obduretur quisquam ex vobis deceptione peccati, aut deceptione diaboli. Deceptio quippe est revera, ut nihil speret de futuro, putando quoniam de actis et de factis nostris, quæ hic agimus, nullam reddemus rationem, sive quia resurrectio nulla erit, seu quia si (1400) et fideles erant, verumtamen adhuc multam divotionem habebant circa Moysen. In hoc etiam

(1399) Ambrosiaster, a quo exemplum hoc ita habet : *et sicut obdurata corpora, et dura non obsequuntur manibus medicorum, sic et animæ obduratæ non obsequuntur verbo Dei.*

(1400) In cod. *quasi* quod tanquam mendam ex sequentibus corrigendum putavi. Ibi enim ad eos, quos divus Paulus alloquebatur. Hebræos, directa oratio videtur, qui, etsi fideles erant, adhuc tamen legis nimis tenaces. Fortasse etiam rectius legeretur : *seu qui etsi fideles*, etc.

demonstrat ne obduretur cor illorum, sicut illorum cor fuit obduratum, de quibus ista dicuntur. Dicere quippe : qui jam ? Qui semel peccavi non habeo spem recuperandi me ipsum, deceptio est (1401). Deinde spem illis excitavit, sicut superius dixit, participes facti sumus pœnæ, dicens : Quia ita nos amavit, qui tantum nobis dignatus est, ita ut suum nos faceret corpus non nos despiciet pereuntes. Intelligamus, inquam. qualibus rebus facti sumus. Nos et Christus unum sumus. Non ei incredibiles existamus. Timeamus illorum perditionem, et justum judicium Dei metuamus, qui reddet unicuique secundum opera sua, requiem sempiternam fidem habentibus, eam tamen, quæ per dilectionem operatur ; non credentibus itaque, pœnam perpetuam, ne forte, relicta pollicitatione quam dedimus Deo in baptismo, iterum revertentes ad opera infidelitatis, quæ abdicavimus coram multis testibus ; unusquisque pro seipso laboret, ne forte minus dignus inveniatur introcundi in requiem Dei. Etenim nobis nuntiatum est quomodo intrare debeamus in requiem Dei, sicut et illis, nobis tamen per Filium ; illis vero per famulum. Vides quomodo facturam et Factorem discernit ; quomodo servum, et Filium. Et ille quidem in paternas res, sicut Dominus ingreditur ; iste autem sicut servus.

(CAP. IV.) Confestimque verba exhortationis subjungit Apostolus. dicens ; « Ingredimur in requiem, qui credimus, » quemadmodum dixit : « Sicut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam. » Nos vero hortatur intrare in requiem, ne forte nobis dicatur, sicut illis : « Si introibunt, » et id est non introibunt in requiem meam. Festinat enim ostendere aliam esse requiem, ad quam vocati sumus, id est, cœlorum. Nec nos dicit illam, quæ in Palæstina est, intraturos, sed illos non intraturos propter obdurationem cordis sui.

Addidit itaque de prima requie loqui dicens. « Et quidem operibus ab institutione mundi factis. Dixit enim quodam loco de die septima sic : et requievit Deus die septima ab operibus suis (*Gen.* II, 2). Et in isto rursum : Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest quosdam introire in illam, et hi, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem. » Confestimque secundam subjunxit, quæ promissa est populo Dei. Sicut ille requievit, ita et nobis requiem pollicitus est. Non quod ille aliqua fatigatione laboris requieverit, sed, quia dixit et facta sunt, mandavit, et creata sunt (*Psal.* XXXII, 9 ; XIV ; sic nos per sex ætates mundi laborantes, ad requiem usque perducet « et in isto. » inquit, rursum, « si introibunt in requiem meam. » « Si, » vero conjunctio pro affirmatione, pro negatione, pro dubitatione accipi potest. Superius vero pro negatione posita est, ubi ait propter incredulitatem illorum jurasse Deum non introire eos. Addidit ; « Si introibunt, » id est, non introibunt. Hic vero potest intelligi, si introibunt, pro affirmatione, quasi diceret : Si introibunt bene habebunt. Ideo addidit : « Quoniam superest quosdam introire in illam. » In illam videlicet, quæ in Palæstina fuit, pauci introierunt, id est, duo tantum, Caleb, et Josue, ex omnibus illis qui de Ægypto perrexerunt. Proinde ait : « Et hi, quibus prioribus annuntiatum est. non introierunt propter incredulitatem. » eos significans qui de Ægypto profecti sunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto.

Deinde intrat de tertia quæ Christum credentibus promissa est, quamvis obscure, disputare. « Item. » inquit, « terminet diem quemdam hodie, in David dicendo, post tantum temporis sicut supra dictum est : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam David de alia loqueretur. » Hic ostendit tertiam quamdam esse requiem, de qua David dixit, « hodie, » non illam significans, ad quam Jesus populum introduxit, sed aliam quamdam esse multo excellentiorem illa, ad quam non typicus, sed verus Jesus introducit eos qui sunt ejus. Audiamus utrum hoc certum sit. Post tantos annos, inquit, dicit iterum, « hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Si enim Jesu Nave veram præstitisset requiem populo, cujus doctor (1402) fuit, nequaquam de alia die loqueretur postea, Certum est ergo, quia futurum est quosdam accipere requiem, quæ per illam significata est, quæ est in Palæstina, ad quam verus Jesus ducturus est populum suum.

« Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ob operibus suis, sicut a suis Deus. » Requies vero Dei operum perfectio intelligenda est. dum sexto die, finita primordiali rerum creatione, et in septimo cessavit a novarum creatione naturarum Per illam vero requiem Dei, quæ æterna est (1483) nos ad æternem studiose provocat requiem : quam sabbatismum nominavit, quia videlicet Judæis locutus est. Non dixit hoc loco requiem, sed sabbatismum, proprium nomen, ad quod gaudebant, et concurrebant (1404) : sabbatismum regnum Dei vocans sicut enim Sabbatum ab omnibus malis abstineri jubet, et illa tamen fieri præcipit, quæ ad obsequium Dei pertinent, quæ sacerdotes efficiebant, et quæ animam juvabant, et nihil aliud ; nec tale vult Sabbatum in regno Dei intelligi, ut iterum quis exinde revertatur ad opera laboriosa, sicut in Sabbato carnali fecerunt. Istud vero Sabbatum Dei quicunque intrat, requiescet perpetuo ab operibus suis, sicut a suis Deus

(1401) In cod. *deceptionem*. quod emendandum censui.

(1402) *Ductor* habet Ambrosiaster.

(1403) *Quæ æterna non est* habet codex noster, quod tum ex seqq., tum ex Ambrosiastri textu emendandum censuimus.

(1404) Post ea verba, repetita, leguntur aliqua cum mutatione quæ sequuntur : *sabbatismus, proprium nomen, ad quod gaudebant. et non concurrebant.* Quæ expungenda visa sunt.

Volens itaque eos de resurrectione instruere, et de requie sempiterna, « hodie, » sæpissime interposuit, ut nunquam desperarent se intraturos, quasi diceret : Si quisquam peccaverit usquequo est hodie, spem habeat revertendi. Nullus igitur desperet, usquequo vivat.

Sequitur :« Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.» Magna quidem res est fides et salutaris. Sine hac non est salvari possibile alicui, sicut dictum est : quia « sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI, 6).» Proinde etiam Paulus admonet eos qui in dignationem mysteriorum suscipi meruerunt (1405), dicens :« Festinemus ingredi in illam.» Festinemus, inquit, quoniam non sufficit fides; sed debet addi et vita fidei condigna,et multum studium debet adhiberi, ne fides sit otiosa. Si enim terram intrare illi non meruerunt,qui fornicati sunt et murmuraverunt contra Deum, quomodo nos cœlum merebimur intrare, indifferenter viventes, sicut gentes? Opus est quippe omni volenti cœlum possidere, fidem operibus bonis ornare. Nec hoc solum damni habet male vivens, quod non intrat in regnum Dei, verum etiam, quod majoris est terroris, pœnæ perpetuæ mancipatur. Ideo addidit :« Ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. » Eorum interitu, qui perierunt in deserto, terruit audientes, ne in illorum inciderent judicium, quasi dixisset : Sufficienter ex parentibus nostris docemur, ne si in similia incidamus, eadem patiamur, quæ illi passi sunt; hoc est in idipsum exemplum infidelitatis.

Deinde ut majorem peccantibus incuteret formidinem, subjungit : « Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. » Hic demonstrat quoniam et illa idem ipse operatus est et vivit,et non exstinctus,et ostendit eumdem ipsum nos habere judicem,qui illos propter incredulitatem eorum damnavit.Dixit enim :« Vivus est sermo Dei.» Sermo Dei, Filius est Dei, qui de se ipso ait : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum (*Joan.* VIII, 31). » Sicut illi, si servarent sermonem Dei, viverent, terramque repromissionis intrarent, sic et nos, si servaverimus sermonem ejus, vivemus, requiemque cœlestem intrabimus. « Vivus est enim Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. » Gladius enim potest membra dividere a corpore, et penetrare secreta et abscondita carnis; sed eo multo penetrabilior est sermo Dei, « pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagumque, et medullarum. » Anima vivimus,spiritu intelligimus,vita nobis carnalis cum bestiis communis est; ratio spiritalis cum angelis. Tam efficax est judicium Dei, ut discernat carnalia peccata et spiritalia, quis quo agat animo, vel quo desiderio serviat in corde : tam penetrabilis est ejus intuitus,ut omnia nostra,quæ agimus vel cogitamus, certius cognoscat quam nos ipsi. Illum semper habemus testimonium actuum nostrorum vel cogitationum, quem judicem habituri sumus.Timeamus ejus præsentiam, cujus scientiam nullatenus effugere valemus. Unde et addidit : « Et est discretor cogitationum et intentionum cordis. » Distinguit enim Dei sermo compages et medullas, quia discernit cogitationes et intentiones cordis. Per compages quippe ossibus ossa junguntur. Et sæpe quædam dum recta cogitatione agimus, subito in laudis amorem declinamus, atque hoc pro laude facimus, quod prius facere pro veritate cœperamus. Et quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quasi quædam in spiritu compages fiunt. Sed habent ossa, quæ in compage juncta sunt, etiam medullas. Quod prædicator sanctus apertius intulit, cum subjungit: « Et est discretor cogitationum et intentionum cordis. » Compages enim nostræ cogitationes sunt; medullæ autem, intentiones. Et sæpe aliud cogitamus, atque aliud est quod per cogitationem intendimus. Nam si quis pro munerum præmio, pupilli vel viduæ causam defendat, et fortasse Ecclesiam ingrediens, in suis precibus Deo dicat : Tu vides, quia causam pupilli et viduæ defendo; iste procul dubio quod cogitat, scit, sed quo intendat ejus cogitatio, ignorat. Aliud quippe cogitat, atque aliud intendit. Non enim defensionem pupilli vel viduæ, sed mercedem nummorum quærit. Nam tolle temporale præmium, et pupillum ac viduam non defendet. Sermo itaque Dei discretor est cogitationum et intentionum cordis; quia non aspicit quod apud semetipsum cogitat, sed per medullam compagis, id est, per intentionem cogitationis totum penetrat hominem. Nec mirum si totus ubique, totam suam agnoscit creaturam, sive spiritualem, sive corporalem; quia nihil quod factum est, sine eo factum est (*Joan.* I, 3).

Ideo addidit :« Nec est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. » Hinc eos maxime terruit, ne forte adhuc, inquit, in fide stantes, non cum integra satisfactione perficerent fidei opera: quia ipse, quæ in corde sunt, discernit : ibi examinat, ubi considerat, reddens unicuique secundum opera sua.

« Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.» Sæpe in exteriori opere ante oculos hominum inordinati apparere metuimus; et in interiori cogitatione, illius respectum non metuimus, quem videntem omnia non videmus. Multo enim magis intrinsecus Deo, quam extrinsecus hominibus conspicabiles sumus. Unde sancti omnes foris se, intusque circumspiciunt, et vel reprehendendo se exterius, vel in quo se interius videri invisibiliter timent. Et quod dicimus de hominibus, ac si angelos dicas, ac si archangelos dicas, ac si Cherubin, ac si Seraphim, sicque aliam quamlibet creaturam, omnia revelata sunt oculis illius, omnia sunt aperta et manifesta, nec est quod eum possit latere. « Omnia nuda, et aperta oculis ejus sunt, ad quem nobis sermo est :» hoc est, ipsi reddituri sumus rationem actuum nostrorum.

(1405) In Ambrosiastri codicibus hæc expositio ita jacet : *qui digne ministerium suscipere meruerunt.*

« Habentes ego pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei. » Paulo enim ante de divinitate ejus disserens, ait :« Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus : » nunc autem, quia de carne loquitur, de pontifice disputat illius, quia semetipsum offerebat nostræ causa salutis, et quomodo primo omnium intrasset in requiem.« Habemus, inquit, pontificem magnum, qui penetravit cœlos. » Ergo Moyses ductor populi, cui promissa est requies transitoria, non intravit in requiem, quam sæpius populo promisit. Iste vero noster sacerdos melioris promissionis sponsor, viam faciens, credentibus in se, primus intravit in requiem populo sibi credito promissam. Ostendit eum magnum sacerdotem, quia sempiternum habet sacerdotium, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Et hunc ipsum Filium Dei ostendit, dum dixit :« Jesum Filium Dei : » quod nusquam de Moyse dicere voluit, sed eum famulum præferebat, in superioribus testificans eis sub nomine Jesu, quod nomen angelus a Deo directus Virgini annuntiavit Filium Dei esse verum, et ideo magnum sacerdotem.

« Teneamus confessionem. » Qualem confessionem dicit? Quoniam Filius Dei est, quoniam Christus Deus est, quoniam passus est, sepultus est, resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, inde venturus judicare vivos et mortuos; per quem omnia bona habemus, redemptionem, resurrectionem, hæreditatem cum eo sempiternam : hæc confiteamur. Quia vero hæc vera, manifestum ex eo quod pontifex in interioribus velaminis constitutus est, intrat enim sanguine aspersus, proprio, non alieno, sicut pontifices priores, qui sanguine vaccæ rubræ aspergebantur.

« Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. » Non, inquit, ignorat quæ nostra sunt. Venit enim per viam humanæ conditionis, per omnia sine peccato, nihil secum afferens, unde morti debitor esset, sicut ipse in Evangelio testatur, dicens : « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV, 30).» Multi pontifices ignorant eos qui in tribulationibus constituti sunt, neque quæ sit tribulatio in quolibet sciunt : impossibile quippe est scire afflictiones afflictorum, ei, qui experimentum afflictionis non habuit, et sensibiliter omnia non sustinuit. Pontifex autem noster competenter primum omnia sustinuit, quæ fuerunt humanæ miseriæ illata post peccatum primi hominis, et tunc ad interiora velaminis ad thronum paternæ majestatis ascendit.

« Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. » Tentatus autem siquidem diversis modis, sed non superatus. In tribulationibus probatus, ubique victor gloriosus. Tentatus est si quidem pro similitudine carnis absque peccato. Similitudine itaque carnis peccati; sed tamen caro illius absque omni peccato fuit. Quapropter de scripturis agnosco dissimilem; de scripturis mecum agnosce et tu similem. Non inde dissimilem, unde similem, sed alia causa illud, et alia illud. Dum tamen utrumque demonstremus. Dissimilis homini Christus, quia Deus, scriptum est enim de illo, quia est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5). Et similis homini Christus, quia homo, quoniam de illo identidem scriptum est : « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*Gal.* III, 19).» Dissimilis peccatori Christus, quia semper sanctus; et similis peccatori Christus, quia Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Homini ex coitu nato dissimilis Christus, in quantum ex Virgine natus; sed homini nato similis Christus, in quantum et ipse ex femina natus est, cui dictum est : « Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Matth.* I, 20; *Luc.* I, 35). » Homini propter peccatum suum mortuo dissimilis Christus, in quantum sine peccato, et propria potestate mortuus est, sed rursus homini mortuo similis Christus, in quantum et ipse vera morte corporis mortuus est. Hæc est tentatio, qua tentatus est. Persecutionem plurimorum passus est, sputa suscepit, accusatus est, detractionem sustinuit, calumniam passus est, repulsus est a propria gente, in fine crucifixus est. Juxta similitudinem, inquit, sine peccato. Dum dicit, in similitudinem carnis, non hoc dicit, quia similitudo putativæ carnis fuit in eo, sed quia carnem suscepit veram. Quare ergo dixit, in similitudine carnis? Natura vero, quam suscepit, similis est carni nostræ; peccatum vero nequaquam habuit, quod nostra caro de parentibus contraxit. Quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, ut inde et pœna, et remedium fieri potuisset. Pœna et peccatum in omni humano genere, præter in Christo, in quo salus et remedium fuit. Non enim præjudicata est caro peccatrix, ut inde remedium fieri non potuisset. Præsciebat potentia Dei, qualiter ex eadem massa, justitia, æquitas, et misericordia, atque pietas provenire potuisset.

« Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Adeamus ergo cum fiducia, hoc est adeamus per fidem ad thronum gratiæ ejus. Habeamus fiduciam, quamvis peccatores simus, per ejus gratiam reconciliari posse; si tamen fructus dignos fecerimus pœnitentiæ, et fidem firmam usque in finem teneamus. Nunc vero sedet pontifex noster Jesus Filius in throno gratiæ; paratus est indulgere peccatis nostris in opportuno auxilio. Opportunum tempus est auxilii, et misericordiæ illius, sicut iste doctor egregius alio dixit loco : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 2). » Et propheta multo ante hoc idem auxilii opportuni tempus significans :« Tempore, inquit, opportuno exaudivi te, et in die salutis adjuvi te (*Isa.* XLIX, 8). » Et nunc post baptismum peccantes invenire misericordiam, si pœnitentiam egerint, gratiæ est illius qui sedit in throno gratiæ,

Quod vero pontifex factus est pro nobis, magnum est humilitatis indicium, quam ex nostra suscepit natura, non suæ substantiæ, quam habet æternaliter cum Patre : cui nos fidem cum fiducia bonitatis suæ afferamus hoc opportuno tempore, cum sedet in gratiæ throno, et omnia tribuit, quæ nobis ad salutem provenirent. Modo tempus est donorum ; nemo de se ipso desperet. Timeamus thronum æquitatis ejus, cum venerit judicare omnia secundum justitiam ; et tunc erit desperationis tempus, nunc nolentibus converti ad sedem gratiæ, cum thalamus erit clausus, tantumque cum sponso remanebunt, qui lucentes boni operis afferent lampades.

(Cap. V). « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum. » Vult ostendere jam beatus Paulus, quoniam multo melius est Testamentum hoc, quam Vetus ; quia nihil in hoc est imaginarium, ut puta, non templum corporale, non victimæ carnales, non observationes legales, sed altiora et perfectiora omnia ; quia totum quidquid est in spiritalibus, est hujus Testamenti ratio. Sed quia spiritalia non sic introducunt infirmos, sicut corporalia, de corporalibus enim incipiebat disputare, dicens : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. » Definit enim primum quid sit pontifex, et demonstrat quæ pertineant ad pontificem, et quod sit ejus ministerium, et quæ sint signa pontificatus, id est, « ut offerrat dona et sacrificia propitiationis, et ut condolere possit his qui ignorant et errant ; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. « Oportebat enim de excellentibus terrenis fidem facere, ut ad excellentiora spiritalia pervenire possent, ut ex consueto sacerdotum more, qui in lege fuit ad altius, id est, Christi sacerdotium eos perduceret, qui adhuc infirmi fuerunt, et propemodum carnales. Pontificis itaque officium est, inter Deum stare et populum, Deum deprecari pro populi delictis : hoc enim Christus fecit, seipsum offerens pro peccatis nostris, semper vivus ad interpellandum pro nobis, semel ex hominibus assumptus, sed semper pro hominibus interpellans. Ponit hic Apostolus quædam communia Christo cum sacerdotibus, quædam vero altiora. Quod itaque ait : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, » hoc commune est, « pro hominibus constituitur, » et hoc, « ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, » et hoc, sed non totum. Reliqua vero non sunt communia, « qui potest condolere his qui ignoranter peccant. » Hic jam excellentia est, de qua superius inpriori sententia latius disputavit, et ideo abjunxit : « Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. « Hoc vero ad sacerdotes legales magis pertinet, quam ad Christum, nisi forte quis dicat unum esse corpus Christi et Ecclesiæ, et dum offert pro Ecclesia, pro suis etiam membris offerat. Sed hæc violenta interpretatio videri poterit. Deinde disputare aggreditur quomodo quis ad sacerdotium accedere debeat, « ne quisquam ait, sumat sibi honorem sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. » Hic etiam percutit sacerdotes honoris cupidos et saeerdotii avidos, non pro salute populi, sed pro ambitione sæculi. Igitur Aaron vocatus est a Deo signo florentis virgæ, demonstratus est sacerdotem a Deo esse electum, etiam et incendio eorum, qui ejus pontificio invidere voluerunt.

« Sic et Christum non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum ; Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Hoc est, quod in Evangelio ipse ait : « Non enim a me ipso veni, sed ille me misit (*Joan.* VIII, 42). » Et iterum : « Si ego glorifico meipsum. gloria mea nihil est : est enim Pater, qui glorificat me (*Ibid.*, 54). » Notandum est quod glorificare, et honorificare, et clarificare, tria quidem verba, sed res una est quod, Græce dicitur, doxan (1406) ; sed interpretum varietate aliter, atque aliter positum in Latino. Quod in Evangelio dictum est, « glorifico, « hic Apostolus clarificationem nominat. Clarificatus est ergo Filius a Patre, quando super baptizatum vox Patris audita est de cœlis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III, 17 ; *Luc.* IIi, 22). » Quæ clarificatio quidem, sive glorificatio multo ante per Prophetam, Spiritu sancto inspirante, prædicta est : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II, 7). » Dominum significat Patrem. Attendamus autem quod posuit : « Dixit ad me Filius meus es tu ; » quod etiam ei dicturus erat post baptismum : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » Hoc itaque, ut Christum unam personam sentires, et unigenitum Filium Dei adjecit : « Ego hodie genui te. » Hoc jam nihil habet commune cum cæteris, qui filii dicuntur. qui sacerdotes appellantur, de quibus dictum est ; « Ego dixi : Dii estis et filii excelsi omnes (*Psal*, LXXXI, 6 ; *Joan.* X, 34) ; » sed totum est unigeniti Filii proprium.

« Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 4). » Ad quem dictum est hoc : Qui est secundum ordinem Melchisedech ? Nulli alii, nisi tantum pontifici nostro, id est, Christo. Omnes enim, qui tunc erant, sacerdotes quando hoc vaticinatum fuit, sub lege erant. Apostolus scribens ad Hebræos hanc interposuit disputationem. Nullum poterunt alium quemquam ostendere, nisi pontificem nostrum id est, Christum. Melchisedech, secundum legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundum cujusdam singularis sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo, et vinum, non brutorum animalium sanguinem : ad cujus ordinem sacerdotii Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus, ad quem hoc dictum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Omnes enim sub lege erant sacerdotes ; iste solus secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod natus est de utero virgi-

(1406) Verbo, δοξάζομαι *glorificor*, et, δόξα *gloria*.

nali ante luciferum, non secundum id quod natus est ex Patre Deus apud Patrem, coæternus gignenti, et substantialis, sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam quam pro nobis offerebat a nobis acceptam, id est, carnem et sanguinem suum : de qua victima ipse in Evangelio ait : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54). » Sed in ista carne, ac sanguine, nil cruentum, nil corruptibile mens liumana concipiat, sicut dicit Apostolus : « Qui enim corpus Domini indigne manducat, judicium sibi manducat (*I Cor.* XI, 29), » sed vivificatricem substantiam, atque salutarem in pane et vino, per quæ, si digne sumitur, nobis est peccatorum remissio et regni Dei possessio collata. Hujus ordinem sacrificii per mysticam similitudinem, Melchisedech justissimus rex instituit, quando Domino panis et vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron, non Melchisedech ; sed hoc manere potius institutum, quod toto orbe in sacramentorum erogatione celebratur. Sacerdos autem præcipue dicitur Christus, qui semel se pro nobis obtulit immolandum, sicut semel de Melchisedech in sancta legitur Scriptura, et ejus sacerdotio. In æternum vero cum dicitur, ipse significatur Dominus Christus, qui permanet in gloria sempiterna.

« Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset salvum illum a morte facere, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Quid vero in sacerdotio noster pontifex egisset, certius hic exprimit Apostolus, dicens : « Qui in diebus carnis suæ. » Dies quippe carnis Domini nostri Jesu Christi dies sunt, in quibus carnem assumpsit, in quibus tentatus est, passus est, in quibus preces supplicationesque ad eum qui posset salvum facere a morte offerebat. Totum vero quidquid egit Christus in carne, preces sunt et supplicationes pro peccatis humani generis. Sancta vero sanguinis ejus effusio clamor validus est, in quo exauditus est a Deo Patre, pro reverentia ejusdem passionis suæ quam sine peccato, nostræ salutis causa, perpessus est ; qui nullum habens peccatum, peccatum pro nobis factus est, id est, oblatio pro peccatis nostris. Hoc enim totum magna reverentia et perfectissima charitate peregit qui prior dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo acceptabilem, qui ideo exauditus a Deo, quia hostiam acceptabilem obtulit Deo, id est seipsum. Simile est itaque, quod hic dicitur, « qui preces supplicationesque ad eum qui posset salvum illum a morte facere, cum clamore valido et lacrymis offerens, » eo quod in Evangelio legitur eum dixisse : « Pater, si fieri potest, transfer a me calicem istum. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (*Matth.* XXVI, 39 ; *Marc.* XIV, 36 ; *Luc.* XXII, 42). » Quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum (*Joan.* V, 30). Voluntatem paternæ dispensationis præposuit voluntati carnis suæ, ut veram ostenderet in seipso humanitatis nostræ naturam. Beatus Paulus hic dicit preces eum et supplicationes fundere, non timore mortis, sed nostræ causa salutis. Unde et in alio loco etiam dicit sanguinem Christi melius clamasse pro nobis, quam sanguinem. Abel, qui ad accusandum fraternum scelus de terra clamat ad Patrem.

« Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech. » De similitudine pontificatus Melchisedech superius satis dictum arbitror. Nunc videamus quid vult intelligi Apostolus in eo quod ait : « Qui, cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. » Hanc obedientiam, quam hic didicisse Dei Filium dicit, hoc est voluntarie suscepisse, alio quoque loco ostendit, ubi ait : « Factus est obediens, » Patri, « usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus illum exaltavit (*Philip.* II, 8). » In eo quod ait, « et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ ; » consummatus, id est, perfectus : ostendit quantum lucrum sit ejus passionis, quæ omnibus credentibus sufficit ad salutem sempiternam. Igitur si obedientia Filii causa et salutis humanæ, quanta nobis necessitas est obedire Deo, ut digni inveniamur ejus salutis, quam nobis per Filium proprium donavit ?

« De quo grandis nobis sermo est, et interpretabilis ad dicendum : Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. » Causa enim reddit cur esset, quod de Filio incarnato instituit, difficile ad interpretandum, id est, quia illi imbecilles erant et fragili sensu ad intelligendum profunda Dei mysteria. Qui etiam pro tempore magistri debuerunt esse facti sunt quibus lacte opus est, non solido cibo. Difficultas interpretandi in illorum fuit tarditate, non in Apostolica sapientia, cui revelata sunt mysteria a sæculis abscondita, sicut in Epistola ad Ephesios plenissime demonstrat.

Deinde subjunxit : « Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sunt elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. » Ad eos itaque loquitur qui exercitatum sensum, per legem et prophetas de adventu Christi et gratia, quæ per eum credentibus allata est, habere debuerunt ; qui etiam magisterio aliis, per mysteria Dei quæ data sunt illis, poterant esse, si credidissent, Nunc autem tales facti sunt, sicut infantes, quibus prima elementa litterarum traduntur ad legendum. Dum illorum fuit fortes esse in fide, et alacres in scientia, solitum sapientiæ cibum ad percipiendum, qui est perfectorum, nunc autem facti sunt quibus est lacte opus. Lac enim humilem sermonem vocat, quo eos indiguisse testatur, qui etiam ad altiora mysteriorum Dei secreta ascendere non poterant. Exempli gratia, qui non potest intelligere quod in Evangelio ait :

« Verbum caro factum est (*Joan.* I,14),» quomodo potest ad altitudinem ejus sermonis pervenire, ubi ait : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum? » (*Ibid.*, 1.) «Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ ; parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. » Palatum enim sapores discernit ciborum ; anima vero variarum probat sermones doctrinarum, de quibus in sequentibus hujus Epistolæ dicit : « Doctrinis variis nolite abduci (*Hebr.*, XVI, 9). Sicut enim parvulus inter cibum et cibum discernere nescit, et sæpe noxiis sumens periclitatur, si non prohibetur a seniore, ita indoctus quisque, discretionem doctrinarum nesciens, facile decipitur et in via erroris periclitatur. Quod in lacte et in solido cibo, hoc in indocto et sapiente differt. Sicut lac parvulis congruit et solidus cibus ætate perfectis, ita indoctis humilis sermo et sapientibus arcanum Dei mysterium nosse convenit, qui exercitatos habere videntur sensus. Quomodo igitur poterunt sensus nostri exercitati esse? Utique ex usu et frequenti lectione sanctarum Scripturarum. Unde beatum virum Psalmista dicit esse, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte (*Psal.* I, 2).

(CAP. VI.) « Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem (1407) feramur. » Quapropter, id est, quia exercitatos sensus in lege Domini decet vos habere, intermittamus inchoationis Christi sermonem. Qui est sermo inchoationis Christi, nisi fidei initium ? Sicut enim eum, qui ad doctrinam litterarum adducitur, elementa primum oportet audire, sic et Christianus primo omnium fide catholica erudiri debet, quod est fundamentum salutis nostræ. Si autem opus habet de fide doceri, necdum fundamentum habet. Firmum enim oportet et fixum esse hoc fundamentum in corde Christiani, ut inde dignus fiat ad perfectionem aliarum transferri virtutum. Si autem quisquam verbum veritatis audivit et baptizatus est, et post annos aliquot de fide iterum audire opus habet, quia credere oportet eum de fide, et resurrectione et futuro sæculo, necdum fundamentum habet, rursum initium Christianitatis quærit. Quia enim fides fundamentum est, cætera vero, superædificationes, quod beatus Apostolus sequentibus verbis ostendit, dicendo : « Non rursum jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum. » Perfectum enim illum vocamus, qui cum fide vitam habet rectam. Si autem horum unum quodlibet deerit perfectus non erit. Si vero ambo desunt, merito parvulus dici potest ; et quasi infans litteris, sic etiam iste in fide iterum erudiendus est. Latenter autem legem infirmari vult et ad gratiam Christi suos vocare auditores. Qui autem ad virtutem iturus est, primum malitiam debet culparum abjicere, et opera mortis per pœnitentiam purgare et sic accedere ad Deum.

« Baptismatum doctrinarum, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum et judicii æterni. » Non enim sufficit pœnitentiæ mundos facere peccatores, nisi confestim baptizentur, sicut in Actibus apostolorum beatum Petrum populo respondisse legitur : « Pœnitentiam agite fratres, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini (*Act.* II, 38), » quia quod impossibile est operari hominem per se, hoc per Dei gratiam in baptismate accipere potest. Quid est namque baptismatum doctrina ? Non tanquam multorum baptismatum debet intelligi, sed unius, quia sicut una fides est, ita unum baptisma est (*Ephes.* IV, 5) : sed pro varietate accipientium, baptismatum dixit : Impositionis quoque manuum, per quam Spiritus sanctus accipi creditur : quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia Christi a pontificibus fieri solet. His igitur perfecte in Ecclesia perceptis, fides resurrectionis et judicii futuri habenda est. Vivere quippe sicut angeli, et nullo egere corum, quæ in ista vita sunt, hujus vitæ promissio nobis facta est per Spiritum sanctum. Fructus autem hujus est promissionis, ejusdem præsentia vitæ ; quæ duo, id est, fides et judicium, semel baptizato restant, non iterum baptizari. « Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. » In hac quippe fide baptismatis, resurrectionis et judicii futuri, vos, Deo permittente, pleniter instruemus.

Ne vero ullatenus quis secundum, vel tertium æstimaret post peccata posse fieri baptisma, mox subjungit, dicens : « Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. » Impossibile est, inquit, non difficile. Impossibile est, inquit, in desperatione eos misit, secundo baptizari posse quia impossibile est quod fieri non potest ; difficile vero, quod quamvis cum labore, fieri tamen potest. Semel, inquit, illuminati estis per gratiam sancti Spiritus, et gustastis donum cœleste, hoc est, remissionem peccatorum accepistis, et participes facti estis Spiritus sancti in distributione donorum Dei, quæ in Epistola prima, XII, 8-10, ad Corinthios idem beatus Paulus enumerat, et bonum gustatis verbum Dei. Hic doctrinam dicit evangelicam ; et virtutes venturi sæculi cognovistis. Quæ est virtus futuri sæculi, nisi resurrectio et vita beata quæ sanctis promittitur? Hæc omnia in doctrina fidei, in gratia Dei. per baptismum illuminati accepistis et cognovistis. Scitote certissime, si in peccata iterum cadetis, impossibile esse vos renovari iterum ad pœnitentiam. Ad pœnitentiam dixit, hoc est, per pœniten-

(1407) Vulg. *perfectiora*.

tiam. Quid ergo ? Exclusa est pœnitentia post baptismum ? Absit. Sed renovatio per sacri baptismatis lavacrum secunda vice fieri non poterit. Renovari dixit hoc est, novum fieri. Novum quippe facere hominem sacri baptismatis est, de quo Propheta ait : « Renovabitur sicut aquilæ juventus tua (*Psal.* CII, 5). » Cujus virtus, id est, baptismatis sacri, in cruce et sepultura Christi constat. Proinde subjunxit : « Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. « Hoc est, vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo : sicut alio ait loco : « Conformes enim facti sumus mortis ejus (*Rom.* VIII, 29). » Et iterum : « Consepulti enim estis ei per baptisma in mortem (*Col.* II, 12). » Sicut enim impossibile est secundo crucifigi Christum (hoc enim est ostentui eum habere), qui secundo se baptizari posse putat, secundo Christum crucifigi requirit, qui semel crucifixus est, et mortuus, et victor mortis resurrexit, atque cum triumpho gloriæ cœlos ascendit. Sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce, sic nos semel morimur in baptismate, non carne, sed peccato. Atque sicut ille mori non poterit, ita nec nos baptizari possumus, nisi fortassis lacrymis pœnitentiæ, non lavacri regeneratione. Ergo inquis, non est pœnitentia ? Est. Sed baptisma aliud non est. Pœnitentia vero est, et multam habet fortitudinem, etiam in eum qui peccatis valde dimersus est. Si voluerit, potest liberari ab onere peccatorum et periclitantem in tuto constituere, etiamsi ad ipsum fundum iniquitatis pervenerit. Et hoc ex multis manifestum est testimoniis. Nunquid enim qui cadit, non resurgit ? (*Psal.* XL, 9.) Aut qui avertitur, non revertetur ? (*Psal.* XIII, 7). Quale ergo est istud medicamentum pœnitentiæ, aut qualiter conficitur ? Primum exculpando propria peccata. Iniquitatem, inquit meam non celavi, et pronuntiabo adversus me iniquitatem Domino. et tu abstulisti impietatem cordis mei. Secundo, multa humilitate plangere peccata sua, fructusque dignos exinde facere pœnitentiæ : quatenus nullatenus in eadem iterum corruat peccata. Deinde multis eleemosynis redimere se incipiat, qui sæculi habet potestatem : sicut scriptum est : « Divitiæ viri, redemptio animæ illius sunt (*Prov.* XIII, 8). » Postremo opus est nulli irasci, neque malum pro malo reddere, omnibus dimittere peccantibus in se, dicente ipsa veritate : « Dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* VI, 37). »

« Terra enim sæpe venientem super se imbrem bibens, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur; accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas, et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. » Cum tremore autem audiamus sermones Dei. Non sunt hæ minæ Pauli, non sunt hominis verba ; Spiritus sancti sunt, Christi sunt loquentis in Paulo. Comparationem hic fecit de proficiente anima in doctrina Dei, et negligente salutem suam.

(1408) Græca vox : scil. exemplar.

Fructiferæ terræ cœlestibus imbribus irrigatæ adæquavit proficientem animam in floribus sanctorum germinum, dicens : « Terra enim sæpe venientem super se imbrem bibens. » Hic declarat quod hi, ad quos ei sermo fuit, susceperunt et combiberunt verbum cœlestis doctrinæ, et sæpius per legem, per prophetas perceperunt, et nec si prompti facti sunt germina fidei proferre. Adhuc addidit de bona terra, in quam cecidit semen verbi Dei. « Germinans, ait, herbam opportunam. » Nihil sic opportunum, sicut fides in Filio Dei, et vita optima. Hæc vero talis terra accipit benedictionem a Deo, ut ferat tricesimum, sexagesimum, etiam et centesimum fructum (*Matth.* XIII, 23). Et hoc notandum est quod omnis abundantia in frugibus terræ et in fructibus arborum, non aliter, nisi per Dei benedictionem, cultoribus ad voluntatem proficere poterit. Neque enim agricolarum fuit terram excitare ad fructus, sed imperium Dei sicut alibi idem Paulus ait : « Ego plantavi ; Apollo rigavit ; sed incrementum Deus dedit (*I Cor.* III, 6). » Hoc de anima florente in virtutibus, et Dei benedictione digne protulit exemplum. Moxque subjunxit aliud paradigma (14æ8) de ea, qui suam negligit salutem, dicens : « Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. » Quis namque est ab istis spinis mundus ? Ac si essemus mundi, neque sic præsumptuosos nos oporteret esse, sed timere et tremere, ne forte pullulent in nobis spinæ peccatorum. Quomodo anima, vel caro spinis plena superbire poterit ? Nunquid non majori sollicitudine exstirpare eos opus haberet ? Quæ sunt spinæ ? Audiamus Christum de spinis dicentem, quia cura sæculi hujus et deceptio divitiarum præfocant verbum, et infructuosum efficiunt (*Matth.* XIII, 29). Proferens, dixit spinas, non generans, maledictioni proxima est. O quantam habet consolationem hic sermo ! Maledictioni, inquit, proxima non maledicta Quia autem necdum in maledictionem incidit, sed proximitatem, et longe fieri poterit ; et nec solum consolatus est, sed etiam in eo quod sequitur. Non enim dixit : Reproba, et maledictioni proxima comburetur : sed quid ? « Cujus consummatio in combustionem. « Hæc combustio non erit, nisi quisque usque in finem permaneat in peccatis suis. Quia in quacunque die conversus fuerit peccator, « vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XVIII, 21). » Si vero abscindamus spinas, per pœnitentiam poterimus mille bonis perfrui, et fieri probabiles et benedictionis Dei participes. Postquam autem increpavit eos sufficienter, et terruit et percussit, curat eos iterum, ne desperatos faciat ; neque in omnibus adulatur, neque in omnibus percutit. Nec hoc dicimus veluti putantes vos spinis plenos, sed timentes ne tales efficiamini. Melius est enim verbis vos terrere, ne rebus ipsis doleatis.

« Confidimus autem, dilectissimi, de vobis me-

liora, et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. » Quia beatus Paulus non habuit unde eos, ad quos scripsit, de præsentibus laudaret, incipit eos de spe futura prædicare, dicens : Confidimus, fratres, de vobis meliora, et viciniora saluti, quamvis ita dicamus; quasi dixisset : Optima quæque de vobis confidimus, et quæ saluti vestræ proficiant ; non utique, quod superius dixi de reproba terra et combustioni proxima, de vobis hoc diximus, quia meliora de vobis credimus.

Adduxit quoque eis in memoriam præterita, ut ex præteritis eos alliceret ad bona quæque. Ideo subjunxit : « Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis, in nomine ipsius, qui ministratis sanctis, et ministratis. » Ecce quomodo recreavit animas eorum et confortavit, antiqua eis in mentem revocans : et fecit eos, ut non æstimarent oblivisci Deum, et præterita ejus beneficia in eos. Necesse est enim eum peccare, cui spes deerit futurorum. Deinde hortatur eos in omnibus sperare futura. Eum enim, qui desperat de præsentibus beneficiis Dei, quod a Deo non habeat, de futuris confortare quis poterit ? Simile quid Galatis v, 7, improperat, dicens : « Currebatis bene. Quisnam vos fascinavit ? » Atque iterum : « Tanta passi estis sine causa ? » (*Gal.* III, 4.) Ut tamen mitigaret eamdem sententiam, mox subjungit : « Si tamen sine causa. » Sic etiam hoc loco temperavit sententiam suam, dicens : Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, dum tantam charitatem ostendistis in sanctis. Volumus enim vos imitatores eorum esse, qui per fidem et patientiam hæreditati (1409) sunt promissiones.

Quare vero desiderium haberet de salute eorum, sequenti ostendit allegatione, dicens : « Cupimus enim unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini. » Desideramus vero, inquit, non tantum circa verba, sed etiam in virtutibus conversari, non quasi priora vestra culpantes, sed ut de futuris solliciti sitis admonentes, hoc est quales fuistis primum, tales vos cupimus et modo esse et in futurum. Et non dixit, volo, quod est auctoritatis doctrinæ; sed quod erat paternæ dilectionis. Hoc est, cupimus unumquemque vestrum eamdem, quam olim habuistis, sollicitudinem ad expletionem spei, id est, habere debetis in æternam resurrectionem. « Verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. » Hortatur enim auditores suos, ut fide non ficta et patientia perfecta exspectent promissiones Dei et hæreditates quas sanctis suis promisit.

Et hoc firmius exemplis corroborare nititur, dicens : « Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum, dicens : Benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est promissionem. » Mira sapientiæ beati Pauli. Per vices laudibus extollit eos, ad quos scribit ; per vices terroribus antecedentis historiæ terret eos, ne infideles essent, et minus creduli promissioni Dei ; per vices vero eorum exemplis hortatur ad patientiam et fidem, et ut indubitanter credant, non solum Deo dicenti, verum etiam juranti per semetipsum. Et dum ei multa suppeterent exempla sanctorum, qui per patientiam hæreditarunt promissiones Dei, præcipue fidelis Abraham, propter dignitatem personæ suæ, et propter quod maxime in eo istud contigerit, qui longanimiter ferens adeptus est in filiis promissiones non modo præteriti temporis, quæ in populo Dei impletæ sunt, sed magis etiam in futurum, promissiones in filios, quos bonitas Dei de lapidibus gentium suscitavit, et fecit eos in fide esse filios Abrahæ. Promissionem enim, dico, operata est longanimitas audientis, et exspectantis hæreditatem promissam, quam pusillanimes et increduli verbo Dei non fuerunt adepti, sicut plurima illorum in deserto periit multitudo. Quam impium est Deo juranti non credere ! Juravit enim Deus per semetipsum, quia neminem habuit majorem, per quem juraret. Potest hic persona, in hoc juramento, Dei Patris intelligi, qui de Filio suo eidem patriarchæ promisit, dicens : Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ (*Gen.* XXII, 18). » Non dicit « in seminibus, » ut beatus Paulus in alia demonstrat Epistola (*Gal.* III, 16) : sed, « in semine tuo, » hoc est, in Christo. Jurat enim et idem Christus in Evangelio, dicens : « Amen amen dico vobis ; » et ipse per semetipsum, quia nec ipse habuit majorem per quem juraret. « Benedicens benedicam te, » hoc in stellis cœli, per quas sancti designantur de ejus semine futuri, intelligi potest dictum. « Multiplicans multiplicabo te, » et hoc in arena maris, per quam peccatores populi illius designari possunt ; utraque enim Dominum dixisse legitur, ubi ait : « Et erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris (*Gen.* XXII, 17). »

« Homines enim per majorem suum jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. » Si igitur hominibus in futurum credendum est, de quibus dicitur per Prophetam : « Omnis homo mendax (*Psal.* CXV, 2) » : quanto magis Dei juramento credi debet, qui est veritas, qui nec falli, nec mentiri potest ? Homines per majorem sui jurant ; et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum, prout si diceret : Ex hoc solvitur totius controversiæ discepta tio, non uniuscujuslibet, sed totius. Oportebat quidem sine juramento credere Deo, sed jurare Deum dicit.

« In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus, immobilitatemque consilii sui. » Propterea etiam hujus promissionis mentionem facit, quæ ad nos communis facta est : « In

(1409) Ex sequent., et Ambrosiastri textu, legendum esset *hæreditaturi*.

terposuit jusjurandum, » quoniam enim apud homines hoc videtur fidele esse, cum juramentum interfuerit controversiis eorum. Non tamen æquale est hominem per se jurare, et Deum. Homo enim sui potestatem non habet ; Deus autem potestatem habet omnium quæ sunt. Sed quia incredulum est humanum genus, condescendit ad nos. Sicut enim jurat propter nos, quamvis indignum ei sit non credi, sic superius dictum est : « Et didicit ex his quæ passus est : » quoniam homines hoc putant maxime esse dignum fide, ut per experimentum qui transeat ad fidem.

« Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fertissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spém quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. » Duas res dicit, significans Dei Patris promissiones de Filio suo et adventum Filii in hunc mundum pro salute nostra. Proposita vero spes veritas est rerum gestarum, quæ patriarchis promissæ sunt, et redditæ, ut ex transactis futura credamus. Quam spem sicut anchoram, inquit, habeamus animæ tutam ac firmam. Sicut enim anchora jactata navim non permittit circumferri, licet venti commoveant eam, sed jactata firmam facit navim ; sic et fides spe roborata introducit nos in rerum speciem quam modo fide et spe tenemus.

Ideo addidit, dicens : « Et incedentem usque ad interiora velaminis. » Tempestas enim, et multus imber commovet ratem ; anchora autem non permittit eam demergi. Sic etiam nostra spes, quam habemus fixam in interiora velaminis, nulla infidelitate mergi poterit, si cum Propheta veraciter dicamus : « Jacta in Deum curam tuam, et ipse te enutriet (*Psal.* LIV, 23), » et non habentes, omnino demersi eramus, non tantum in spiritalibus, sed etiam in carnalibus, quia, « qui arat, » inquit Apostolus, « in spe arat ; et omnis labor noster spe mercedis cujuslibet consolatur (*I Cor.* IX. 10). » Spes vero penetrat interiora velaminis, dum cœlestia absque ulla dubitatione credit, et sperat et amat, operibus ostendit quid amet, et quid credat et quid speret.

Et ut firmiorem nobis spem adderet, subjunxit : « Ubi præcursor pro nobis introiit Jesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. » Præcursor autem quorumdam est præcursor, sicuti Joannes Christi. Non enim dixit simpliciter, « introiit, » sed, « ubi præcursor pro nobis introiit, » ubi absque dubio nos oporteat prosequi præcursorem nostrum. Præcursorem siquidem, et consequentem in eadem etiam via esse convenit. Hoc autem de eo, qui secundum carnem est, dicitur, qui semetipsum obtulit sacrificium Deo in odorem suavitatis. Pontifex factus est secundum ordinem Melchisedech. Oportet itaque et illos, quorum Pontifex est, meliores esse ; et quantum est inter Aaron et Christum, tantum est quodammodo inter Judæos et Christianos Superiora etiam et sacrificia. Talia videlicet offeramus, quæ in illo sanctuario cœlesti, offerri possunt non jam pecudes et boves, non sanguinem et adipem. Omnia hæc soluta sunt, et pro eis introductum est rationabile obsequium (*Rom.* XII, 1) Quod autem est rationabile obsequium ? etiam quod per animam, quod per spiritum offertur Deo. « Spiritus est, » inquit, « Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (*Joan.* IV, 24). » Quid est, Deum in spiritu adorare, nisi in charitate, et fide perfecta, et spe indubia et sanctis animæ virtutibus, quas Apostolus alio loco abundanter enumerat ?

(CAP. VII.) « Hic enim Melchisedech, » Melchi, *rex ;* sedech vero *justitiæ* interpretatur. Et quid aliud est, rex justitiæ, nisi Dominus noster Jesus Christus, de quo jam supra dictum est : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem (*Psal.* XLIV, 8). » Rex Salem. Et hoc vocabulum sortitus est ex civitate quam inhabitavit. Nam salem, hoc est *pacis*, quod iterum pertinet ad Christum. Ipse namque nos justos efficit ; ipse pacificavit quæ in cœlis, et quæ in terris sunt ; qui est pax nostra et fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). « Sacerdos Dei summi. » Sacerdos Dei summi esse dicitur Melchisedech ad distinctionem aliorum deorum, ut sacerdos Dei Creatoris, non idolorum esse crederetur. » Qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum. » Tradunt Hebræi hunc esse Sem filium Noe, et eo tempore, quo ortus est Abraham, habuisse ætatis annos trecentos nonaginta duos (1410), et eo tempore, quo mortuus Abraham, habuisse ætatis annos quingentos sexaginta quinque, et ita supervixisse Abraham annos quadraginta quinque, quibus expletis, facti sunt omnes dies vitæ ejus sexcenti. Nec esse mirum, si Melchisedech victori Abraham obviam processerit, et in refectionem, tam ipsius, quam pugnatorum ejus, panem vinumque obtulerit, et benedixerit ei, quod abnepoti suo jure paternitatis deberet, et decimaas prædæ atque victoriæ ab ipso acceperit. Sed de hoc ad litteram longius laborare necesse non est, quia in commentariis libri Geneseos, quos de spiritu et littera ante aliquot scripsi annos, sufficienter expositum est (1411). « Et benedixit ei. » Qui enim benedicit major est quam qui benedicitur. Unde et sacerdotes ex semine Abrahæ nati, fratres suos benedicebant, id est, filios Israel quibus isti decimas dabant, secundum legis mandatum vere ut majoribus et eminentioribus sibi.

« Cui decimas omnium divisit Abraham. » Nullo

(1410) Ambrosiaster *ducentos nonaginta*. Hic obiter observabimus hanc opinionem Melchisedech, scilicet eumdem esse ac Sem, multos etiam ex modernis fautores habere. Si plura desideres, adi dictionarium hist. bibl. P. Calmet ad vocab. *Melchisedech*, ubi omnes fere opiniones, earumque auctores hac in re invenies.

(1411) Asserit se in in librum Geneseos commentaria scripsisse. Utinam tanto potiremur thesauro.

modo enim dedisset Abraham alienigenæ Melchisedech sacerdoti incircumciso decimas, nisi ejus plurimus honor esset.

Deinde alteram differentiam introducit, dicens : « Sine patre, sine matre, sine genealogia. » In eo enim quod subito nomen ejus inducitur, et ex qua stirpe sit procreatus nequaquam ponitur, nec indicatur de initio vitæ ejus vel fine, nec ante, nec postmodum quidquam refertur, ideo adjungit : « Neque initium dierum, neque finem vitæ habens. » Quomodo nec initium dierum, neque finem habuit? Quomodo, nisi quia non narrat, sicut superius jam diximus, Scriptura ejus genealogiam? Sicut et Christus ipsa natura sine initio et fine est. Sicut enim istius nescimus neque initium dierum, neque finem vitæ, propter quod non est scriptum, ita nescimus Filii Dei initium, vel finem. Ipse est enim solus de Patre sine matre genitus per divinitatem ; ipse de Matre sine patre per humanitatem ; ipse quoque Sacerdos æternus, ad quem dicitur : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Assimilatus est autem Filio Dei. » Similitudo hoc in loco non pro æqualitate, sed pro figura posita est. Sicut enim in imaginibus, aliquid simile, aliquid dissimile ponitur ; similitudo est in positione colorum, et sic differentia manifesta monstratur, et quædam quidem similis, quædam autem dissimilis, ita umbra et veritas, figura et quod significatur. « Manet Sacerdos in perpetuum. » Hoc de Christo Domino, non de Melchisedech intelligi vult Apostolus : quia iste mortuus, et non fuit sacerdos in æternum ; figura tamen ejus vivit in Christo in perpetuum.

Unde et sequitur : « Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. » Quod vero patriarcha magnus Abraham decimas substantiæ suæ Melchisedech sacerdoti post benedictionem dedit, sciens qualiter melius sacerdotium futurum in populo gentium, quam Leviticum, quod in Israel de ipso erat nasciturum futurumque, ut sacerdotium Ecclesiæ habens præputium benediceret in Abraham circumciso sacerdotium Synagogæ. Et hoc apostolus Paulus Judæis, ad quos hanc Epistolam destinavit, inculcat et dicit : Aspicite, et intelligite quam magnus hic sacerdos Melchisedech est, qui figuram Christi gestabat ; cui tam magnus patriarcha Abraham decimas dedit de præcipuis, id est, de melioribus rebus quæ habebat.

« Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis, quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. » Tanta quippe est, inquit, sacerdotii excellentia, ut etiam qui similes essent progenitoribus, et eumdem haberent progenitorem, tamen multo amplius meliores esse judicati sunt, a quibus accipiunt. Et quamvis a fratribus suis sacerdotes de tribu Levi decimas sumant, tamen hic sacerdos de tribu Levi non erat, qui decimas ab Abraham sumpsit. Proinde nullo modo dedisset alienigenæ decimas, nisi ejus plurimus honor esset : « Cujus autem generatio non annumeratur in eis, » id est, in filiis Levi ; Melchisedech, ut superius ait, « sine matre, et sine genealogia » : significativo autem modo, Christi generatio per divinitatem non annumeratur, juxta illud : « Generationem ejus quis enarrabit? » Decimas sumpsit Abrahæ, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur (*Isai.* LIII, 8). His autem duobus modis Melchisedech sacerdotium toto Veteris Testamenti sacerdotio præcellit : primum, quia decimas ab Abraham omnium sacerdotum patre accipere meruit, et quia hunc, qui repromissiones acceperat, benedixit. Hoc modo in Veteri Testamento Christum apertius præfigurare non potuit, quam Melchisedech. Quod vero patriarcha magnus decimas omnis substantiæ suæ Melchisedech sacerdoti post benedictionem dedit, sciens spiritaliter, ut diximus, melius sacerdotium futurum in populo gentium, quam leviticum, quod in Israel de ipso erat nasciturum, futurumque, ut sacerdotium Ecclesiæ habens præputium benediceret in Abraham circumciso sacerdotium synagogæ.

« A meliore benedicetur, » id est, a majore. Benedictio abundantiæ est. Ideo autem nemo benedicere potest, nisi qui major est, et nemo benedici potest, nisi qui minor est. Vides quantum interest inter Abraham et Melchisedech, qui figuram gerebat Salvatoris nostri. Approbatur hic melior Melchisedech esse, quam Abraham, et sacerdotium ejus, quam levitarum. Approbatur Christus melior Melchisedech, et omnibus prophetis, sive patriarchis, vel omnibus sanctis. Isti sancti sicut homines, ille sicut Deus, et homo ; isti sicut filii adoptivi, ille ut proprius Filius. Et hanc differentiam per totum textum Epistolæ hujus disseminat, et jaculatur, volens demonstrare quantum intersit inter Christum, et patriarchas, vel prophetas. Et propter hoc assumpsit Melchisedech, quia, sicut jam diximus, plus apertius, et manifestius gerebat figuram Salvatoris nostri, et ut ipse approbat, « sine ulla contradictione, quod minus est, » Abraham, « a meliore benedicetur, » id est, Melchisedech. Abraham quippe decimas dedit, quod pertinet ad sacerdotem Melchisedech. Melchisedech iterum benedicit, quod est melioris excellentiæ.

Istud scribens Apostolus, et examinans, fortiter condemnavit, et exclusit Judaicas rationes. Propterea dicebat : « Quia imbecilles facti estis (*Hebr.* v, 11) ; » quia hoc evertere volebat, ne gloriarentur in eis. Talis est enim sapientia Pauli apostoli. Perstrepit primum, et tunc ingreditur ad ea, quæ vult ostendere, et dicit : « Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt. » Morientes homines, id est, filios Aaron sacerdotes de tribu Levi dicit, quia mortales erant, « ibi autem contestatur, quia vivit. » Ibi, id est, in loco, quo dicitur, sacerdotio Melchisedech contestatur, quia vivit, dum dixit : « Tu es sacerdos in æternum, » etc. « Et (ut ita di-

otum sit) per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est. » Decimas accepit, id est, Levi de fratribus suis « decimatus est, » hoc est, « in lumbis Abrahæ, » quia Abraham Melchisedech decimas dedit. « Adhuc enim in lumbis patris erat, cum obviavit ei Melchisedech. » Quomodo in lumbis adhuc erat, cum ei obviavit Melchisedech ? Hoc est, in eo erat Levi, quanquam natus non esset.

(1412) « Si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit). » Hic jam incipit differentiam ostendere inter legem et legem, et sacerdotium et sacerdotium, hoc est, legem Moysi, et legem Evangelii, et sacerdotium Aaron, et sacerdotium Christi. Astruit, siquidem omnia, quæ ille populus acceperat, significativo modo data sunt. Siquidem et tabernaculum, et sacrificia, et cætera alia omnia Apostolus figuraliter in hujus textu Epistolæ intelligit. Quod vero dicit : « Populus sub ipso legem accepit, » id est, sub suis nepotibus Moyse, et Aaron, qui in quarta generatione futuri erant. « Quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici ? »

« Translato enim sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat. » Translatum sacerdotium dicit, id est, Levi et Aaron ad Christum ; hoc est, exclusit sacerdotium Aaron : nequaquam enim secundum ordinem Melchisedech diceret surgere nobis sacerdotem, si illud sacerdotium melius esset. Si igitur sacerdotium introduci illud oportet, necesse est, ut et legis translatio fiat. Neque enim potest sacerdos sine testamento esse, et sine lege, et sine præceptis. Translatum est sacerdotium ; ergo et lex translata est.

« In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit. Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster : in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. » In quo enim hæc dicuntur, id est, in Christo translata et lex, sicut jam dixit, translatam dicit esse et tribum. Oportebat quippe ut etiam tribus mutaretur. Et quomodo translatum est sacerdotium ? Ex tribu ad tribum, de sacerdotali ad regalem, ut eadem ipsa sit et regalis, et sacerdotalis. Et intuere mysterium. Primo fuit regalis ; postea facta est sacerdotalis. Sic etiam Christus et rex erat semper ; sacerdos autem factus est, quando carnem suscepit, sine aliqua etiam sacerdotali genealogia, homo exstitit ex hominibus ; utpote non ex tribu Levi, sed ex tribu Juda ortus, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit : utique propter mysterium sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, ut non secundum Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis, et vini, id est, corporis et sanguinis ejus sacramentum in sacrificium offeramus.

« Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exsurget alius sacerdos. » Et amplius adhuc, hoc est, non solum de alia tribu, sed excellentioris honoris, et secundum ordinem Melchisedech manifeste exsurget, facta sacerdotii comparatione, Melchisedech esse meliorem, quam Levi, qui in imaginem pontificatus, quem in æternum suscepturus erat Christus, ante præcessit. « Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. » Factus est, inquit, sacerdos Christus, non secundum legem præcepti carnalis. Lex quippe ex multa parte carnalis erat. Quid est, « præcepti carnalis ? » Circumcidite, inquit, carnem ; lava carnem ; munda carnem. Promissiones erant, multum vivere, lac et mel, pax. Ex hac lege sacerdotium suscepit Aaron. Christus, inquit, secundum virtutem vitæ insolubilis. Secundum virtutem dicit, non secundum legem. In lege enim infirmitas fuit Veteris Testamenti, quia umbra erat, et ideo in ea virtus stare non potuit. Hæc autem vita insolubilis est, quia non figura, sed veritas est. Et ideo in Evangelio non infirmitas, sed virtus esse constat, et insolubilitas secundum virtutem.

« Contestatur enim : Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. » In hoc ordine Melchisedech Christus sacerdos in æternum nuncupatur, quia ille carnales victimas non offerebat, nisi panem et vinum : sic et Christus oblationem panis et vini offerens Deo Patri, id est, corpus et sanguinem suum : quam oblationem quotidie offerimus super altare, et sumimus.

« Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. » Reprobatio illa est, de qua Isaias dicit : « Ne offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominabile est mihi. Neomeniam, et Sabbatum, et festivitates alias non feram ; iniqui sunt cætus vestri : Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea (*Isai.* I, 13). » Hic contendunt aliqui, quod dixit : « Propter infirmitatem ejus : » nam et alibi ostendit infirmitatem ejus, cum dicit : « In quo infirmabatur per carnem (*Rom.* VIII, 3) : » non ergo ipsa infirmata est, sed nihil perfecit lex ; quia nec obedientem perfectum facere poterat : sed nec peccatum tollere, nec mortem vincere prævalebat. Sed quare implere non possit, in quo infirmabatur per carnem : jubendo enim infirmum, et non adjuvando, infirmatur ; quia per carnem, id est, per concupiscentias carnis ex peccato venientes, quas solo libero arbitrio homo vincere non potest, nisi cum præcedente gratia, legis factor esse non poterit (1413).

(1412) Hic initio hujus lineæ legitur, *lectio septima*, cum tamen nullibi aliæ sex adnotatæ sint.

(1413) Jungenda hæc, quæ de gratia et libero arbitrio dicuntur, his quæ sæpius de iisdem in expositione Epistolæ ad Romanos.

Et hoc est,quod idem Apostolus subjungens,ait ; « Lex enim,» dicit,« nihil ad perfectum adduxit. » Subauditur, perfectio in Christo consummata est, Potest quidem et aliter intelligi,quomodo dicit legem infirmam esse,neminem ad perfectum adduxisse, dum dilectio Dei et proximi ibi mandatur, juxta quod in Evangelio legimus Dominum respondisse ad legisperitos : « Mandatum primum est Diliges Dominum Deum tuum. Secundum autem simile huic ; Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet, et prophetæ (*Matth.* XXII, 37 ; *Marc.* XII. 29).» Si enim continentur hic omnia quomodo perfectio ibi non erat ? Quia dilectio inimicorum in ea constituta non inveniebatur. Unde Dominus dicit : Non veni solvere legem, sed adimplere (*Matth.* v, 17), » Et in subsequentibus : « Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui vos oderunt (*Ibid.*, 44). » Et ideo perfectio non in ea, sed in Novo Testamento reperitur.

Introductio vero melioris spei, per quam proximanus ad Deum. » Habebant quippe et illi spem, sed non talem. Sperabant enim promissione carnales ; id est beneplacentes possidere terram, nihil mali pati : hic autem speramus, quia placentes Christo, non terram possidebimus, sed cœlum. Magis autem est, ut vitam percipiamus illam, quam juxta illius Pauli vocem : « Nec oculus vidit, nec auris audivit,nec in cor hominis ascendit,quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9), » magis Deo consistere, ad ipsum paternum solium pervenire, ministrare cum angelis.

« Et quantum est, non sine jurejurando. » Et quantum est, istud sacerdotium Christi' sive introductio,vel spes nostra.non sine jurejurando ? Illud vero sacerdotium, vel illa omnia, quæ ante præcesserunt, promissa sunt ; istud vero sacerdotium cum juramento magnum sacerdotium manet in æternum : Dum vero Scriptur testatur, verbo Dei manente, cœlum et terra transire (*Matth.* XXIV, 35 ; quanto magis, dum juramentum addit ?

« Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt : » et ideo sacerdotium eorum non in perpetuum manet.Sicut enim multi sacerdotes sunt, qui mortales sunt, sic unus est immortalis.Per Christi enim sccerdotium spes melior inventa est.

« Hic autem cum jurejurando per eum,qui dixit ad illum : Juravit Dominus et non pœnitebit eum ; tu es sacerdos in æternum. » Hoc dicens, ostendit sacerdotium Christi in æternum manere. Et ideo dicit,cum jurejurendo,ut facilius humanitas nostra credere possit quæ dicuntur.Quæritur quomodo dicit : « Juravit Dominus,et non pœnitebit eum », dum alibi dicit : « Pœnitet me hominem fecisse in terra (*Gen.* VI,7) : » et : « Pœnitet me Saul elegisse in regem.?» (*I Reg.*XV,11.)Non quod Deum aliquid pœniteat, sed illos fecit pœnitere,qui mandata ejus non implent; sicut illi pœnituerunt,qui Noe in diluvio non audierunt. Vel non pœnitebit, » id est,non mutabit

« In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus ; » quia sacerdotium ejus perpetuum manet, et ipse interpellat pro nobis.

« Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes ; idcirco quod morte prohiberentur permanere. » Hic ostendit non sacerdotium secundum ordinem Levi manere. Quomodo enim salvat,qui non semper vivit ? Ad tempus siquidem illud,in quo vitam agebat, orabat pro eis,sicut multos legimus fecisse,sicut de Samuel. Postea vero siquidem moriebantur.

« Hic autem eo quod maneat in æternum,sempiternum habet sacerdotium.Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum ; semper vivens ad interpellandum pro eis.» Hic autem non ita,sed salvat in perpetuum : Christi enim sacerdotium perpetuum est, salutem humani generis dans ; ideo salvare in perpetuum potest,dum ipse æternus est.Sed tamen « accedentes, » non recedentes, « per ipsum ad Deum ; » id est, nemo venit ad Patrem,nisi per me.« Ad interpellandum,» non ad judicandum,« pro eis ; » id est, pro illis qui accedunt, interpellat, siquidem non voce,sed præsentia.

« Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus. innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus. » Talis enim decebat. Non per hoc nostram sanctitatem commendat, sed nimiam iniquitatem, quam nemo potuit curare, nisi ille. Laus enim est medici, gravis infirmitas sanati. « Sanctus. » interiore homine.«innocens » manibus, « impollutus » corpore ; quia sine ulla contrarietate peccati, et absque semine viri : « segregatus a peccatoribus, id est, a consensione peccati ; quia peccatum non habuit, nec inventus est dolus in ore ipsius : « excelsior cœlis factus ; » quia super omnes cœlos ascendit, super omnem creaturam præsidet, regendo, et sustinendo, gubernando, et dominando.

« Qui non habet quotidie necessitatem,quemadmodum sacerdotes,prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. » Sacerdotes quippe Veteris Testamenti,propter facinora sua necesse habebant offerre hostias.Primum enim pro semetipsis,deinde pro populo offerebant (*Levit.*XVI,6) ; hic vero semetipsum hostiam fecit pro nostris delictis : « Hoc fecit semel offerendo, » non quotidie, quemadmodum sacerdotes supradicti faciebant, sed semel ut cruce positus pro delicto populi se hostiam obtulit Patri.

« Lex enim homines constituit infirmitatem habentes : sermo autem jurisjurandi,qui potest legem est, Filium in æternum perfectum » Ac si diceret : Quandiu enim de hominibus sacerdote eligebantur sine infirmitate esse non potuerunt, id est, sine peccato ; nam peccatores, et transgressores erant, quia « nihil ad perfectum adduxit lex.Sermo » quippe, de quo dixit, de Christo intelligendus est ; unde dicit Propheta : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum ; tu es sacerdos in æternum (*Psal.* CIX, 4),» « Post legem » quippe, id est, post dationem legis ;

« Filium autem in æternum perfectum ; » non nunc solum sine peccato,sed semper : nunquam peccavit ille in sacerdotium electus : sine peccato fuit quia peccatum non habuit,nec inventus est dolus in ore ejus (*Psal.* xxxi, 2).

(Cap. VIII.) « Capitulum autem super ea quæ dicuntur.Talem habemus Pontificem.» Capitulum diminutivum est : accipite dictum ; id est, de capite recapitulandum est, quæ supra diximus. Talem, inquit, habemus pontificem, qualem scilicet illum supra ostendit hoc est secumdum ordinem Melchisedech : « qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et taberculi veri, quod fixit Deus, et non homo. » In dextere lgitur sedere, quod dicit, prosperitas æternæ vitæ intelligitur : « sanctorum minister, » unde ipse Dominus dicit : « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx, 23). » Tabernaculum hoc in loco, cœlum dicit, quod fixit Deus, ut scriptum est : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* i,, 1). » Et ideo verum tabernaculum, quia Dominus illud fixit, et non figuraliter, sicut illud. quod Moysi manibus operatum est ; et ideo dicitur *veri* quia figura non fuit.

« Omnis enim pontifex ad offeranda munera et hostias constituitur. » De sacerdotio levitico dicit, quia hostias carnales pro suis et populi delictis offerebant.

« Unde necesse est et hunc habere aliquid,quod offerat. » Unde necesse est Christum habere aliquid, quod offerat, hoc est, corpus suum, et sanguinem per membra sua offerendo quotidie,in quibus, ut sit sacerdos nobis necesse est.

« Si ergo esset super terram,nec esset sacerdos ; cum essent qui offerrent secundum legem munera. » Si Dominus carnaliter et visibiliter hic in terra modo habitaret, necesse esset carnaliter secundum legem sacerdotes esse. Non autem poterant auferri significantia sacrificia,priusquam illud sacrificium Sanctum sanctorum, quod corpus ejus est, fuisset oblatum. Nondum enim obtulerat in passione holocaustum suum. Non autem oportebat umbram auferri, priusquam illud, quod significabatur, confirmatum esset contestatione apostolorum prædicantium et fide credentium populorum.

«Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundum quod tibi ostensum est in monte (*Exod.* xxv, 40). » Omnia siquidem, sive sacerdotium, sive tabernaculum, sive sacrificia, umbræ fuerunt, et exemplaria : cœlestium figuram ostendebant, cœletium quippe deserviunt (1414) ; id est, Novi Testamenti opera, quæ Ecclesiæ cœlestia nuncupantur opera, quia ex ea cœlestia promerentur. Ad exemplum quippe tabernaculi Ecclesia constructa est, quia sicut tabernaculum in eremo institutum est ; ita Ecclesia, in hujus vitæ eremo est constituta,de qua Psalmista ait : « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum (*Psal.* xxvi, 3).» Variis igitur speciebus instruitur tabernaculum,partim pretiosis, partim vilioribus : per quod demonstratur alios sanctos, alios esse peccatores in Ecclesia, fideles autem omnes, et intra corpus Ecclesiæ constitutos.

« Nunc autem melius sortitus est ministerium » quanto et melioris testamenti mediator est,quod in melioribus repromissionibus sanitum est. » Melius ministarium sortitus est Christus, quod Moyses ministrabat. Vides, inquit, quanto melior hæc illa celebratione ; siquidem illud exemplar, et forma, ista vero veritas. Tanto, inquit,melioris testamenti mediator quanto melius sortitus est ministerium, testamenti novi,ubi peccata,nostra remittuntur, et vita æterna prômittitur. Melius, quia in lege veteri requiescebant,sed ad tempus, et peccata non remittebantur ; sed ut auditores plus lætificaret ,dicit : « Quod in melioribus repromissionibus sanitum (1115) est. » Unde hoc certum est ex illis; quoniam illud quidem exclusum est, istud autem pro illo introductum est. Propterea enim eminet, quia melius est, « Sanctum est, » inquit ; hoc est, sanctius illo testamento, et melior illa repromissio quæ vitam æternam promittit quam quæ bona terrena promittit.

« Nam si aliud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. » Si lex veteris testamenti culpas nostras sanasset,non secunda lex requireretur, sicut hic dicit propheta :

« Vituperans enim eos, dicit : Ecce dies veniunt, dicit Dominus,et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum (*Jer.* xxxi, 31). » Propter veteris enim hominis noxam, quæ per litteram jubentem, et minantem minime sanabatur,dicitur illud testamentum vetus : hoc autem novum propter novitatem spiritus, quæ hominem novum sanat a vitio vetustatis.

Denique attende quod sequitur : « Non secundum testamentum, quod pepigi cum patribus eorum, (*Jer.* xxxiv, 13.) » Quia illud vetus erat, hoc novum est. Quomodo igitur illud vetus, hoc novum, cum lex eadem impleatur per testamentum novum,quæ dixit in Veteri : « Non concupices (*Exod.* xx, 17 ; *Deut.* v, 27), » nisi quia quod ibi prohibuit, hic implevit?

« In die, qua apprehendi manum illorum,ut educerem illos de terra Ægypti. » Definivit quippe tempus, quod testamentum dicat. Non enim dixit, testamentum, quod feci patribus eorum, ne forte illud, quod ad Abraham aut Noe factum est,ipsum esse æstimarent. Ideo intulit : « In die qua apprehendi manum illorum, ut educerem illos de terra Ægypti. » Ergo illud vetus erat, quia hoc novum est. Unde igitur illud vetus, hoc novum, cum lex eadem impleatur per testamentum novum,quæ dixit in Veteri : « Non concupisces ? Quia ipsi, » inquit,

(1414) Scilicet *umbræ*.

(1415) Vulg.*sancitum* ; Ambrosiaster *sanctificatum*

« non perseveraverunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. » Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per litteram jubentem et minantem minime sanabatur, dicitur illud testamentum vetus ; hoc autem novum, propter novitatem spiritus, quæ hominem novum sanat a vitio vetustatis. Sic enim cœlum novum dicitur, cum idem ipsum debet permanere ; sed propter quod in aliquo debet excludi, in aliquo permanere, ideo dicitur novum. Ac si diceret : perfectionem faciam, ubi non figura, sed ipsa veritas ostenditur. Manum, quod dicitur, apprehenderc, potestatem suam, et illorum adjutorium demonstrat. « Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Neglexi eos, quod dicit, ac si dicat : Reliqui eos secundum desideria cordis eorum.

« Quia hoc testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : dando leges meas in mente eorum, et in corde eorum superscribam eas. Leges enim suas scribet in cordibus eorum, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Nam quia veteris testamenti promissa terrena sunt, licet, exceptis sacramentis, quæ umbra erant futurorum, sicut est circumcisio, et Sabbatum, et aliæ dierum observationes, et quarumdam escarum, cæremoniæ, et multiplex sacrificiorum, sacrorumque ritus, quæ vetustati, carnali legi, jugoque servili congruebant, talia quippe contineat præcepta justitiæ, qualia nunc quoque observare præcipimus, quæ maxime duabus illis tabulis, sine figura adumbratæ significationis, expressa sunt, sicuti est « Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, » et si quidem est aliud mandatum, qued in hoc sermone recapitulatur : Diliges proximum tuum tanquam teipsum, tamen qui in eo, dixi, promissa terrena et temporalia recitantur, quæ bona sunt hujus corruptibilis carnis, quamvis eis sempiterna atque cœlestia, ad novum scilicet testamentum pertinentia, figurarentur : nunc ipsius cordis bonum promittitur, spiritus bonus mentis, hoc est, intelligibile bonum, cum dicitur : « Dans leges meas in mente eorum, et in cordibus eorum scribam eas. » Unde significavit eos non forinsecus habere, sed ipsam legis justitiam dilecturos.

Deinde addidit et mercedem. « Et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. » Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius ? Vivere Deo, vivere de Deo, apud quem est fons vitæ et in cujus lumine videbimus lucem ! De hac vita dicit ipse Dominus : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum (*Joan.* XVII, 3). » Hoc enim et ipse promittit dilectoribus suis, dicens : « Qui diligit me, mandata mea custodit ; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi (*Joan.* XIV, 21) : » utique in forma Dei, in qua æqualis est Patri, non in forma servi, in qua se et impiis ostendebat. Tunc enim fiet quod scriptum est : Tollatur impius, et non videat gloriam Domini (*Isai.* XVIII 26), quoniam ibunt sinistri in ignem æternum ; justi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV, 46). Quæ vita æterna, sicut commemoravi, definita est ea esse, ut cognoscant unum verum Deum. Hinc dicit et Joannes : Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). « Hæc similitudo nunc incipit reformari, quandiu homo interius renovatur de die in diem, secundum imaginem ejus qui creavit eum. Sed ad illius eminentiæ perfectionem, quæ tunc futura est, quid hoc, aut quantum est ? Siquidem Apostolus ad illa ineffabilia, qualecunque adhibens de notis rebus exemulum, parvulam ætatem virili comparavit ætati : cum essem, inquit, parvulus, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus cogitabam ; cum autem factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui (*I Cor.* XIII, 11). Cur autem hoc dixerit, consequenter ostendens, « videmus, inquit, nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte : tunc autem cognoscam, sicut cognitus sum (*Ibid.* 12) : » proinde etiam per hunc prophetam, cujus testimonium pertractamus, hoc additur, ut in eo merces, in eo finis, in eo perfectio felicitatis, in eo beatæ æternæque vitæ summa consistat. Cum enim dixisset : « Et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi populus, continuo addidit : « Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum. » Nunc certe jam tempus est testamenti novi, cui est facta promissio per hæc verba, quæ ex illa prophetia commemoravimus. Cur hoc adhuc dicit, unusquisque proximo suo et fratri suo : « Cognosce Dominum ? » An forte non dicitur, cum Evangelium prædicatur, et ejus ipsa fit prædicatio, ut hoc ubique dicatur ? Nam unde se Apostolus gentium dicit esse doctorem, nisi quia hoc fit, quod ipse ait : » Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt ? Aut quomodo credent, quem non audierunt ? Quomodo audient sine prædicante (*Rom.* X, 14) ? » Cum ergo nunc ista prædicatio usquequaque crebrescat, quomodo tempus est testamenti novi, de quo propheta dixit : « Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me a minore usque ad majorem eorum : » nisi quia ejusdem testamenti novi æternam mercedem, id est ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo conjunxit ? Quid ergo est, omnes a minore usque ad majorem eorum, nisi omnes pertinentes spiritaliter ad domum Israel, et ad domum Juda, hoc est, ad filios Isaac, ad semen Abrahæ ? Ipsa est enim promissio, de qua ei dictum est : « In Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI, 12). » Non enim qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen. « Quoniam omnes scient a minore usque ad majorem eorum. » Omnis Israel,

et domus Juda ; neque enim omnes, qui ex Israel, hi sunt Israel, sed omnes, quibus dicitur in psalmo: « Pro susceptione matutina (*Psal.* XXI, 1), » hoc est, pro luce nova testamenti, scilicet novi, « universum semen Jacob magnificate eum, timeat eum omne semen Israel (*Psal.* XXIV, 25). » Universum semen prorsus. Non omne semen, semen promissorum atque vocatorum, « sed eorum qui secundum propositum vocati sunt. » Quos enim prædestinavit, illos et vocavit ; quos autem vocavit, illos et justificabit; quos autem justificavit, illos et glorificabit (*Rom.* VIII, 28, 29). » Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei tantum quod ex lege est, id est, quod ex veteri testamento venit ad novum, sed ei, quod ex fide est, non sibi promissa lege : ex fide autem Abraham, id est, imitatores filii Abraham, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est : « qui patrem multarum gentium posui te (*Gen.* XVII, 5). » Omnes ergo hi prædestinati, vocati, justificati, glorificati, cognoscent Dominum gratia testamenti novi, a minore usque ad majorem eorum.

« Quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum illorum jam non memorabor. » Iniquitates eorum, quod dicit, propitiari modo in novo testamento, et peccata illorum jam non memoravi, diest, de idololatria, quod ante coluerunt et deos alienos adoraverunt.

« Dicendo autem novum, antiquavit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.» In eo quod dixit novum, vetustum ostendit primum. Vide quomodo honoravit legem, et noluit eam dicere vetustam nominatim. Verumtamen hoc dixit: Si enim illud in novum esset, nequaquam etiam istud testamentum postea novum vocaret.

(CAP. IX.) » Habuit quidem et prius justificationes culturæ et sanctum sæculare. » Ostendit et sacerdotium et testamentum, quia finem habiturum erat illud, et ipsum tabernaculum et sancta sanctorum, Omnia siquidem figurata esse demonstrat. Priora fuerunt judicia(1416) temporis, ubi per hostias omnia faciebant. Quid ergo habuit? Habuit quidem primum. Quid est testamentum? Scilicet justificationes culturæ. Quid sunt justificationes? Significationes, quæ tunc erant, quæ nunc, inquit, non habentur. Ostendit illud cessasse. Sanctum sæculare dicit, quoniam omnibus licebat intrare; et manifestus erat ille locus in illo tabernaculo, ubi sacerdotes stabant, ubi Judæi, ubi proselyti, et gentiles, et Nazaræi, quoniam ergo et gentibus accessibile erat, sæculare illud appellat.

« Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa et propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte, auro ; in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti, super quæ etiam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. » Hæc signa erant mundi. Omnia enim venerabilia erant et clara magnitudinis indicia, et munimenta (1417), et tabulæ, inquit, testamenti ; fregerat quippe eas ; et manna : murmuraverunt enim, et ut deduceretur ad posteros memoria, imperavit illud in urna aurea servari. Et virga Aaron, inquit, quæ floruerat. Multifaria quippe Christi Ecclesiæ Moyses typice sacramenta monstrabat ; quæ tamen non aperte populo, quem erudiebat, proferre valebat ; sed potius per figuram et opus candelabri ac vasorum ejus signabat, donec veniret ipse Dominus ac Redemptor noster in carne, qui interiorem ejusdem figuræ sensum Ecclesiæ, data sancti Spiritus gratia, reseraret ; ut et moriendo in cruce velum templi scinderet, atque ea, quæ tecta fuerant, arcana sanctorum patefaceret, et post resurrectionem discipulis apparens, aperiret illis sensum, ut et hæc, et alia Scripturarum secreta spiritaliter revelatis oculis mentis, conspicere possent. Tabernaculum quippe figurabat Ecclesiam Dei, de qua Psalmista ait : « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum (*Psal.* XXVI, 5). » Candelabrum, tabernaculum, sicut et mensa, universalem præsentis temporis Ecclesiam designat. Ideo namque sunt ante velum coram arca testamenti posita, quia necdum ad visionem in cœlis sui Redemptoris meruit intromitti. Sic mensa, est, qua his, qui esuriunt et sitiunt justitiam, victum quotidie cœlestem, ne in tentationibus deficiant, impendit. Quæ mensa, id est Scriptura sacra, de lignis Setim facta perhibetur (*Exod.* XXV, 23) ; id est, de fortibus sanctorum Patrum verbis, actibusque compacta, ad cujus unitatem ex toto orbe vocibus apostolicis Dei populus congregatur. Candelabrum est prædicatio sancta, quia lucem errantibus ostendit. Mensa pariter et candelabrum est, quia sanctis edocta litteris, et animam esurientem satiare bonis et sedentibus in tenebris atque umbra mortis lucernam verbi subministrare didicit ; cui lucernæ dum sese humiliter aubjecit, ad agenda videlicet quæ Dei sermone præcipiuntur, a suis se voluptatibus cohibens, ad speranda ac diligende quæ promisit a visibilibus se gaudiis sustollens, quasi candelabrum ejus efficitur, quia suis per omnia voluntatibus imperium cœleste præponit seseque humilians, claritatem verbi Dei omnibus, et prædicando et faciendo præmonstrat. Proposito panum corpus Domini, quod in ministerio quotidie accipiendum est. Tabernaculum primum, sicut diximus, statum sanctæ universalis Ecclesiæ designat, quæ partim jam cum Domino regnat in cœlis, partim adhuc vita decedentibus ac succedentibus sibi membris suis peregrinatur a Domino. Secundum tabernaculum, cœlestem Jerusalem possumus intelligere. Dicit autem sancta sanctorum

(1416) Fortasse *indicia*.

(1417) Fortasse *monumenta*.

esse cœlum (*Hebr.* XII, 24), et velamentum cœlum, et carnem intrantem in interiora velaminis (*Hebr.* VI, 19), hoc est velamentum carnis ejus (*Hebr.* X, 20). Aureum thuribulum, idem ipse Christus est. Arca testamenti non incongrue ipsam Domini est Salvatoris nostri incarnationem designat, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Circumtecta ex omni parte auro mundissimo, quia assumpta a Filio Dei humana natura, et intus virtute sancti Spiritus plena erat, et foris hominibus aperte sancti Spiritus opera præmonstrabat. Urnam quoque auream, hoc est, carnem intelligimus Christi puram atque sinceram, quæ reconditum in se manna perpetuæ divinitatis conservat, et angelici illius panis perennem cœlestem gerit dulcedinem. Necnon etiam virgam Aaron, id est, ejusdem summi verique pontificis, non nisi Domini nostri Jesu Christi salutare vexillum, et immortalis memoriæ semper viriditatem frondentem. Tabulæ quoque lapideæ non incongrue duplicis testamenti perpetuam firmitatem designant. Propitiatorium quippe non aliud quam Dominum Salvatorem, scilicet specialius in eo viscera pietatis designat ; de quo dicit Apostolus : « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius (*Rom.* III, 25). » Nam et ideo desuper posuit, quia superexaltatur misericordia judicio : unde et Psalmista : « Suavis, inquit, Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV, 9). » Cujus a dextris, et a sinistris duo cherubim consistunt, quod est plenitudo scientiæ, id est, dilectio Dei et proximi ; per quod Dominus ostenditur. Nemo enim potest pervenire ad Dominum, nisi per charitatem. Plenitudo enim legis dilectio est. Alii eadem duo cherubim, duo intelligunt testamenta, quæ propitiatorium Dei, id est, Christi sacramenta obumbrant, testante propheta : « In medio duorum animalium cognosceris (*Isai.* I 3). »

« De quibus non est modo dicendum per singula ; » fortassis, quia multo sermone opus habebant ideo dixit : « De quibus non est modo dicendum per singula. » Quoniam non hæc sola erant, quæ videbantur, sed ænigmata. Ad quos nos, in quantum ille dedit qui os mutorum aperuit et linguas infantium facit disertas (*Sap.* X, 21), accedere procuravimus.

« His vero compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. » His ita præordinatis, sicut superius Apostolus narravit ; in priori quidem tabernaculo semper intrabant sacerdotes, donec veniret Mediator Dei, qui semel introiit. Erant quidem ista, sed non fruebatur eis populus : non enim videbat illud quod præfigurabant. Proinde non illis magis erant constituta quam illis, quibus prophetabantur.

« In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia. » Intueris jam formas ante præmissas, A Ne enim dicerent quomodo unum est sacrificium ? Ostendit illud jam inde ab initio, siquidem quod sanctius erat, unum erat. Tunc enim pontifex, inquit, semel offerebat, et semel credimus Mediatorem nostrum in passione oblatum. Et bene dixit, « non sine sanguine : » id est, non sine passione Salvatoris nostri redempti sumus.

« Hoc significante Spiritu sancto, » subauditur, a Moyse, quod Christus semel pateretur pro genere humano : « Nondum propalatam esse sanctorum viam (*Exod.* XXX, 10 : *Lev.* XVI, 2). » Idcirco adhuc illa manebant, quia necdum ista apparebant, quæ per illas imagines umbraticas significabantur.

« Adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis. » Illud enim tabernaculum figura fuit temporis instantis, id est, præsentis ecclesiæ, quæ nunc in novo testamento est. B

« Juxta quam munera, et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismis, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. » Attende quod nihil ad perfectum adduxit lex. Per veteres quippe hostias non potuerunt emundari ; non enim sordes animæ demittebantur, sed tantum circa corpus erant, secundum legem mandati carnalis. Non enim adulterium, non homicidium dimittere poterat. Hoc enim agebat : hoc comede ; illud non comedas. « Solummodo differentia in cibis et in potibus. » Hoc potare, inquit ; hoc non licet. « Et variis baptismis et justitiis carnis. » Hæc enim erat justitia carnis. In hoc dejicit illa sacramenta, ostendens quia nullam habebant virtutem. Et, quousque ad tempus corrigerentur, usque dum transirent vetera ; umbræ et figuræ quæ fuerunt ; et venissent nova. C

« Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum ; id est, non hujus creationis ; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. » Christus, inquit, assistens, sive ut in quibusdam codicibus habetur, adveniens (1418), hoc est, ad hoc ipsum veniens, non aliis succedens. Non primo advenit, et tunc factus est, sed simul venit. Et non dixit, adveniens pontifex hostiarum, sed bonorum ; veluti non valens sermone universum exprimere. Tabernaculum non manufactum, ipsam carnem pontificis nostri dicit, et vere non hujus creationis, quia tota Trinitas operata est in ea. Neque ex his creaturis est, sed spiritalis ex Spiritu sancto. Ac per hoc est, amplius et perfectius, quia cuncta sancti Spiritus operatio habitat in ea, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis. Corporaliter « per proprium, inquit, sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. » Quando dicit, « inventa, » ostendit eorum esse, qui non inveniebantur. Alii sacerdotes frequen- D

(1418) Vel etiam ut in aliis, *accedens*.

ter intrando non invenerunt ; iste per unum ingressum æternam redemptionem invenit.

« Sancta » hoc in loco, cœlum appellat, in quo introivit. Intuere quomodo tabernaculum, et velamen et cœlum illud Dominicum corpus vocat. Quare ergo hoc facit? Secundum aliam, et aliam significationem. Ut puta veluti, quod dico velamen, cœlum est. Sicut enim muro quodam discernit sancta per velamen, sic et caro abscondens divinitatem. Tabernaculum quippe, et velamen et cœlum, quidquid intus retinent, foris non apparet, ita caro abscondens, sicut diximus, divinitatem.

« Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ? » Si enim carnem, inquit, potest mundare sanguis taurorum, multo amplius animæ sordem diluit sanguis Christi. Hic ostendit utriusque mundationis differentiam, quomodo autem ista exclesa sit, illa autem humilis. Merito siquidem, quia illa mundatio, sanguis taurorum ; ista autem Christi. Et non ei sufficit nomine tantum hoc signare : ponit etiam modo differentiam : « qui per Spiritum, » inquit, « sanctum, seipsum obtulit immaculatum Deo ; » hoc est, sacrificium, immaculatum erat, mundum a peccatis ; hoc enim per Spiritum sanctum, non per ignem, neque per vituli sanguinem. « Et mundabit, » inquit, « conscientiam nostram ab operibus mortuis. » Bene dixit, ab operibus mortuis. Hic, si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur ; ibi, si quis tangebat mortuum, polluebatur, « Ad serviendum, » inquit, « Deo viventi. » Viventem quippe dicit, propter distinctionem deorum mortuorum. Hic manifestat, quia opera mortua habentes non possunt servire Deo vivo et vero. Nullus igitur opera mortua habens, ingredi potest ad Patrem. Si enim eum, qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum, quanto magis eum, qui opera mortua habet ? Pollutio quippe est pessima. Mortua quippe opera sunt quæ vitam non habent, quæ foris non operantur. Sicut enim mortuum corpus ad nullum sensum est utile, verum etiam contristat appropinquantes ; sic et peccatum confestim rationale nostrum percutit, et non permittit neque intelligentiam ipsam quiescere, sed perturbat, et commovet, et continuo in animam insilit. Non vides eos, qui morbo afficiuntur, quomodo tumore quodam occupantur, quomodo vertunt se atque revertunt, quomodo fœtoribus sunt repleti quomodo turpes sunt eorum facies, quomodo per totum immundi sunt ? Tales quippe sunt etiam peccantes, etsi non videntur.

« Et ideo novi testamenti Mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earumdem prævaricationum, quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. » Diversæ enim victimæ, quæ occidebantur in lege, unam Christi mortem, quæ pro nobis gratuita pietate peracta est, significabant, ut illius morte intercedente abluerentur culpæ conscientiarum nostrarum, quæ per sanguinem irrationabilium emundari non poterant. Idcirco Dominus et Salvator noster novi testamenti mediator factus est, ut per indebitam suam mortem umbræ pariter legis, et culpæ hominum finirentur. « In redemptionem earumdem prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, » id est, per gratiam Christi accipiant remissionem peccatorum, quam habere sub priori testamento, jubente, et non adjuvante percipere non potuerunt, et repromissionem accipiant æternæ (1419) hæreditatis, id est, percipiant in Ecclesia per Christum quod lex ostendit, sed sectatoribus suis dare non potuit.

« Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet, dum vivit qui testatur. » Fortassis enim possent multi, qui infirmius afficiebantur, ex eo, quod mortuus est Christus, maxime non credere promissionibus ejus. Hoc Apostolus exponit, exempla ex communi assumens consuetudine. Quale autem hoc est? Propterea igitur oportet, inquit, confidere, quia non viventibus testatoribus, sed mortuis, tunc firmata sunt testamenta et fortitudinem accipiunt. Testamentum tunc firmum erit postquam homo de hoc sæculo migraverit ; vivens vero, quoties voluerit, mutabit. Ita mors Christi novum testamentum confirmavit. Propterea pro nobis in Christo novum testamentum firmatum esse asserit, cujus similitudo vetus testamentum erat, in quo mors testatoris per victimas præfigurabatur. Si ergo quæratur quomodo simus secundum verba ejusdem Apostoli cohæredes Christi, et filii atque hæredes Dei (*Rom.* VIII, 17), cum etiam hæreditas morte decessoris firma teneatur, nec ullo alio modo hæreditas possit intelligi, respondetur ipso quidem mortuo factos nos esse hæredes, quoniam filii ejus et jam dicti sumus : « non jejunant, » inquit, « filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus (*Marc.* II, 19). » Hæredes ergo ejus dicimur, quia reliquit nobis pacis ecclesiasticæ possessionem, per fidem dispensationis temporalis, quam in hac vita possidemus, quomodo testatus est dicens : « Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV, 27). » In offensione quippe eramus ; mori nos oportebat ; mortuus est pro nobis, et fecit nos dignos testamento ; sed quia indigni facti sumus, non jam testamento opus erat, sed pœna. Quid igitur gloriaris in lege? (*Rom.* II, 23.) In tantum peccatum quippe nos consituit, ut salvari non possemus alioquin, nisi Dominus pro nobis moreretur. Cohæredes autem ejus efficimur, cum in fine sæculi absorbebitur mors in victoria (*I Cor* XV, 54). « Tunc enim similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Quam hæreditatem non ejus patris morte adipiscimur, qui mori non potest ; quoniam quidem ipse

(1419) Inter *æternæ* et *hæreditatis* legitur *lectio nona.*

sit hæreditas nostra,secundum illud,quod scriptum est : « Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* xv,5). » Sed quoniam,cum vocati sumus, adhuc parvuli et ad spiritalia contemplanda minus idonei, usque ad humillimas nostras cogitationes se misericordia divina porrexit,ut quomodocunque cernere niteremur, quod non evidenter atque perspicue cernebamus.Id ipsum moritur,quod ænigmate cernebamus, cum facie ad faciem cernere cœperimus. Convenienter enim dicitur moriturum esse,quod aufertur : «Cum autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est(*I Cor.* xiii, 10),»Ita nobis quodammodo moritur pater in ænigmate. ut idem ipse sit hæreditas,cum facie ad faciem possidebitur (*Ibid.*, 12). Non quia ipse moritur ; sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimetur. Et tamen nisi illa prior nos nutriat,ad aliam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei.Quod si etiam de Domino Jesu Christo, non secundum Verbum, in principio Deum apud Deum,sed secundum puerum,qui proficiebat ætate et sapientia, pius intellectus admittitur. Propria illa susceptione servata, quæ communis ei cum cæteris hominibusnon est,manifestum est eum justam,quam certe possideat hæreditatem;non enim nos cohæredes ejus esse possumus,nisi et ipse hæres sit.Si autem pietas non admittitur(1420)primo ex parte videretur homo Dominicus,deinde ex toto,quamquam in sapientia proficere dictus sit,corpore suo intelligatur hæres, id est Ecclesia, cujus cohæredes sumus, quamvis ex nobis constet.Sed rursum quæri potest, cujus morte simus etiam nos hæreditas Dei, secundum illud, « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* ii, 8), » nisi forte hujus mundi, qua prius tanquam dominante tenebamur.Post autem cum dicimus :« Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* vi, 14),» possidet nosChristus,mortuo illo,qui nos possidebat, cum ei renuntiamus morimurque illi,et ipse nobis.

« Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. » Quid est, dedicatum est? Firmum factum est,roboratum est;et illic siquidem sanguis, sicut etiam hic sanguis. Si autem illic non erat Christi sanguis,non mireris.Typus enim erat:unde dixit: « Neque primum sine sanguine dedicatum est. » Propterea oportebat testamenti solemnitatem compleri etiam per mortem.

«Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo,accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua,et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit,dicens:Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus (*Exod.* xxiv, 8). Etiam tabernaculum et omnia vasa similiter aspersit. » Cur ergo,dic mihi, liber testamenti aspergitur et populus,nisi pretiosus sanguis jam ab initio de illo schemate prænuntiabatur?Sanguis vituli sanguis est Christi, quem sacrificium obtulit pro nobis.Hircorum vero sanguis idipsum, sanguinem Christi præfigurabat; quia pro peccatis nostris oblatus est.Aqua baptismum præfigurabat. Lana coccinea,charitatem Christi qua pro nobis passus est ; hyssopus vero, humilitatem Christi,seu pœnitentiam signat ; liber ipsam sacram Scripturam. « Hic sanguis, inquit, testamenti, quod mandavit ad vos Deus.»Iste sanguis præfigurabat illum sanguinem,qui de latere Christi in cruce manavit. Hoc nos sanguine Christus aspersit, per verbum, quo dictum est : « Hic est sanguis novi testamenti in remissionem peccatorum (*Matth.* xxvi, 28; *Marc.* xiv, 24 ; *Luc.* xxii, 20 ; *Joan.* lv, 56). » Hic sermo per hyssopum sanguine infectus aspergit. Et illic quidem corpus extrinsecus mundabatur,corporalis quippe erat mundatio : hic autem, quia spiritalis est mundatio,in animam ingreditur,et mundat non simpliciter aspersus,sed velut fons emanans in manibus nostris. Illo siquidem sanguine, qui linitus erat,iterum diluebatur aspersus ; non enim cruentus semper deambulubat;in anima vero non ita est, sed ipsi essentiæ commiscetur sanguis,fortem illam faciens et mundam,et ad inenarrabilem pulchritudinem perducens. Ostendit autem deinde mortem non firmitatis causa esse solum,sed etiam mundationis,quoniam mors polluta res esse videbatur, et maxime quæ per crucem fiebat, dicit,quia hoc magis mundavit,et mundat,quæ pretiosa mundatio est et majoribus habetur. Propterea sacrificia antecesserunt,propter istum sanguinem. Propterea agni, et cuncta propter hoc fiebant. Tabernaculum enim illi intelligendi sunt, de quibus propheta dicit ; « quoniam inhabitabo in illis,et inambulabo (*Lev.* xxvi, 12 ; *II Cor.* vi, 16). » Vasa vero diversa, turbæ fidelium, quæ omnes per Christum mundantur, Nam inde est quod sequitur :

« Et omnes (1421) pene in sanguine mundantur secundum legem,et sine sanguinis effusioue non fit remissio. » Quare hoc dixit,pene ?Quare illud sic expressit ? Quoniam in illis non erat perfecta mundatio,neque remissio perfecta, sed mundatio, et remissio perfecta in sanguine Christi est, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum,et sine illo sanguine,id est Christi,redempti non sumus.

« Necesse est ergo exemplaria verorum, quæ in cœlis sunt;per hoc mundari : ipsa autem cœlestia melioribus sacrificiis, quam istis.» Sive,ut translatione nostra legitur : « Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari;ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis(1432). » Quomodo exempla sunt cœlestium ? Nunquid ipsum cœlum, aut angelos vocat cœlestia ? Nihil tale, sed ipsam mundationem Christi,cœlestis namque est, quamvis in terra celebretur.Necesse enim fuit per hanc hostiam spiritalem mundum mundari.Ergo si bruta animalia propter rationale animal,id est, hominem,dignæ victimæ non fuerunt ;requirenda erat cœlestis hostia, id est, homo, qui pro hominibus

(1420) Sensus est valde obscurus.
1421) In Nulgata : *Et omnia.*

(1422) Verba *sive... istis* eodem charactere in imo marg, scripta leguntur.

offerri debuisset,ut pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quia homo sine peccato inveniri non poterat,et oblata pro nobis hostia tunc nos a peccato mundare potuisset,si ipsa peccati contagione careret,inquinata quippe inquinatos mundare non posset;ergo ut rationabilis esset hostia, homo fuerat offerendus,ut vero a peccatis mundaret hominem,homo sine peccato. Si ex peccati commistione descenderet, perditos non salvaret. Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei.Ibi pro nobis factus est homo.Sumpta est ab illo natura non culpa.Fecit pro nobis sacrificium corpus suum. Exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ ex humanitate mori,et ex sua justitia mundare potuisset.Hunc ergo cum post baptisma vidit antiquus hostis,mox tentationibus impetiit,ot per diversos aditus ad interiora ejus molitus est irrumpere. Victus est,atque ipsa inexpugnabili mentis ejus integritate prostratus.Sed quia interiora non valuit, ad ejus se exteriora convertit,ut, quia mentis virtute victus est,eum.quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare. Atque,ut ante a nobis dictum est,permissus est in illo,quod ex nobis mortalibus Mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere,ibi ex omni parte devictus est : et unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ,inde interior potestas ejus qua nos tenebat, occisa est. Ipse namque interius victus est,dum quasi violenter egit exterius : et qui nos jure debitores mortis tenuit,juste in nobis jus mortis amisit, quia per satellites suos ejus carnem perimendam appetiit, in qua nihil ex culpæ debito invenit.Dominus ergo noster pro nobis mortem solvit indebitam, ut nobis mors debita non noceret. Bene itaque dictum est : « Prudentia percussit superbum (*Job* XXVI, 12). »

« Non enim in manufactis Jesus introivit (1423) exemplaria verorum,sed in ipsum cœlum,ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.» Sicut enim superius Apostolus per mortem Christi omnem mundationem opposuit,sive redemptionem ; sic etiam et hic cœlum instar templi opponit.«Non enim,inquit, in manufactis sanctis Jesus introiit,exemplaria verorum.» Igitur illa sunt vera ; hoc autem,exemplaria. Etenim templum ita constitutum est, sicut cœlum.Deus enim jusserat cum honestamento multo fieri,ut magis oculis corporalibus attraherentur Introire enim dicimus Jesum, secundum id quod homo est.(Nam secundum id quod Deus est,ubique et omnia implet)et non introiit in manufactis hominum,sed ipsum cœlum jussione Domini creatum. Et non hanc solam differentiam ostendit,sed etiam pontificem proximum factum: «ut appareat,inquit, vultui Dei. » Non enim per signa quædam,sicut alii sacerdotes, intrando in sancta, sed ipsum Deum videt illic.Proinde non ex cœlo tantum, sed etiam in ingressu rem venerabilem ostendit,«ut appareat vultui Dei pro nobis. » Quid est, pro nobis ? Cum sacrificio ascendit,inquit,propitiare Patrem (*Rom.* III, 25) :sicut in Epistola sua Joannes dicit:«Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum,et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II, 1,2).» Quid jam miraris,si interpellat,cum eum constituit veluti sacerdotem, sicut in consequentibus dicit?

« Neque ut sæpe offerat semetipsum,quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno,alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. » Ipse ergo et sacrificium sacerdos et hostia.Si enim non hoc esset, multa etiam oportebat sacrificia offerri.Sæpius oportebat crucifigi. « Alioquin oportebat eum,inquit,frequenter pati ab origine mundi. »

« Nunc autem semel in consummatione sæculorum,ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori,post hoc autem judicium.» Frequentius oportuerat eum pati,quia necessarium fuerat, ut si voluisset,ab Abel,dum per singulas generationes peccaverunt,et passus fuisset,semper habuisset quod redimeret.Sed noluit, nisi tantum semel mori,quia una morte redemptio facta est. « Semel inquit,in consummatione sæculorum. » Quare in consummatione sæculorum ?Post multa peccata.Si enim a principio fieret,deinde nullus crederet; non oportebat autem secundo eum mori, infructuosa essent omnia,quia vero postea passus est postquam multa erant peccata, merito tunc apparuit. Quod etiam alibi dicit : « Ut ostenderet in sæculis supervenientibus divitias gratiæ suæ (*Rom.* IX,23; *Ephes.* II,7).»Et hoc semel in consummatione sæculorum. per proprium sanguinem,non per alienum.Alienus sanguis peccata explorare(1424) tantum potuit,salvare non potuit : Christi autem sanguis proprius est,non alienus,qui nec hircorum, nec agnorum, sicut in lege præceptum erat;qui non solum peccata arguere,sed salvare potest.Constitutum est, inquit, semel mori hominibus.Quid ergo? Jam non morimur? Morte ilia morimur,sed non manemus in illa quod etiam neque mori est.Mortis enim tyrannis, et mors revera illa est,quando nunquam permittitur mortuis ad vitam reverti.Quando vero post mortem vivendum erit et vita meliore,non est mors illa sed dormitio.Quoniam ergo omnes retentura erat mors propterea mortuus est ut nos liberaret.«Post autem judicium :»id est,quia recipiet unusquisque prout gessit in corpore sive bonum sive malum.

« Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.»A quo oblatus est ? Manifestum est quod a semetipso. Hic neque sacerdotem eum dicit solum,sed et victimam et sacrificium per se oblatum.« Semel, inquit, oblatus est ad multorum auferenda (1424) peccata,» id est, tollenda.

(1423) In Vulg. *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit,exemplaria verorum.*

(1424) Fortasse *expiare*, ut in initio expositionis ad cap. X ubi, *expiabantur*,inquit,*peccata ad tempus non remittebantur.*

(1424) Fortasse legendum *exhaurienda*, repetit enim textum superiorem.

Quare multorum, et non omnium ? Quia non omnes credíderunt. Non autem omnium peccata abstulit, propter quod credere noluerunt.

« Secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem. » Quia, sicut necesse est unumquemque nostrum post mortem recipere juxta opera sua, ita justum est, ut Christus, devicta morte et adepto regno, secundo appareat exspectantibus se, in salutem, et juste vindicet suos, qui injuste passus est ab alienis. Melior est hæc apparitio exspectantibus se, in salutem, quam communis visio, de qua dicitur : « Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt (*Apoc.* I, 7). » Quod vero ait, secundo sine peccato apparebit, quomodo secundo sine peccato ? Nunquidnam in primo venit cum peccato, de quo scriptum est : Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ? (*Psal.* XXXI, 2). Et ipse de se dicit : Venit enim princeps hujus mundi, et in me nihil inveniet (*Joan.* XIV, 30). Hoc est ergo, secundo apparere sine peccato, jam non videri in similitudine carnis peccati, sed nec aliorum peccata portantem in corpore suo super lignum, sicut in primo adventu fecit, nec intervenire jam amplius pro peccatis, sed vindictam exercere in peccantes.

(CAP. X.) « Umbram enim habens lex bonorum futurorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri ; ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati, sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. » Exemplar tantum, ostendit, non virtutem, sicut in imaginibus, exemplar hominis habet imago, non etiam virtutem, Umbra enim fuit, non ipsa veritas. Multifaria sacramenta Christi et Ecclesiæ per umbram, id est, per figuram ostendebat, donec veniret ipsa veritas, quæ interiorem ejusdem figuræ sensum Ecclesiæ suæ data Spiritus sancti gratia patefaceret, et moriendo in cruce omnia illa sacramenta revelaret. Expiabantur peccata ad tempus, non remittebantur. Nunquam enim potuit accedentes perfectos facere, alioquin cessassent ultra offerri. Qua ratione eisdem sacrificiis semper curabantur auferri ? Si enim ab omnibus essent liberati peccatis, nequaquam per singulos dies offerrentur sacrificia pro omni populo et in vespere et in die. Proinde accusatio peccatorum fuit quod fiebat ; non solutio, accusatio infirmitatis, non virtutis ostensio. Quoniam quippe primo hostia nihil valebat, etiam secundo offerebatur, quæ etiam nihil proficiebat. In eo enim quod offerebantur, redargutio peccatorum erat ; in eo quod semper, redargutio infirmitatis. Propter hoc imperavit, inquit, semper offerri, propter infirmitatem, et ut memoria peccatorum fieret. Quid ergo nos ? Nonne per singulos dies offerimus ? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus, et una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, et non multæ ? Et quia semel oblata est ; illa oblata est in sancto sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar est illius ; ad ipsum (1426) semper offerimus ; nec nunc quidem aliud minus, aliud hodie, aliud cras, semper ad ipsum (1427) : proinde unum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione, quoniam a multis offertur, multi Christi sunt. Nequaquam, sed unus ubique est, et hic plenus existens, et illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, et non multa corpora, ita etiam et unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus et nunc, quæ tunc est oblata. Oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est. « Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem (*Luc.* XXII, 19 ; *I Cor.* II, 24). » Non aliud sacrificium, sicut pontifex (1428), sed ipsum semper facimus. Magis autem recordationem sacrificii operamur.

« Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi : holocaustomata, et pro peccato non tibi placuit (*Psal.* XXIX, 7) (1429). Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens : quia hostias, et oblationes, et holocaustomata, et pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, Deus. Aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi (1430). » Anteriores quidem ostendit inutiles esse hostias ad integram mundationem, et formam magis eas esse, nec esse acceptabiles. Nec illi placuerunt ab initio, sicut per Jeremiam prophetam VI, 20 dicit : Holocaustomata vestra non sunt accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi (*Isa.* I, 11 ; *Amos* V, 21). Sed si illi non placuerunt, nec voluntas illius fuit : quomodo ergo imperavit ut offerri debuissent ? Tali modo Apostolus, creatura Creatorem sequens peregit : Volo omnes homines esse, sicut meipsum (*I Cor.* VII, 7), in conscientia ; et iterum : Volo, inquit, juvenes nubere, filios procreare (*I Tim.* V. 14). Ecce duas voluntates constituit, sed non ambæ ejus sunt ; primum dicens : Volo omnes homines esse sicut meipsum ; secundo : Volo juvenes nubere : sic etiam hic non erat ejus voluntas ut præcedentia sacrificia fierent, sed, sicut superius dixit, quia non solum non voluit, sed nec desideravit hoc : ergo pro-

(1426) Fortasse *idipsum*.
(1427) Fortasse ut sup., hic etiam legendum, *idipsum*.
(1428) Id est, sicut alius non est pontifex.
(1429) In cit. Psal. : *holocaustum et pro peccato non postulasti ;* Vulg. autem in hac Ep. X, 6, ita habet : *holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.*
(1430) Vulg. post ea verba addit, *semel*.

pter (1431) voluntatem Dei sacrificabantur. Redarguta hæc res erat, nullam habens virtutem, sed infructuosæ, et inutiles erant; formæ quippe erant futurorum Christi, et Ecclesiæ; offerebant quippe ea, ne sine sacrificio sedentes, in cultum deorum alienorum, dum vidissent alios offerre, inciderent. Impositum enim illis erat in servitutem, non justificationem. Proinde sacrificare non est voluntas Dei (1432). Et dum illi illa non placuerunt, statim advenit, sicut scriptum est: « Tunc dixi: Ecce venio: » quod de nullo alio, nisi de Christo dictum est. Sed, si formæ erant, quomodo veritate veniente non cessarunt, neque discesserunt? Non enim poterant prius auferri, quam illud sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus est, fuisset oblatum. Nam qui postea illa sacrificia sacrificaverunt, semper Spiritui sancto restiterunt. Nec enim placita sunt illi, quæ secundum legem offeruntur: « Nec hostia, nec oblatio, nec holocaustomata et pro peccato illi placuit. » Et hoc non ex novo iterum testamento, sed ex prophetis ostendit, ex superioribus temporibus proferens testimonium, quia cessura erant. Ideo quippe hostias jam dictas offerre jussit, quia in figura erant ad hostiam veram, quæ totum mundum de peccato solveret: et propterea reprobantur, quia jam vera hostia appropinquabat. Et dicit Propheta: « Ecce venio; in capite libri scriptum est de me (*Psal.* XXXIX, 7): » id est, Levitici, qui liber hostias imperat, et narrat. Dum autem sum principalis, et sola sufficiens hostia; ideo in capite, id est, in principio libri hostiarum de me scriptum est ut: « In principio fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1). » Quid est, « ut faciam voluntatem tuam? » Memetipsum tradere, hoc est Dei voluntas, « in qua voluntate sanctificati sumus. » An etiam aliud dixit: Quoniam non sacrificia homines mundant, sed voluntas Dei? « Aufert primum, ut sequens statuat; » ac si dicat: Reprobat vetus, et affirmat novum.

« Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem (1433) pro peccatis offerrens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus (*Psal.* CIX. 2). Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. » Ministrare signum est ministrationis: ergo sedere signum est, ut ei ministretur. Illi multas hostias quotidie offerendo, non potuerunt auferre peccata. Hic autem semetipsum pro nobis obtulit, in sempiternum sedit in dextera Dei. Sedere in dextera, judicium suum demonstrat. « De cætero exspectans. Qua causa ista dilatio? Ut ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Inimici ejus sunt Judæi, et hæretici, vel omnes infideles, qui ponendi sunt sub potestate illius. Hic nimietatem, et potentiam subjectionis significans, non dixit, subjiciantur, sed, « ut ponantur sub pedibus ejus. » Non igitur efficiamur ex numero inimicorum. Non enim illi soli inimici, qui infideles sunt, sed etiam qui vita immunda pleni sunt. « Prudentia autem carnis inimica est Deo (*Rom.* VIII, 6); legi autem Dei non subjicitur. « Una enim oblatione consummavit; id est, ad illos post dies illos dicit Dominus: « Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas; et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio: jam non oblatio pro peccato (*Jer.* XXXI, 33). » Quod testatur quidem Spiritus sanctus per prophetam, adimpletum est. Illæ statim discesserunt; quia veniente veritate, umbra discessit. « Ubi autem horum remissio, » inquit Apostolus, « jam non oblatio pro peccato. » Et hoc non tantum sine scriptis, sed etiam cum scriptis argumentatus est Apostolus; et dictum propheticum adhibuit dicens: » Sacrificium et oblationem noluisti (*Psal.* XXXIX, 7); « et in hoc loco: Hoc testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, non in tabulis lapideis, sicut in populo veteri, sed in tabulis cordis carnalibus. « Et peccatorum, iniquitatum eorum non recordabor amplius. » Ac si diceret: Ubi recordatio peccatorum non est, jam necesse non est ut hostia offeratur. Unde et in consequentibus adjungit: « Ubi autem horum remissio, jam non oblatio pro peccato. »

« Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei. » Ostendens usque nunc pontificis, et hostiarum, et tabernaculi, et testamenti, et repromissionis distantiam, et multam differentiam: siquidem, inquit, illa temporalia hæc autem æterna; illa quidem de proximo parentia, hæc permanentia; illa qnidem infirma, hæc autem perfecta; illa quidem forma, hæc veritas: non enim juxta tale mandatum, inquit, carnale, sed juxta virtutem vitæ insolubilis sacerdos factus est Jesus (*Hebr.* VII, 16). Et iterum: « Tu es sacerdos in æternum (*Ibid.*, 17); ecce peretuitus sacerdotis. Et de testamento illo dixit, quod vetustum est: quod autem veterascit, et senescit, proximum est interitui. Hoc testamentum novum, remissionem peccatorum habens, illud autem nihil hujusmodi; nihil enim perfecit lex (*Ibid.*, 19). Illud quidem sanguinem hircorum, non Christi habebat; hoc autem, proprium sanguinem Christi. Illud quidem manufactum habebat tabernaculum hoc autem non manufactum; non enim, inquit, in manufactis sanctis Jesus introivit (*Hebr.* IX, 24). Quoniam igitur cuncta illa minora affirmat, hæc autem majora; propterea, inquit, plus habemus fi-

(1431) Aptius fortasse legi videretur *præter*.

(1432) En quod maxime probat quod paulo superius diximus. loco *propter voluntatem*, legendum *præter voluntatem*.

(1433) Vulg., *hic autem unam pro peccatis*, etc.

duciam per sanguinem Christi mundari, quam illi, qui carnaliter hostias offerebant. In tantum enim majorem fiduciam habemus, in quantum magis cohæredes effecti sumus,et tanta dilectione fruimur, Introitum sanctorum, quod dicit, cœlum, sive accessum ad spiritalia intelligere debemus. Nullus enim ad dona Spiritus sancti pervenire valebit, nisi per fidem. « Quam initiavit, inquit, viam novam : » hoc est, initium utendi dedit. Viam novam dicit, per quem ipse perrexit, tribuendo nobis exemplum humilitatis : non sequi cæremonias legis, sed satisfactionem spei. Dicendo autem, « novam, » conatur ostendere cuncta majora nos habere, siquidem nunc apertæ sunt portæ cœli : quod neque Abraham contigit. Sed viventem illa vocavit, hoc est perfectam, permanentem per velamen (1434),id est, carnem suam. Hæc quippe caro secavit primo viam illam. Ipse autem dedicavit eam. Dedicavit autem illam hac ratione : quoniam ipse in eam perrexit. Velamentum autem merito vocavit, quia celat divinitatem : cum enim elevatus est in cœlum, tunc apparuerunt cœlestia.

« Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit), et consideremus invicem in provocatione charitatis, et bonorum operum. » In quo accedamus? Sanctitate fidei, spiritali cultura in veraci corde, in plenitudine fidei, quia nihil est visibile horum, neque sacerdos, sicut in veteri lege, quanquam nec sacerdos ingressus est in sancta. Sed etiam quia nos intravimus,propterea in satisfactione fidei ; non cum hæsitatione (quales sunt nunc plurimi dicentes, quoniam quorumdam erit resurrectio, quorumdam autem non) hoc est, non fidei, inquit ; sic nos oportet credere de invisibilibus, et adhuc amplius. Hic quidem sensu percipimus : illic autem spiritu. « Aspersi corda a conscientia mala. » Ostendit quia non fides sola, sed etiam vita cum virtute quæritur, et ut nihil sibi quisque conscius sit malignitatis.Non enim suscipiunt cum plenitudine fidei sancta ii, qui non ita afficiuntur. Nullus enim ingrediebatur in sancta, si lotus non fuisset. Et nullus profanus ingreditur in illam cœlestem visionem, nisi prius per pœnitentiam lotus fuerit. Illi autem corpus aspergebant, nos conscientiam. Quare non dixit,mundati, et aspersi ? Differentiam aspersionis volens ostendere, ideo protulit, « aspersi. » Aliud quidem esse Dei ; aliud autem nostrum. Abluere quippe, et aspergere, Dei est ; cum veritate autem recedere, et plenitudine fidei, cum gratia illius nostrum est. « Et abluti, » inquit, « corpus aqua munda. » Lavacrum baptismatis in hoc loco dicit ; quia foris lavamur aqua, intus vero Spiritu sancto mundamur. Quid est enim, accedamus cum veraci corde ? Hoc est, sine simulatione. Væ enim peccatori ingredienti duabus viis. Nihil sit,inquit, falsum in vobis. Non alia quidem dicamus, alia vera cogitemus. Hoc est etiam non veri cordis. Hoc enim mendacium nequissimum,pusillanimis est; non credendo enim pusillanimitas efficitur. Hoc est enim, per fidem aspergere corda. « Fidelis enim est qui repromisit : et consideremus invicem in provocatione charitatis et bonorum operum. » Fidelis, quia non fallit ; unde in alio loco dicit : « Fidelis est Deus, per quem vocati estis (*I Cor.* I, 9; *Thess.* V, 24). » Quoniam oportet ire illuc, et intrare in regnum. Nihil igitur seruteris, neque rationes exspectes ; fide opus babent nostræ causæ :

« Consideremus invicem in provocatione charitatis. » Quid est, consideremus? Id est intelligamus quod in quibusdam codicibus ita legitur. Ac si diceret : Si quis est virtute præditus, hunc imitetur; in eum intendamus, ut diligamus et deligamur ; ex dilectione quippe bona opera fiunt. Quid est, ad provocationem charitatis ? Amplius diligere et diligi. « Et bonorum operum: » ut in hoc habeant æmulationem. Facere enim quam dicere,majoris virtutis est. Quantum ad doctrinam pertinet,multos habetis etiam vos doctores in vestra multitudine per opera ipsa hoc facientes.

« Non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes, et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. » Aliquos in hoc loco non solum admonuit, sed etiam tacite culpavit. Charitas incrementatur per congregationem ; unde Dominus ait : « Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Matth.* XVIII, 20) ; » et Ecclesiastes : « Frater quippe a fratre adjutus, quasi civitas munita (*Prov.* XVIII, 19). » Magnum quippe bonum est congregatio. Ipsam namque charitatem operatur ferventiorem ;ex ea cuncta optima generantur. Nihil namque bonum est, quod non per charitatem fit. Istam igitur confirmemus invicem. Plenitudo legis charitas. Non enim labore opus habemus,aut sudoribus. Si dilexerimus invicem, spontanea nobis via prosternitur ducens ad virtutem. Appropinquantem diem, quod dicit, illud est, quod in alio loco idem Apostolus dicit : « Dominus prope est,nihil sollicite sitis (*Philipp.* IV, 5. 6) ; » nunc autem propinquus nobis est (1436) ; salutis tempus jam abbreviatum est (*Rom.* IX, 25).

« Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis,jam non relinquitur pro peccatis hostia. » Non enim est hostia secunda. Hic iterum exsurgunt, qui pœnitentiam auferunt. Quoniam in hoc non pœnitentiam excludit, neque propitiationem, quæ fit per pœnitentiam, neque repellit, et dejicit per desperationem delinquentes. Non enim ita

(1434) In cod. ita *perceptam, per velamen:* immediate autem supra ea verba *per velamen*, legitur *permanentem*.Fortasse transpositio verborum aptiorem sensum redderet, hoc modo: *permanentem, perceptam per velamen.*

(1435) Rom. XIII, 11, *nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.*

est inimicus salutis nostræ. Sed quid? Secundum excludit lavacrum. Non enim dixit, non est ultra pœnitentia, neque dixit, ultra non est remissio, sed hostia, inquit, non est; hoc est, crux ultra secunda non est. Hostiam quippe hanc vocat. Una namque perficit in perpetuum eos, qui sanctificantur (*Hebr.* x, 14). Non sicut Judaicæ. Illud quod in hac Epistola qui diligentius pertractant, sic intelligunt, ut non de sacrificio contribulati per pœnitentiam cordis accipiendum sit quod dictum est, non adhuc pro peccatis relinquitur sacrificium; sed de sacrificio, do quo tuncloquebatur Apostolus, id est holocausto Dominicæ passionis,quod eo tempore offert quisque pro peccatis, quo ejusdem passionis fide dedicatur, et Christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur. Et hoc significat Apostolus non posse deinceps,dum peccaverit,iterum baptizando purgari.Quo intellectu non intercluditur pœnitendi locus. Ita sane, ut eos, qui nondum baptizati sunt, nondum plenam scientiam veritatis accepisse,ut et jam baptizatus,intelligatur (1436).Non autem omnis baptizatus, etiam scientiamveritatis accepit,propter quorumdam posteriorem provectum, vel miserabilem negligentiam. Et tamen illud sacrificium de quo loquebatur, id est, holocaustum Domini, quod tunc pro unoquoque offerturquodammodo,cum ejus nomine baptizando signatur, iterum, si peccaverit,offerri non potest. Non enim possunt denuo baptizari, qui semel baptizati sunt,quamvis etiam post baptismum per ignorantiam veritatis peccaverint. (1437) Ita fit, ut quoniam sine baptismo nemo recte dicitur accepisse scientiam veritatis, sic licet quia omnis qui accepit eam, non relinquatur pro peccatis sacrificium; hoc est non possit denuo baptizari, nec tamen omnis, qui non accipit per doctrinam scientiam veritatis, sic debeat arbitrari posse pro se illud offerre sacrificium. « Si jam ablutus est : id est, in se jam ejusdem veritatis per baptismum sacramenta percepit, non posse iterum baptizari. Tanquam si diceremus omnem hominem non esse quadrupedem; non ideo tamen omne animal, quod homo non est, quadrupes debet esse, etc. Eos enim, qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus, quam per pœnitentiam renovari; quia renovatio in baptismo est, ubi quidem operatur pœnitentia, sed tanquam fundamento manente. Itaque a fundamento recurari ædificium potest si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium subvertat necesse est. Propterea hoc dicit Hebræis, quia ex Novo Testamento ad sacerdotium vetus declinasse videbantur.«Ideoque remittentes, inquit, initii Christi verbum, in consummationem respiciamus, ne iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ a mortuis operibus, et fidei inDeum,lavacri doctrinæ,impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum, et judicii æterni (*Hebr.* VI, 1, 2). » Ista omnia in baptismo traduntur, quæ negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus : nam in verbi Dei tractatione, atque doctrina non iterum tantum, sed sæpius dicenda sunt, sicut rerum, de quibus disseritur, opportunitas flagitat. « Terribilis autem quædam est exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. » Hoc in loco Apostolus extremum judicii diem, sive ignem perpetuum manifestissime declarat. «Quæ consumptura est adversarios.» Adversarios enim non infideles dicit tantum,sed etiam contraria virtuti agentes, dæmones videlicet, seu hæreticos, vel omnes male agentes concremabit, sive, quia et domesticos et familiares, idem ipse ignis accipiat etiam contrarios.

(1438) « Irritam qui faciet legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur (*Deut.* XVII, 6). » Sine miseratione, inquit, ut nulla sit venia, nulla sit misericordia; quanquam Moysis esset illa lex, plurima namque ipse disposuerat. Quid est, coram duobus, vel tribus? Si duo, vel tres testificati fuerint, confestim judicium dant. Si igitur in Veteri Testamento, ubi lex Moysi irrita fit, homines peccatores tanto ac tali supplicio condemnabantur : « Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? » Quomodo conculcat quisque Fiiium Dei? Cum enim indigne ex eo participat quisque per sacramenta, nonne peccata committit; nonne illum conculcat, nonne ipsum contemnit? Sicut ea quæ conculcamus nullius momenti pendimus, sic et qui peccant, Christum nullius momenti existimant. Factus es corpus Christi, et tradis teipsum diabolo ut conculces Christum. » Et sanguinem, » inquit, « testamenti pollutum duxerit: » sive, ut in Græco habetur, « communem judicas. » Commune quidem, immundum, sive quod nihil amplius a cæteris habeat. Illi

(1436) Sensus hic tanto verborum involucro tegitur, ut eum ut inintelligibilem pene reliquerimus, si autem divinari fas sit,videtur nobis ita legendum : *ita sane, ut illud*: *nondum plenam scientiam veritatis accepit, de nondum baptizato intelligatur, qui non ut ille, qui jam baptizatus est, habere volet.* Unde loco *ut etiam, ut et jam* legendum censuimus. Quod sequitur vero, *non autem*, significare videtur, non omnes baptizatos omnem scientiam veritatis possidere, vel propter quorumdam profectum, qui addit, vel propter quorumdam negligentiam, quæ vel impedit, vel delet in eis scientiam. Cæterum patienti, et acutioris ingenii lectori rem libenter relinquimus.

(1436) Quæ sequuntur, non minus obscura. Ita tamen videntur intelligenda, si locus conjecturæ sit: *ita fit, ut* (*quoniam sine baptismo nemo recte dicitur accepisse scientiam veritatis*) *omnis qui eam accepit, ideo quia eam accepit, non possit denuo baptizari. Nec tamen omnis, qui non accipit per doctrinam scientiam veritatis, sic debeat arbitrari posse pro se,* etc. Sensus auctoris, et cohærentiorem superius dictus arripuisse, ut mihi blandior, videtur. Videat lector.

(1438) Hic in marg. legitur cap. XXVI, quin superius cætera capita numero signata appareant.

quippe sanguinem Christi polluunt, qui hæreticam doctrinam in se recipiunt, et non Christi, per peccata eorum Christum de se ejiciunt, Spiritui gratiæ contumeliam faciunt qui non credunt quod in Ecclesia fit remissio peccatorum : ut dictum est : « Qui in Spiritu sancto blasphemaverit, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Luc.* XII. 19 ; *Matth.* XII, 32 ; *Marc.* III, 29).» Siquidem et ille Spiritui gratiæ contumeliam facit qui quod ille tribuit, non exercet. Qui enim beneficium non suscipit, injuriat bene facientem. Fecit te filium : tu autem vis fieri servus ? Venit ad habitandum apud te; tu autem adducis ei cogitationes malignas ? Christus vult solidari apud te ; tu autem eum conculcas per crapulam, per ebrietatem. Audiamus qui indigne sacramenta participamus. Audiamus qui indigne ad mensam illam accedimus quid sequatur :

« Scimus enim quid dixit : Mihi vindictam, et ego retribuam. Et iterum : quia judicabit Dominus populum suum (*Deut.* XXXII, 35 ; *Eccli.* XXXVIII, 1).» De inimicis hoc dictum est, qui male faciunt, non de his, qui male patiuntur. Hic autem et consolatur eos, dicens : « Ego retribuam. » Permanet enim in sempiternum Deus, et vivit : proinde etsi nunc non recipiunt, postea recepturi sunt. Illos oportet congemiscere, non nos. Nos enim in illorum incidimus manus ; illi autem in manus Dei. Neque enim qui patitur, aliquod malum patitur, sed qui facit.

« Horrendum est incidere in manus Dei viventis.» Incidunt in manus Domini, qui judicia hominum contremiscentes. judicia Dei parvipendunt. Sed et tu quicunque peccator es, si non pœnitueris, in manus Domini incides. Illud enim metuendum est id est judicium Dei, hoc autem nihil est, id est judicium hominum. Cum viderimus igitur quemquam hic puniri, non tremiscamus ad præsentia, sed contremiseamus futura Dei judicia. Secundum misericordiam enim ejus, et indignatio ejus est, et semper super peccatores requiescit furor ejus in eos qui incidunt in manus ejus.

« Rememoramini autem pristinos dies, quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum, et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti.» Optimi medicorum cum malitiam secaverint et per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt, et remedium illi loco, ubi dolor inest, et pertubatam refovent animam ; postquam autem recreaverint, alteram jam non adjiciunt sectionem : quin etiam illam, quæ facta est, medicaminibus mitioribus et valentibus amplitudinem mitigare doloris confovent Hoc etiam Apostolus fecit. Postquam concussit animas eorum et compunxit mentione gehennæ, et fidem faciens, quia omnibus modis oportet perire injuriantem Dei gratiam, et hoc ex lege Moysi docens, et aliis testimoniis amplius hoc affirmans, et dicens metuendum esse incidere in manus Dei viventis, proinde ne multo timore desperantem animam absorberi faceret, consolatur eos per laudes et orationes, et immolationem domesticam ei proferens : « Rememoramini, inquit, pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis. » Ac si diceret : quoniam introducti estis, qui non in ordine discipulorum eratis, tantam alacritatem demonstratis, tantam fortitudinem ; nunc per rememorationem rogo ut in ipsa perseveretis, ut perdurantes in tribulationibus, possitis affectui esse unicuique. Dividit qualiter sustineant tentationes, seu certamina, quod est maximus titulus laudum. Deinde exsequitur minutatim dilatans sermonem suum, et laudes plurimas proferens. Qumodo hoc? « Nunc quidem, inquit, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti. » Gravis quippe res est opprobrium, et idonea ad animam subvertendam, et ad excæcandam mentem. Nam audi quod dixit Propheta : « Cum dicunt mihi inquit. per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? » (*Psal.* XLI, 4.) Et iterum : « Si inimicus exprobraret mihi, sustinerem (1439).» Quoniam valde appetens est gloriam genus humannum propterea etiam opprobriis facile captivatur. Et non simpliciter dixit, opprobriis, sed etiam hic augmentum fecit, dicens : et spectaculum facti. Cum enim quis secreto exprobratur, contristatur quidem sed multo amplius, cum coram omnibus ; quantum erat malum, discedentes ab infirmitate Judaica et ad optimam vitam transeuntes, et paternas traditiones contemnentes, ut ab ipsis domesticis paterentur multa mala, a nullo haberent defensionem. Non habeo, inquit, quid dicam, quia hoc passi quidem estis, et forte doluistis, imo magis gaudebatis. Non solum, inquit in propriis passionibus non erubuistis, quin etiam aliis taliter patientibus socii facti estis ; quod de apostolis dictum esse arbitror. « In altero autem socii taliter conversantium effecti. » Ac si dicat : Vos, qui illis ministratis, socii estis ipsorum in remuneratione.

« Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vrstrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. « Vides quia de ipso dicit, et de aliis vinctis. Non enim putastis vincula esse illa vincula, sed sicut athletæ, fortes sic stetistis : qui non solum vestris opus non habuistis hortatione vel consolatione, verum etiam aliis hortatio et consolatio facti estis. « Et rapinam substantiarum vestrarum cum gaudio suscepistis. » Rapinam, quod dicit, cum gaudio suscepistis, id est qui res illorum ab illis abstraxerant, cum gaudio susceperant, propter remunerationem æternam. Mirabiliter satisfacit et comprobat. Nam rapina illa fortassis violentiæ raptorum ascribitur. Nullus enim posset violentos

(1439) *Psal.* LIV 13 : *Inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*

forsitan prohibere, possetis quippe, si velletis non esse rapinam, abnegantes fidem. Sed quod isto multo amplius est, hoc fecistis,ut cum gaudio ista toleretis ; quod erat totum apostolicum opus, et dignum illis fortibus animabus ut flagellatis gauderent.Remunerabantur(1440) enim inquit,a facie concilii gaudentes, quia digni facti erant pro nomine Jesus inhonorari (*Act.* v,41). Qui enim cum gaudio fert, ostendit quia habet mercedem. Quod dixit « suscepistis,» ultroneam eorum patientiam declaravit. Quoniam suscepistis, inquit, cognoscentes habere vos meliorem substantiam in cœlis et permanentem et possidere firmam et stabilem, et quæ perire non possit, sicut ista terrena perit.

(1441) » Nolite itaque ammittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem.Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.» Non enim dixit, quia amisistis, sed nolite amittere. Quod enim amittitur ut iterum acquiratur, labore multo indiget ; quod autem tenetur,et formidinem habet,fortitudinem necesse est habeat. Nolite deficere in tribulationibus, quia magna est remuneratio. Hortatur enim eos, ut fortiores faceret, et stabilem ac firmam fidem haberent. Aliter enim Galatis loquitur, aliter Hebræis, illis, ut Christus firmaretur in eis ; istis, ut stabilitas firma fieret ; illis dicit : « Filioli mei, quos iterum parturio,donec reformetur Christus in vobis (*Gal.* IV, 19), » Et merito. Illi enim superius afficiebantur, propterea opus illis erat increpativo sermone; isti autem aliquantulum frigidiores,unde mitiore magis sermone opus habebant. Nolite itaque amittere, inquit, confidentiam Apparet ergo quiain confidentia multa erant ad Deum Quæ magnam, inquit, habet remunerationem. Propterea antecessit eorum cogitationem pene, dicens si in cœlis intelligitis vos habere substantiam meliorem, nihil requiratis, sed tantum hic patientia opus est, et non ut cadatis, sed ut in eisdem ipsis permaneatis ; ut non abjiciatis quod vobis impertitum est, nihil vobis aliud opus est, nisi ut stetis, sicut stetistis : ut ad finem venientes portetis repromissionem,uno opus habetis tantum ut perseveretis et exspectetis futura, non ut iterum certetis. Ad ipsam jam coronam proximi facti estis ; certamina cuncta sustinuistis, vincula, tribulationes, substantiæ vestræ direptæ sunt,Quid ergo est,quam nisi de cætero ad hoc stetis, ut coronemini ? Hoc solum præstolamini, adventum coronæ. O quanta magnitudo hortationis et consolationis ! Veluti si qui athletæ hoc diceret, quid cunctos superasset et nullum relictum haberet qui sibi certaret,et deinde in futuro ut coronetur tempus dilataretur, dum arbiter certaminis adveniret, qui coronam daret. Ille autem inpatienter ferens,vellet exire et fugere, non tolerans sic,timens flammas æstuationis. Hoc igitur et ipse significavit, dicens : « Adhuc modicum aliquantulum : qui venturus est, veniet et non tardabit (*Habac.* II, 4). » Qui venturus est, non tardabit, id est, Christus. Et ne forte dicerent : Quando veniet ? ex Scripturis eos consolatur. Etenim quia prope est salus nostra (*Rom.* XIII, 11), consolatur eos : tanquam parvum sit tempus,quod remaneat. Hoc non ex se ipso dicit, sed ex Scripturis. « Justus autem meus ex fide vivit (*Habac.* II, 4 ; *Rom.* I, 17 ; *Gal.* III,11).» Quod si subtraxerit se,non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. » Justus ex fide vivit, quia vita corporis tui est anima tua ; vitæ animæ tuæ est fides tua, a qua qui se abstraxerit,non placebit Deo. Laborastis, inquit,certamina plurima sustinuistis : exspectate beatam spem ; nolite hic quærere quæ sperastis, quia justus ex fide vivit.

(CAP. XI.) « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. » Fides igitur, visio est, inquit, non apparentium, et ad eamdem satisfactionem ducens, tanquam quæ videntur. Proinde neque circa ea quæ videntur credulitas vel incredulitas dici potest,neque iterum fides dici potest, nisi cum circa ea quæ non videntur satisfactionem quisquam habuerit. Cum enim quæ sunt in spe,sine substantia esse putantur ; fides eis tribuit substantiam puram.Resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed spes facit eam subsistere in anima nostra. Hoc est quod dixit, substantia.Si igitur argumentum est non apparentium, quid est quod eam vultis jam videre,ut excidatis a facie sanitatis ? Profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est,quæ apparere non possunt. Quæ enim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur : « Vidisti me, credidisti ? » (*Joan.* XX, 29.) Sed aliud vidit, aliud credidit ; a mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, et Deum confessus est, dicens : « Deus meus, et Dominus meus. » Videndo ergo credidit,qui considerando verum hominem Deum, quem videre non poterat, exclamavit.

Lætificat valde quod sequitur : « Beati qui non viderunt, et crediderunt (*Ibid.*). » In qua nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum, quem carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus,si fidem nostram operibus sequimur. Ille enim vere credit, qui exercet operando quod credit. Quod contra de his,qui fidem nomine tenus retinent,Paulus dicit :« Confitentur se nosse Deum factis autem negant (*Tit.* I, 16). »

« Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent,» fides forti

(1440) Loco *remunerabantur* videtur legendum *revertebantur*, vel aliud simile, ut ex textu infra citato.

(1441) In marg. cod. hic legitur cap. XXVII.

animo, et virili opus habet, omnia supergrediente sensibilia, et infirmitatem rationum hominum intranseunte. Non enim potest aliter quisquam fidelis fieri, nisi seipsum a consuetudine communi abducat. Quia ergo animæ Hebræorum debiles erant, et a fide quidem initium sumpserant, ex passionibus autem tribulationum pusillanimes efficiebantur, et minus patienter ferebant, et concutiebantur; primo eos ex seipsis adhortatus est, dicens : « Rememoramini dies pristinos, » deinde ex Scriptura divina dicente : « Justus ex fide vivit : » deinde ex ratiocinationibus, dicens : « Fides est sperandarum substantia rerum, » convictio earum, quæ non videntur; nunc autem et genitoribus incipit loqui magnis viris, et mirabiliter illos proponens nobis in exemplum, quia, sicut illi omnes per fidem salvati sunt, ita et nos per fidem omnes salvamur. Cum enim invenerit anima in eisdem passionibus socium, requiescit et respirat. Hoc et in fide, hoc et in tribulatione solet accidere. Proinde sit in vobis consolatio, inquit, per mutuam fidem. Valde enim fragile est genus humanum et nimium hæsitans in cogitatione. Apostolus ergo ex patribus eos hortatur. Et primo ex communi intellectu, initio manifestum, inquit, est, quia non exstantibus, quæ sunt, Deus efficit : sed ex invisibilibus visibilia, ex non existentibus subsistentia. Et unde hoc? Quia verbo hoc fecit. Ratiocinatio quidem in hoc nihil nobis suffragatur. Unde quidem habemus, quia Deus hoc fecit, ratio non suffragatur. Aliquis, quando fiebant, non aderat. Unde ergo certum est? Manifestum est, quod fidei res est. « Fide intelligimus, inquit, aptata esse sæcula verbo Dei. » Fide quippe credimus aptata, id est, perfecta, seu facta: quia non ex visibilibus, sed ex invisibilibus facta sunt quæ videntur. Hoc autem est fidei. Invisibilia quippe erant, quoniam tenebræ erant super abyssum (*Gen.* I, 2). Visibilia facta sunt, quoniam omnia formam acceperunt.

(1442) « Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur. » Primum penit eum, qui mala passus est, et hoc et a fratre. Proprium illorum posuit exemplum : etenim vos, inquit, eadem passi estis a contribulibus vestris. Hortatur enim eos, ut, sicut ille injuste occisus est a fratre, et non recusavit persecutionem, ita illi non recusarent, si injuste paterentur a contribulibus eorum. Plurimam quippe hostiam Abel, quam Cain obtulit, non quod illa hostia in rebus carnalibus major exstitisset, sed quidquid optimum habebat Abel, Deo per fidem benevolo animo proferebat. Et exinde ei sua multiplicata fuerunt. Et intelligimus ipsum per hoc placuisse Deo. Testimonium enim consecutus est esse justus; sive quod ignis descendit de cœlo, ut in Theodotion legitur inflammavit Dominus super Abel, et super sacrificium ejus; seu per illam Domini sententiam, quod a primo martyre, qui fuit usque ad extremum rememoratus est Deus, vindicari super his, qui faciunt vindictam in servis suis : ut in Evangelio legimus (*Matth.* XXIII, 35; *Luc.* II, 51) : « A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ (*II Paral.* XXIV, 22), filii Barachiæ, quem occiderunt inter templum, et altare. Et per illam defunctus adhuc loquitur, » ut dicitur : Sanguis Abel clamat ad me de terra (*Gen.* IV, 10), seu adhuc loquitur; hoc est, interemit quidem eum, sed non cum eo interemit ejus gloriam. Ac si diceret, non ille mortuus est, ergo nec vos moriemini. Omnia hæc egit Apostolus, ut capacioces eos redderet in fide et firmiores ad tolerandum. Proinde tot signa, tot miracula, tot consolationes multiplicat. Quanto quis acrius passus fuerit, tanto magis gloria procrescit. Quando adhuc loquitur, hoc enim indicium est, quod vivit, quod in ore omnium versatur, quod omnes eum admirantur et beatificant. Qui enim admonet alios ut justi sint loquitur. Non enim tantum proficit sermo, quantum passio illius. Sicut cœlum tantum apparens loquitur, sic et ille, dum in memoriam venit. Nunquam enim in tanta esset admiratione, si mille linguas haberet, si viveret, in quanta nunc admiratione est. Hæc gloria non acquiritur sine periculis.

« Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus, ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. » Non enim dixit apud seipsum Henoch, quod opus est labores et pericula sustinere. Ecce Abel mortuus pro amore Dei, et necdum resurrectionem adeptus est; sed desiderium quidem ejus manifestum est, et quæ ab illo fieri debebant, facta sunt. Quæ vero donari sperantur, necdum illi collata sunt. Sed nec parricida suscepit contritionem. Minatur quidem ab eo, sed necdum ei retribuit. Quid illi ex hoc proderit? sed ab hujusmodi cunctatione pertransiens intellexit, quoniam si est Deus, omnimodo retributio erit. Et vos igitur, inquit, attendite vos; et si videtis nihil vos hic percipere, non perturbemini. Si illi sic placuerunt Deo, qui nulla exempla, quæ intenderent, habuerunt, quanto magis nos debemus placere, quibus tot stellæ micantes emicuerunt, donec veniret verus Sol? Fide, inquit, translatus est Henoch. Henoch per fidem placuit Deo, ut quomodo patres superiores ante adventum, illum non viderunt et crediderunt, ita et nos scientes credere debemus quod non videmus, ut accipiamus sicut illi acceperunt, ut dicitur : « Quærite Dominum, et confortamini, quærite faciem ejus semper (*Psal.* CIV, 4). » Ut enim transferretur, causa fuit per quod placuerat. Sed ut Henoch placeret Deo, causa erat fides.

(1442) Hic in cod. marg. legitur cap. XXVIII.

Nisi enim sciret quia redditurus est retributionem, quomodo placeret Deo?«Sine fide enim impossibile est placere Deo.»Quomodo hæc credebat? Credebat enim quia, si quis crediderit esse Deum, etiam retributionem habebit. Unde ergo placet Deo? Credere, inquit, opus est quia est. Nunquid est? Si autem, quia est fides,non ratiocinatione opus habet, ita nec quid sit, ratione comprehendi poterit. Sic, quia retributor mercedis est,fide opus habet, et non ratiocinationibus.Quomodo ea quæ ad essentiam ejus attinent,ratiocinatione poterunt comprehendi? Qualis enim est ratiocinatio,quæ poterit ad ista pertingere? Multi autem quærunt quo translatus est Henoch, et quare translatus sit, et quare non fuerit mortuus,neque ipse, neque Elias; si adhuc vivunt, et quomodo vivunt? et in quali habitu? Sed supervacuum est ista requirere. Quia vero translatus est iste,et assumptus est ille, Scripturæ dixerunt; ubi autem sint,et quomodo,non addiderunt.Aiunt enim ad hoc factum esse,ut in ipsis initiis statim referretur Henoch, ut anima humana spem acciperet,quia solvitur mors, et damnaretur diabolica tyrannis. Primum per Abel permittit fieri mortem, terrore volens ostendere quia revera permanet firma sententia, quia terra es, et in terram ibis : ne confidentes pigri efficerentur. Per Abel quidem perterrens, per Henoch autem excitans ad æmulationem placendi sibi. Inquirentibus namque opera bona, et per intellectum mercedis retributor efficitur.

« Fide Noe, responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum ; et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. » De his, quæ adhuc non videbantur inquit, hoc est, de imbribus, metuens construxit arcam. Per rationem quippe nihil in hac vita suggessit.Nubebant,inquit, alii, ut Dominus ait in Evangelio,et nuptui dabant (*Matth.* XXIV, 38); aer serenus,et signa nulla erant. Verumtamen ille timuit, atque per fidem de his, quæ adhuc non videbantur, timens, construxit arcam ad salutem domus suæ, per quam, id est, per fidem damnavit mundum,id est,condemnavit comparatione sua, dum mundus fidem non habuit.Per fidem, non per legem hæres est, dum ipse solus fidem patrum tenuit, et ab illo cæteri discedebant. Ostendit enim eos dignos hoc supplicio, qui neque per illam constructionem corrigebantur.« Et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. » Hæres regni cœlorum,vel hæres mundi dicitur,quia de suo semine fuit reparatio mundi. Ex hoc enim apparuit justus,ex eo quod credidit Deo. Hoc enim animæ est,quæ se germane habet ad Deum, et verbis illius nihil felicius judicat,sicut etiam infidelitas, eum contra se habet. Fides autem certum est,quia justitiam operatur.Sicut nos responsum accepimus de gehenna æterna,sic et Noe de damnatione mundi.Tametsi irridebatur,semper prophetabat. Et est sensus : Vos si persecutionem patimini, tolerare debetis, ne vos dies ille, sicut fur, comprehendat.

Exemplum enim Henoch fidei tantum fuit. Exemplum hoc Noe, et fidei et infidelitatis. Hæc est perfecta consolatio et exhortatio : quando non solum qui crediderunt inveniuntur approbati esse, sed etiam infideles contraria passi.

« Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem ; et exivit nesciens quo iret. » Id est et ipse Abraham per fidem placuit Deo. Nesciens enim quo iret,quia ignotus erat habitationis locus illius terræ.Inquantum enim ambulavit, per fidem ambulavit. Seu nesciens quo iret,quia quem imitaretur,nullum habebat. Dictum enim erat : tibi dabo terram hanc et semini tuo.Vidit filium ibi ut peregrinum habitantem, vidit nepotem, vidit seipsum in aliena terra peregrinantem,et nihil turbabatur. Ideo enim circa Abraham sic actum est,ut postea repromissio perducenda esset in prolem ejus, quanquam etiam ad ipsum dictum esset, quia tibi dabo et semini tuo, non semper tibi,sed tibi et semini tuo.Et tamen neque ipse,neque Isaac,neque Jacob potiti sunt hac promissione,sed successio illorum.Et ideo dicit,fide qui vocatur Abraham ; non enim sic vocabatur,quando obedivit Deo:ideo dictum est,qui vocatur Abraham.

« Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem. » Fides Abrahæ duplicatur pro magnitudine fidei ; unde caput fidei dicitur. Sicut enim fide exivit, nesciens quo iret, sic fide mansit in terra sua. Casa domus est; casulis,quod dicit diminutivum est, id est, in tentoriis cum Isaac et Jacob habitando. Ipse enim eos docuit fidem.« Cohæredibus repromissionis ejus. » Ea repromissio facta est ad Abraham, quæ ad Isaac, et ea ad Isaac,quæ ad Jacob. Omnes simul cohæredes in repromissionibus Abrahæ simul hæredes,quia omnibus promissum est,sicut ad Abraham. Abrahæ enim dictum est : In te benedicentur universæ cognationes terræ,et Isaac vocabitur tibi semen ; ad Isaac autem : Complens juramentum,quod spopondi Abraham patri tuo,et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, daboque posteris tuis universas regiones has,et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; ad Jacob autem dictum est : Ego Deus omnipotens; crescere, multiplicare gentes,et populi, nationesque erunt ex te, reges de lumbis tuis egredientur, terramque,quam dedi Abraham,et Isaac,dabo tibi,et semini tuo post te.

« Exspectabant enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, et conditor Deus. » Contemplare quia has receperunt repromissiones, hoc est, exspectando,et confidendo.Si igitur confidere, accipere est, possumus nos accipere. Isti enim, si nihil horum possidebant,tamen desiderio intuebantur ea. Illi quidem repromissiones in terra factas non attendebant. Sed futuram quietem requirebant. Erubescamus enim nos,qui terrena requirimus.Ostenderunt enim se ipsos majoribus esse dignos.Non eos, permisit hoc accipere, sed illa majora eis tribuit,

volens nobis ostendere, quia majoribus digni sunt. Nolentes alligari ad ista terrena, cum tanto studio abducebant animos suos a terra, neque quæ dabantur, accipiebant. Etenim propterea nepotes eorum acceperunt. Illi quippe erant terra digni, non illius, cujus civitatis artifex, et conditor Deus est.

(1443) « Fide et ipsa Sara sterilis virtutem (1444) in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis; quoniam fidelem tradidit esse eum, qui repromiserat. [Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc mortuo) tanquam sidera cœli in multitudine, et sicut arena, quæ est ad oram maris innumerabilis.» Fortassis dicit aliquis : Quomodo fide, quæ risit? (*Gen.* XVIII, 12.) Risus enim ille etiamsi gaudii fuit, plenæ fidei non fuit. Post ab eodem angelo in fide etiam confirmata est ; proinde evacuata dubitationis causa, introducta est fides. « Virtutem in conceptionem seminis accepit. » Jam mortificata erat, sterilis; duplex enim erat præclusio ; una temporis : senuerat quippe jam ; alia vero ex natura : sterilis enim erat. Sed ad suscipiendum et retinendum semen accepit virtutem. Mulieres namque ex duabus rebus steriles esse solent; sive quando in vulva virtutem non habet semen, quod in senectute evenit, cum deficiunt muliebria ; vel quando vulva concluditur etiam in juventute, ut non perveniat semen ad loca conceptionis: contra quæ, id est, sterilitatem et senectutem, dedit Deus virtutem. Ad locum statim conceptionis semen pervenit, et postquam pervenit, dedit partus soliditatem mulieri. Fidei namque soliditate uteri insolida confortantur, ut omnia possibilia sint credendi (*Marc.* IX, 22). Propter quod, inquit, et ab uno orti sunt ei ; id est, ab uno Isaac orti sunt ei duo filii, seu innumerabilis postea multitudo populi ; vel ab uno corpore Abraham et Saræ orti sunt innumerabiles populi (1445). Idcirco etiam ex uno geniti sunt omnes, non hoc solum volens significare, quia genuit, sed etiam, quia tantorum mater effecta est, quantorum neque fecundæ. Et hoc emortuo, inquit, vel emortua. Non enim vita, sed feminæ mortuus fuit. Senex enim homo semen tantum fundere potest : sed tamen seminis soliditate, ut procreare possit filios, caret, nisi forsitan de adolescentula, ut alii ferunt. Sicut sidera, inquit cœli, vel arena maris. Hyperbolice dictum est : Per sidera quippe cœli, boni intelligendi sunt ; per arenam vero maris, mali reputantur. In tantum enim crevit illius gentis unius multitudo, quæ secundum carnem nata est ex Abraham per ejus nepotem Jacob, ut pene omnes partes orbis impleverit, et ideo potuit et ipsi, secundum hyperbolem, arenæ multidini comparari ; quia hæc sola innumera est homini, non Deo ; Deo autem, nec arena terræ. Si in hac vita tales repromissiones Dei sic facile implentur, ita mirabilia sunt et gloriosa, ita magnifica, qualia erunt illa, quorum ista additamenta sunt? Quid igitur adipiscentibus beatius, aut non adipiscentibus infelicius? Si enim patria quis expulsus ab hominibus, miserabilis judicatur, et quisquis hæreditatem amiserit, videtur omnibus esse dolendus ; qui cœlo privatur, quid illi reputes boni? quantis lacrymis iste plangendus est? Cum enim ex propria voluntate semetipsum quisquam infigit, non solum lacrymis dignus est, sed etiam lamentationibus.

« Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confidentes (1446), quia peregrini, et hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent, de qua exierant, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. » Duo quædam est hic dignum quærere. Cum enim supra dixisset, translatus est Henoch, et non inveniebatur, ne videret mortem, hic dicit, secundum fidem mortui sunt omnes isti. Et cum iterum dixisset, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, superius dixit de Abel, quia testimonium consecutus est esse justus, et per illam defunctus adhuc loquitur ; et de Henoch dicit, quia translatus est ; et de Noe, quia salvatus est de condemnatione mundi, et hæres mundi factus. Videtur enim mihi ita solvere. Juxta fidem omnes mortui sunt. In hoc loco, omnes dicit : Non quia omnes mortui sunt, sed quia propter illum solum omnes isti mortui sunt, quos scimus mortuos fuisse. Quod autem dixit, non acceptis repromissionibus, verum est ; quia in quibusdam rebus acceperunt. Accepit Henoch, ne videret mortem ; accepit Noe, ut salvaretur ; acceperuntque alii plurimi, sed hæc quidem illis libamina quædam erant, et primæ degustationes futurorum. Deus enim, non solum quæ futura sunt nobis largitur, sed etiam quæ hujus vitæ sunt, nobis præstat, sicut discipulis suis dicebat : « Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI, 33 ; *Luc.* XII, 31). » De longe aspicientes, id est, promissiones, quas veniens Christus prædicavit, quia si quis dimiserit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, centuplum recipiet, et vitam æternam (*Matth.* XIX, 29). Vel de suo adventu, salutantes, id est, optantes, sicut Dominus ait in Evangelio : « Quoniam multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos auditis, et non audierunt (*Luc.* X, 24). » Ita confitebantur de illis, ut etiam sa-

(1443) Hic in marg. legitur cap. XXIX.

(1444) Inter ea verba *virtutem, et in conceptionem,* legitur in cod. lectio XII.

(1445) Vel etiam, si liceat nobis aliquid de nostro addere, quod non sine timore, et reverentia facimus : ab uno orti sunt, et hoc emortuo, tanquam sidera cœli, et Vetus Testamentum, populumque Judaicum, et Novum, populumque Christianum, qui primo emortuo successit, fortasse per duos illos potuisset Apostolus significare velle. Ausui nostro benigne ignoscat Apostolus, cujus divinos sensus prostrata fronte miramur, veneramurque.

(1446) Vulg. *confitentes*. Imo ita legendum, quæ inferius in hunc textum habentur, satis probant.

lutarent eos. Ex metaphora navigantium hoc dixit, quia a longe prospiciunt desideratas civitates, quas antequam ingrediantur, salutatione præveniunt, et eas sibi familiares efficiunt. Aspiciebant in fide, confitebantur in sermonibus, quia peregrini, et hospites erant, ut scriptum est: Peregrinus sum, sicut omnes patres mei (*I Par.* XXIX, 15 ; *Gen.* XXIII, 4 ; *Psal.* XXXVIII, 13). Ubi autem confitetur Abraham quod peregrinus, et hospes sit, necesse est inquirere ; fortassis enim etiam ipsum hoc confessum esse reperiemus. Confessus tamen est David, sicut diximus; quia peregrinus, inquit, sunt, sicut omnes patres mei ; peregrinus a peregre proficiscendo dictus. Peragrare enim, perambulare dicimus ; quia in tabernaculis habitabant, qui sepulcra pecuniis comparabant. Certum est quoniam peregrini erant, ut etiam nec ubi sepelirent suos haberent. Quid est ergo ? Nunquid illius terræ, in qua Palæstini erant, dicebant se peregrinos esse ? Nequaquam ; sed totius mundi. Et merito. Nihil quippe conspiciebant in eo eorum, quæ volebant, sed omnia peregrina, et aliena illis erant, qui virtutem Dei colere desiderabant. Quomodo, inquit, peregrini erant ? Non erat diligentia eorum circa ea, quæ hujus mundi sunt : et hoc non verbis solum, sed etiam rebus ipsis, et operibus demonstrabant. Dixit Deus Abrahæ : Exi de terra tua, quæ putabatur esse patria. Statim exivit, et non est retentus amore propriorum, sed sicut peregrinus egressus est, sed venit ad alienam terram. Dixit ei : Offer mihi filium tuum. Sic eum obtulit tanquam si non habuisset humanam naturam « Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere ; » id est, cœlestem. Et ne quis diceret patriam esse terram Chaldæorum, addidit : « Et si quidem illius meminissent, de qua exierant, habebant utique tempus revertendi : » id est, habebant spatium revertendi in Chaldæam, unde et fuerunt, sed meliorem appetunt, id est, cœlestem Jerusalem. Prima virtus est, peregrinum esse mundi hujus, et hospitem, et nihil commune habere cum regibus hujus sæculi, removeri ab eis, sicut peregrinus. Iste autem egregius prædicator non peregrinum seipsum dixit, sed mortuum mundo. « Mundus, inquit, mihi crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* VI, 14).

« Ideo non confunditur Deus vocari Deus illorum; paravit enim illis civitatem sanctam (1447). » Magnum hoc est, et vere magnum, et multæ beatitudinis indicium. Laudemus ergo ineffabiliterejus essentiam, et amemus misericordiam, quod dignatus est habere nomen misericordiæ, dicendo : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, cum sit nomen ejus æternum. Confusio quippe illi est, quando malignorum hominum Deus vocatur, et confundit illos etiam ipse, sicut enim glorificatur, quando benignorum, et optimorum hominum vocatur Deus, et colentium virtutem, sic e contrario confunditur in actis nefandorum. Sed illi ita erant clari, ita confidentia pleni, ut non confunderetur, cum eorum vocaretur Deus. Dicitur enim Deus terræ, et Deus cœli, siquidem et Deus gentium, et non solum gentium, sed totius mundi, quia ipse condidit, et construxit omnia ; sanctorum vero illorum non sic dicitur, sed sicut amicus. Dicitur et nunc Dominus, Deus Christianorum, et tamen excedit hoc nomen dignitatem nostram.

« Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones ; ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. » Siquidem in uno eodemque facto beati Abraham, Jacob operum ejus magnificentiam(1448), Paulus fidei constantiam laudavit, nec tamen disparem, diversamque a Jacobo protulit Paulus sententiam. Sciebant namque ambo quod Abraham et fide, et operibus erat perfectus ; et ideo quisque illorum illum magis in eo virtutem prædicavit, qua suos auditores amplius indigere prospexit. Quia enim Jacobus illis scribebat, qui fidem sine operibus otiosam tenebant, opportune illud protulit exemplum, in quo illa præcipua fides Abrahæ, quæ et prius, Scriptura teste, laudata est, appareret, quia non otiosa ejus in corde torpuisset, sed ad obediendum divinis imperiis jam prompta flagrasset. Quia vero Paulus instruebat, qui sine gratia fidei de suis se extollebant operibus, ostendit quia sine fide impossibile est Deo placere. Atque ad redarguendam, corrigendamque eorum temeritatem, collectis omnium patriarcharum exemplis, manifeste edocuit quia omnes testimonio fidei probati sunt. Unde et specialiter de Abraham intulit quia fide offerret Isaac, arbitrans, inquit, quia et mortuos suscitare potens est Deus. Conjunxit ergo opus fidei, qui ideo filium mox offerre voluit, quia Deum hunc continuo resuscitaturum esse credebat; ideo autem hunc post mortem a Deo resuscitandum esse credebat, quia verum credebat esse quod audierat, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sicut enim credidit non per rationem humanam, quia ex vulva mortua, et sene, licet inepta jam facta ad generandum, donare potuisset filium ; ita etiam ipsa fide occisum resuscitare credidit. Sciebat certissime Deum falli non posse, et, licet puer occideretur, promissionem tamen Dei salvam permanere. Unde et hic Apostolus per spiritum Dei didicerat quod animo habuisset Abraham intra se, dum fidem ejus laudando, dicit : Fides Abraham non hæsitavit, cum unicum offerret, in quo acceperat repromissiones, cogitans quia et a mortuis eum resuscitare potens est Deus. Vere magna erat fides Abrahæ. In Abel quippe, et Enoch, et Noe ratiocinatio erat ; in Abraham autem ratiocinationes excedere videbatur. Nam præcepta quippe Dei cum præceptis litigare videbantur ; et fides fidei repugnabat ; et mandatum

(1447) Epithetum *sanctam* Vulg. non habet.

(1448) Jacobi scilicet apostoli laus Abraham tributa innuitur in ejus Epistola catholica II, 21 et 23, ubi primum opera, vers. scilicet 21 ; deinde fides vers. 23, laudantur.

Dei erat repromissioni contrarium, ut puta, veluti quod dixit, quoniam in Isaac vocabitur tibi semen, et credidit : et iterum dicit : Sacrifica illum mihi, ex cujus semine mundus totus erat replendus. Intuere litem præceptorum, et promissionum. Contraria quippe repromissionibus imperabat. Et neque sic obstupuit justus ille, neque deceptum se dicebat. Non enim posset quisquam dicere : Quia habuit alium filium, ex illo sperabat repromissionem implere, et propterea confidens istum obtulit. Etiam unigenitum, inquit, offerebat, qui repromissiones acceperat, quantum ad rationem attinet repromissionis ; propterea addidit Apostolus, unigenitum, volens ostendere propterea unigenitum esse, qui in illo susceperat repromissiones, sicut scriptum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Deinde ne quis putaret quoniam desperans hoc fecit, et per hoc præceptum fidem illius repromissionis amiserat, cognoscat revera omnis, quia et illam habuit fidem, licet videretur huic repugnare (sed non repugnabat : non enim humanis ratiocinationibus virtutem Dei pensabat, sed fide cuncta gerebat) ; propterea non veretur dicere Apostolus, quia et ex mortuis suscitare potens est Deus. Vos enim, inquit, vos non potestis hoc dicere ; quia requiem vobis in futuro, et in mundo tribulationem promisit. In mundo, inquit, tribulationem habebitis (*Matth.* XXIV, 9) ; et : Qui non acceperit crucem suam, et secutus me fuerit, non est me dignus (*Matth.* X, 38 ; *Marc.* VIII, 34 ; *Luc.* IX, 23) ; et iterum : Ante principes, et præsides inducent vos propter me (*Matth.* X, 18 ; *Marc*, XIII, 9). Abrahæ vero econtra factum est, et contra quippe promissionem ei imperabatur ut faceret, et neque sic turbatus est, neque obstupuit, nec se deceptum arbitrabatur. Vos autem nihil extra promissionem patimini, et conturbamini. Ille vero contraria repromissioni audiebat ab eodem ipso, qui illa promiserat, et non conturbabatur. Fide, inquit, obtulit Abraham Isaac. Quid ergo ? Ignorabat Deus quia fortis erat ille vir, et probabilis ? Quare ergo eum tentabat ? Non ut ipse cognosceret, sed ut aliis demonstraret, et manifestam ejus fortitudinem constitueret universis. In hoc loco etiam ostendit causam tentationum, ne putarent tanquam derelictas a Deo ille se perpeti. Si igitur ita probatos tentationes reddunt, ut etiam non existente causa, Deus tamen exerceat suos athletas, multo magis vos ob rem cuncta oportet fortiter tolerare. Eleganter exemplum bonæ fidei ab ipso patriarcha monuit esse discendum, provocans videlicet eos, qui de Judæis crediderant, ut quasi bonæ soboles primi et maximi sui parentis actus sequerentur. Et quoniam eos, ne in tentationibus deficerent, et ut fidem suam per opera probarent, admonebat, elegans de patriarcha posuit exemplum, per quod eos in utraque virtute posset instituere. Quæ enim tentatio major, exceptis his, quæ ad proprii corporis pertinent plagas, accidere potest, quam si quis filium unicum, dilectissimumque suum senex cogatur occidere ? Quomodo autem tunicam, vel escas suas pro divino amore pauperibus dare differt, qui filium, quem senex acceperat hæredem, ad jussionem Domini, statim morti dare non distulit ? Illud enim quod dictum est, arbitrans quia et a mortuis resuscitare potens est Deus, potest accipi propter illos dictum esse, quos volebat ad spem resurrectionis adducere, et qui dicere audebant ; quia post mortem nobis bona promisit ; fortassis enim, inquiunt, fefellit nos. Ostendit quippe, quia ex mortuis suscitare potens est Deus ; si autem ex mortuis suscitare potens est Deus, utique cuncta restituet quæ promisit.

« Unde et in parabola accepit eum. » Accepit eum in parabolam ; quia ariete occiso iste salvatus est (*Gen.* XXII, 13). Occisus est Isaac, quantum ad voluntatem illius pertinuit ; deinde illum redonavit patriarchæ in parabola, id est, in similitudine et figura passionis Christi. In similitudinem enim erant omnia ; quæ tamen agebantur in Abraham, formæ quædam erant, quæ pro nobis verus Abraham, id est Deus Pater, in fine sæculi agere debebat. Abraham quippe figuram Dei Patris gestabat, Isaac vero figuram Christi. Nam sicut Abraham unicum, et dilectum filium Deo victimam obtulit ; ita Deus Pater unicum Filium suum pro nobis omnibus tradidit. Et sicut Isaac ipse sibi ligna portabat, quibus erat imponendus ; ita et Christus gestabat in humeris lignum crucis, in quo erat crucifigendus. Aries est caro Christi. Isaac oblatus est, et non est interfectus, sed aries tantum ; ita et Christus in passione oblatus est, sed divinitas impassibilis mansit.

« Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et Esau. » Futuris, non futurum sæculum significans, sed futura hujus sæculi, de quo Dominus dicit in Evangelio : Quod « multi prophetæ, et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* X, 24). » Si enim propterea non revelabatur Filius quibusdam, propter infirmitatem eorum, qui eum non poterant excipere, verumtamen illis qui virtutis charitate fulgebant, revelabatur. Et hoc etiam Apostolus dicit, quia per fidem eos benedixit futura prævidens ; quia et Jacob figuram Christi, sive populi Christiani gestabat, Esau vero Judaici (1449).

« Fide Jacob moriens, singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. » Imo et ipse Jacob per fidem benedixit singulos filiorum Joseph, Ephraim, et Manassem, id est, duos tantum. Ideo singuli dicuntur, quia unumquemque de duobus seorsim benedixit. Nam per majorem, id est per Manassen, præfigurare voluit populum Judæorum ; per minorem vero, populum Christianorum. Duorum enim filiorum benedictionem prius commemorare voluit, ut per fastigium virgæ adoranda fides ejus, et prophetia ostenderetur. In virga enim illa,

(1449) En quæ expositionem nostram in ea verba vers. 12 hujus cap., *propter quod et ab uno orti sunt*, et superius traditam maxime fulciunt.

quam adoravit Jacob, et summitate illius, quam osculatus est, regnum Christi, quod præscivit in spiritu, quod in fine sæculi erat futurum, adoravit; quod per verum Joseph, id est, Dominum Christum regi prævidebat. Seu præscivit, quod de eodem genere qui virgam regni susceperunt, postea Christus nasciturus erat. Vel sicut alii intelligunt, quod nobis abs re esse videtur, quoniam resurrecturus erat ex Ephræm (1450) rex, qui postea super decem tribubus regnavit; propterea adorasset fastigium virgæ Joseph.

« Fide Joseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit.» Non enim dixit Joseph, quia me vivente hanc terram non dedit patri meo, neque avo meo, quorum virtutem magni pendebat. Num istos dignos facturus est, ut percipiant quæ illi digni sunt facti percipere? Nihil horum dixit, sed cuncta speravit, quia per fidem prævidit quæ futura erant. Unde et ipse dicit: Visitabit vos Deus post multos dies, ferte ossa mea vobiscum (*Gen.* L, 23; *Exod.* XIII, 19). Hinc nunquam enim de suis ossibus mandaret, nisi plena fide speraret redditum eorum in terram repromissionis. Non enim justi curam gerebant sepulcrorum. Non enim debemus pusillanimes fieri, ubicunque sepeliamur, maxime cum plurimorum fortium sanctorum nesciamus ubi corpora eorum jaceant humata; quanto minus nos debemus de hac re curam gerere?

(1451) « Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. » Si non timuerunt, quomodo custodierunt? Ac si non timuissent, ita illis reputatur. Unde ergo isti speraverunt ut salvarent puerum, nisi per fidem? Siquidem ab initio ex ipsis incunabulis multa erat justo illi infusa gratia, non natura hæc operante, quod genitus est honestus infantulus, sed gratia divina, qua etiam barbaram illam mulierem Ægyptiam excitavit, ut amaret, ut sumuret, ut arriperet. In istis enim fides non habuit idoneum argumentum. Quod ergo, et quantum erat, ut in ipso vultu crederent? Sed vos, inquit, tot habentes fidei pignora, ex ipsis rebus auditis credite, ut cum gaudio rapinam rerum suscipiatis, quamvis fides vestra per multa tempora tendat, sicut et Abraham, quia et isti per fidem non timuerunt regis edictum.

« Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. » Tanquam si diceret ad eos, quibus hæc scribebat: Nullus vestrum dimisit aulam regalem, et amplam, et claram, neque tales thesauros, neque, cum posset filius regis esse, contempsit, sicut Moyses fecit; et non solum contempsit, sed etiam abnegavit. Cœlo quippe præposito, noluit admirari Ægyptiaci regni pulchritudinem, magis eligens cum populo Dei affligi, quam peccati habere jucunditatem. Non affligi cum aliis, hoc peccatum esse putavit. Si igitur ille non affligi alacriter cum cæteris, peccatum esse judicavit, quantum cumulum peccati habituri erunt, qui congregationem deserunt? Vos enim pro vobis ipsis patimini; ille autem non solum pro se solo aspiciens in remunerationem, sed etiam pro aliis hoc elegit, ut cumulus mercedis amplius cresceret; et ultro se projecit in tanta pericula, cum ei liceret et pie vivere, et sæcularibus bonis perfrui. Majores, inquit, divitias existimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Pro Christo (1452) enim improperium sustinere melius judicavit, quam in deliciis esse. Quid est improperium Christi? Hoc est, quale Christus sustinuit improperium, quale vos nunc sustinetis, et quod pro Christo sustinuit Moyses, improperium. Respuendo enim paternos errores, improperium sustinemus, sicut etiam Moyses improperium sustinebat, quando audiebat: « Nunquid interimere me vis, sicut interfecisti heri Ægyptium? » (*Exod.* II, 14.) Hoc est improperium Christi, quando quisquam a domesticis, quando quisquam ab eis quibus beneficium præstat, sustinet improperium, sicut ipse Christus ab eis audiebat, pro quibus crucifigebatur, dicendo: « Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII, 40). » Etenim Moyses pro beneficio suo hæc patiebatur, sicut et Christus. Hinc enim eos excitavit, ostendens, quia et Moyses eadem passus est, sicut et Christus. Patiebatur enim Christus, cuncta ferebat, illis moventibus capita sua. Sed neque fulgura emittebat, neque seipsum voluit ulcisci, ut nobis exemplum humilitatis monstraret.

« Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibile enim, tanquam videns sustinuit. » Proinde etiam quod in fugam versus est, fidei fuit. Quod ergo non permansit, inquit, ne se in apertum præcipitaret periculum; quia hoc jam tentantis esset insilire in medio periculi, et dicere, Videamus si me liberet Deus: hoc etiam Christo dixit diabolus: « Mitte te deorsum (*Matth.* IV, 6; *Luc.* IV, 9). » Intueris quia hoc diabolicum est, ut supervacue ac superflue si quisquam se in periculum jaciat, tentare Deum si salvet. Etenim esse jam illis ad regimen eorum non poterat, ita ingrate afflictis illis, quibus tanta præstiterat. Stultum quippe erat, et insensatum permanere illic.

« Fide celebravit Pascha ex sanguinis effusione (1453), ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. » Plurima idem Apostolus, inter ipsa quæ loquitur, solet argumentari, et densus est in sententiis: talis quippe est Spiritus sancti gratia. Non abundantia

(1450) Idem ac *Ephraim*, Psal. LXXVII, 9.
(1451) Hic igitur lectio XIII.
(1452) Id est improperium simile improperio, quod Christus sustinuit: vel *pro Christo*, scilicet pro populo, ex quo Christus nasciturus erat, vel pro Christo venturo, in quem sperabant justi.
(1453) Vulg. *et sanguinis effusionem.*

verborum paucas continet sententias, sed in brevitate verborum magnum habet, et plurimum intellectum. Ac si illis diceret : Si sanguis agninus in medio Ægyptiorum, et in tanta devastatione illæsos servavit Judæos (*Exod.* XII, 7), multo amplius salvabit nos; non postes, sed animas nostras. Timuit enim illum sanguinem angelus : sciebat enim cujus erat typus; pertimuit, Dominicam mortem intelligens : propterea non tetigit postes, quamvis quod fiebat, non esset, sed quod per illud præfigurabatur, magnum erat. Quod enim fiebat, sanguinis erat effusio; quod autem præfigurabatur, salus, et conclusio, et prohibitio perditionis, scilicet educens nos de Ægypto, hoc est, tenebris idololatriæ. Vos autem ipsius agni habentes sanguinem, non confundimini. Induamur enim arma (*Rom.* XIII, 12), hoc est, illo sacrificio; quia qui vastat, in profunda nocte circuit. Intuere igitur quomodo disputans, volens eos sub occasione hortationis instruere, sanguis cujus figuram, et typum habuisset. Sanguine agni illiniuntur Israelitarum postes, ne vastator angelus audeat inferre perniciem; signantur signo Dominicæ passionis in frontibus fideles populi ad tutelam salutis, ut hi soli ab interitu liberentur, qui cruore Dominicæ passionis corde, et fronte signati sunt, qui etiam ore loquuntur : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV, 7).» Unde et appellatur ipsa solemnitas *phase*, quod nos transitum possumus vocare, eo quod de pejoribus ad meliora pergentes, tenebrosam Ægyptum derelinquamus.

« Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram : quod experti Ægyptii, devorati sunt. » Contemplamini quia ubique fides ratiocinationes humanas excedit, et infirmitatem, atque humilitatem hominum superat. Credendo enim etiam supplicia declinaverunt. Ex hoc enim manifeste apparuit aquam esse, quia illi venientes absorpti sunt. Ex hoc apparuit non esse phantasia, sed rerum veritas, quia experti Ægypti, devorati sunt. Ac si illis diceret, quibus hoc scribebat : In tantum enim fidem tenere debemus, ut quando in desperatione aliqua animus noster fluctuat, tunc quoque fidei simus, ut liberemur : ac si usque ad mortem veniamus, ac si de nobis ab omnibus desperetur, tunc fidem plus firmiter teneamus. Quænam spes poterat esse illis? Circumdati enim undique, si vellent fugere, aut in mare erant perituri, aut in manus Ægyptias inciderent, sed per fidem cuncta vicerunt. Id ipsum mare istis est oblitum naturæ suæ, illis armatum est adversus eos. Typice autem, quid per mare Rubrum, nisi baptismum est Christi sanguine consecratum? Hostes sequentes cum rege, qui a tergo moriuntur, peccata sunt præterita, quæ delentur, et diabolus, qui in spiritali baptismo suffocatur. Premunt quidem Ægyptii; urgent, instant peccata, sed usque ad aquam.

« Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem (*Josue* VI, 20). » Non enim tubarum sonitus murorum saxa dejecit, ac si per decem millia annos quis tubis insonaret. Sed fides omnia valet. Neque consequentia ulla rerum, neque naturæ lege omnia permutari, sed propter spem cuncta fieri. Proinde etiam hic propter spem cuncta fiunt. Confirmat enim Apostolus sursum atque deorsum, quia oportet credere spe futuris. Proinde tam longum istum sermonem monuit ostendens quod non nunc, sed ex initio omnia miracula per fidem impetrata sunt, et perfecta. Figuraliter Jericho mundum significat. Jericho autem per interpretationem luna dicitur. Luna vero mundi hujus speciem tenet; quia sicut luna menstruis completionibus deficit, ita hic mundus ad conflationem temporum currens, quotidianis defectibus cadet. In arca vero Ecclesia figuratur; in tubis autem æreis, prædicatores fortes accipiuntur. Hanc ergo urbem Jericho diebus septem ferentes arcam Israelitæ, æneis tubis clangentibus circuunt, et muri ejus per arcæ præsentiam, atque æreárum tubarum sonitu cadunt, quia in hoc tempore, quod septem dierum vicissitudine volvitur, dum fertur arca, id est, dum orbem terrarum circuiens movetur Ecclesia, ad prædicantium voces, quasi ad tubarum sonitum, muri Jericho, id est, elata mundi, ac superba infidelitatis obstacula corruunt, donec in fine temporum mors novissima inimica destruatur. Deinde augmentum facit consolationis, et exhortationis suæ; ad personas infirmas deponens orationem. Ut enim admirabiles personæ hæc fortiter paterentur, mirum satis non est; quia vero meretrix mulier ita fideliter credidit, in hoc vobis mirabile exemplum monstratum est. Sequitur :

« Fide Rahab meratrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace (*Josue* II, 3). » Ac si patenter dicat : Turpe est enim, si meretrice infideliores estis. Illa tantum homines audivit nuntiantes, et confestim credidit; vos autem non solum homines auditis, sed etiam voces prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur. Nam etiam in Rahab effectus fidei consecutus est; omnibus quippe pereuntibus sola salvata est. Non dixit apud se ipsam, nec per rationem ratiocinata est : Quia cum pluribus ero, num ego ipsis prudentior esse possum sapientibus viris, qui non credunt, et ego credam? Non taliter cogitavit, sed credidit dictis eorum, quod possent illa contingere. Rahab vero typum tenet Ecclesiæ, quæ de extraneis, atque alienis gentibus congregata est; quæ antea vivens in desideriis carnis, fornicabatur in idolis, ad quàm Dominus Jesus Christus, ad scrutandos mores hominum duo Testamenta direxit. Nam ideo, ut credentium fidem, aut rebellium pervicaciam plenius comprobaret, ante adventum judicii sui, quasi exploratores duos, legem, et Evangelium destinavit.

Huc usque narravit de legislatore, et de patribus antiquis, et de successore Moysi Jesu Nave. Nunc dicturus est de judicibus Israel, nomina commemorans propter brevitatem sermonis, qui per fidem pugnaverunt, et gentes plurimas vicerunt.

« Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus

enarranten. » Deficit enim me tempus destinatum ad scribendam epistolam : hoc, quod in corde proposui, seu historiam narrando de operibus eorum, sed finem faciens in meretricem, et in verecundiam eis excitans qualitatem personæ, non jam delectatur historiarum commemoratione. Ne videatur sermonem suum protelare tamen non ea explanat, sed percurrit, sapienter valde utrumque faciens, et tempus fugiens, et densitatem sententiarum non auferens. Neque enim omnino tacuit, neque dicens molestus effectus est ; utrumque enim facit. Qui jam credenti longitudine sermonis molestus esse voluerit, opinionem ambitionis incurrit; oportet enim utilitati prospicere et coaptari.

« De Gedeon, Barach, Samson, Jephte, David, Samuel et prophetis, qui per fidem vicerunt regna. » Quod omnes in commune narrantur, illud est quod singulorum opera eadem fide acta sunt, qua et isti per fidem similiter vicerunt. Regnavit Gedeon, signum accipiendo in vellere ad prosternendum Zebee et Salmana (*Jud.* VIII, 40). Barach, ad conterendum Sisaram, et omnes currus ejus (*Jud.* IV, 6, 15, 16, 21). Samson plures interficiendo moriens, quam ante vivus occiderat (*Jud.* XVI, 30). Jephte, pugnando contra filios Ammon, et filiam suam offerendo (*Jud.* XI, 30). David, occidendo Philisthæum, et in repromissionem accipiendo de Christo (*I Reg.* XVII, 50). Samuel, in occidendo Agag regem Amalech (*I Reg.* XV, 33).

« Operati sunt justitiam » : quia quod crediderunt, opere compleverunt : « adepti enim sunt repromissiones, » quia meruerunt illis promitti. Seu, adepti sunt repromissiones, quia cum jurejurando responsum accepisset David, quod ex ipso secundum carnem Christus futurus esset, non dubitavit, sed credidit. Sic enim scriptum est : « Juravit Dominus David veritatem, et non pœnitebit eum : ex fructu ventris tui ponam super sedem meam (1454). » Et alibi : « Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit. Et sedes ejus, sicut sol in conspectu meo (*Psal.* LXXXVIII, 36, 37). » Et in Paralipomenon I, XVII, 11-13 : « Et erit, inquit, cum completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus : ipse ædificabit mihi domum, et firmabo regnum ejus in sempiternum. Ego ero ei in patre, et ipse erit mihi in filio : et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo, qui fuit ante te. » Quod jam in Christo impletum esse cernimus.

« Obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis. »

« Obturaverunt ora leonum » per fidem, ut Daniel XIV, 39, Samson (*Jud.* XIV, 6), et David (*I Reg.* XVII, 34-37).

« Exstinxerunt impetum ignis, » per fidem, ut tres pueri in camino ignis (*Dan.* III, 93). Hæc est fides, ut cum res nobis in contrarium exeunt, tunc credamus, quia nihil contrarium factum est, sed cuncta consequentia ordinata.

« Effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. » Effugaverunt aciem gladii per fidem, id est, supra jam dicti David, seu Gedeon, seu alii plurimi, quod longum est enumerare, quos scimus per fidem fortes fuisse in bello, et castra vertisse de exteris gentibus. Convaluerunt de infirmitate per fidem, sicut Ezechias (*IV Reg.* XX, 5, 6). Fortes facti sunt in bello, ut Judas et fratres ejus (1455). « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. » Ea commemorat Apostolus, quæ per Eliam et Eliseum venerunt, qui per fidem rogati sunt, ut Apostolus meminit, ab illis mulieribus, ut suscitarent mortuos eorum. Elias enim suscitavit filium viduæ Jonam (1456) in Sarepta Sidoniæ, et detulit illum matri suæ ; et Elisæus filium Sunamitem (*IV Reg.* IV, 35).

« Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem ut meliorem invenirent resurrectionem. » Distenti, id est, extensi, hoc est, in ligno crucis per fines extensi ; seu, ut alii dicunt, incurvantes summitatem arborum, et ossa martyrum distendentes ac disrumpentes, quia ipsi præsentia despexerunt et redemptionem æternam concupierunt.

« Alii vero Indibria, et verbera experti, insuper et vincula et carceres. » Hæc aliquanta in Jeremia et in Amos legimus adimpleta. Ita de his, seu de aliis taliter scribens Apostolus, qualiter solent de aliis accidere, quibus mala infliguntur. Prius enim deludent eos, unde et delubria dicta, et postquam verberati fuerint, ut Michæas a Sedecia (*III Reg.* XXII, 24), sequuntur vincula et carceres (*Ibid.*).

« Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. » Lapidati sunt, ut Jeremias (1457), Naboth (*III Reg.* XXI, 13), seu Za-

(1454) *Psal.* CXXXI, 11 : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quæ repromissio *II Reg.* VII, 12 potissimum legitur, et sequentibus versic.

(1455) *Machab.* III, cum cæteris capitibus ejus, et fratrum virtutem narrantibus.

(1456) *III Reg.* XVII, 17 : opinio hæc Jonam viduæ Sareptanæ filium faciens, a Rabbinis aliquot diu obtinuit, ob id quod legitur eodem c. V, 24 ; *Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.* Filius enim Amathi Jonas dicitur ; Amath vero Hebraice *veritatem* sonat. De hac opinione vide divum Hieronymum, præfat. in Jonam, pseudo epiph., et Doroth. de morte et vita proph., quæst. ad Antioch. q. 65, inter opera sancti Athanasii. At Jonas sub Joas, et Jeroboamo secundo Israelis regibus floruit. Quomodo ergo filius viduæ illius esse potuerit, cum Elias sexaginta annis ante Joas regnum raptus fuerit?

(1157) Opinio est Jeremiam lapidatum fuisse, et de eo Apostolum hic loqui voluisse pluribus antiquis

charias (1458). Secti sunt, ut fuit Isaias (1459). Tentati sunt, id est, probati, ut Abraham, et Jacob. In occisione gladii mortui sunt, ut Urias (*II Reg.* II, 24), et Josias (*IV Reg.* XXIII, 29; *II Paral.* XXXV, 23). Et hæc omnia per fidem passi despicientes præsentia, ut ad superna elevarentur. Duo quippe sunt miracula fidei : quia et imperat magna et patitur magna, et nihil reputat pati.

« Circumierunt in melotis, et in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. » In hoc loco Eliam debemus intelligere. Ipsum quippe insinuat : et non solum illum, sed et alios, qui taliter egerunt, qui afflicti undique penuriis, et tribulationibus angustiati, egentes inopia, ut ad desiderium æternorum potuissent per afflictionem pertingere. Melotes dicunt aliqui, qui uno latere tantummodo pendeat, ex pellibus factus, ut monachi in Ægypto utebantur (1460), qualem Elias quoque legitur habuisse (*IV Reg.* I, 8).

« Quibus dignus non erat mundus. » Mundum namque hoc in loco dicit homines mundi amore deceptos, atque inhærendo creaturæ ab agnoscenda Creatoris sui majestate reflexos. De quo alio loco dicit : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Ostendit enim diabolum principem esse peccatorum hominum, non creaturarum Dei. Et quotiescunque mundi figura in mala significatione ponitur, ostendit mundi istius amatores, et non Dei. Absit enim, ut credamus eum principem esse cœli, et terræ et creaturarum omnium, quæ generaliter mundi nomine appellantur. Totus itaque mundus servit suo Creatori, non deceptori ; Redemptori, non interemptori, et regitur dispensatione divina, non inimici versutia subvertitur, propter homines partis illius, qui propria voluntate, non necessitate aliqua se subjiciunt diabolo. Unde et idem Apostolus alio loco ait : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi hujus potestates, et rectores tenebrarum harum (*Ephes.* VI, 1); » id est, peccatorum, qui in tenebris manent iniquitatis. Recte talibus non est dignus mundus. Hinc est quod Dominus dicit in Evangelio : « Si mundus vos odit, scitate quia me priorem vobis odio habuit. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (*Joan.* XV, 18). » Tales enim mundus, id est, homines mundi non possunt accipere, quia digni non sunt. Inimicus non potest suscipere conciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.

« In solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis et in cavernis terræ. » Eliam dicit, seu cæteros alios qui per deserta, et sub terra et in cavernis terræ fuerunt.

« Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur. » Qui omnes, nisi superius memorati, quorum tam clara et laudabilis fides commemorata est, id est, Abel, Henoch, Noe, Abrahæ, Saræ, Isaac, Jacob, Joseph, Moysis, Israelitarum mare transeuntium, Josue, Rahab, Barach, Samson, Jephte, David, Samuel et prophetarum, qui fuerunt filii Dei, lux mundi, sal terræ, stellæ firmamenti, terreni homines et cœlestes angeli, vivi lapides et splendidæ margaritæ, quorum opera quæ egerunt, fidem eorum testantur, quia absque fide impossibile erat eos placere Deo ? Sed tamen probati tantummodo, repromissionem non acceperunt. Dicet ergo aliquis : Quid eis profuit servisse Deo, si hactenus sine præmio permanent ? Absit. Auferat hoc a mentibus Christianorum Dominus Deus noster, ut credamus eos sine præmio permanere, qui adhuc mortali carne circumdati magnum præmium perceperunt videndi et cognoscendi Deum. Denique audi quid de illis in Apocalypsi VI, 9-11 scriptum sit : « Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei, et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine, [sanctus et verus] non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et datum (1461) est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum. » Singulas modo stolas habent animæ sanctorum de sua beata immortalitate gaudentes ; resurgentibus corporibus, juxta Isaiam, in terra sua duplicia possidebunt (*Isai.* LXI, 7). Modo vero non desiderium resurrectionis eis abnuitur, sed excolligendorum fratrum augmento differtur. Nam et ipsa animarum lætitia potest stolis albis figurari, cum Domino revelante didicerint et impios in finem damnandos, et usque ad finem sæculi multos suo numero per martyrium esse sociandos. Atque in æterna charitate profusi, maluerunt hac consolatione contenti pro supplendo fratrum numero, hactenus sua differe gaudia.

(1462) CAP. XII.) « Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. » Testes hic patriarchas et prophetas, vel fideles sanctos appellat, pro altitudine et multitudine meritorum.

probata, et Hebræorum traditione suffulta. V. Tert. adv. Gnost. c. 8, Hieron. contr. Jovin. lib. II ; Epiph. de Vita et morte prophetarum ; Doroth. in synopsi.

(1458) De hoc Zacharia notissima quæstio et prolixior, quam ut de ea opus sit verba facere. V. Diction. Hist. bibl. ad verbum *Zacharias*, ubi et quæstio et auctores eam pertractantes suppeditantur.

(1459) Opinio et traditio Hebræorum, Christianorumque est, Isaiam initio regni Manassis regis Judæ, dissectum serra obiisse. V. Origenem in c. XXIII, Matt. et Augustin. lib. XVIII, de Civ. c. 24, et alios quamplures.

(1460) Casian. de Habitu monachor. c. 11.

(1461) Vulg. *dictum*.

(1462) In marg. cod. hic leg. lectio XIV, et cap. XXX.

rum nubem vocans illos quia memoria sanctorum illorum, sicut nubes inflammatur ex radio igneo, sic anima malis oppressa, per exemplum eorum inflammatur et recreatur. Et non, super nos apparentem, sed, « impositam nobis. » Et dum tanta exempla habentes, deponentes omnia, more currentis, et ad certamen properantis, hoc somnum, anxietatem, cogitationes infirmas, seu omnem humanam actionem, patientiam curramus, ut sicut illi sustinuerunt, ita et nos. Curramus enim ad propositum nobis certamen, ut Propheta dicit : Viam mandatorum tuorum cucurri (*Psal.* CXVIII, 33), » Non enim dixit Apostolus : Addamus cursui nostro, sed : In eodem proposito nobis certamine permaneamus. Præcepit enim ut non dissolvantur, sed in eo permaneant,

Aspicientes in auctoritatem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione (1463) contempta. « Quod etiam ipse Christus discipulis sæpius commendabat : « Si patrem familias, inquit, Beelzebub vocaverunt, quanto magis discipulos (1464) ejus ? » (*Matth.* x, 25.) Et iterum : « Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum (*Ibid.*, 24).» Aspicientes in Salvatorem nostrum, quia auctor animarum nostrarum esse dignoscitur, discamus currere. Sicut enim filii, parentes et discipuli in certaminibus magistrum attendunt, informantes mentem ex parte doctorum, per visum regulas quasdam sumentes, sic etiam hic. si volumus currere et dicere ut bene curramus, ad auctoritatem, sive consummatorem Christum attendamus. quia auctor et consummator ille est ; ipse enim nobis fidem infundit, Etenim ad discipulos suos dicebat : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* xv, 16).» Ipse etiam initium nobis imposuit : ipse finem seu consummationem, id est perfectionem ponet. In illo enim omnes perfectionem habemus. « Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. » Sustinuit propter illud quod in postremo prævidebat. Hoc enim licebat illi nihil pati si vellet. Non enim peccatum neque dolus inventus est in ore ejus. Licebat igitur illi, si vellet non venire ad crucem, sicut ipse in Evangelio ait : « Potestatem enim habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumandi eam (*Joan* x, 17, 18).» Verumtamen confusione contempta sustinuit crucem, hoc est, sustinuit sine erubescentia et confusione. Si igitur ille qui nullam habuit necessitatem ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos, quanto magis nobis justum est omnia fortiter tolerare ? Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Pro nulla enim alia causa moriebatur, nisi ut nos doceret nihil existimare gloriam quæ ab hominibus defertur : idcirco non subjectus morti suscepit mortem, docens nos præsumere contra mortem.

« Atque in dextera sedis Dei sedet, » id est in prosperitate æternæ vitæ. Si enim nulla esset promissio, ipsum solum exemplum, quod in hoc loco de Christo ostendit Apostolus, erat idoneum ad persuadendum omnia tolerare. Nunc etiam præmia promittuntur, et non quælibet, sed valde magna et ineffabilia. Ille enim, postquam vicit, dans exemplum sequacibus suis, sedet ad dextram Patris. Quod enim in capite præcessit, hoc debet et in membris sequi. Prius enim debemus sustinere, sicut ille sustinuit, irrisiones, opprobria. et postmodum ad cœlestia remeare. Proinde etiam nos, cum aliquid tale passi fuerimus, illum cogitemus, quia tota vita ejus cum multa fuit injuria, audiens semper a Judæis quod insanus esset, et seductor, et magnus, et malefactor, et quia insanit et dæmonium habet. De arte magica criminabatur quando dicebant : « In Beelzebub ejicit dæmonia (*Luc.* XI, 15). Audiebat hoc ab illis quibus beneficia præstabat. Et si quidem nihil faciens ista audiret, nihil esset mirabile docens vero quæ ad veritatem pertinebant, audiebat quia seductor esset. et dæmonem excludens dæmonium habere dicebatur ; et non solum ista, sed etiam ex genere et ex patria illi detrahebant : « Nonne hic est filius fabri cujus nos novimus patrem et matrem ? Nonne fratres ejus omnes apud nos sunt ?» (*Matth.* XII, 55 ; *Marc.* VI, 3 ; *Joan.* VI, 42.) Et iterum : « : Interroga, inquit, et vide quia ex Galilæa propheta non exsurget (*Joan*, XII, 52), » Et iterum dicebant : « Nonne Scriptura dicit : quia ex Bethe lehem vico venturus est Christus ? » (*Ibid.*, 42 :) Vis etiam irrisiones audire ? Venientes, inquit, ad ipsam, crucem, adorabant illum et cædebant, colaphizabant et dicebant ei : « Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII, 40). » Adhuc etiam et servus principis sacerdotum alapam et dedit (*Joan.* XVIII, 22) : et illudentes veste coccinea circumdederunt eum et exspuebant in faciem ejus. Sed et tentamenta ei sæpius ingerebant, et reprehensiones et accusationes. Propter hæc omnia Apostolus admonuit ut attenderent in auctoritatem fidei et consummatorem Jesum.

« Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, et ne fatigemini, animis vestris deficientes, » Rememoramini in illum qui talia sustinuit pro peccatoribus, dum peccata non habuit, ut vos, qui transgressores et peccatores esse dignoscimini, sustineatis, Si enim discipulus ejus es, inquit magistrum imitare ; hoc quippe est discipuli. Si vero ipse quidem per tribulationes perrexit, tu autem per requiem vis ire ; non eadem via vis pergere qua ille perrexit, sed alia. Quomodo ergo sequeris non sequens ? Quomodo eris discipulus si non sectaris magistri vestigia ?

(1463) In cod *confessione*. Quod infra emendatum legitur, ideoque et hic emendavimus.

(1464) Vulg. *domesticos*.

Adversum semetipsum contradictionem dicit, id est, dimisit illos, secundum quod voluerunt, facere, nihil eis contradicens, hoc est, plagas, quas accipiebat, irrisiones, injurias, opprobria, improperia, illusiones, omnia hoc nomine contradictionis intimavit. Ideo affirmat, ut non deficerent in tribulationibus, dum usque ad martyrium et sanguinis effusionem adhuc non pervenerant. Unde et adjungit : « Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. » Duæ sunt rationum species, quæ sibimet contrariæ esse putantur, sed multum sibi mutuo afferunt adjumenti; quas hic utrasque species conculcavit Apostolus. Una est, quando in tribulatione, plurima nos cogitamus esse perpessos ; sicut etiam beatum Job in plaga positum fecisse legimus. Anima enim quodammodo requiescit, quando in tribulatione posita, suarum passionum rememorationem habet, sicut superius rememoravit Apostolus ; rememoramini, inquit, dies pristinos, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. Altera vero est, quando dicimus quoniam nihil sumus magni perpessi. Illa quippe species requiescere, et recreari animam facit mœroribus subruentem ; ista vero negligentem animam, et supinam convertit, et arrogantiam deponit et retrahit. Ne ergo illis ex illa testificatione elatio generaretur, contemplare quod dicit : Necdum, inquit, usque ad sanguinem restitistis, contra peccatum repugnantes ; veluti si diceret : Necdum mortem sustinuistis ; pecuniarum vobis tantum contingit damnum ; exagitati tantum estis et persecutionem passi. Christus autem pro vobis sanguinem fudit ; vos autem pro vobismetipsis necdum tale aliquid passi estis. Ille usque ad mortem pro veritate certatus est, pugnans pro vobis ; vos autem necdum ad pericula pervenistis, quæ minantur interitum. Quod enim ait, adversus peccatum repugnantes, demonstrat peccatum vehementer adversus eos aspirans et diversis modis armatum.

« Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini neque fatigeris, dum ab eo argueris. » Hortatur enim eos ex testimoniis Scripturarum, ut non deficiant dum arguuntur. Unde non parvam eis poterit afferre consolationem, dum cognoscunt quia Dei opus est talia post alia sustinere. Certe hæc Dei verba sunt. Ipso namque permitte te, justi pressuras varias patiuntur. Non potestis dicere, quia est justus aliquis, quia expers tribulationis existat, quia flagellat omnem filium quem recipit. Proinde necesse est omnes justos per pressuras, tribulationesque transire. Sententia quippe Domini Christi est : « Quia lata et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem : arcta vero et angusta quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, XIII, 14). » Si ergo per illam venitur ad vitam, et non potest illuc aliter perveniri, nisi per augustias et tribulationes, proinde sustinere nos oportet, quia hanc viam omnes illi transierunt, quotquot ad vitam perducti sunt. Sunt qui in prosperis Domino serviunt, at in adversis excidunt ; unde Apostolus, quem in prosperis bene vivere docuit, etiam in correptione, ne deficiat, hortatur, ne accedente infirmitate, vel paupertate, vel persecutione humana, pietatem, quam servare in tranquillitate videbatur, amittat. « Quem enim diligit Dominus, castigat (*Prov.* III, 12 ; *Apoc.* III, 19). Flagellat omnem filium quem recipit. » Ideo hæc testimonia affirmat Apostolus, ut sicut filii a patribus suis flagellantur, ut digni sint ad hæreditatem paternam accedere, ita et isti similiter correptiones a Deo alacri animo sustineant, ut ad veram hæreditatem æternam perveniant. Tanto ergo minus de flagello, quo castigamur, murmurare debemus, quanto certius in eo paternæ dilectionis pignus tenemus. Unde et ipse dicit : « Ego, quos amo, arguo, et castigo (*Ibid.*).

« In disciplina perseverare. Tanquam filius vobis se offert Deus. » In disciplina, inquit, perseverate. Ac si diceret : Potius vobis enim est, per disciplinam ad vitam transire, quam extra disciplinam ire in tormenta. Unde putabant derelictos esse, in hoc eis dicit magis credere debere, quoniam non sunt derelicti, veluti si diceret : Quia tanta passi estis, putatis quod vos odio habeat, vel dereliquerit Deus. Si enim hoc non pateremini, tunc magis hoc vos cogitare competebat. Si enim flagellat omnem filium quem recipit, qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum. Quid ergo, inquis, maligni nulla mala patiuntur ? Patiuntur quidem. Quando, inquit, dicens, quod omnis filius flagellatur, sed non dixit, quia omnis qui flagellatur filius est ; sed omnis filius flagellatur. Semper enim ubique filium verberat et castigat. Sunt quidem plurimi, qui flagellantur, maligni, sicut homicidæ, latrones, malefici, sepulcrorum deprædatores, sed illi pro sua iniquitate supplicia patiuntur, et non sicut filii flagellantur, sed sicut pessimi puniuntur, non sicut filii. Tribulationes enim fidelium apud reprobos, et amatores mundi, non nisi ex peccato esse justis suspicantur ; se antea ideo justos credunt, quia in pravitate sui sensus dimissi sine flagello duruerunt.

« Quis enim filius, quem non corripit pater ? » Solet enim aliquoties in domibus paterfamilias filios alienos negligere, suos vero filios castigare, vel corripere, ne eos mala opprimat negligentia. Si igitur illi pro filiis propriis utuntur, ne eos negligentia opprimat ; ideo oportet nos gaudere cum castigamur, siquidem hoc filiis propriis adhibetur. Proinde nobiscum, sicut cum filiis agit Deus, et ideo non potestis dicere, quia non possumus talia tolerare.

« Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes : ergo adulteri, et non filii estis. » Sensus hujus sententiæ est, cui subauditur : Si disciplinæ participes facti sunt omnes boni filii, qui disciplinam Christi sustinuerunt, omnes enim negligentes, et disciplinam Dei contemnentes, adulteri, et non filii reputantur.

« Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos ; non multo magis obtemperabimus patri spirituum, et vivemus ? Et

illi quidem in tempore paucorum dictum, secundum voluntatem suam erudiebant nos ; hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. » Si enim patres carnales filii reverentur, quomodo Patrem cœlestem non revereamini ? Non enim discretione personæ inter eos tantum est differentia, quod isti terreni, ille cœlestis est, sed etiam ipsa causa. Non enim in eamdem causam, vel ad res ipsas spiritales erudiebant, sed ad quod eis videbatur ; hoc est, voluntatem suam, desideriumque complentes. Illi autem ideo vos, inquit, erudiebant, ut ipsis essetis utiles, aliquando fortassis etiam sine causa ; non enim in omnibus voluntas illorum utilis erat. Iste autem ad utilia nos instituit, erudit, castigat, ut nos efficiat suorum receptabiles munerum. Dum enim parentes carnales ad tempus breve nos eruditunt, quanto magis Creator noster ad id, quod utile, et perfectum est, ut recipiamus sanctificationem ejus, hoc est, munditiam ejus, ut dignos nos sibi efficiat ? Disciplina ergo participatio sanctitatis est ; excludit enim sæcularium rerum mores (1465), spiritalem ad se gratiam pertrahit. Si consideremus justos, cuncti per tribulationes claruerunt.

« Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddit justitiæ. » Omnis, inquit, disciplina, et humana, et spiritalis, tunc quando agitur, non videtur gaudii esse, sed mœroris. Ideo autem hanc omnem et spiritalem, et humanam disciplinam vocat, quia quidquid dicitur, disciplina vocatur ; videtur enim e contrario illud non esse disciplina, quod gaudentis, et malignantis animo fit. In disciplina enim spiritali, prius tristitia est, ut lætitia sequatur : in iniquitatis vero scelere, prius gaudium est, et deinde sequitur tristitia. In ista prima est voluptas, et sequitur ægritudo : in illa, prima est mœstitia, et tunc jucunditas procreatur. Sed illa est sectanda, cum primum aliquis contristatur, et postea gaudio perfruitur : et illa rejicienda, cum primo gaudetur, postea in mœrorem inciditur. In spiritali enim disciplina, semper jucunditas est de sempiterno gaudio, quamvis tribulatione affligatur : sicut in alio loco idem egregius prædicator ait : « Gloriamur in tribulationibus (*Rom.* v, 3). » In ista enim timor futuræ tristitiæ præsens gaudium devenustat. In illa enim spes futuræ jucunditatis detrahit præsenti tristitiam, Noli enim tristari, si cum ipsa disciplina injuria sit : fructus tamen reddet dulciores : postea autem, inquit, fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ : non fructum, sed fructuum abundantiam numerosam. Qui per eam exercitantur. Bene enim dixit, qui per eam exercitantur, hoc est, qui tolerant plurimo tempore patienter. Postea autem fructum accipient, idest, postquam consummatum fuerit, reddet fructum justitiæ, id est, præmium. Qui enim seminant in lacrymis, in exsultatione metent (*Psal.* cxxv, 5). Pacatissimum fructum, hoc est, gratissimum. Proinde oportet sperare meliora in finem : nam et in arboribus cortex pene semper amarus, et asper est : fructus tamen ipsi, suavitate jucundi sunt. Et qui amara bibunt antidota, patienter ferunt quamdam primum molestiam, et tunc sensum percipiunt sospitatis. Si igitur talia sperare competit, quod doletis, quod tristitiam toleratis ; circa meliora deficitis, quæ vos convenit sustinere. Sustinere enim debetis. Non enim oportet circa tribulationem ita mollescere, sed fortiter tolerare. Inde est enim, quod in sequentibus narrat.

« Propter quod remissas manus, et soluta (1466) genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. » Propter quod, id est, quia propter disciplinam mercedis præmium redditur, et gaudium subsequitur, debemus gressus rectos facere, et soluta genua erigere. In hoc loco hæsitationes eorum tangit : et ideo tangit, ut sine illis hæsitationibus perseverarent. Si enim ad dilectionem pertinet disciplina, ut supra ostendit Apostolus, tam ex rebus, quam ex verbis : et si in fine recepit meliorem (1467), quare dissolvimini ? Quare non rectos gressus pedibus vestris facitis ? Hoc enim illi patiebantur, qui desperatione deficiebant, et spe futurorum nulla solidabantur. Recte, inquit, ambulate, nec claudicatio plus accrescat, sed potius ad statum pristinum revocetur. Remissas manus, et soluta genua mandat erigere, ut Isaias ait : « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate (*Isai.* xxxv, 3). » Gressus rectos, id est, sensus : unde dicit Propheta : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* cxviii, 1). » Non claudicans, ut alio loco dicit : « Quid claudicatis inter me. et Baal ? » (*III Reg.* xviii, 21.) Magis autem sanetur : ac si dicat : Qui non credit recte, melius est, ut firmius, et tenacius credat : ut omnibus modis consequamini medicinam.

« Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. » Plurima quidem sunt, quæ formam, discretionemque Christianitatis ostendunt : sed plus omnibus, ac melius, charitatis mutuæ affectus, et pax, quæ hominum corda consociat. Propterea etiam Christus dixit : « Pacem meam do vobis (*Joan.* xiv, 27). » Et iterum : « In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis : si dilexeritis invicem (*Joan.* xiii, 35). » Propterea etiam Apostolus : Pacem, inquit, sectamini cum omnibus, et sanctimoniam (*II Cor.* xiii, 11), hoc est, corpore, et spiritu, ut, « beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). »

(1465) Fortasse *amores*.
(1466) In eod. *insoluta*, quod ex sequentibus emendandum censuimus.
(1467) Fortasse *reciptet meliorem*, id est, *fructum*.

Sine qua, id est, sine pace et sanctimonia, nemo videbit Deum.

« Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei ;» sicut in quibusdam codicibus habetur (1468). Sed ne quis desit gratiæ Dei,sic cum eis loquitur,tanquam cum his qui cum numero et comitatu viatorum longa itinera permeant ;veluti si diceret: Attendite vobis ne quis vestrum remaneat. Non hoc tantum requiro, ut vos soli perveniatis,sed etiam ut inspiciatis et cæteros, ne quis,inquit,vestrum detit gratiæ Dei. Gratiam Dei dicit fidem,spem,charitatem, et optimam conversationem.Seu gratia Dei est qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo, pax autem qua reconciliamur Deo (1469).Omnia quippe Dei sunt gratiæ. Nec dicas quia unus est qui periit. Etenim propter unum mortuus est. Tu ergo negligis, propter quem Christus dignatus est mori.

« Contemplantes, » inquit, hoc est, diligenter scrutantes, et visitantes, et agnoscentes, « ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. » Non enim dixit, radix amara, sed,amaritudinis. Radix enim amara potest fructus dulces efficere ; amaritudinis autem radix, vel fons, vel propositum, nunquam potest aliquid dulce propagare,quia omnia ibi amara sunt, omnia molesta,omnia scelere et abominatione pessima : nihil suavitatis vel jucunditatis apportant. Et per illam, inquit, inquinentur multi,quia « modicum fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* v; 6 ; *Gal.*v,9).» Non propter illum solum hoc volo, in quo iniquitas poterit inveniri, sed etiam propter læsionem quæ poterit ex illius propagine pullulare, hoc est, ut si aliqua talis fuerit radix,nullum ex ea permittatis germen exsurgere, sed recidatur antequam alios polluat.Merito enim amarum dixit esse peccatum. Vere enim peccato nihil amarius.Et hoc norunt qui post admissum peccatum conscientiæ mœrore macerantur,et dira satis amaritudine consumuntur. Amaritudo quippe delicti ipsum intellectum rationemque aliquoties subvertit, sicut in consequentibus de Esau legimus factum.

« Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primogenita sua (*Gen.* xxv, 33). » Profanus dicitur castri margus (1470), seu et qui utile pro inutili vendidit. Per propriam enim negligentiam et cupiditatem vendidit honorem quem a Deo perceperat, et pro parva libidine magnum honorem et magnam gloriam perdidit. Pro dilectione enim temporalium rerum usque ad vendenda primitiva sua pervenit. Ideo primus postremus effectus est, et secundus exstitit primus. Iste per patientiam exstitit primus, ille vero per negligentiam postremus. Et ideo, quantum ad præfigurationem pertinet, primitiva nostra sunt, non Judæorum. Videtur enim mihi quia significat aliquos inter illos qui sub hoc vitio fornicationis jacebant, quos tamen publice nolebat arguere ; sed fingit ignorantia, postea vero, si perstitissent, tunc jam conveniret increpare. Inde est enim quod in sequentia hujus Epistolæ (*Hebr.* xiii, 4) dicit : Fornicatores enim, adulteros judicabit Deus. Et in capite hujus sententiæ: Pacem sequimini et sanctimoniam.Esau vero ideo fornicatorem commemorat Apostolus, quia contra voluntatem patris uxores alienigenas duxit.

« Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem,reprobatus est ; non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. » Superius demonstrat cur benedictionem hæreditare cupiens reprobatus sit,et cur locum non invenisset, ut Jacob frater suus ; quanquam enim cum lacrymis inquisisset eam, jam ad illum locum benedictionis non potuit pervenire, ut frater suus. Non enim hic pœnitentiam excludit. Alioquin si pœnitentiam damnasset, quomodo superius segnes admoneret et adhortaretur ? Quomodo claudos effectos.et remissos,atque solutos,quod est ruinæ principium, ut erigantur invitaret ? Sic enim culpavit semetipsum.Si gemitibus magnis ingemuit, cur pœnitentiæ locum non meruit invenire ? Quoniam non erat pœnitentiæ illa salutaris,sicut et tristitia Cain non ex pœnitentia descendebat. Et hic enim occasio fratris apparuit (1471). Quid ergo dicimus, nisi quia non pœnituit ut convenit ? Hæc enim pœnitentia (1472) ut congruenter geratur.Lacrymæ quippe illæ non erant pœnitentiæ,sed animi violenti, et indignationis, quod ex ejus operibus aperitur. Qui exstimant impunita remanere peccata,considerent et attendant cur Esau veniam non potuit adipisci. Quia videlicet non pœnituit ut debuit. Vis videre integram pœnitentiam, adverte Petrum, qualiter pœnituerit, postquam negaverat Christum. Narrans namque nobis evangelista ejus historiam : Et exiens,inquit,ploravit amare (*Matth.* xxvi, 75 ; *Luc.* xxii, 62). Idcirco illi remissum est tam grande peccatum, quia sicut debuit pœnitentiam egit. Potest quidem et ideo ab Apostolo esse dictum, ut aliqui autumant, ut sub gravi timore deprimeret eos, ne ulterius caderent in lapsum facinoris ; veluti si diceret: quia qui ceciderit,nullam consolationem mereri jam poterit.

(1473) « Non enim accessistis ad tractabilem (1474) et accessibilem [Vulg., *accensibilem*] ignem,

(1468) Ita Vulg.

(1469) Definitio hæc gratiæ et pacis pluries in comment. cæterarum Epistolarum, maxime vero ad Romanos.

(1470) Quid hoc sibi velit, fateor, ignoro,nisi fortasse legendum, loco *castri margus*, *quasi margus*, seu græce μάργος, quod stolidum, insanum,seu vecordem μάργος referat, ut ibi pene stolidum vendidit voluerit significare Esau fuisse.

(1471) Fortasse legendum : *Et hic enim*,Cain scilicet, *occisionem fratris aperuit*, id est non negavit.

(1472) Addenda fortasse hic verba *necesse est*, vel *oportet*, vel similia.

(1473) Hic in cod. legitur lectio xv.

(1474) Vulg. *tractabilem montem*. In cod. vero

et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum; quam qui audierunt, excusaverunt se, ne et eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur; et si bestia tetigerit mortem [Vulg., *montem*], lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis,Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam,et Ecclesiam primitivorum,qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum,et spirituum [Vulg.,*spiritus*] justorum (1475) et Testamenti Novi mediatorem Jesum,et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. » Id est non ad visibile et palpabile lumen accessistis, ut in veteri legimus populo Judaico, sed ad invisibilem et incomprehensibilem Dominum. Hæc in Sina monte facta referuntur (*Exod.* XIX, 9, 18) : ignis, tenebræ, caligo, procella, visus est, inquit, Deus in monte Sina. Novum vero Testamentum non est cum aliquo tali nobis exhibitum, sed tantum simplici Christi sermone contributum.Intuere igitur qualiter comparationem faciat tam istorum quam illorum,et qualiter in postremis eam posuerit,ut astenderet quam sublimior gratia est in Novo Testamento, et ipsam gratiam per vetus Testamentum annuntiatam.Qui enim comparationes faciunt, alteram partem deprimunt, ut res alterius partis emineat; sic et hic Apostolus ex comparatione illorum nostra majora declarat, et meliora, et mansuetiora, et miratione plenissima. Dupliciter namque meliora sunt, quoniam et majora simul et clariora sunt.Ibi enim umbra requiescebat, hic veritas tenetur et panditur. Proinde nostra plus existunt accessibiliora et clariora. Hoc etiam in Epistola ad Corinthios scribens, dicit : « Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes (*II Cor.* III,18) ; » et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam. Non enim meruerunt, inquit illi talia percipere, qualia nobis contributa noscuntur.Quid enim illi videre meruerunt, nisi tenebras et caliginem ? Audierunt quidem et vocem; sed et tu audisti vocem, non per nebulam venientem, sed per carnem Christi. Non es tumultuatus neque perturbatus, sed stetisti et locutus es Mediatori. Tunc Moyses timuit, nunc autem nullus metuit ; et tunc plebs stetit tota deorsum, nunc tamen, ut filii patrem, audivimus Christum loquentem ; et veluti si diceret: Terribilia quidem illa sunt et tremenda,quæ nec auditus ferre poterat, neque bestia illuc auderet accedere, verumtamen non erant talia qualia gesta sunt. Quid est enim mons Sina in comparatione cœli ?Quid est ignis tractabilis ad infractabilem ? Deus enim, inquit propheta, ignis consumens est (*Deut.* IV, 24). Quid est procella et tubarum sonitus, in comparatione illorum Domini verborum quæ in monte docuit discipulos suos,dicens :« Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3 ; *Luc.* VI, 20),» et aliorum multorum quæ plus clariora sunt quam sol ? Illic ponitur Moyses, hic Jesus ; illic nomina plebium, hic milia angelorum. Primitivos autem fideles eos dicit qui primitus crediderunt,qui scripti sunt in cœlis.« Et judicem Deum omnium ; » ac si diceret : Non tantum Judæorum, neque fidelium,sed totius videlicet mundi. Spiritum justorum perfectorumque dicit accessisse,id est,ad Spiritum sanctum, quem acceperunt in baptismo ; seu spiritum justorum perfectorum dicit animas quæ apud Deum probabiles exstiterunt. Sanguinem aspersionis passionem Christi dicit,loquentem melius quam Abel, quia sanguis Abel accusat, sanguis videlicet Christi excusat, ut in Evangelio : « Ut veniat super vos omnis sanguis justus,qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi,usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare (*Matth.* XXIII,35).» Melius enim loquitur sanguis Jesu quam Abel,quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus imperavit.Ut ergo nobis sacramentum Dominicæ passionis non sit otiosum, debemus imitari quod sumimus, et prædicare cæteris quod veneramur.

« Videte ne recusetis loquentem.Si enim illi non effugerunt,recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus. » Cavete ne recusetis doctrinam Christi,quia in dextera Dei Patris sedet.Cum Judæi recusantes,perterriti Deum,qui in terra cum Moyse loquebatur, dicentes ; Loquere tu nobiscum, ne loquatur nobis Deus, ne forte moriamur (*Exod.* XX, 19) ; quanto magis, si nos nobis avertimus de cœlo loquentem, majore ultione percutiemur ?

« Cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens (*Agg.* II,7) : adhuc semel ego movebo non solum terram, sed et cœlum.» Ipse enim qui tunc movit terram et legem dedit Moysi, ipse nunc repromittit, ut moveat semel non solum terram, sed et cœlum. Et ideo quanto majora opera fieri promittit, tanto magis timendus est. Dicendo autem,semel,ostendit quia nunquam iterum movebuntur.

« Quod autem, adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia. » Declarat enim mobilium translationem,juxta quod David ait : « Initio tu terram fundasti,Domine, et opera manuum tuarum sunt cœli : Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnia sicut vestimentum veterescent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur (*Psal.* CI, 26). » Constat namque profecto quia in die judicii mundi conditionem mutaturus et transformaturus est in melius, et tam facile erit sicut quilibet opertorium involvat atque permutet. Sed si ista permutet,et potestas,et virtus, et regnum,et virtus

(1475) Vulg. addit *perfectorum*.

montem desideratur,de quo tamen in processu expositionis sæpius mentio.

ejus permanebit in sanctis suis immobilis. Hæc A omnia dixit ut sciamus quod quanto scimus mobilia esse quæ sunt, immobilia appetere debemus, ut dixit.

« Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia ; » ac si diceret : Habemus gratiam, id est, gratis datam in novo Testamento, unde Deo placere possumus. Cum metu, inquit, et reverentia, id est, cum metu timoris et reverentia charitatis gratiam Dei habet, qui Deo simul servire et placere potest. Regnum immobile, regnum Christi, id est, Ecclesiam, dicit.

« Etenim Deus noster ignis consumens est (*Deut.* IV, 24.)» Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. Non materiam quam B fecit, consumit, sed quod extrinsecus peccati traximus comburit. Non enim illud consumit quod ipse fecit, sed quod malitia hominum intulit. De hoc igne Veritas dicit : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat ? » (*Luc.* XII, 49.) Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infirmas in se cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram misit, cum afflatu sancti Spiritus cor carnalium incendit ; et terra ardet cum cor carnale, in suis pravis voluntatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, et incenditur ad amorem Dei.

(CAP. XIII.) « Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt [Vulg., *latuerunt*] quidam, angelis C hospitio receptis (1476). » Non enim dixit, efficimini amatores fratrum, sed, permaneat charitas fraternitatis. Et iterum non dixit, hospitales efficimini, tanquam si non essent, sed, hospitalitatem nolite oblivisci ; ac si dicat : Perseverantia sit charitatis et hospitalitatis, quod utique propter tribulationes fortasse oblivisci poterant ; et non tantum hospitalitatem, sed etiam amorem hospitalitatis, quod in Græco distinctius invenitur. Non posuit ξενοδοχίαν (1577), quod significat hospitalitatem, sed *philo*, quod amorem hospitalitatis insinuat ; tanquam si diceret : Nolite simpliciter hospites suscipere ; sed cum amore et charitate hoc perficite, sicut beatus Petrus dicit : » Hospitales invicem, sine murmuratione (*I Petr.* IV, 9). » Per hanc enim, inquit, D placuerunt, seu, ut in Græco habetur, latuerunt, quidam, angelos in hospitio recipientes. Attendite quantus honor, quantum lucrum sit, per susceptionem hominum ad susceptionem evangelicam pervenire. Quid est, latuerunt ? Hoc est, nescientes eos angelos esse, in hospitio receperunt, sicut legimus Lot fecisse, quod etiam ipsum in hoc loco commemoratur ab Apostolo.

« Mementote vinctorum, tanquam simul vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes ; » ac si diceret : Ita mementote de illis, quasi et vos vincti cum ipsi sitis ; et laborantium, inquit, tanquam et ipsi in corpore, id est, quasi et ipsi vos longo tempore morantes, ut ipsi sustinuerunt, ita et vos sustineatis.

« Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. Honorabile conjugium præcepit, ut beatus Petrus dicit : « Quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem (*I Petr.* III, 7).» Connubium dicitur, quia connubunt. » Secundum scientiam » autem (*Ibid.*), ut noverint quid desideret Deus, et tribuant honorem connubio, seu, ut beatus Petrus dicit, vasculo muliebri. Si enim abstinemus nos a coitu, honorem tribuimus, sed si (1470) non abstinemus, perspicuum est honori contrarium esse concubitum, ut idem apostolus Paulus alio loco ait : « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi (*I Cor.* VII, 5). » Nunquam ergo mihi semper conjugio serviendum est, ne ab oratione, cui semper insistere jubeor, sicut alio loco præcepit Apostolus, ulla hora præpediar. Et torus inquit, immaculatus, hoc est, legitimus recubitus, absque fornicationis causa. Torum immaculatum esse non putabant Judæi, qui pollutum (1479) putabant conjugale concubitum. Dicebant enim ex lecto conjugii surgentem mundum non posse constare. Non est igitur pollutum, quod ex natura conceditur, o ingratissime, et insensatissime Judæe, sed quod ex prava voluntate descendit. Nam si honorabiles quidem sunt nuptiæ, mundæ etiam sunt. Cur itaque ex eis pollutionem fieri existimas ?

« Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.» Primo enim posuit : « Honorabile connubium et torus immaculatus, »deinde intulit : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus. » Ostendit enim quia juste judicantur fornicatores et adulteri. Si enim connubium concessum est, juste fornicator suppliciis afficitur, juste puniuntur adulteri. Fornicatio quippe non solum cum mulieribus, sed et in adorando idola intelligitur. Adulteri vero non solum cum extranea fornicantes, sed etiam hæretici, quia adulteratores sunt verborum Dei.

« Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.» Non enim dixit, nolite possidere, sed sint mores sine avaritia. Avarus quippe dicitur qui tenax est in largiendo, et cupidus in accipiendo. Hoc enim quidam sapiens admonuit, dicens : « Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta (*Eccli.* IX, 36). » Fortassis enim post exinanitionem substantiarum cupiebant, sub obtentu eleemosinæ, iterum congregare divitias. Puto ; propterea admonuit Apostolus, ut mores sine avaritia

(1475) Gen. XVIII, 3 ; XIX, 2. Abraham scil. et Lot.
(1477) Ξενοδοχεῖον. seu καταλυμα, id est diversorium, non ait, sed φιλί, seu φιλοξενέωα.
1478) Particulam *si*, quæ in autog. desideratur, sensus expetit, et ideo addidimus.
(1479) In cod. *collutum*. Quod sequentia emendandum probant.

fuissent, ut necessariis præsentibus tantum contenti essent, sicut ipse in alio loco dicit : « Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus (*I Tim.* v , 8). »

Et ne forte dicerent : Quid facturi erimus, si necessaria nobis contingat deesse suffragia ?Protinus consolationem addidit, adhibens testimonium de libro Jesu Nave I, 5 : « Ipse enim Deus(1480) dixit: Non te deseram,neque derelinquam.» Nulla ratione mentitur,si in illo spem nostram ponamus.Proinde cum confidentia nos oportet dicere:« Dominus mihi adjutor est ;non timebo quid faciat mihi homo(*Psal* CXVII, 8).»Homo dicitur caro, vel antiquus adversarius,seu aliqua infestatio. Qui homo appellatus est ut ait Propheta :« Eripe me. Domine, ab homine malo (*Psal.*CXXXIX, 2) : » homo quippe dicitur, quia hominem decepit. Oportet enim nos in universis tentationibus,seu tribulationibus, hunc versiculum Psalmographi seu Apostoli exclamare,ut Deum habentes propitium,humana omnia irrideamus. Sicut enim, Deo indignante, non nobis proderit, etsi cuncta agmina consistant nobiscum,sic etiam, nos Deo diligente, nulla nobis erit necessitas, nulla læsio, etsi non cuncti hostiliter insequantur.

« Mementote præpositorum vestrorum,qui vobis locuti sunt verbum Dei,quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. » Pro ipsis enim sacras hostias Deo offerentes mementote semper,qui vobis locuti sunt verbum Dei, et eorum exitum semper intuentes, hoc est, animo versantes, et vosmetipsos examinantes subtiliter, discutientes ipsorum conversationis exitum, hoc est, perseverantiam usque in finem,quoniam finem bonum habuit eorum conversatio,ideo imitamini fidem.Fidem enim,firmitatem,seu perseverantiam illorum dicit, quæ ex vita munda processit,id est, exempla illorum tementes, et usque in finem perdurantes.

« Jesus Christus heri,et hodie ;ipse et in sæcula.» Nolite putare,quia tunc tantum faciebat, nunc autem non facit ; vel tunc fuit, nunc non est. Idem enim, qui fuit heri, ipse etiam hodie, ipse et in sæculum.Heri,præteritum significat tempus ;hodie, præsens ; sæcula vero,futurum sine termino. Tanquam si diceret : Ante sæcula,et in sæcula, et post sæculum semper permanebit, ut Propheta de illo testatur : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 28.»)

« Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. » Doctrinis,inquit,variis, et novis non circumferamini.Novas dicit doctrinas,quas ab illis non audierant.Non enim firmum possidebant,sed erant differentiarum varietate multiplices.Hoc enim præcepto illos suggillat,qui escarum introducebant observationes ;quod in consequentibus apertius manifestat, cum dicit :

« Optimum enim est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. »

A Bonum est, inquit, gratia Novi Testamenti, quæ nobis data est,stabiliri cor. Melius est enim fide et opere retinere,quam escis Veteris Testamenti, in quibus hi,qui ambulaverunt,nihil habuerunt utilitatis. Una namque est observantia,abstinere videlicet a peccatis.Nihil enim prodest abstinere a cibis. Licet enim gererent illi studium circa hujuscemodi observationes,verumtamen quia fidem non habuerunt,nihil illis profuit escarum illa custodia.In hoc enim quod custodiebant legem, profuit : in hoc quod esca non vescebantur, nihil profuit. Totum enim in fide constat,si ipsa firmetur in vobis ; cor quippe munitum erit,si fides cuncta confirmaverit.

« Habemus altare, de quo edere non habeut potestatem qui tabernaculo deserviunt. » Habemus B altare,id est,cœlum,ubi Jesus quotidie semetipsum ostendit Patri pro nobis : vel altare, id est, (1481) sanctæ Ecclesiæ, ubi (1482) quotidie sanguinem et corpus Christi in ministerio sumimus; unde sumere potestatem non habent, qui tabernaculo, id est corpori suo deserviunt. Dixerat enim superius : « Gratia debet stabiliri cor,non escis,quæ non profuerunt ambulantibus in eis ; » ne putaretur illa destruere,ideo dixit : habemus nos altare et tabernaculum:hoc enim illud præfigurabat quod nos in veritate tenemus.Nos enim,inquit,talia custodimus in veritate,quale illud præfigurabatur in figura.

« Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.» Extra castra corpora cre- C mantur,si in opprobrio coram omnibus manemus. Nos sumus animalia,si nostra corpora in opprobriis et persecutionibus inferimus, Domini exemplum imitantes, cui dictum est : « Ave,rex Judæorum,» et cætera alia multa. Seu extra castra cremantur, cum extra hominum sæcularium conversationem concremantur per amorem divinum. Et sanguis noster per pontificem,id est, per Jesum Christum; infertur enim in sancta, hoc est, in cœlis. Infertur enim sanguis per Jesum,sicut dicit Joannes:«Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum,et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.*II, 1).» Hoc enim præfigurabant illa animalia, quorum sanguis pro peccato inferebatur in sancta. Typus enim erant istorum, quoniam illa non erant simpliciter instituta, sed dispensatio hujus erant D significationis.

« Propter quod et Jesus,ut sanctificaret populum per suum sanguinem extra portam passus est.»Hæc supra dicta in figuris facta noscuntur ;quod Jesus Salvator noster, et de ipso et de suis membris deinceps in veritate ostendit factum. Ut redimeret per suum sanguinem populum, extra portam passus est, id est, foris Jerusalem crucifixus est.

« Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.» Egrediamur igitur ad eum, despicientes præsentia, amantes futura, contem-

(1480) *Deus* Vulg. non habet.
(1481) In cod. *fidem*.
(1482) In cod.*unum*; quod tanquam mendam corrigendum putavimus.

nentes visibilia, ut Apostolus alio loco ait : « Quæ videntur temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt (*II Cor.* 4, 18). » Portantes improperium, inquit, ejus : hoc est, participantes cum eo, ut sicut ipse sustinuit improperium, sic etiam nos substineamus. Communicemus cum eo, participemus cum eo, eadem ipsa patientes : improperium enim illud, non improperium est, sanctificatio. Imperium enim ejus est, signum ejus, quod portamus in fronte, seu in mente : ipso Christo dicente : « Qui vult post me venire, abneget semetipsum ; et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* XVI, 24 ; *Luc*, IX, 23). Sæpius enim homines erubescentes, a multis abstinemus bonis operibus ; et iterum sæpe homines erubescentes, a multis abstinemus pravis operibus.

« Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Non habemus hic habitaculum terrenum. Ideo exeamus foras post Dominum in opprobria, pro illo, ut futuram civitatem habitemus (1483), id est, cœlestem Jerusalem. « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, » Per ipsum, id est, per Christum debemus offerre laudis sacrificium Deo ; « id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus, » ut Propheta dicit : « Immola Deo sacrificium laudis (*Psal.* XLIX, 15). » Illi offerebant pecudes, vitulos, et dabant pontifici : nos autem nihil horum offerimus, sed solam gratiarum actionem. Hanc labia nostra germinent. Talibus inquit, sacrificiis placatur Deus. Nihil blasphemiæ vox nostra resonet, non propter vim (1484), non contumax, nihil arrogans. Demus illi hostiam, ut ipse eam offerat Patri. Aliter autem non offertur, nisi per Filium : majus autem etiam per mentem contritam.

« Beneficientiæ autem et communionis nolite oblivisci ; talibus enim hostiis promeretur Deus. » Si alii vestras rapuere substantias, tamen ex eis, quæ habetis, eleemosynas dare nolite oblivisci, ut Propheta dicit : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (*Psal.* XL, 2). » Ne eum putes accipere, cujus manum vides ; ille enim accipit, qui jussit ut dares. Tu das panem in terra, Deus recipit in cœlo. Das ei, qui consumat ; accipit ille, qui reddat. Nec hoc redditurus est quod accepit. Terram dedisti, cœlum recipies ; temporalia dedisti, æterna mercaberis. Panis, quem dedisti, consumptus est ; panis, quem ille dabit, reficiet et non deficiet.

(1485) « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro omnibus vobis (1486) reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. » Præcepit enim Apostolus ut eorum præpositis aurem accommodarent. Obedire enim debemus præceptis majorum nostrorum. Si enim maligni exstiterint, non faciamus qualiter agunt, sed qualiter dicunt (*Matth.* XXIII, 3). Nisi in fide contrarii exstiterint, non solum vitandi sunt, sed etiam fugiendi. Si enim in moribus discrepaverint, audi Christum dicentem : « Super cathedram Moysi sederunt scribæ, et pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerunt vobis servate, et facite : secundum opera eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt (*Ibid.*, 2, 3). » Ac si diceret : Vere non ad vitam eorum, sed ad sermones intendite. Quantum enim ad mores attinet, nullus poterit lædi. Qua ratione hoc ? Quia manifesta sunt omnibus opera illius (*Gal.* v, 19 ; *I Tim.* v, 24). In causa enim fidei, non est manifestum omnibus, quod docetur. Neque malignus dubitat docere contraria. Sanis tamen fide obediendum est, sicut præcepit Apostolus, quia ipsi pervigilant, rationem pro animabus nostris reddentes. Non solum enim vigilant, sed etiam pervigilant. Pervigilant enim, qui sine intermissione vigilant. Ideo subditi sitis, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. O quantum periculum infelicibus illis et miseris, qui semetipsos, ad alios regendos præcipitant, et se in tantorum supplicio-rum abyssum jactant, quorum omnium subjectorum reddituri sunt rationem ! Post tantam enim commi-nationem, quam negligentiæ videmus illatam, plurimis, qui concurrunt et præcipitant semetipsos, quanta moles, quantæ difficultates regiminis (1487) ! Si enim qui necessitate compelluntur, nullum poterunt habere refugium, neque ullam excusationem reperire, quando res male tractaverint, et quando negligenter suam administrationem gesserint ; quanto ergo amplius qui cum studio et ambitione petunt principatus, et semetipsos præcipitant, severius punientur ! Hujusmodi enim homo multo amplius sibi locum veniæ claudit. Nam et Saul, qui regimen prius recusaverat, postquam recusavit, in pericula incidit : quanto magis ille, qui in ambitione principatus semetipsum præcipitat ? Oportet ergo timere, et propter conscientiam, et propter molem ac magnitudinem curæ ; et neque, dum ad principatum trahitur, recusare ; neque, dum non trahitur quisquam semetipsum præcipitare. Sed considerantes tantam dignitatis amplitudinem, oportet effugere ; comprehendentes autem, obsequium et reverentiam oportet ostendere. Nihil immoderate faciendum est (1488).

« Orate pro nobis ; confundimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari. » Veluti si diceret : Noſo ut mihi accu-

(1483) In autog. *habemus*, quod sensus emendandum suasit.

(1484) Fortasse *non improperium*, vel *non propter ſpum*, juxta illud Apostoli *I ad Cor.* XIII, 5, et *Philip.* II, 21, ubi non sua quærere monet ; nam verba hæc ita jacent *nonpropt uum*. Vel forte *non protervum* legere præstabit.

(1485) In autog. marg. hic legitur cap. XXXVII,

(1486) Vulg. *pro animabus vestris.*

(1467) Textum hunc aliquanto emendandum judicavi. Ita enim jacebat : *Post tantam communicationem, quam negligentiæ videmus illatam, plurimis qui concurrunt, et præcipitant semetipsos tantæ molis, tantæ difficultatis regiminis.* Quod nullum aptum referre videbatur sensum.

(1488) Vere aurea admonitio, tantoque præsule digna !

sationes aliquas proferatis. Conscientia, inquit, nostra nos in nullo condemnat, neque nobis aliquid conscii sumus. Confidimus,inquit,quoniam bonam conscientiam habemus in omnibus, non in gentibus tantum, sed etiam et in vobis. Nihil negotiationis gratia facimus ; nihil cum confictione protulimus : non sicut inimici, inquit neque sicut hostis, sed sicut amicus hæc scribo. Deprecatio enim in hoc loco apparet, tanquam ad contristatos scribens ad eos, qui circa eum, veluti circa prævaricatorem afficiebantur, non ferentes neque nomen ejus audire. Et hoc etiam ex his, quæ sequuntur, ostenditur : « Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. » Hoc etiam nimium amantis est sic orare ; non simpliciter, sed cum tota intentione, et omni prorsus studio. Ut cito, inquit, ad vos veniam. Hoc animi est nihil sibi conscii, festinare ut ad eos velociter adveniret. Exhortatur illos orare pro se. Ut hoc ei concederetur, primum ab eis postulat orationis auxilium, tunc etiam et ipse pro eis omnia bona deprecatur. « Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium,in sanguine testamenti æterni,Dominum nostrum Jesum Christum. » Nolite igitur dissentire a nobis,si vultis Deum pacis habere propitium, a quo omnis pax ejus procedit, sicut ipse dicit: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV, 27). » Pastor magnus ipse est,sicut ipse dicit in Evangelio : « Ego sum pastor bonus,et cognosco meas oves, et cognoscunt me meæ (*Joan.* II, 14). »

« Aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placuit coram se per Jesum Christum,cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. » Faciat aptos vos esse in omni opere bono et sermone, ut vitam videlicet et dogmata recta habeatis secundum voluntatem ejus. Faciens, inquit, in vobis ut placeat coram se.Hoc enim in alio loco dicit : « Deus est enim, qui operatur in vobis velle et proficere pro bona voluntate (*Philip.* II, 13). » Et hoc per Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. « Rogo autem vos,fratres,ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis. » Non dixit, rogo vos, ut sufferatis verbum admonitionis, sed verbum solatii, hoc est, verbum consolationis, verbum adhortationis. Non potest quisquam, inquit, longitudinem sermonis abnuere, nisi impatientia. Hoc quippe erat, quod eis nolebat ostendere, sed latenter hoc dixit tanquam si diceret : Et si pusillamines estis talium enim est non ferre sermonis longitudinem. Sed tamen infirmis præcipue congruit,ut pauca quidem, et quæ capere prævalent, audiant, et quæ eorum mentem pœnitentiæ dolore compungant. Nam si eis in uno tempore exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus, quia multa retinere non valent, simul amittunt omnia. Unde et medici corporum pannos, quos infirmantibus stomachis ponunt, apto quidem medicamine et subtiliter liniunt, nisi (1489) repleti multo medicamine, infirmitatem stomachi roborantes, infirmum non relevent, sed opprimentes aggravent. Tanta tamen scribens Apostolus, parva illa esse dixit,in comparatione scilicet eorum, quæ dicturus erat : secundum quod alibi dixit : « Sicut scripsi vobis in modico, secundum quod potestis legentes intelligere prudentiam meam in ministerio (1490) Christi (*Ephes.* III, 3, 4). »

« Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum » (subauditur, a nobis, seu dimissum dicit ab Athenis), cum quo, si celerius venerit, videbo vos. » Hoc enim idoneum erat, ut eos mansuetiores efficeret,quod se paratum dixit ad eos venire. « Salutate omnes præpositos vestros,et omnes sanctos. » Hortabiliter tractat, siquidem ad illos per illos scribebat. « Salutant vos de Italia (1491). » Manifeste ostendit quod in Roma hanc Epistolam scripserit. « Gratia cum omnibus vobis. Amen. » Gratiam fidei dicit, quam in baptismo accepimus, vel pœnitentiæ, aut perseverantiæ gratiam optat ; quod est omnium commune. Gratia enim est remissio peccatorum, per quam,illo præstante, mereamur purgari.Gratiæ tuæ gratias agere non solum ego (1492) sed neque ulla sufficit agere creatura, æterne Deus,sine initio et fine : per quem omnia facta sunt quæ in cœlo sursum, et in terra deorsum. Non quædam vis et facis,quædam vis et non facis ; sed omnia quæcunque vis et facis. Cujus admiranda sunt opera,terribilia judicia, credenda promissa ; qui te vocari voluisti, Deus Abraham, Isaac et Jacob, et dixisti : hoc mihi nomen in æternum, et memoriale in generatione, et generatione ; sine qualitate bonus, sine quantitate magnus,sine indigentia creator,sine situ præsens, sine loco ubique totus, sine tempore sempiternus, sine mutabilitate mutabilia faciens, nihilque patiens, solus rex bonus, solus præstans, solus justus, omnipotens, et æternus : qui miseris gratuita pietate,et indebita bonitate ; condemnas,et obduras peccatores per veritatem, absque ulla iniquitate,et tamen per indebitam misericordiam tuam miseris hominibus, quia potens es, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, et facis mundum immundo conceptum de semine, et deles ut nubem iniquitates, et quasi nebulam peccata ; cujus bonitas circa indignos, et dignos, non tenaciter, sed largiter exuberat. Tu dedisti in corde meo, ut propter gustum, et suavitatem hujus vitæ, sanctæ Scripturæ,gentem patriamque relinquerem. ut ejus suavitatem aliquantulum degustarem,et per hoc te cognoscere potuissem : quia revera lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Sed tua indeficiens pietas, larga clementia, nimia misericordia, et bonitas sempiterna. Plus dedisti quam petii, et plus præstitisti quam postulavi : qui mihi panem cœlestem non solum,quem ipse comederem, præstitisti : sed etiam per inutilem servum

(1489) Fortasse *ne si*.
(1490) Vulg. *mysterio*.
(1491) Vulg. addit *fratres*.
(1492) In cod. *ergo*.

tuis fidelibus servis erogare fecisti. Pro qua re peto servus inutilis servos utiles, in quorumcunque manibus laboris mei opuscula venerint, quidquid optimum invenerint, ad auctorem referant Deum ; quidquid vero minus, mihi ignoscant. Et hoc rogo, ut pro facinoribus meis Dei indebitam misericordiam A saltem in uno verbo postulare non dedignentur ; uti quando justis a pio judice reddita fuerit præmii corona, mihi peccatori indebita Dei misericordia quantulumcunque veniam tribuere dignetur.

Deo gratias. Amen.

ATTONIS

VERCELLENSIS EPISCOPI

SERMONES.

[Ex codice Vaticano, apud Maï, *Scriptorum veterum Collectio nova*, tom. VI, p. II, p. 11.]

SERMO PRIMUS

IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (1493).

Ad celebrandam nativitatem Domini nostri Jesu Christi, fratres charissimi, jam nunc corda vestra præparate, mores componite (1494), vitam dirigite, ut non nos veniens de negligentia judicet, sed de (1495) dignis operibus remunerare dignetur. Beatus Paulus clamat apostolus : *Hora est jam nos de sommo surgere* (*Rom.* XIII, 11). Somnum itaque negligentiam appellat, quam excutientes a cordibus, bonorum operum instantiam nobis convenit frequentare (1496)... studiose acquirere (1497)... digna... aliquid negligenter offender... ipsis eum placaret. Ecce nempe cœlorum... specialiter quodammodo ad visitandum venit. Cujus adventum nobis multo magis [salutari] convenit providentia exspectare, jejuniis, vigiliis, orationibus, continentiis, eleemosynis, cæterisque virtutibus præteritæ culpæ maculas a nostræ mentis domo sedule abluamus, nec ad easdem iterum redire intendamus. Minime quidem sufficit, aliqua interveniente festivitate, nostram deponere iniquitatem, si, ea transacta, rursus ad eamdem recurrere consideremus. Hospes namque venturus sic de futuris (1498) quemadmodum de præsentibus, sic de occultis quemadmodum et de manifestis judicare volet. Denique Psalmista ait : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, qui invocant eum in veritate* B (*Psal.* CXLIV, 18). Cum enim ubique esse probetur Dominus, illis tamen procul dubio proximus dicitur, quibus propitius esse dignatur, scilicet *qui invocant eum in veritate*. Illi quidem *in veritate eum invocant*, qui ea quæ expediunt digne rogant : qui vero supervacua (1499) ab eo quærere præsumunt, vel qui ea quæ postulant non intimis mentibus rogant ; ipsi profecto *in veritate eum* non *invocant*, nec prope habere merentur, ut illud : *Longe est a peccatoribus salus* (*Psal.* CXVIII. 155). Nam qui ficte Deum quærit, nunquam eum invenire [*cod.* inveniri] merebitur. Hinc scriptum est : *Spiritus sanctus effugiet fictum* (*Sap.* I, 5). Quod bene quoque per angelos Dominicam nativitatem pastoribus nuntiantes declaratum est dicentes [*cod.* dicentibus] : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus* C *bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Bona voluntas est non solum mala non agere, sed etiam nec velle. Jure ergo talibus Christi pax nuntiatur. Qui vero homicidia, odia, adulteria (1500), furta, perjuria, seu cætera vitia sic ad tempus simulant declinare, ut ad hæc eadem iterum reverti jam corde conceperint, ii profecto bonæ voluntatis non sunt, nec Christi eis (1501) conceditur pax. Nam miles arma deponit, corpus reficit, membra refovet, ut tempore opportuno resumptis viribus eisdem armis rursus valeat dimicare. Non sic .. induere mere... pertingere (1502) gaudeamus.

(1493) Hunc sermonem, cum aliis quatuor, de Pentecoste, de S. Eusebio, de Assumptione B. Virginis, de Nativitate Præcursoris, edidit V. cl. Jo. Dominicus Mansius in appendice tomi II Miscellaneorum Baluzii Lucæ, an. 1761, ex hoc eodem vetere et perraro codice Vaticano ; sed enim festinatione perturbatus, vir cæteroquin doctissimus, permultos turpesque errores contra codicis fidem scripsit et incautissime edidit, quos ego nunc corrigam.

(1494) Mansius pervertit hæc cola.

(1495) Mansius, *ex*.

(1496) Summa codicis ora humiditate extabuit, D perieruntque in singulis paginis versus ferme duo ; ex qua regula metiri sequentes lacunas discant lectores.

(1497) M. male *atque fere*.

(1498) M. falso *præteritis*.

(1499) M. *supervacanea*.

(1500) M. omisit hoc vocabulum.

(1501) M. perperam *ei*.

(1502) M. male *perstringere*.

SERMO II.

IN NATALI EJUSDEM.

Gaudeamus omnes, fratres charissimi, lætentur et exsultent omnes gentes. Istum diem non tantum visibilis sol, sed ejus invisibilis Creator potius illuminavit. In hac siquidem die, Deus homo factus est, cœlestia terrenis famulantur, angeli et homines ad concordiam revocantur. Cum enim in principio esset Deus, sicut evangelica vobis lectio narrat, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3) : sed inimicus humani generis adversus Creatorem suum insurgere tentavit dicens : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 14). Ob quam superbiam tam ipse quam omnes sequaces ejus, qui incommode tentaverunt ascendere, divino judicio sunt dejecti. Ad quorum casus reparationem Dominus homines in paradiso constituit. Angeli quoque, restaurationem sui ordinis ab ipsis exspectantes, in magno eos gaudio multoque receperunt amore. At vero, post prævaricationem Adæ primi hominis, in tantum discordiæ odium crevit, ut nulla pene pristinæ dilectionis radix permaneret. Nec jam nobis se consortes esse angeli æstimabant, quia Deo ullo absque delicto serviebant. Quoties quippe hominibus apparebant, adorari se quasi a subjecta creatura permittebant. Christus itaque Deus ante tempora, homo ut nos redimeret factus in tempore, formam servi suscipiens, cœlos et terram, angelos et homines pacificavit. Post cujus incarnationem, angelus se ab homine adorari prohibuit dicens : *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, 10). Hæc est dies illa, in qua naturæ jura mutantur : virgo concepit, virgo peperit, *et Verum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Nam quem immensitas cœli capere non potest, præsepis angustia collocatur. Hodie angeli pastoribus apparuerunt, eosque de Domini nativitate instruxerunt, et ne timerent confortaverunt, eisque gaudium magnum nuntiaverunt, et gloria in excelsis Deo primum decantaverunt (*Luc.* II, 8-15). Quibus ideo nativitatem Domini angeli primum nuntiaverunt, quia pastores præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt. Gaudeamus ergo hodie, fratres charissimi. . .

SERMO III.

IN FESTO OCTAVÆ DOMINI.

Hunc diem semper Kalendis Januariis [*cod.* Januariarum] sicut nostis, charissimi, celebramus. Sed nobis hoc tacere non convenit, quod quidam falsi Christiani tanti diei solemnitatem sacrilega commistione perturbant, ita ut divina officia in ecclesiis videantur celebrare, et variis maleficiis domi non desinant inservire (1503). Insuper Janianas traditiones gentiliumque ritus non metuunt observare : qui etiam adeo a se charitatis gratiam expellunt, ut neminem suam domum eodem die primum ingredi velint, nisi qui cumulatus oblationibus advenerit : aliquem autem hospitio se suscipere abnegant, et nihil penitus de sua domo dare aut commodare desiderant (1504). O infidelis et erronee! Melius tibi esset in domo tua Christum in hospitem suscipere vel pauperes, quam rusticos a te tuisque oppressos atque sic instructos, apophoreta vel œnophora bajulantes. Idem quippe Dominus ait : *Quandiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Et item : *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* II, 41). Similiter etiam Kalendis Martiis hujusmodi homines multis solent debacchare (*ita cod.*) præstigiis ; præ cunctis autem anni diebus, in his diabolus adhuc suam exercet coloniam. Quod unde processisse credimus, vobis indicare curamus. Mars namque et Janus homines perversi et infelices fuerunt, quorum unus homicida et adulter, alter in tantum fuit vanus et demens, ut etiam se ipsum flammis cremaret. Post quorum interitum, paganorum illis more fabricatæ sunt statuæ, in quibus ob eorum scelerum immanitatem dæmonibus placuit habitare ; et ut facilius homines deciperent, prædictorum sibi nomina placuit fingere, sicque se vivere, et deos esse jactabant ; duorumque mensium (*ita cod. hic et alibi*) principia sibi sacranda dicebant, atque suo nomine eosdem menses, scilicet Martium et Januarium, a Marte et Jano appellari jubebant ; et qualiter per singulas ipsas Kalendas solemnia colerent, qualesque cultus peragerent edocebant. Qui error in tantum frequentando crevit, ut pene ab omnibus coleretur subversis. Et inde esse existimo quod hodieque durat in rusticis. Mensium autem nomina... solu... quoque signorum sicut ab antiquissimis et paganis diversis composita sunt figmentis adhuc permanere in quibusdam cognovimus, ut Aries, Taurus, et cætera. Quorum nomina, si diligenter inquirantur, falsa esse noscuntur, quia animalium species nunquam in sideribus videntur, sed curiositas paganorum hæc deliramenta secundum voluntatem vel laudem numinum et potius dæmonum suorum curavit pertractare. Quod ex paucis possumus approbare ; nempe quod paganorum philosophi Arcton, id est Ursam, appellaverunt, atque a Jove inter astra depositam scripserunt ; hoc nostri rustici plaustrum denominaverunt. Quod autem ipsi caput tauri asserunt, hoc etiam isti gallinam dicunt. Sed quod balteum Orionis notant, hoc nostri falcem sectoriam clamant. Nec ideo inferiores hos dijudicet quisquam, quasi pejus assimilaverint nefas. Denique nec ἄρκτος [*cod.* Arcton] melius Ursam quam plaustrum ostentat ; nec illud aliud signum potius caput tauri, quam

(1503) De superstitionibus in Italia medio ævo proserpentibus legatur Muratorii dissertatio 59 in Ann. medii ævi, t. V., quæ certe cumulatior fuisset, si Attonis hic ineditus sermo Muratorio innotuisset.

(1504) Memorantur similes his superstitiones in opusculo Martini Bracarensis, quod ego nuper multo emendatius et cum inedito exordio in tertio volumine classicorum Auctorum p. 379, edidi.

gallinam designat. Quod autem balteum Orionis dicitur, omnibus patet quia melius quasi falci sectoriæ quam balteo assimilatur. Nos igitur talia dicere cogimur, quia multos perverso dogmate seductos hæc supra modum observare cognovimus. Nam Deus omnipotens ideo sidera constituit in cœlis ut hominibus deservirent in terris. Hæc quidem caliginem temperant, distinctionem horarum insinuant, iterantibus vel navigantibus mundi partes designant. Sunt etiam quædam in quibus imbrium tranquillitatumve tempora aliquando prospicere possumus. Hanc illis legem Creator omnium in priucipio posuit, nec ultra subvenire vel nocere valent : quamvis sint mathematici, qui hæc nascentibus præesse, conjugiis dominare [*ita cod.*], architectis doceant observare. Sed quod de nativitate asserunt, satis in Epiphaniarum homeliis destruitur (1505). Nos vero quid de conjugiis sentiamus interim adnotemus. Innumeros nempe homines mares ac feminas steriles persæpe vidimus, et licet variis temporum indagationibus, vel studiosissimis signorum . . . ex diversis conjugibus procreasse. De ædificiis autem, ex præsenti saltem Papiensi incendio (1506) possumus colligere veritatem. Quæ enim civitas in hoc regno fuerat, quæ pulchrioribus, ut vidistis, rutilaret structuris? nec ulla poterat ab antiquis seu a modernis siderum computatio reperiri, sub qua domus fabrica in ea non creverit; una tamen die, instar divini judicii, ab igne consumpta est. Qui ergo dicunt aliqua siderum observatione prolem suscipi, vel negligentia fraudari; vel qui domos in ortu quorumdam siderum erectas ab igne cremari, in quorumdam autem permanere illæsas astruunt, aut qui ab ipsorum veneratione aliquid provenire contendunt, his testimoniis fallaces esse monstrantur. Sed inimicus humani generis diversas sentiens infirmitates hominum, diversis nosmet nititur insidiis expugnare : sicut enim potentibus rapinam, callidis suggerit fraudem, deliciosis libidinem, robustis superbiam; sic stultis et rusticis incredulitatis vulnus obdurat, superstitionum venena diffundit, usus defendit, duritiam munit. Et licet de superioribus quoquo modo se excusent vitiis, his tamen prosternuntur jaculis. Igitur quærendum est a talibus, si credulitatis (1507) symbolum vel semel percantent, intendant, vel cogitent : quod si respuunt, a nostro collegio usque ad emendationem sequestrentur. Si vero hoc se perhibent frequentare, dicant quo ore vel corde credere Deum omnipotentem asserunt, cujus voluntati talia impedire creduntur. De talibus namque Dominus per prophetam ait : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* xxix, 13). Omnipotens vero non est, nisi qui omnia potest : de quo Psalmista ait : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* cxxxiv, 6). Et Paulus apostolus : *Voluntati enim ejus quis resistit* (*Rom.* ix, 19)? Ergo, fratres mei, liquido patet quia hæc talia multum obesse suis possunt cultoribus : et ideo sic a vestris eradicate mentibus, ac si nunquam fuerint in auribus : sed secundum beatum Paulum apostolum, quidquid agendum fuerit, semper fiat in nomine Domini (*Col.* iii, 6). Quod si quis contempserit, a catholicorum sorte separatum qui . . . mathesis vinculis irretiti . . . filiorum tuorum aggregari mereantur.

(1505) Puta Augustini.

(1506) Narrat hoc incendium Muratorius in Annalibus Italicis, anno Christi 1004. — Quod Burontius intelligit de vetustiore alio Papiæ incendio, cujus ad annum 924 mentionem facit Luitprandus.

SERMO IV.

IN EPIPHANIA.

Epiphaniæ festum [*cod.*, festam] celebrantibus quid sit Epiphania innotescere curamus. Epiphania namque Græce, Latine superapparitio dicitur. Nato etenim Domino nostro Jesu Christo, diversorio in quo ipse cum matre morabatur sidus superapparuit, quod magos de remotis partibus ad Dominum adorandum invitavit, hujusque diei tale nomen exinde consecravit. Denique licet Dominus hunc diem variis miraculis perornaverit, istud tamen in nomine præcipuum locum obtinuit, sive quia primum, sive quia omnium fuit maximum. Nam hoc sidus primitias gentium Christo Domino excitavit, atque ad credendum compulit, ad adorandum edocuit. De quorum multitudine diversa nunc jam per omnem pene mundum una vocatur Ecclesia. Cætera vero miracula, quæ Dominus revolventibus annis per eadem anniversaria operare [*ita cod.*] dignatus est, omnia ad istud, quemadmodum ad principium, sive caput respiciunt, sicut Scripturarum quoque declarat series. Eodem anni termino Dominus in Jordane baptizatus est, a Spiritu sancto in columbæ specie declaratus est, ab aquis admiratns est, et a Joanne digito etiam ostensus est : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* i, 29). Deinde aquam vinum fecit ad nuptias (*Joan.* ii, 8); sicut postmodum de quinque panibus et duobus pascibus satiavit quinque millia hominum (*Matth.* xiv, 21). Quæ omnia quid aliud fuerunt, quam stella, quæ corda hominum in remotis partibus vacantia ad agnitionem veri Dei Domini nostri Jesu Christi perduceret? Sicut vero prævio lumine per noctis tenebras quæ obscura sunt perscrutamur, sic homines visis miraculis Deum in effigie hominis latentem facilius intelligebant. Igitur si de prædictis miraculis subtilius intendamus, hæc omnia in ipsis magis præfigurata intellegimus, quæ Dominus postmodum . . . uptus . . . dum cœlestis Regis Filium sibi per incarnationis mysterium inibi intellexerant sociasse. Rursus cum a Judæis quinque librorum (1508) portitoribus indicium aliquod sumunt Dominicæ nativitatis, quasi quinque panes inveniunt : sed dum in itinere labo-

EDIT. PATROL.

(1507) *Credulitas* pro *fides* vulgo legitur apud veteres Patres.

(1508) Scilicet Pentateuchi.

rando ad eum perveniunt, ejusque præsentia perfruuntur, quasi quinque panes frangendo crescunt, ac suis [*cod.* suis eos] deliciis saturantur. Duos autem pisciculos psalmorum et prophetarum libros testantur auctores, qui etiam bene per istos comeduntur, quia quædam eorum sententiæ in istis consummantur. Nam Psalmista ait : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent* (*Psal.* LXXI, 10). Isaias quoque dixit : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes* (*Isa.* LX, 6). Sanctum denique baptismum in eis per hoc designatum est, quod sanctæ Trinitatis confessionem in ipso suo suorumque munerum numero suscipere priusquam Dominum adorarent meruerunt : sive quia Deum, regem, hominem mortalem, eisdem muneribus declaraverunt, quod nulli aliter confitenti gratia est tribuenda baptismi : seu quod post adorationem admoniti sunt ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam reverterentur in regionem suam (*Matth.* II, 12). Nam hæc adoratio baptismum nobis innotuit [*ita cod.*] quodammodo. Regio enim nostra paradisus est, a qua per culpam primi hominis ejecti, diu in regione Herodis, id est in potestate diaboli, errando deguimus. Sed postquam Deum catholice confitemur, eumque ad adorandum fonte baptismatis caput immergimus, ne redeamus ad Herodem cunctis sanctæ Scripturæ dogmatibus admonemur. Herodes namque *diabolum* significat, sicut ejus interpretatio nominis clarificat. Unde et per aliam viam nostram repedare patriam divinis admonitionibus suademur, ut qui devia vitiorum sectando cecidimus, per virtutum tramitem ascendere summo. . . .

SERMO V.

IN CAPITE JEJUNII.

Quoties, fratres charissimi, . . . apparatus frequentia etiam . . . entibus . . . cognoscit . . . exi . . . qui pretiosioribus vestimentis, vel deliciosioribus cibis et potionibus opulentius abundare . . . appetitus miseros, contemptus vero felices potius reddat. Multo magis ergo nunc, dilectissimi . . . et observantiæ imminet tempus, congrua nos oportet omnimodis devotione præparari. Sed quia secundum beatum Apostolum : *Alius judicat inter diem et diem, alius vero omnem diem* (*Rom.* XIV, 5); qui absolutis diebus avidius fruuntur deliciis, his quadragesimalibus acrius convenit abstinere. Nam anima, quæ pro ciborum moritur affluentia, interdum per jejunii resurgit observantiam. Cibus denique sumendus est sola necessitate, jejunium amplectendum est summa utilitate. Scitote ergo nunc, dilectissimi, quia præsentis hebdomadæ quarta feria sacri jejunii caput, annuente Christi misericordia, devote celebraturi sumus, ut caro quæ læta nos traxit ad culpam, nunc afflicta reducat ad veniam. Quod cum magna diligentia inchoandum est, ut ejus ad finem inoffense pervenire mereamur. Nam res quæ bene inchoata non fuerit, perfectum exitum vix habebit. Quapropter, charissimi, mundana postponentes seria, ecclesias frequentare, peccatorum vestrorum lacrymosam Deo et sacerdotibus confessionem facere, et per totum eumdem diem in Dei servitio laborare satagite, ut plenius discere possitis, quemadmodum cœptum opus, Deo opitulante, salubriter expleatis. Sed quia non omnibus unus est propositus, vita clericorum a laicorum debet esse conversatione remota. Et qui secundum beatum papam Telesphorum anticipare debent jejunio (1509), sua quoque primum delicta pœnitendo abstergere non omittant, ut populum statuto die dignius purificare queant : pollutis nempe quis tangendo, coinquinare potius quam emendare solet. Et ideo ante omnia nanus nostras lavemus, scilicet facta reproba studio bonæ conversationis emendemus : et sic per divinam ministrationem aliorum culpæ maculas diluere laboremus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cujus sanguine sumus redempti et providentia gubernati. Amen.

SERMO VI.

ITEM IN CAPITE JEJUNII.

... congrue est per... quærit... cu... quadragesimum vel potius... cesimum seu alicujus alterius numeri magis... jejunium, quod facile patet, si præfata tempora vel si consideremus auctores. Quatuor... adhuc numeri summam attingunt. Bene ergo Moyses, legem Decalogi accipiens, quater decies jejunavit, ut per hoc ostenderet, in Decalogo nullam esse perfectionem, nisi sancti Evangelii gratia illustraretur, quod quadrifario stylo describitur. Eliæ quoque hoc jejunium concessum est prophetæ, quia et Veteris exstitit Testamenti prædicator et testis, et Novi etiam adhuc reservatus occurret. Dominus autem noster Jesus Christus hoc etiam jejunium ideo celebrare dignatus est, quia « sicut ipse ait, non veni solvere legem sed adimplere (*Matth.* v, 7); » seu ut se ostenderet eumdem Veteris et Novi Testamenti auctorem, quia sancta quatuor Evangelia Decalogum non destruunt, sed magis stabilire contendunt; sive quia eumdem Decalogum prius apud Judæos signatum et inclusum idem Dominus solvere, et per quatuor mundi partes venerat prædicare. Talibus denique parentes exemplis atque doctrinis, devota mente, puro corde, et pio affectu, hujuscemodi jejunium omnes Christianos venerari oportet, quod nullo tempore congruentius constituitur, quam confine atque contiguum Dominicæ resurrectioni. Per istos etenim quadraginta dies totum activæ vitæ tempus significatur, cui opus est continentia, ut ab istius

(1509) Ex sancti Telesphori constitutione sumit hæc Atto, quam videsis in ed. Rom. t. I, p. 79. Rei mentio est etiam apud Anastasium in Vitis PP. RR., et apud Hieronymum (non Eusebium, in cujus pura editione nihil ejusmodi dicitur) in chronico. Attamen Baronius ad an. 154, sapienter annotat jejunium quadragesimale non a Telesphoro, sed ab apostolis initium sumpsisse.

mundi jejunemus illecebris, sola quæ Dei sunt meditantes ac divina pabula ruminantes, ut ad contemplativam vitam, quæ per paschale gaudium intelligitur, pervenire mereamur ovantes. Nam denarius perfectionem beatitudinis, quaternarius autem plenitudinem ostendit. Totus enim mundus a quatuor ventis delinitur, et quatuor elementis erigitur; quatuor etiam temporibus anni vices variantur. Decem ergo quater ducta, quadraginta consequuntur. Quo numero ostenditur ab omni temporali delectatione hic abstinendum ac jejunandum absque ulla controversia esse, ut cœlestes delicias consequi valeamus ; quod plane Dominus in Judæorum significavit eductione, qui in hujusmodi annos numeri per desertum educti sunt, solius pene alimonio mannæ sustentati, ut ad repromissionis patriam pervenirent. Sed qui pro deserti... ergo, fratres charissimi,... studiosissime custodiri. Quæ si sexta tantummodo ante Pascha inchoetur hebdomada... patet quia quadragesima non erit ; sex enim hebdomadæ sunt dies quadraginta et duo. Subtractis totidem Dominicis diebus, non amplius in abstinentia quam triginta et sex superesse novimus, qui quaternis a præsenti numero deficiunt. Quatuor ergo dies hujus antecedentis hebdomadæ sumuntur, ut ad prædictam summam numerus crescat. Est igitur hujus caput jejunii hodie, quod est septimæ quarta feria hebdomadæ : a qua usque ad sanctam Domini resurrectionem, exceptis tantummodo diebus Dominicis, districtum convenit per omnia celebrare jejunium, quod, si solvatur in aliquo, jam quadragesima non erit. Si autem sacra Scriptura illos increpat, qui etiam quodammodo absolutis diebus, deliciis et voluptatibus fruuntur, quam diram illi recipient sententiam, qui saltem istos neglexerint? aut cum qua conscientia ad immaculati Agni esum paschali festivitate impudens accedere præsumet? qualiter communicare Dominico poterit corpori, qui suum neglexerit bonis moribus vel ad tempus ornare, cum audiat : *Qui indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit?* (*I Cor.* II, 29.) Abstineamus ergo nos a lucris et negotiis sæcularibus, abstineamus nos a carnalibus delectationis adversus animam militantibus (*I Petr.* II, 11), et dignum Deo nostris mentibus habitaculum præparemus. Ante omnia dilectissimi, de præteritis malis confessionem veram Deo et sacerdotibus facite (1510), et dignam pœnitentiam agite, quia multum obest luculenta ædificia caducis fundamentis coaptari. Considerate etiam serpentis prudentiam, qui nullo modo fontis lympham potare præsumit, donec omne venenum effundat. Vulneri quoque non proficit medicamentum, si adhuc ferrum insit. Estote ergo, fratres, in officiis assidui, in vigiliis prompti, in orationibus continui, in cibo parci, in potu sobrii, in eleemosynis largi, in castitate honesti, ab ipso etiam conjugali toro suspensi, ab omnibus ludis vel otiosis verbis remoti, quia quæ aliis diebus etiam licent, istis pro crimine habentur. Ecclesias insuper frequentate, infirmos et in carcerem visitate, debitores solvite, mœstos consolate, pauperibus erogate....

SERMO VII.

IN DIE PALMARUM.

Promissione Domini nostri Jesu Christi, fratres charissimi, confidimus, quia de gloriosa ejus resurrectione nullus terror vestrum cor oppressit, nec dubietas menti irrepsit ; nam pavor apostolorum cæterorumque ejus temporis sanctorum incrudelitatis caligine alebatur. Sed illorum infirmitas nostræ fuit perfectionis augmentum. Igitur quæ, istis transactis diebus, quasi ex opacis frondibus radios emittebant, nunc jam clara voce prædicantur. Hinc namque colligere potestis quia quanto magis Domini annuntiamus passionem, eo ocius ad ejus celebrandam appropinquatis resurrectionem. Sex denique dies usque ad illius festi gaudium numerantur : sexta etiam hebdomada transacta est, postquam caput jejunii indiximus. Vel in his ergo sex feriis, fratres dilectissimi, recuperare satagite, si aliquid fortasse in sex præteritis hebdomadibus defecistis. Quamvis sint quidam qui aliquos hujus hebdomadæ dies, scilicet quintam feriam et Sabbatum, absolutiores præ cæteris quadragesimalibus esse dijudicent, quod contra canonum est statuta, nec ullius sacræ Scripturæ confirmatur auctoritate, nobis quoque rectum minime esse videtur. Quanto etenim viciniores paschali gaudio accedimus, tanto puriores nosmet ipsos præparare debemus, jejuniis, orationibus, vigiliis, seu omnibus misericordiarum operibus, et jugi insuper fletu præterita delicta lavare. Sed et si quis sua flenda non sperat esse facinora, saltem Domini eum compungat his diebus injuria. Nam cum esset Deus ante sæcula, in formam servi veniens, sputa, flagra ab impiis suscipiens, pro nostra ipsorumque etiam salute hujuscemodi in tempore animam ponere non despexit. Compatiatur ergo unusquisque, fratres mei, portantes opprobria, et defleat inferentium cæcitatem. Ipse denique dixit in Evangelio : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5). Commodus est enim nunc aliquantulum luctus, ut liberius in sancta resurrectione lætemur. Psalmista quoque ait : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13). Calix vero et aperta persecutio et occultus potest intelligi gemitus, qui quoquo modo ab omni tamen convenit Christiano potari. Præparemus ergo nos ad futurum festum (1511), charissimi, ad quod digne pervenire... Dominus. Exsultemus... nec deliciarum cibi, sed opera præmittenda sunt justitiæ et æquitatis. Aptius est enim ut... tres mediocres præpares tunicas, undo et te et pauperes Christi vestire valeas, quam ut unam solum tibi pretiosam acqui-

(1510) In marg. *faciamus*, itemque mox *agamus*.
(1511) Cod., prima manu, *futuram festam*, et infra *ad quam*, sine emendatione. Recole serm. 4 init. itali nunc dicimus *la festa*.

ras. Et melius est tibi simplicem acquirere victum, unde plures egenos ad tuam suscipere mensam valeas, quam deliciosis cibis multam impendens pecuniam, cum sola domo tua ebriose vescaris, et pauperes Christi fame vel nuditate afflicti pereant te præsente. Ait enim beatus Joannes apostolus : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?* (*I Joan.* III, 17.) Ergo fugite avaritiam et diligite charitatem, sine qua nemo Deum videre merebitur (*Hebr.* XII, 14). Charitas, pax et gaudium vobiscum in æternum. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

SERMO VIII.

IN DIE SANCTÆ RESURRECTIONIS.

Hodie, fratres charissimi, diem Dominicæ colimus resurrectionis, in qua Dominus noster Jesus Christus, destructo mortis imperio resurrexit a mortuis, quam etiam Pascha vocamus. Pascha igitur sermo est Hebræus, Latine dicitur *transitus ;* quod multo ante incarnationem Domini nostri Jesu Christi præsignatum est. Nam, cum filii Israel Ægyptiaca premerentur servitute, clamaverunt ad Dominum ut eos eriperet de manu Pharaonis, id est regis Ægyptiorum. Ad quem propheta Moyses destinatus est, ex Domini eum admonens sententia ne populum ejus affligeret, sed soli Deo eos servire dimitteret, et quo proficisci vellent ne contradiceret. Quod quia renuit, visitavit Deus Ægyptios plagis maximis, in multis signis et variis portentis. Qui nec ideo vocem Domini audierunt, et populum non dimiserunt, sed amplius afflixerunt. At illi magis magisque ad Dominum clamabant, ut eos de manu opprimentium liberaret ; quorum voces ascenderunt in conspectu Domini. Dederat autem eis Dominus in signum ut in omni domo sua agnum mactarent, omnesque postes suos ejus sanguine assignarent : nam se per medium (*ita cod.*) Ægyptum transiturum designavit, et omnia primogenita ejus percutienda annuntiavit ; eosque quorum postes taliter assignatos invenisset, salvare et ab hostibus liberare promisit. Quibus etiam præcepit ut singulis annis . . . mare Rubrum, in crastin . . . has. . . Ægyptiorum, ut eos persequerentur. Filii autem Israel videntes eos, timuerunt valde. Dominus tamen aperuit illis mare, et apparuit arida, et factæ sunt aquæ a dextris eorum et sinistris quasi murus, et ambulaverunt per siccum in medio maris : inimici autem eorum persequentes submersi sunt, *nec unus superfuit ex eis* (*Exod.* XIV, 28). Hæc itaque omnia typus et figura erant, quod nunc cernitis in veritate perfecta. Nam illud Pascha, in quo ille agnus mactatus est, istud significabat, in quo verus Agnus, id est Dominus noster Jesus Christus occisus est : de cujus sanguine nisi postes nostri, id est ora nostra signentur, salvi esse non possumus. Sicut ergo per illius agni mactationem et sanguinem filii Israel ab Ægyptiaca sunt servitute liberati, ita nos per istius veri Agni a servitute diabolica sumus redempti. Quod autem illi hostium nullo modo evadere potuerunt periculum, nisi per transitum maris Rubri, sic et nos nullatenus possumus diaboli vitare laqueos, nisi per lavacrum baptismi. Et sicut omnes inimici eorum submersi perierunt, ita omnia vitia quæ in nobis sunt exstinguuntur in baptismate. Celebremus ergo, dilectissimi, verum Pascha, transeamus a vitiis ad virtutes, oremus Dominum ut liberet nos de manu Pharaonis, id est a potestate diaboli : resurgamus a morte ad vitam, scilicet a peccato ad justitiam : festinemus ad sanctam Ecclesiam, quæ est civitas sancta Hierusalem, ut mereamur habere partem cum ipsis qui resurrexerunt cum illo, et apparuerunt in sanctam civitatem multis (*Matth.* XXVII, 73). In ipso ergo gaudeamus et exsultemus, qui cum Patre et Spiritu sancto.

SERMO IX.

ITEM IN ALBIS.

Laudate Dominum, omnes gentes, et collaudate eum, omnes populi (*Psal.* CXVI, 1). Dignum et justum est ut Dominus a nobis semper laudetur, Psalmista testante, qui ait : *Benedicam Dominum in omni tempore ; semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 1). Semper vero laudes Domini nostro ori conveniunt, sed in hac præcipue tanta festivitate : Regi enim qui infernum confregit, captivos reduxit, vitam reddidit, mortem ademit, jure canticum novum debetur, ejusque laudationem decet præclaram concrepare. Eia nunc, fratres charissimi, cum Propheta *cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum* (*Psal.* CXLIX, 1) : non æreis cymbalis, non canticulis platearum, non tubarum strepitu, sed novo cantico, id est Novi Testamenti, Dominum collaudare oportet. Itaque, subditur : *Exsultabunt sancti* (*Ibid.*, 5) . . . *in Domino glorietur* (*II Cor.* X, 17). . . gaudio, quia, ipso testante apostolo, *transit mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II, 17). . . in Deo scilicet, profecto in cubilibus suis lætabuntur, id est in pura sua conscientia et mundo corde, quo Deum cernere merebuntur. Non lætantur in theatris, ut scenici ; non in epithalamiis et cantilenis, ut mimi ; non in saltationibus et circo, ut histriones vel idolorum cultores, quos, heu ! quidam Christiani adhuc in multis imitantur. Quid enim miserabilius senibus, quid turpius juvenibus, quid perniciosius adolescentulis, quam stupra virginum et libidines meretricum turpi gestu et blanda voce cantare, ut spectatores suos talibus insidiis ad suas provocent corruptiones ? ei qui adhuc aut divina gratia custoditi non ceciderunt, aut miseratione per pœnitentiam surrexerunt, luxuriæ possint impingere volutabris ? Meretricem namque Salomon insinuans ait : *Mulier garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens suis pedibus in domo consistere, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians* (*Prov.* VII, 10-12), et alia hujuscemodi multa, quæ pro magnitudine enumerari non possunt. Dina quoque tanti patris Jacob filia, dum ad videndum mulieres regionis graditur, stuprum perpessa est. Multas etiam alias simili modo amissam irrecuperabilem virginitatem graviter flevisse et legimus et au-

divimus. Nam ludus scenicus castitatis est raptor. Circi denique ludi Liberum et Venerem famossimos dæmones legimus fuisse auctores. Fugiat ergo omnis Christianus obsequium, quorum non vult imitari meritum; maxime istis festis diebus, quia parum proficit hoc quadragesimali tempore nostras deplorasse ruinas, si nunc iterum ad easdem paschale festum polluendo dilabimur. Unde difficile poterimus evadere, nisi mentem nostram a talibus curemus abstergere, quia, secundum Apostolum, *corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* xv, 33). Hinc Salomon ait : *Intravit mors per fenestras* (*Jer.* ix, 21). Fenestræ enim nostræ, quinque sensus corporis sunt, per quos mors animæ se nobis quasi per fenestras ingerit : a qua nos liberare dignetur, cujus regnum.

SERMO X.

IN ASCENSIONE DOMINI (1512).

Dominus et Salvator noster, fratres charissimi, postquam resurrexit a mortuis,per quadraginta dies cum suis voluit in terris conversari discipulis, ut tristitiam illarum quadraginta horarum, quibus in sepulcro quieverat, illorum abstergeret cordibus; vel quia sicut de Ægyptiaca servitute et de profundo maris Rubri filios Israel liberavit, eosque per quadraginta annos per desertum eduxit,atque de tabernaculi institutione,hostiarum immolatione cæremoniarumque observatione interim edocuit,et sic,postmodum destructis superbis gentibus,ad terrestrem Hierusalem,quæ terra repromissionis dicitur,introduxit; sic et resurgens a mortuis, de tenebris inferni eos qui indebite detinebantur, ad lucem erigens suosque discipulos de incredulitatis caligine ad veri luminis agnitionem perducens,per quadraginta dies conversaretur cum ipsis, ut de sanctæ Ecclesiæ constitutione,ac sanctarum Scripturarum cognitione interim eos plenius edoceret, et postmodum ad sanctam Hierusalem cœlestem destructis cunctis aereis potestatibus,prævius ascenderet,quæ etiam terra repromissionis dicitur, *quam repromisit diligentibus se* (*Jac.* i, 12) : sicut Psalmista ait : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* xxvi, 13). Bene ergo illi quadraginta anni et hos quadraginta dies possunt significare, de quibus tantam similitudinem possumus explicare. Hodie quidem Dominus peractis in terra mysteriis,multis videntibus imo et gaudentibus, triumphator ascendit ad cœlos,sicut scriptum est : *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ* (*Psal.* xlvi, 6). Jubilum est cum tanta lætitia corde concipitur,quanta sermonis efficacia non expletur. Quod ideo dixit,quia apostoli videntes tale miraculum,ineffabili lætitia cordis repleti sunt,quia Redemptorem nostrum, quem mortuum jam resurrexisse veraciter credebant, illuc corporaliter ascendere videbant. Unde omnia, quæ ipsis promiserat, dari posse non dubitabant, atque ad immortalem et cœlestem gloriam, sicut promiserat,eumdem sequi non diffidebant, ad quam eum jam pervenisse gaudebant.Spiritum quoque sanctum tanto fidelius exspectabant, quanto magis cætera cuncta, quæ prædixerat, impleta videbant. Sane quod subditur, *in voce tubæ,* fragorem angelici intelligimus præconii,velut tubæ tonantis dum diceret: *Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum. Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act.* i, 11). Quod ideo est denuntiatum, ne aliquis mœror remaneret apostolis,cum viderent Dominum per corporalem præsentiam ablatum : sive ne dubitarent ad cœlum ire,cui videbant angelos deservire. Ergo, fratres charissimi, quia nos jam ab Ægyptica servitute eruti mare Rubrum transivimus,et in Domini morte consepulti dudum consurreximus (per hæc enim talia figuratur baptismi gratia), nunc instanter oremus,ut positi in hac mortalis vitæ solitudine,sic nos Evangelii et Decalogi mandatis,quæ quadraginta anni vel dies significant, dignetur instruere,ut ad cœlestem Hierusalem destructis vitiis læti mereamur attingere.Sicque sanctorum apostolorum intercessione,Domini studeamus ascensionem celebrure, ut dona Spiritus, quæ ipsi acceperunt, valeamus exspectare, sicut scriptum est : *Ascendens in altum Dominus captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*(*Ephes.*iii, 8). *Captivam* autem *duxit captivitatem,*quando devicta morte,infernalem auferens prædam,triumphans perduxit ad æthera.*Dona* autem *hominibus dedit*, quando Spiritum sanctum apostolis tradidit; et non tantum apostolis, verum etiam cæteris justis.Quod nobis summa veneratione convenit exorare, ut digni simus talia impetrare et impetrata jugiter observare; et quod per continuum tempus implere omisimus,saltem in hac futura decade observemus, pravi cordis maculas abluamus, cunctas nequitias repellamus; sicque in hac festivitate vivamus, ut futurum Pentecosten læti suscipere valeamus : quia si Spiritus sanctus nos purificatos invenerit, procul dubio sibimet in nobis mansionem parabit; quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium.

SERMO XI.

IN PENTECOSTE.

Pentecosten, fratres charissimi, diem festum colimus, quem a Dominica resurrectione quinquagesimum numeramus.Pentecosten enim Græce.Latine, quinquagenarium intelligimus; nam quinque decades hunc numerum consequuntur.Qui dies ideo celeberrimus inter anni ferias habetur, quia in eo Spiritus sanctus,scilicet Paracletus e cœlo veniens apotolos adeo confirmare dignatus est, ut omnem metum,quo prius clausis januis sub silentio detinebantur,eorum cordibus excutiens, mox eadem claustra respuentes libera voce Christum palam omnibus

(1512) Hunc sermonem edidit ex codice Vercellensi Burontius, p. 310, plurimis tamen diversitatibus varium, quas adnotare operosum nimis foret; coarguere autem, sicubi peccat editor, sine Vercellensi codice haud queo. Igitur Vaticani tantummodo codicis lectionem fideliter exhibeo.

gentibus variis linguis prædicarent (*Act.* II,4). Bene autem ejus adventus a paschali gloria tantis distat diebus, quia hujus Spiritus septem sunt dona : septem enim septies multiplicata eorum, qui intersunt, dierum numerum comprehendunt. Sed hic unus, scilicet quinquagesimus, rite additus præponitur, quia etsi diversa sint dona, unus tamen atque idem est Spiritus (*I Cor.* XII, 11), cujus ideo festum per septem dies deducimus, quia unicuique dono singulos dies mos ecclesiasticus dedicavit. Nec defuerunt hæretici, qui dicerent hunc Spiritum, non a Patre simul et Filio, sed a Patre prodiisse tantummodo, quibus ex ipsius Veritatis congruenter possumus occurrere testimoniis(1513). Ait enim suis in Evangelio apostolis: «Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre (*Joan.* XV, 26). Et iterum : « Si ego non abiero, Paracletus non veniet; si autem abiero mittam eum ad vos (*Joan.* XVI, 7)»...« Quibus » verbis satis aperte «demonstratur» Spiritum « non tantum» a Patre, sed etiam a Filio pariter processisse. Sed quia hæreticorum «per» hoc funditus evacuatur perfidia, non ad jam cœptæ festivitatis intendamus(1514)præconia. Quinquagesimus enim numerus remissionem significat quod ex Veteri possumus Testamento colligere. Nam quinquagesimo anno, qui jubileus(1515), id est remissionis, vocabatur, debita debitoribus, servis etiam ad libertatem tendentibus servitia ultro remittebantur. Bene ergo et hic quinquagesimus dies jubileus dici potest, quia Spiritus sanctus superveniens apostolis remissionem illis omnium tribuit peccatorum, eosque liberos a fragilitate reddidit pristinæ contagionis. Qui etiam in Veteri Testamento festus colebatur, atque in eo primum apud eos panes de novis frugibus in templo annue ministrabantur. Mystice enim apud nos (1516) ipso die panes de novis frugibus, id est novæ virtutes sancti Spiritus, quibus nutrimur et vivimus, primum per apostolos traditæ sunt gentibus. Nec deest a ratione, quod quinquagesimo die, postquam Dominus Ægyptum in primogenitis percussit, ejusque principum potestatem destruxit, atque filios Israel de eorum servitute, et maris Rubri profundo liberavit, legem per Moysen quam populis prædicaret, dare decrevit; et quinquagesimo die postquam infernum in suis primitiis percussit, ejusque principum potestatem destruxit, et omnes (1517), qui illic indebite detinebantur, de profundo mortis eduxit, per Spiritum sanctum apostolis qualiter agerent, seu alios instituerent, declarare curavit. Sed divina providentia, alteram Israelitico populo per Moysen, alteram nobis per sanctos apostolos legem voluit commendare. Illa minatur interitum; hæc jugiter pœnitentiam docet : quod ostendit Moyses, cum post datam legem descendens de monte, rediret ad populum. Certe cum invenisset peccasse populum in vituli aurei adoratione, dixit : «Hæc dicit Dominus Deus Israel; ponite unusquisque gladium suum super femur suum, et occidat unusquisque fratrem suum, et unusquisque proximum suum, et unusquisque affinem suum (*Exod.* XXXII, 27. Beatus vero Petrus, princeps apostolorum, cum reliquis post(1518)adventum sancti Spiritus illis etiam qui ipsum Dominum crucifixerunt constanter ait: «Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II,38).» Redemptor namque noster Veteris Legis duritiam temperans, amarum potum sua incarnatione fecit esse potabilem. Denique in Veteri Testamento scriptum est : « Anima quæ fecerit quidquam de abominationibus (1519) istis, peribit de populo suo, dicit Dominus (*Lev.* XVIII, 29). » In Novo reperimus : « Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis non indigentibus pœnitentiam [*Ita cod.*] (*Luc.* XVIII, 7). » Videte, fratres, ne perdamus pœnitendi tempus, quod tanta (1520) est indulgentia concessum. Nam pœnitentiæ fructum dicimus quidquid pro delicti satisfactione boni operis ad divinam reconciliationem tendendo peragimus(1521), jejunia, vigilias, continentias, orationes, opera misericordiæ, seu cæteras virtutes. Multas quippe nobis Christus semitas præparavit (1522), per quas perditionis foveas declinare valemus (1523) : sed quanto plura sunt evadendi consilia, tanto miseriores sunt qui descendunt in lacum. Licet igitur his (1524) transactis diebus quasi in nuptiis pro continua solemnitate in deliciis vixerimus, stantesque orationis vota Domino persolverimus, nunc autem abhinc terra prostrati lacrymas fundamus, jejuniis et vigiliis operam demus, pœnitentiæ sarcinam (1525) suscipere festinemus. Ait enim Dominus in Evangelio :« Non possunt filii (1526) sponsi jejunare, donec cum illis est sponsus : veniet hora cum auferetur ab eis, et tunc jejunabunt in illis diebus (*Matth.* IX, 15).» Transacto quoque tempore quodammodo nobiscum quasi per corporalem Dominum habuimus præsentiam; sed nunc jam cœlos ascendit, ad dexteram sedet Patris, promissum Spiritum cordibus fidelium infudit; qui eos indesinenter orare, jejunare, seu cætera bona opera agere monet, ut quem corporaliter jam nunc attingere nequeunt, ejus ubique valeant sentire solatium. Sed qui tale donum recipere meruerunt, sic vivant necesse est, ut ab eo non separentur in ævum, quorum (1527) nobis peccatoribus in omni-

(1513) Notemus Attonis refutationem erroris Græcorum.
(1514) Mansius vitiose *incedamus*.
(1515) M. *jubilæus*.
(1516) M. perperam *eos*.
(1517) M. male *omnium*.
(1518) M. male *per*.
(1519) Sequuntur lacunæ apud Mansium.
(1520) Mansius perperam *totum* et mox *indulgentiæ*.
(1521) M. vitiose *perginus*.
(1522) M. perperam *præponit*.
(1523) M. *valeamus*.
(1524) M. sine *his*.
(1525) M. mendose *sacramentum*.
(1526) M. ridicule *filiæ*.
(1527) M. *piorum*.

bus convenit æquipedare vestigia : talesque nosmetipsos præparare oportet, ut si necdum Spiritus sancti gratiam percipere meruimus, vel perceptam peccando repulimus, ad suspiciendum (1528) vel etiam recipiendum pariterque custodiendum inveniamur idonei. Ipsumque Salvatorem omnium pura mente, devoto ore, dignis operibus rogitare curemus (1529), ut nobiscum usque (1530) in æternum, etsi non corporaliter, per suffragia manere dignetur, ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen

XII. *Idem sermo abbreviatus, ne vulgares fastidiarentur.*

Pentecosten, fratres charissimi, diem sanctum colimus, quem a Dominica resurrectione quinquagesimum numeramus. Πεντηκοστήν enim Græce, Latine quinquagenarium intelligimus ; nam quinque decades hunc numerum consequuntur: qui dies ideo celeberrimus inter anni ferias habetur, quia in eo Spiritus sanctus, scilicet Paracletus e cœlo veniens apostolos adeo confirmare dignatus est, ut omnem metum quo prius clausis januis sub silentio detinebantur, suis cordibus excutientes, mox eadem claustra respuentes, licera voce Christum palam omnibus gentibus prædicarent : qui etiam in Veteri Testamento festus colebatur, atque in eo primum apud eos panes de novis frugibus in templo ministrabantur. Mystice autem apud nos ipso die panes de novis frugibus, id est novæ virtutes sancti Spiritus per apostolos traditæ sunt gentibus. Nec deest a ratione, quod quinquagesimo die postquam Dominus Ægyptum in primogenitis percussit, ejusque principum potestatem destruxit, atque filios Israel de eorum servitute et maris Rubri profundo liberavit, legem per Moysen quam populis prædicaret, dare decrevit; et quinquagesimo die postquam infernum in suis primitiis percussit, ejusque principum potestatem destruxit, et omnes qui illic indebite detinebantur, de profundo mortis eduxit, per Spiritum sanctum apostolis qualiter agerent, seu alios instruerent declarare curavit. Sed divina providentia alteram Israelitico populo per Moysen, alteram nobis per sanctos apostolos legem voluit commendare : illa minatur interitum hæc jugiter pœnitentiam docet. Quod ostendit Moyses cum postdatam legem descendens de monte rediret ad populum. Certe cum invenisset peccasse populum in vituli aurei adoratione, dixit : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponite unusquisque gladium suum super femur suum, et occidat ucusquisque fratrem suum, et unusquisque proximum suum* (*Exod.* XXXII, 27). Beatus vero Petrus princeps apostolorum cum reliquis post adventum sancti Spiritus, illis etiam qui ipsum Dominum crucifixerant, constanter ait : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis domum Spiritus sancti* (*Act.* II, 38). Redemptor namque noster veteris legis duritiam temperans, amarum potum sua incarnatione fecit esse potabilem. Denique in Veteri Testamento scriptum est : *Anima quæ fecerit quidquam de abominationibus istis, peribit de populo suo, dicit Dominus* (*Lev.* XVIII, 29). In novo reperimus : *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis non indigentibus pœnitentiam* (*Luc.* XV, 7). Videte, fratres, ne perdamus pœnitendi tempus, quod tanta est indulgentia concessum. Nam pœnitentiæ fructum dicimus quidquid pro delicti satisfactione boni operis ad divinam reconciliationem tendendo peragimus, jejunia, vigilias, continentias, orationes, opera misericordiæ, seu cæteras virtutes. Multas quippe nobis Christus semitas proponit, per quas perditionis foveas declinare valemus. Sed quanto plura sunt evadendi consilia, tanto miserabiliores sunt qui descendunt in lacum. Licet igitur his transactis diebus quasi nuptiis pro continua solemnitate in deliciis vixerimus, stantesque orationis vota Domino persolverimus, nunc autem abhinc terra prostrati lacrymas fundamus, jejuniis et vigiliis operam demus, pœnitentiæ sarcinam suscipere festinemus. Ait enim Dominus in Evangelio : *Non possunt filii sponsi jejunare, donec cum illis est sponsus ; veniet hora eum auferetur ab eis, et tunc jejunabunt in illis diebus* (*Matth.* IX, 15). Transacto quoque tempore quodammodo nobiscum per corporalem Dominus adfuit præsentiam : sed nunc jam cœlos ascendit, ad dexteram sedet patris. Unde pura mente, devoto ore, dignis operibus eum rogitare curemus, ut nobiscum usque in æternum, etsi non corporaliter, per suffragia manere, dignetur, ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen.

SERMO XIII.

IN ANNUNTIATIONE BEATI PRÆCURSORIS ET MARTYRIS DOMINI NOSTRI JESU CHISTI, JOANNIS BAPTISTÆ.

Post (1531) evangelicam lectionem, fratres charissimi, beatissimi Joannis præcursoris Domini nostri Jesu Christi nobis est denuntiata nativitas, de cujus præparatione aliquid nunc jam edocendum esse videtur, quia omnimodis cavendum est ne vulgus polluat ignorantia, quod summa observare cogit obedientia ; si autem nescientes deliquerint in talibus, una nos cum illis involvet sententia : si vero quæ docuerimus contempserint, sic alienum deflebimus, ut nostrum exinde non timeamus periculum. Cognoscat igitur prudentia vestra malam de tam gloriosa solemnitate crebris in locis inolevisse consuetitudinem, ut quædam meretriculæ ecclesias et divina officia derelinquant, et passim (1532) per plateas et compita, fontes etiam et rura pernoctantes, choros statuant, canticula (1533) componant, sortes deducant, et quidquid alicui evenire debeat in talibus simulent augurari. Quarum superstitio

(1528) Mansius *suscipiendam* contra codicis fidem.
(1529) M. mendose *instemus*.
(1530) M. sine *usque*.
(1531) Mansius *per*.
(1532) M. *partim*.
(1533) M. *cantiunculas*.

adeo gignit insaniam, ut herbas vel frondes baptizare præsumant, et exinde compatres vel commatres audeant vocitare, suisque domibus suspensas diu in postmodum quasi religionis causa studeant conservare. Nam beatus Joannes ideo Baptista dictus est, quia ipse primum baptismum remissionis hominibus prædicaverat, et baptizandi ministerium sumpserat. Auctoremque omnium suo meruit lavare baptismate. Cæterarum... Beatissimi quoque Petri principis apostolorum festivitatem hujusmodi solent næniis commaculare : quarum aliæ maleficiorum, aliæ stupri causa, talibus vanitatibus inserviunt (1532). Considerate ergo, fratres charissimi, quantum dedecus tales nobis prioribus, quantumque sibi inferant detrimentum, et sic unusquisque saltem (1535) domum suam a talibus purget erroribus. Partiamur onus (1536), partiamur et (1537) præmium : debet enim unusquisque vestrum (1538) domui suæ præesse episcopus, quia episcopus superinspector dicitur : ab unoquoque enim quantum creditur, tantum exigetur (1539). Videte quia nullus est, cui aliquid non credatur, et a quo aliquid non exigatur. Ad cultum ergo tantæ festivitatis vicissim nos invitare curemus, abstergamus errores, cunctas hæreses repellamus; jejuniis, vigiliis, orationibus præcurramus, ut devote tam præclari martyris festum (1540) celebrare mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo.

SERMO XIV.

IN NATIVITATE EJUSDEM.

Illius hodie nativitas, fratres charissimi, celebratur, de quo Dominus ait in Evangelio : *Inter natos mulierum non surrexit major* Joanne Baptista (*Luc.* VII, 28). *Natos mulierum*, natos ex mollitia concupiscentiæ appellat; mulier namque e mollitia dicta est, eo quod hic sexus facile moliatur ad culpam. Notandum sane quia suam Dominus nativitatem hoc testimonio non comprehendit, cujus Mater etsi natura dicta sit mulier, virilis tamen fuit in continentia, quæ sine humana concupiscentia genuit prolem et mundo edidit Salvatorem. Cæteris autem sanctissimis et summis hominibus, virili scilicet semine procreatis, nullus beatum Joannem per omnia dubitet coæquandum catholicus ; cujus nativitas in templo ab angelo nuntiata, qua mater sterilis et jam anus fecundata, in qua et muta patris lingua absoluta est a quo necdum nato Domini mater agnita, Christi quoque est præsentia delectata, qui etiam per prophetam longo ante tempore meruit proclamari, de quo dictum est : *Ecue mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* (*Mal.* III, 1). Considerate ergo, dilectissimi, quanto honore dignus sit, qui missus a Deo Patre, Filii meruit præcurrere adventum : ex quo etiam ministerio, præcursoris sumpsit vocabulum : prævenit enim Dominum nascendo, prædicando, moriendo, atque ad inferni claustra descendendo : qui etiam adeo ab eo magnificatus est, ut ipsius testimonio clarificari et plusquam prophetam appellari, mereretur. Ad cujus quoque exaggerandam gloriam insuper adjiciens ait : *A diebus Joannis usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI, 12). *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud,* cum quis pravus perversa longo tempore... pœnas quas male vivendo promeruit, misericorditer evadit, atque... sublima... cœlorum mox intrat ovanter. Bene autem a diebus Joannis, quia ipse primum baptismum prædicavit per quem peccata dimittuntur, et januæ regni cœlestis pandantur : ubi nos pius Dominus meritis et intercessionibus ipsius beatissimi præcursoris et martyris sui recipere dignetur; cujus regnum et imperium.

SERMO XV.

IN FESTIVITATE SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Hodierna solemnitas, fratres charissimi, nos admonet beatissimorum apostolorum Petri et Pauli ardenter amplecti vestigia, qui semet abnegantes, mundumque omnen contemnentes, judiciariam ejus adepti sunt potestatem : qui etiam, quia mundo succumbere noluerunt, cœlo prælati sunt, cujus Petrus claviger, Paulus factus est introductor. O quam dignum et magnum, ut Petrus claviger sit cœlorum, et Lucifer carcerem sentiat inferorum! Homo surrexit ad æternam gloriam, angelus cecidit ad pœnam perpetuam : iste in se multum prælatus et erectus, ommium a Deo creaturam factus est infimus; ille humilis et abjectus, etiam apostolorum factus est primus : illum prostravit superbia, hunc humilitas sublimavit. Quam bene Simon dictus est, quia Simon interpretatur obediens ! quem sodalis Paulus non longe suo quoque secutus est nomine : nam Paulum *parum* dicimus : videtur enim multæ obedientiæ esse nomem, cum vir tanta divinitate perlustratus, tantisque cœlestibus dogmatibus imbutus, ut ab ipso Domino vas electionis ad portandum nomen suum vocari mereretur (*Act.* IX, 15), ipse se parvulum æstimaret nominandum. Magnus itaque dici potuit, quem Dominus post, ascensionem ad cœlos per semetipsum vocavit et docuit, quem sibi apostolum consecravit (*Gal.* I, 1). qui usque ad tertium raptus est cœlum, qui etiam divinum meruit audire secretum (*II Cor.* XII, 3). Uterque igitur possident gloriam claritatis, quia utrisque adfuit humilitas charitatis. Uterque vivunt cum Christo, quia mori non timuerunt pro ipso. Petrus non dubitavit crucem gyratam, Paulus manum non expavit armatam. Ille caput declinavit ad terram, ut ad cœlum erigeret; hic capite truncatus est, ut potius cresceret. Jure tanta consecuti sunt præmia, qui talia pertulerunt tormenta. Horum acta, fratres charissimi, sæpissime pertractemus, et in quantum

(1534) M. *intersunt.*
(1535) M. flagitiose *omnes.*
(1536) M. sine *et.*
(1537) M. *statim.*
(1538) M. *nostrum.*
(1539) M. *exigitur.*
(1540) Cod *festam*, ut non semel alibi.

possumus imitari curemus. Respuamus terrena et caduca, amplectamur cœlestia et mansura, quia nihil prodest homini si totum lucretur, animæ suæ detrimentum patiatur (*Matth.* XVI, 26). Humilitate gaudeamus, superbiam fugiamus, quia *omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 14)... est, qui amat... cio in vitam æternam recipiet eam. Unde omni nisu omnique... vos viros satagamus exposcere ; ut quod nostra non suppetit fragilitas, eorum pro nobis obtineat sanctitas, atque illuc suis orationibus introducant, quo meritis præcesserunt, præstante Domino nostro Jesu Christo.

SERMO XVI.

IN DEPOSITIONE BEATISSIMI EUSEBII VERCELLENSIS EPISCOPI (1541).

De præcipuis. fratres charissimi, solemnitatibus semper nobis aliquid dicendum est vulgaribus, ut nostro discere valeant sermone quod celebrare contendunt ex more : sed in hac festivitate nil eis pronuntiare possumus aptius, quam si nostri patroni gesta disseramus artius (1542) [cod. 1, *manu* festam]. Igitur beatissimus Eusebius, cujus hodie festum colimus, Sardiniæ provincia ortum (1543) cognovimus : Romæ tamen unda baptismatis ablui, et ab ipso summo pontifice sacro de fonte suscipi, ejusque nomen meruit adipisci. Quod nomen bene allusit ad gratiam ; nam pius fuit ab ipsa infantia : Eusebius enim *pius* interpretatur, sicut a Græcis interpretibus declaratur. Sed qui regeneratus est per beatum papam Eusebium, antistes ordinatus est per ejus successorum Julium (1544). Eo quoque tempore, Vercellensis civitas magna totius Italiæ pene erat hæresiarcha (1545). Ad hanc quidem destinatus est Eusebius, qui fide, verbo, et opere cunctis fuerat præditus. Hunc frendens contio (1546) Arianorum adeo spernebat, quem veræ fidei assertorem esse cernebat. Et quia non timuerunt blasphemare Redemptorem, ausi sunt etiam refutare pastorem (1547). Concludunt se beatæ Dei genitricis ecclesiæ januis, quam piæ memoriæ Constantinus erexerat a fundamentis : vectibus et seris munierunt aditum, ut vel sic pastoris repellerent (1548) adventum. At pastor egregius signo crucis omnia confregit, qui ad sanctam Trinitatem prædicandum (1549) libera voce venit ; et qui Filium Dei æqualem Patri testificari non metuit, ejus Matris januas sese pandentes (1550) intrare meruit. Cedunt Ariani tanto pavore perculsi, atque ad crudelissimum properant imperatorem confusi. Nam Constantius illius temporis imperator perniciosius erat catholicæ fidei supplantator, et quia sciebant hæreticum, libere accusabant catholicum. Ad synodum mox cunctos episcopos Mediolanum convocat fraudulenter, ut sanctam fidem sic exstinguat latenter (1551). Ad quam beatus Eusebius ire (1552) distulerat, quem quid agendum erat minime latuerat. Chirographum in sua fide ab hæreticis factum imperator laudabat, quod Filium minorem Patri (1553) per omnia prædicabat. Contra quod catholici prima fronte contenderunt (1554), novissime autem perterriti omnes qui adfuerant subscripserunt. Quod cum audisset beatus Eusebius, inenarrabiles corde profudit gemitus. Nec se jam potuit continere, quin ad memoratum iret (1555) concilium pro fide contendere (1556). Sancti evangelii (1557) chara deportans pignora, festinus ad flumen mox pervenit Siccidam (1558) : navis (1559), per quam transiri (1560) consueverat, ad ripam tunc morabatur alteram ; quam ut vocavit, sola ad eum venerat, susceptum undam et transvexit validam. Inde progressus ad urbem metropolim ingentem luctum planxit cum catholicis. Extergens (1561) luctum, locutus est prudentiam, fratribus cunctis dedit indulgentiam, si ejus deinde sequerentur vestigia. Imperator eum suscipiens magnam finxit humilitatem, ut ejus ad sacrilegium taliter seduceret sanctitatem (1562), dicens : Subscribe (1563), frater, quod subscripsimus ; confirma tu, quod nos omnes jamdudum firmavimus. At prudens Pater (1564 se hoc facere detestabat : quippe priorem omnibus chirographi inscriptione se supponere denegabat : illud destruere, et aliud fieri proclamat (1565), in quo se prior subscribere jam valeat. Sic divino nutu tyrannum deludere potuit, quem callide tyrannus decipere voluit. Nec mora : ipsum concessum est cremari, et aliud jussum est (1566) simile præ-

(1541) Hunc sermonem edidit Mansius ex cod. Vat., an. 1761, eumdemque ut adhuc ineditum protulit Burontius in sua editione anni 1768. Burontium sane ignorasse Mansii curas ad Attonem, constat ex illius editione, in qua ex Mansio nihil protulit : tum vero ipse Burontius p. XXV, hunc de S. Eusebio sermonem nominatim dicit (etsi falso) inceditum.

(1542) Mansius vitiose *rectius.*

(1543) Ita cod. at M. *natum.*

(1544) M. infideliter *sanctum Julium.*

(1545) M. *hæresi victa*, contra codicis scripturam.

(1546) M. perperam *cœtus.*

(1547) M. infideliter *præconem.*

(1548) Mansius perverso ordine *repellerent pastoris.*

(1549) M. *prædicandam.*

(1550) Codex cum M. *pandentibus.*

(1551) Fœde M. *ut sancti Patris sic exstinguat latentis.*

(1552) M. *sic* pro *ire.*

(1553) Sic alibi loquitur Atto At. M. *Patre.*

(1554) Sequentia aliquot verba, quæ in lacuna codicis Vat. pericrant, ex Burontii editione sumo, cujus tamen ego in hoc sermone varietates negligo, quia Vercellensem codicem procul habeo.

(1555) M. flagitiose *ad memoriam revocaret.*

(1556) M. *contenderet.*

(1557) Intellige famosum Evangeliorum adhuc conservatum Vercellis codicem.

(1558) M. *Sicidem*, et male ante interpungit.

(1559) M. *navisque.*

(1560) M. *transire.*

(1561) M. *exstinguens.*

(1562) M. *securitatem.*

(1563) M. *scribe.*

(1564) M. perperam *frater.*

(1565) Mansius *præclamabat.*

(1566) M. pessime *non ejus* pro *jussum est.*

parari, quod taliter compositum (1567) est penitus quemadmodum beatus dictaverat Eusebius. In hoc catholici consenserunt : uno omnes animo post eum subscripserunt.Hanc fidem promiserunt contendere, hanc pro ipsa mortis injuria polliciti sunt non negare. Videns imperator horum non posse dissolvi constantiam, omnem fere in beatum Eusebium contorsit (1568) insaniam. Tunc vario (1569) censuit eum affligi periculo (1570) insuper tandem jubet longo deportari exsilio : carceres et compedes acerbas (1571) pertulit, fame et siti longo tempore laboravit ; signis et virtutibus ibidem declaratus est ; angelicis consolationibus sæpe confortatus est. Nec in tantis etiam (1572) contitutus periculis, sui bonus pastor immemor factus est gregis ; nam litteris eum de longinquis partibus instanter visitabat, et de catholicæ fidei perseverantia jugiter corroborabat. Sed jamjam pene cedebant catholici ; nam diu eos persequebantur hæretici. Tandem misertus (1573) Dominus tyrannum exstinxit improbum, et beatum Eusebium solum reduxit ad proprium. In quo illi (1574) itinere ostendit visionem, unde sui corporis cognosceret resolutionem. In vertice montis per visum se stare putabat, et altius ad quoddam palatium sole præclarius pennis evolare credebat. Intellexit illico se de præsentis (1575) vitæ alta conversatione ad æternæ gloriæ ascensurum remunerationem. Interea Vercellas rediens, magno gaudio a suis et summo receptus est honore, eisque fidem Christi constanti prædicabat sermone : se mox migraturum de sæculo asserebat, illos multa post se passuros et (1576) prædicebat : patienter tamen hæc toleranda monebat, suæque constantiæ et passionis exempla proponebat, et insuper æternæ remunerationis gaudia promittebat. Nec defuit seditio Ariana quin martyrem compelleret ad coronam, fustibus et gladiis super cum insurgere, et lapidibus non timuerunt obruere. Ictibus illorum fracto cerebro occubuit, et sanctam Deo taliter animam reddidit. In ea autem a suis discipulis ecclesia est sepultus, quam ipse olim in honorem martyris Theonesti (1577) construxerat divino amore compulsus, ubi multa beneficia præstantur omnibus, qui beatum Eusebium puris exorant precibus. Nos quoque suis orationibus ab æterno liberet supplicio, qui hodie, quod est Kal. Aug., de carnis ereptus est ergastulo.

—

(1567) M. *compertum.*
(1568) M. *convertit.*
(1569) M. flagitiose *ratio.*
(1570) Sex verba sequentia omisit Mansius.
(1671) M. *acerbos.*
(1572) M. *tamen.*
(1573) M. *miserans.*
(1574) M. *Ille.*
(1575) Complura verba sequentia, propter lacunam codicis Vat., ex Burontio accersivi.
(1576) Ita cod. Vat.
(1577) Mansius *Theonecti.*
(1578) *M.* infideliter, *precibus.*

SERMO XVII.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ DEI GENITRICIS SEMPER VIRGINIS MARIÆ.

Assumptionem gloriosæ Mariæ semper Virginis hodie celebramus, quam in cœlesti throno collocatam devotis mentibus (1578) adoramus. Nam ipso Deus et Dominus, cujus eam (1579) Genitricem colimus ait in Evangelio : *Si quis mihi ministrat* (1580), *me sequatur ; et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26). Præ cunctis enim mortalibus sancta Dei Genitrix Christo Domino ministravit ; quem adeo est secuta, ut cum tristante tristaretur, cum patiente pateretur : de cujus tamen passione ei prædictum est : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II, 25). Vere ergo cum ipso manet in cœlis, cui sedulo servivit in terris. Item discipulis suis ipse alibi ait : *In illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* (*Joan.* XIV, 20). Item : *Sicut ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), sic vos (1581) et ego unum manebimus ; quod enim ait apostolis, hoc sentiendum est et de cæteris justis. Quid ergo mirum qui (1882) in eo sunt, si in cœlis consistunt ? Aut quid etiam magnum, si beata Maria cœlestis esse meruit, cum beatus Apostolus de omnibus justis dixerit : *Qualis cœlestis* (1583), *tales et cœlestes ?* (*I Cor.* XV, 48.) Cœlestis enim Christus est, qui de cœlo descendit, quem etiam imitando (1584) ejus participatione cæteri quoque justi cœlestes esse merentur (1585). Nec videatur contrarium quod Dominus ait in Evangelio : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis* (*Joan.* III, 13). Deus enim Christus est Dei Filius et hominis, qui solus de cœlo descendit, imo qui et solus ascendit. Cæteri (1586) autem qui in ipso sunt, unum sunt, et jam diversi non sunt, sed ejus membra sunt. Et ideo solus ascendit, dum ea quæ in se sunt, vel quæ. . . habitare in cœlo. Nam apostatæ angeli, qui in cœlo fuerunt, qui a Deo recesserunt inde. . . homines si (1587) Deo adhæserint (1588) in cœlum (1589), sublimabuntur ; quod imo de beata Maria dicendum est, quod præ cunctis mortalibus in ea mansit Dominus. Et ideo in ipso eam manere nullo modo diffidimus ; de cujus etiam (1590) corpore corpus assumere dignatus est, eam sibi membrum coaptasse non dubium est ; et cui præ omnibus adhæsit in terris, ipsam sibi præ cunctis applicavit in cœlis. Corporis vero ejus (1591) jam factam resurrectionem affirmare minime audemus, quia nec a sanctis Patribus hoc declaratum esse cognosci-

(1579) M. *omnes* pro *eam.*
(1580) M. *ministraverit.*
(1581) M. *nos.*
(1582) M. *quod.*
(1583) M. addit *est.*
(1584) M. *in dando* flagitiose.
(1585) M. *meruerunt.*
(1586) Mansius lacunam hic frustra facit.
(1587) Mansius *in* pro *si.*
(1588) M. *adhæserunt.*
(1589) M. *in cœlo.*
(1590) M. *tantum.*
(1591) M: *sui.*

mus (1592). Denique in valle Josephat ejus sepulturæ manet locus, ubi tamen ejus non reperitur corpus. Sed qui de ea ineffabiliter carnem eduxit, ipse quid (1593) de ejus sit corpore novit. Tamen sive in corpore, sive extra corpus, super choros angelorum in cœlis exaltatam confitemur: si enim veraciter omnes justos resurrecturos cum propriis corporibus quandoque credimus, eosque in aera occursuros Deo, et sic semper postmodum cum ipso mansuros confidimus, secundum quod beatus Paulus ait apostolus (*I Thess.* IV, 16); quid mirum si Matri per quemdam miserationis effectum Dominus anticipando præstitit, quod omnibus in fine sæculi sanctis donabit, cum mortalia corpora immortalitate induerit? Denique scriptum est: *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum* (*I Cor.* XV, 41): per claritatem namque solis resurrectionem Apostolus docuit Salvatoris, de quo scriptum est: *Vobis qui timetis Deum, orietur Sol justitiæ* (*Malach.* IV, 2). Per lunæ intelligere possumus etiam Matris suæ: nam sicut luna a sole præcipue inter sidera illuminatur, sic et ipsa a Domino inter cæteros justos divino procul dubio lumine potius illustratur. Cum vero stellarum subjunxit, cæterorum sanctorum resurrectionem innotuit (1594). Sequitur: *Sicut stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* XV, 41, 42): Nam discretio vitæ varietatem gignit resurrectionis. Poterat forte resurrectio Dei Genitricis præcedere aliorum anticipando, quos per vitæ meritum in terris præcesserat vivendo. De morte quoque ipsius nullam fingamus dubietatem, quam et in sui filii cognovimus humanitate. Morti tamen succumbere diu non meruit, quam, ex ea sumpta caro (1595) jam resurgendo devicit: nempe cujus filius cœlos ascendit per majestatem, matrem illuc (1596) assumere poterat per pietatem. Nec dubium est ei (1597) suam impertisse gloriam, eamque totius mundi constituisse dominam. Nam qui patrem et matrem. . . implere . . . Scripturarum exemplis possumus (1598) approbare . . . igitur sancta Virgo adepta est dignitatem, dum Dei meruit effici Mater. Virgo peperit puerum, mulier genuit Deum, Spiritu sancto gravidata est, auctore mundi fecunda (1599) est, super choros angelorum in cœlestibus (1600) exaltata est, quo nos pius (1601) Dominus, ejusdem Virginis interventu, perducere dignetur, cujus etc.

SERMO XVIII.

IN DECOLLATIONE BEATISSIMI PRÆCURSORIS CHRISTI JOANNIS.

Magnificum Joannem præcursorem et martyrem Domini nostri Jesu Christi, cujus natalem diem hodie celebrat orbis, sanctum effudit uterus matris; sicut scriptum est: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te* (*Jer.* I, 5). Quam sanctificationem tanta custodierat abstinentia, ut nulla pene vitæ ejus adhæreret peccati macula: nam vinum et siceram non bibit, et omne immundum non manducavit. Elegerat insuper habitare desertum, ne ejus vitam populi saltem pollueret conventus. Verbum Domini advenientibus continue prædicabat, quibus recedentibus jugi orationi vacabat: cujus cultus humillimus, vestitus asperrimus, cibus vilissimus declaratur. Legimus enim in Evangelio quod habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erant locustæ et mel silvestre, et erat in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ (*Marc.* I, 6): qui suæ prædicationis gratia, mira usus est observantia: ut quod prædicabat ipse prorsus ageret, et quod jubebat impleret. Baptismum prædicabat, et ad se venientes baptizabat. Pœnitentiam docebat, cujus in se normam ostendebat. O quantus vir iste, qui angelo nuntiante conceptus est, et ab ipso matris utero sanctificatus est! qui semper deguit in abstinentia, et aliorum quasi propria flebat scelera; qui viam Domino prædicando non cessaverat præparare, et pro veritatis præconio caput non est cunctatus amittere; cujus etiam in tantum sanctitas crevit, ut a compluribus Christus esse crederetur: quod humilitatis custos adeo refugit, veluti si ei venenum propinaretur mortis. Se vocem confessus est clamantis: Christum post se venturum esse prædicavit, quem tantæ prædixerat auctoritatis, cujus calceamenti corrigiam se ad solvendum non æstimaret idoneum (*Marc.* I, 7). Assertor veri, quem nec humanæ laudis jactantia compulerat proferre mendacium, nec tyrannicus pavor a veritatis poterat retorquere testimonio, nec reginæ adulatio fecerat palpare flagitium. Herodem a fraternis thalamis prohibendo, ita ipsius . . . adulter . . . non licet tibi ut habeas uxorem fratris tui adulteram (*Marc.* VI, 18). Hinc diro retrusus est carcere . . . talis fama cessaret. Christi tamen athletam quanto magis affligebant vincula, tanto magis detestabat illicita. Novissime tandem capite truncatus, migravit ad Dominum, qui veritatis non passus est celare testimonium. Veritas enim Deus est, quemadmodum ipse ait in Evangelio; *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Qui enim veritatem non metuit celare, Deum quodammodo nititur occultare; et qui pro ejus testimonio hic affligitur, ab ipsa quod Deus est in æternum coronabitur. Fugiamus itaque, charissimi, mendacium, ejusque simul patrem diabolum. Veritatem imitemur, quam a Deo processisse confi-

(1592) Intellige antiquos Patres; nam paulo recentiores, veluti Gregorius Turonensis, Idelfonsus Toletanus, Fulbertus, Petrus Damianus, Petrus Blesensis, Andreas Cretensis, Joannes Damascenus id affirmarunt, uti observat Benedictus XIV in tractatu de festo Assumptionis B. M. V., cap. 8, 15. Pergit ibidem Benedictus docte more suo rem aliis locis theologicis confirmare.

(1593) M. *quod.*

(1594) Sic p. 17, v. ult.
(1595) Mansius *carne.*
(1596) M. *illius.*
(1597) M. sine *ei.*
(1598) M. *possum.*
(1599) M. *fecundata.*
(1600) M. omisit *in cœlestibus.*
(1601) Deest *pius* apud M.

temur. Ipsius meritis et intercessionibus hoc impetrare valeamus, cujus hodie festivitatem omnes pariter celebramus, præstante Domino nostro Jesu Christo.

IN OPUS SUBSEQUENS MAII MONITUM.

Ut omnia Attonis, quæ sunt in codice Vaticano, inedita scripta divulgarem, restabat Polypticum bis ab auctore scriptum, primo quidem obscurissime, ne videlicet ab ἀμύητοις intelligeretur; iterum paulo planius, quæ secunda scriptio abs Joanne Mansio ex hoc eodem codice excitata fuit. Prior scriptio nullis in codice declarationibus illustratur; altera glossis scholiisque stipatur, quæ partim Mansius luce donavit. Ego vero priorem nunc editurus, glossas etiam et scholia e posteriore sumpsi, sine quibus inutilis mea foret editio, quia nihil prorsus liceret intelligere. Causa autem obscuritatis non una est; nam et barbara atque abnormia insunt vocabula, et metrum sæpe poeticum impolita ratione cum prosa miscetur. Sed nihil æque hoc scriptum offuscat et obruit, quam perversa dictionum positio, quas auctor sponte extra omnem loquendi regulam solet disjicere. Unum pono exemplum ex capitulo extremo: hanc unde congruit Augusti caveat qui potiri censuram ut nomine parat. *Quam perversionem in Polyptici scriptione altera sic auctor emendavit*: unde congruit, ut qui parat potiri nomine Augusti, caveat hanc censuram. *Porro Attonem mirari liceret stylo ad miraculum obscuro nunc utentem, qui in aliis lucubrationibus tam est perspicuus, nisi nos Virgilius grammaticus, a me nuper ex Neapolitano codice editus, commode doceret, unum hoc esse ex duodecim latinitatis generibus, quæ ipse enumerat in suis epitomis, et in didacticis quoque epistolis non semel commemorat. Hoc autem ab eo dicitur* inusitatum et mysticum *latinitatis genus*: *et quidem in secundo Epitomarum capitulo, ubi de scindenda oratione disserit, complura auctorum exempla profert, quorum prorsus institutum Atto noster secutus est. Causas quoque scinderationis, ut ipse loquitur, scribit Virgilius, quas inter illam potissimam,* ne mystica quæ solis gnaris pandi debent ab infimis ac stultis facile reperiantur. *Sed jam lectorem meum ad prædicti grammatici librum ablego, juxta quem aliud quoque vetus opusculum arcana latinitate compositum, cui titulus* Hisperica Famina, *typis vulgavi* (1601*). — *Est Attonis polypticum satyra quædam seu censura suorum temporum, præsertim adversus principes, quorum ambitionem et cætera vitia late castigat.*

(1601*) Opusculum de quo hic agitur recusum exstat in tomo XC Patrologiæ, in append. ad Venerabilem Bedam. EDIT.

ATTONIS
VERCELLENSIS EPISCOPI
POLYPTICUM (1602).
QUOD APPELLATUR PERPENDICULUM

CUM ANTIQUI GLOSSIS ET SCHOLIIS.

(Apud Mai, Veterum Scriptorum Collectio nova, tom. VI, part. II, pag. 42.)

INCIPIT EPISTOLA.

Reverendo in me [1] Fulano (1603) valde præsuli. Fulanus [2] cupiens me sic beatum instar felicissimi opilionis Silvestri summi exitum. Mortuus aliquibus, sed mihi nec emortuus, vivus immo mihi vividus es; mortuus, sed vivus immo (1604). Hujus labyrinthi (1605) iter currentes, aut qua insistendo vitari voraginem edoce, aut quo salubres sublati adtingere possint delitias. Quæ sentio in hoc cernes. Sed sic ego quæ et tu comparantur (1606) canta-

GLOSSÆ.

[1] Quantum ad me, id est in mea conscientia. [2] Scilicet ego.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1602) Polypticum est multorum descriptio. Non enim specialiter tantum de uno loquitur, sed plurimorum corripit vitium.

(1603) Fulanus apud Hispanos loco uniuscujusque proprii ponitur nominis, cum nomen deficit.

(1604) Sic Atto etiam in secunda polyptici editione. At Mansius infideliter *in me*. Reliquos Mansii multos errores et a codice discrepantias redarguere non vacat. MAI.

(1605) Labyrinthum hoc loco istud seculum appellat.

(1606) Comparantur, æstimantur. Intactum qui-

bries (1607) ut pollini (1608). En quæ ego, tu quæ feliciter redde [3]. Amen. Explicit epistola.

ARGUMENTUM.

Non chaos explicant sophistæ bombinare (1609) lævum exsequar assiduum orbi, non ocia hoc calamo concussa pistico, nec osilla pinsabunt.Fessus jam hinc perpendiculum (1610) ponam,non aciare [4] cujus vocem conpescere poterit,nec attica (1611) in rumine (1612) zema. Explicit argumentum.

1. Hujus ævi langor est, et quæritur ; pestis est, et omnimodis ambitur ; quæ arridet in accessu ; cum serpit, delectat : in cujus adhulescentia labor ingens est ; cum intumuerit,prosternit ; et cum recesserit, blasphematur.Solet enim clientes suos, ignobiles ; spernentes autem se reddere gloriosos. Nam hoc mirum,quia cum hactenus pæne omnibus sese appetentibus ruina extiterit, nec arrogantes adhuc deficiunt, nec elevandi acerbitas moderatur. Præstantiores se quidem veteribus fallentes[5],quos provida censura adeo segniores accusat. Horum igitur fasces si enucleari gradatim initientur,dignum judico prænotandos,quos rigentes sertæ [6] exhibent redimitos. Num chronici fraudant [7] hoc, qui præsertim summum væ [8],et ipsorum omne concrepant oche[9]? Haud agmen[10] perstrepunt,qui perplexum gradiendo perrecta callem rubrica (1613) induxerint sequaces. Eorum quamvis inextricabilem pingant tesseram[11], qui durantes [12], nec vixere superstites, nec jocundantur miselli (1614). Sed nec gestorum nunc facies [13],nec eos adnotare privatim [14] autumo sincerum [15],musta [16] nunc etiam quoniam ætate pupilli[17] clara vident, et a suis patribus ructata frequenter hauserant hæc, et certius inculcata restrigunt [18]. Nequitiæ membra [19] nunc jam prælibatæ [20] in promptu est censere,secundum quod cura perlambens[21], repræsentaverit hypocondria stilo [22].

2. Tale quod resolvimus [23] discrimine trino scanditur fastigium : quidam et adjiciunt assem (1615). Numinum aut cum præses [24], claris quem nutibus signat provehere, calat [25] omnium vox : vel cum eadem unum, aut cum parentis valido jure fas est perfrui throno, improbus aut labor, et cum væsana triumphis prælia conveniunt propere trucibus alteri insurgere, quem jam cantaverat præco, profanis dum conjurati manibus execrabiles favent. Quid ? Pœnitus exinanitur æmulus, cujus beneficio primi ditantur velites.Nec intemerabile fœdus poscunt(1616),in quo herilis capiat dulcedinem somnus. Sed interim remissum juvat traducere tempus, et potiri placito adeptis jocundos, ambo per adversas principes terreantur [26] ut lites [27],audeant ne milites contra exippitare [28] potenter, vel negare [29] quicquam miserabili [30] restat nomine, ut tantum vigeant principes, ut sint potius immo nec privatæ rei conpotes. Secreta tum has sociis ruminant strophas [31] rependere sedulo cura. Nec tædet quapropter olivis [32] clanculo sese frequentare ramis (1617), per veredarios (1618) muciant [33] cautos, qui ne fribole quid, sollertes per quod milites prima instigentur indagine fulti ; externos etiam duces, et conibentia rogant, et xeniis cumulant, propere et mocta deponunt [34]. Cur necdum extorta pollicetur extimis fortuna potentum, quam prælibare sequestres [35], vel strictim hii gestiunt auxilia (1619) suos ferveant ut eorum secum edomare superbos, desides vel si torpeant sua tunc

GLOSSÆ.

[3] Restitue, meo videlicet libello responde. [4] Ferrum durum. [5] Mentientes. [6] Coronæ. [7] Negant. [8] Calamitatem. [9] Jocunditatem. [10] Multitudinem. [11] Scribant numerum. [12] Asperrime viventes. [13] Qualitates. [14] Nominatim. [15] Jocundum vel prosperum. [16] Nova. [17] Pueri. [18] Memoriter tenent. [19] Species. [20] Prædictæ. [21] Cogitatio percurrens. [22] Præcordia reduxerit descriptioni. [23] Disserimus [24] Rector potestatum. [25] Vocat. [26] Interminentur. [27] Inimicitias. [28] Id est hiare, os aperire. Et tractum est ab avibus. [29] Vetare. [30] Vili. [31] Fraudes. [32] Namque oliva signum pacis est. [33] Susurrent. [34] Magis aucta promittunt. [35] Internuntii.

SCHOLIA ET NOTÆ.

dem eum doctiorem se vult ostendere, ut suum scire, illius comparatum sapientiæ, suum nullius utilitatis dijudicetur esse.

(1607) Cantabries sunt tenuissima purgamenta, squamarum similia,de superficie humanæ cutis cum pruritu exsurgentia in locis pilosis,et magis in capite, quæ sine aliqua exulceratione defluunt.

(1608) Pollinis species est farinæ tenuissima et præcandida bovino corio setacta.Dicitur autem pollinis eo quod ceteris speciebus farinæ præpolleat.

(1609) Duorum sequentium versuum perierunt in codice glossæ et scholis. MAI.

(1610) Perpendiculum hunc vult appellare libellum, in quo noxia redarguere, et honesta sancire disponit.

(1611)Attica zema,græcica sorbitiuncula.Græcia siquidem habundat pigmentis,quibus zema saporatur.

(1612) In gutture.Rumen enim pars gutturis est, unde et ruminare.

(1613) Linea rubeo colore pertincta. Id est qui sic sapienter in sæculari honore feliciter vixissent, ut suo exemplo posteros intruendo beatificassent.

(1614) Miselli, mortui. Antiqui enim felicem tantum vitam, vivere dicebant ; lugubrem vero,durare. Sic defuncti tempora recensentes scribebant, qui vixit tot, duravit tot.

(1615) Assem, id est unum, quod est etiam et quartum discrimen.Tribus enim si unum adjicias, profecto jam quartum erit. Quod supponens, ideo ait quidam, quia hic quartus ascensionis modus plurimum displicet sapientibus.

(1616) Quærunt inducias, ut securi aliquantulum a militia vacent.

(1617) Videntes enim principes, suos admodum sibi velle dominari, eligunt se potius quoque modo pacisci, quam subjectorum injuriis taliter tribulari. Et quamvis mutua ad comprimendum eos auxilia sperent sufficere, sed tamen externa quærunt sibi suffragia sociare,ne illi postmodum suum valeant in auxilium invitare.

(1618) Veredarios, legatos, Veredarii siquidem sunt legati aliquid portantes, a vehendo dicti.

(1619) Solatia. Auxilium, præsidium, et subsidium, hoc inter se differunt : auxilium est quod ab exteris datur : præsidium quod loco utili ponitur : subsidium quod postea supervenit.

sævire per arma, subsidia oppressis denegent,nam sævient ipsi. Specimen præterea restat doli, quo eliduntur affusi in imo tribuni [36]. Horum milites auras cum regias captant blandas, indeque onustis ad propria redeunt humeris, muniatores dictati [37], arbitros ipsorum dominos, nec etiam in largiendo ferent beneficia primo sarta sint, si se duces an larga præponent. Fænerant inmunes et a proprio [38] alterius sibique fidos detrimento provehunt. Qui sumunt per quos præferunt, sed non a quibus [39]. Hos separat si fors, aut in unum ipsi ab alterutro melius, quæ donec in alterutrum prolata silerent. Quos explorare quidem statuunt et instruere sese. Singulas e quibus per domos velut semina spargunt nugas, unde sæpe metunt, expedientiaque præsciscunt. Hinc milites primam diluunt [40] dominis,firmant jam servare sccundam, quæ deerit principibus fidem. Tum se infamia notant, supplantant dominos,nec dejerare supernum respuunt.Sic fœda cupidine inlecti, levia [41] præstare mœstis [42] quandoque sperantur, periculi quicquam fors ut cumque si differt ingerunt ex proprio, et cumulando [43] prosternunt.

3. Scabrosa par exesum addunt igitur principes, vadosaque munire cuncta (1620), ut queat ignotum quis nil traducere sibi. Prævalidaque cui munimina extant, obsidibus aut premunt, aut eximere nituntur.Infide si forte quorum fundum credas committere tuum, ut servent tibi,aut hominum si titulum ipsorum cures imponere ullum heredibus,hunc propriis elogium (1621) tenent metiri jam inde dotatum ; e cunctis utile sibi vindicant, quicquid est, neque dispergere ponunt partem in eos, qui saltim paraverant olim. Concilii quin arces struunt, ut sit incursio nequa, terreat quæ ipsos, sed meditata tranquille reddere cuilibet valeant inibi. Aumatia (1622) in qua statuunt et tristega conponunt.At postquam labentes perfixerint solide plantas, jurgia tum percerum animos inter digesta reponunt, adversantium seque utrorum adfirmant esse socios. Quod quoque perverse fungantur infidos ei, et æmulis æmulos, accusant plagiatores (1623) semotos arguunt crimine tanto, pharetra (1624) ne pandatur iniqua, mordeat et quemquam fore indifferenter ingratum [44]. Accitos canunt præclues,discidiumque perdurant contestando sacris[45], ne simul ad pristinum (1625) redeant cum ipsis, donec in imo versentur. Non sequestrantur et ipsi indices [46], haud secus et hos revolvere nitentes. Tunc crinibus [47] plaudit Alecto.

4. Versutas at vafer has si quis præsenserit curas, susurret deserta fuerint hæc si et infecta valebit, non insontes luant, quos nec censura [48] fatigat. Premitur tum horrore bronchus [49], et exilis ad auras stridentibus evadit vox postibus [50], lividisque pupillis, præstigiis urguens politis [51] edicta fulcire. Stigmate hic veri rabido notatur adsertor, ut discerpenda quantocius præda. Mastrugati (1626) intentant cum scorpiis tragelaphos (1627), quomodo Parthi, prævius et gradiens leti captaverit auras, agmina se duce tunc pecudum contorquens per aera fugat, imputat arcitenens, quod cui prostrati quisque fuissent non omnes,blasphemat imprecans solum quem et conpescere fatigat, valet si ducum sic qui cognoscere fraudes protulerit in medium, Absidibus et camuris consonos mandant plastis cælare coruscis, martisiis (1628) intritisque (1629) frequenter, et hemistibus (1630) advocant, ut sese

GLOSSÆ.

[36] Defecti majores. [37] Regis consiliarii frequenter vocati. [38] Immunes a proprio, id est a suo, quia de alterius detrimento eos fenerant, id est munerant. [39] Idest a dominis. [40] Dissipant vel evacuant. [41] Prospera. [42] Tristibus dominis. [43] Implendo scilicet periculum. [44] Exosum. [45] Jurando per sacra. [46] Auctores. [47] Serpentinis crinibus. [48] Lex. [49] Bronchus eminentior pars gutturis. [50] Dentibus. Postes vero oris, dentes sunt. [51] Affectatis.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1620) Statuunt quidem castra in præruptis montium,sive transitibus fluminum custodes etiam constituunt, ut nulli, se incognito, transmeandi pateat accessus.

(1621) Elogia dicuntur ignominiæ sive notæ criminum. Alogia vero dicuntur convivia ; bene, quia antiqui silentes et quieti prandebant. Moderni vino in conviviis utentes, cum quo non est fas custodire silentium, quærunt inter pocula quod dia poemata narrent. Ante inventionem etenim vini neminem legimus in prandiis fuisse locutum.

(1622) Aumatia loca sunt secreta in theatro. (Infideliter Mansius *humatia*. Mai.)

(1623) Deceptores. Plagiator autem dicitur ἀπό τοῦ πλαγίον, id est ab obliquo, quod non certa via gradiatur, sed pellicendo dolis.

(1624) Pharetram nunc dicit dolosam mentem variarum bajulam insidiarum.

(1625) Ad priorem amicitiam revertantur.

(1626) Mastrugis vestiti. Mastruga namque vestis est ex pellibus ferarum ; et dicta mastruga quasi monstruosa, eo quod qui eam induunt, in ferarum habitum transformari videantur. Apta venatoribus, et maxime sagittariis : nam feræ tali specie deceptæ, facile ab ipsis propinquantur.

(1627) Tragelaphus idem est, quod et plataceron in Deuteronomio ; animal latis cornibus, eadem pæne specie ut cervi, villosos tamen habet armos, mentum prolixum, barbam hirsutam. Hæc etenim animalia juxta Phasidem sunt. Latine hircocervus.

(1628) Martisium est cibus in mortario factum, unde et nomen adsumpsit.

(1629) Intritum siquidem similiter cibus est, ex pane arte cocinaria præparatum. Panis quidem in aqua mittitur, et illic aliquantulum donec totus infusus sit, relinquitur. Postea vero ex aqua sumptus, in mortario pilo resolvitur : et sic oleo et modico melle pigmentisque permixtus, in lebete igni adponitur,donec debitum perducatur ad usum. Dicitur autem intritum quasi contritum.

(1630) Hemistes vasa sunt, quæ uno tantum spiritu bibuntur.

condito dum sunt, resolvant : offatim [52] et quibus insuper horridulis [53] student discludere [54] duellem, dum sibi talenta de cruore trahunt, aut quæ quos pessumdant relinquunt. His provectum [55] donec, sed aliorum de jactura, ministrant. Ex quibus fortunam sunt etiam sibi qui æmulantur aliorum indeptam, fatigant his cassare eos præstigiis, inlices [56] ostèntant luctus, quod et fixissent[57], depromunt ærumnas principes illis, qui auxerant ipsos excludere quos et dignum produnt, et hæc vindicare repulsant, disserunt et validum[58]. Illi dum hoc perpetrare nituntur, exquirunt modos tales potius ut amphifarii dictant. Si nactum expectent qui elidere, duces jam unde valeant. Quærunt tum inde proventu. Sin sapide cautos ipsis ponunt reducere sese. Et socios exponunt machinas quibusque resolvunt. Ab aliis et docent in his primum, et mox se refugisse vocatos, ut proderent ad eos, sibique adtribui fidis exposcunt, quæ possidere rebelles, proditionis maneant dotes, ut et perjuria fraudis. Prospectant interea duces, cedunt tunc quæ et revellere prisca, dum abrasæ [59] dimersis subpediæ [60] fuerunt procinctis, et his qui sollertia vigent : tum detrimenta luunt et ii, tristique successu extorres efficiuntur a commodis, nec vegetantur ab ullo. Vicissim ejulant, titulus nec deerit facinoris, quo instigetur ærumna ut cæteris, heu pro dolor ambrones (1631) quem propalavere rapaces.

5. Tunc etiam objicitur cæterorum his nex atque ruina : fomenta scelerum accusant, duces hos fecerant, et qui fœda per omnes pudet, sed neque redigere conantur traductos [61] : hæc tantum odia sed ut injicere possint. Acerbam fama diducit avem quandam, quæ gliscente calore dum genitali pipliat, aliisque remissa blanditur, subvenit generis imparis ei non naturæ conjux. Quo patrante fœtam se ut præsenserit ales, insequitur dotata[62], gaudens dissolvere viscera sponsi. Sic duces crassantur in exuviis (1632) : ut surgant in alterutrum inhiant, ne vana impediatur libido ad omne quod appetit facinus Dum diversa trahuni inpacati custodes [63] inter se exosi, nec unum sentiunt bini, nec resistere possunt singuli vittati quocumque procedunt, acciat [64] quem urna[65] tantum est expectare. Quemquam spiritum superas pudet ipsum vibrare per auras ; ingratacuique dum quæque manent auferenda tenentur, felicior proditus qui jam extasset inmunis. Basia repudiant [66], nec verentur frustrari [67] natos exules hinc alii. Perstringunt lurida quidem et alii viscera pascemate (1633). Sunt et inhertes piramydis, et spelæon iconis [68] lacunæve spectantes nodum. Restant et quibus fraudatur aspectus titanis, vel quos parentis præcisum nomen impubes servare videtur [69]. Adimitur pars [70] aliis sensus quæ expers [71] bajulat quattuor : alium et revulsa conpescit (1634), Hic sic sopita premuntur odia, persequuntur quicquid de germine restat. Merito nam quidam persolvunt pœnas, sed furibunda cupido dum fruitur sontibus, nequem donat excipiendum nefas sævit in abruptum probos ecfrena per ipsos. Insignes et postquam hiare diruti conpendio [72] frenant, derisores eorum implicaverunt tædiis. Et qui ipsos irrita quondam abdicavernnt fide, tum seductas quærunt dextras, quas prius jocunde præditis committerunt dominis, fœdera si prima servassent, prædiis jam nullis facultatibusve dotandas. Eugenes hos et si origo protulerit, nequitiæ continui ni pareant orsi naufragos ire post se cogunt albis pedibus (1635), et causantur dediticii [73] ut vel inviti suppleant, spoponderant quod fœnerati [74].

6. Arbitri[75] quid eligant ? quos nec spectata referre, nec spectare juvat tomis inserta vetustis. Heriles inductos intentant nutus, et sic jura concinnant numismate infecta, justitiæ ut neminem facete lanx exæquata trutinet. Indicitur nec omnibus eadem lex : sed quamvis feriat quem diligunt, ipse exiet indemnis, excuset et exodiunt si quem, fortunamve tenentem insidiis aut vi fractus subcumbet abactus. Nec una sæpe durans censura respondit sententia in idem, arguit quæ nunc, iterum mox laudibus inflat. profanaque rursus eadem insuper et deteriora proclamat. Aduæ ast arcis proterve conditor, quin [76] laureatus solio nixus elevatur opimo, fœtatur [77] et rudibus residuam eludere syllogismis cohortem [78] julat summa si quos eximit dies, dum caducarius[79] intret : et quæ superstant ab ipsis viduis, nec optio datur maneant si sic, aut quibus ni redima ut sese biviras præparent : quorum ab inmeritis connubia, aut mercantur egentes, aut, erigunt regis inepta clientes, dubitant qui nec obfuscare [80] privignos nec

GLOSSÆ.

[52] Minutatim. [53] Turpibus. [54] Impertire. [55] Auctionem. [56] Inductos, vel fictos. [57] Firmo animo stabilissent. [58] Possibile. [59] Evacuatæ [60] Auxilia. [61] Publicatos revocare. [62] Coitu copulata ; dos namque mutarum animalium coitus est. [63] Provisores ; nam custodes ducum proceres esse solent. [64] Ad vocet. [65] Sors. [66] Conjuges respuunt. [67] Frustrari nati videntur, cum a superstitibus parentibus quasi orphani relinquuntur. [68] Saxum concavum, quod ad vocem clamantis imaginem reddit. [69] Abscisum vocabulum patris videtur retinere imberbes. [70] Caput. [71] Experiens, probans. In capite etenim aut adprobantur aut reprobantur. [72] Utilitate. [73] Obligati. [74] Munerati. [75] Indices. [76] Revera. [77] Suis perversis cogitationibus adimpletur. [78] Populum superstitem. [79] Eventicius heres. [80] Dehonestare.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1631) Anthropophagi. Propter nimiam crudelitatem isti etiam ambrones appellantur.

(1632) In spoliis. Sicut enim prædicta avis conjugis fœcundata semine, ejus quærit saturari visceribus ; sic duces procerum magnificati juvamine, illorum quoque cupiunt juvari substantiiis.

(1633) Pascema panis est Ægyptius permodicus, quo ipsius loci monachi sustentantur.

(1634) Reprimit. Dicit namque alios relictis uxoribus et liberis exulare : alios, postposita sæculari vita, monachicam eligere; alios carcerum suppliciis colla submittere. Plerisque lumina adimuntur, aliis virilia absciduntur, interdum etiam capita amputantur, quæ quattuor sensus bajulant : et revulsa quintum, id est tactum, mortificant.

(1635) Aut discalciatis, aut albo corio contectis,

prodigas excludere matres(1636).Turpibus interdum sumet insignitas litostratam[81] figuris et dux usibus in aulam.Deinde privatim degere qui superant consules,et cæteros cogit : productos explodit indigenas,dapsiles nam sibi sperat egenos, curulibus advenas et jactat electis.Et sacra vel cives tantum mamona sequestrante si buccos[82].Obsequia celebrent, nt potius pareant et jussis per omne. Magnalia nec jacent hæc nobis genuina prosapia fudit. Qui plaudunt attoniti, rutilet ignari per trabeam, sed quid nec prætexta docuit. Obsius (1637) hos fallit, et quem a nitro expulit cauma licorem (1638) solent præferre lapillis indicis Caucasique,et dum chiliartica[83] tollunt insignia, noscunt nec coaptare secunde[84].

7. Hos cumque plebs consulit, barbaricas frendentes premunt rudere[85] sequellas[86]. Fastidiunt quid reboent leges, suique fragore barritus perterritant subditos ; successibus et primum ignotis gaudent traducere pompam. Ut vero fortunæ cœperint inspicere mores, foris[87] licet perendinent[88] curas,sed inspicatur[89] sub pectore vulnus. Fulcribus[90] sic postquam altis se dedere quieti, silentii fructum summi nec capescere datur.Stephadium (1639) suspiciunt,tum et sub divo frequentantque clepsydras (1640) lucubro[91], etsi metiri fallantur (1641). Fluctuant bis animi, dum insuete rimantur,fortuitæ nunc opes,nunc et ruinam expavent de gratia, ut præcedentes docuere tranquillam dum crederent principis. Nec veniabile ducunt quod præterire,nec ullus excusat modus, dum ipsis ab inmeritis vilicis ut servitus excutitur quæque.Auctoritas suo excusat neminem et sedis inde respectu,fugat nec contumeliam doxa,dignitas quos contra priscorumque retardant cælatæ catalogis eulogiæ. Parant obducere dedit si origo nævum, et emicare suscepta de dignitate solum.Hoc stimulant sese : sed dum conscientia vexat degeneris propagi- A nis animos,quos artius implicat terror, procacem revolvunt dominum, prædecessoresque retractant exconsules,speculantur et quæ subegere pervasa,et exire[92] metuunt,mutuis unde poscunt se sodales (1642).....minaci perficitur :diutina dum jam securitas lapsum præparat incaute, ut didascala fingit series.Exlucidant conpacta nec, dum in glomere cogant ad unum inductos milites,ut sit ne exul et quærat qui obsistere nequis.Una cum facie prorumpunt incusare ducem, indulgent cui, castam et si recedere licet servant fidem.Lentiginem[93] obponat populo,si forte vel inmurmuret vincilibus[94], quem etiam compensare suum silere conpellent,obducunt vel luci moleste,et acerbum experire cogunt iter. et ignota lustrare(1643)sæcula.Hinc animis efluunt B prostrati,eveniunt compotes dum caducarii regis. Caltudias[95] unde sæpe colunt ostentando superba, et alogiis[96] nibara[97] sese carchesia libare conducunt[98] ;calbas[99] et ad invicem tribuunt, et semicinctia reddunt sabæa bullis gravata coruscis.Ingeminant rursus fide se vincire novella. Alterna sibimet mutuo dant prosapia nymphas,et pignora vicissim delubro[100] excipiunt,elientela servanda arrhabone tali,ut vel conpacta persistant.Cæteri spiritum dominum,fidissimorumque jurando ejus testium per urnas(1644)polito cælatas in ofaz[101]. Igitur inter se patriam gentemque distingunt,evertunt inopes, et temerari sacra quælibet haud odiunt.

8. Hericinæ autolops (1645) fama est,cum cœperit elidere comam implicare neci,et tandem propria se prodere voce. Evenit sic illis sacra qui violare C præsumunt.Punitio interea nec cessat, quamvis oblitterata credantur,dudum moleste quæ tulerant, vel non si inpetrata fuerint quæ jusserant, in ipsis vindicat opportunitas. Tripliciter insuper addunt perficere noxas,finxerant pro qnibus olim repellere ducem.Præda supellex et quibus est de qua rarus proclamat curiam, cum sit qui de curia muciat

GLOSSÆ.

[81] Parvulis crustis ac variis tesselis elaboratam. [82] Carrulos et stultos. [83] Millenarius qui mille militibus præest. [84] Copulare ordinate. [85] Inutiliter loqui. Rudere proprie asinorum est. [87] Mores. [87] Palam. [88] Procrastinent. [89] Pungit ; inspicare enim proprie est faces infindere. [90] Ornamentis lectorum. [91] Candela quæ lucet in umbra. [92] Scilicet ab honore. [93] Maculam. [94] Vinculis. [95] Dies festos. [96] Conviviis. [97] Splendida.[98] Invitant, [99] Armillas. [100] Ex sacro fonte, [101] Auro.

SCHOLIA ET NOTÆ.

Calciamenta quippe nobilium de denigratis coriis fieri solent.

(1636) Postquam omnem substantiam,tam suam D quam etiam filiorum in proprium usum expenderint tum eas abjiciunt ut alias,si fieri potest, nobiliores vel pulchriores aut etiam ditiores ducant uxores

(1637) Genus est lapidis translucidum, et reddens imagines.

(1638) Tradunt qui de vitri natura scripserunt, quod ex cocto nitro et littorea barena, ejus sit reperta materies.Dicit eos novitate honoris adhuc incogniti,nec vilia contemnere, nec eligere pretiosa.

(1639) Stephadium signum est in cœlo, quod rustici præsepe dicunt.Et dicitur stephadium quasi stipadium ; sic enim præsege prius dicebatur,a stipitibus ex quibus fiebat.

(1940) Vasa aquarum, quæ judices habent pro horis nocturnis metiendis.

(1641) Decipiantur.Qnamvis etenim spatia horarum in his discernere nesciant, sed quia mæsticia somnum capere non possunt, hæc tamen inquirere illis saltim tranquillitas est.

(1642) Desunt pauca verba·

(1643) Circumspicere. Hæc quippe omnia periphrasis sunt mortis. Denique si suam considerans culpam,exilium subeat, fortasse quiescent persequentes.Quod si ipsis cœperit crimen innectere,vel si murmuraverit,aut carceri mancipatur, aut etiam interficitur.

(1634) Dicit eos laborare ut in inter se inviolabilem possint firmare amicitiam,alii per nuptias, alii per comparatica, alii vero quod superest jurejurando per Deum et sanctorum corpora.

(1645) Animal acerrimum nimis, habens cornua longa,serræ figuram habentia.

nemo. Ops (1646) longe considerat, nec partem secum in his prospectat (1647) buteones [101] quos neoterici stipant, quorum plaudente caterva mucissonem [103] audies velit si opipare cum ipsis, obsoleta veritate proferre. O tempora quæ celebrem protrahitis ad judicem nullum, insistant etsi rustici! Busticeta [104] recolo, sed non quales istos propenso librare prospiciunt rebus consules qui sic cuncta secundis. Symposia dum protrahunt, resonat inflata per urbem, et repercussa modulis fidibusque pulsata productis musica : vox inde canora suppeditat; dat Istria (1648) saltus. Invigilant perpetim defecata confundere pincernæ vina simul nectare, et cæliam (1649) siceramque ministrant, ut fugent parcos, et temulenta resolvant corpora. Prodentium [105] hinc heu nefas cachinnis qui quoque petulcis perstrepunt, lascivas et mutuo instigant se jaculando fabellas. Stupera tunc inlecebræ suggerunt incestaque. Et servi dominis circumquaque bacchantes in his morigerando pernoctant.

9. Sed nec diu perfrui his alicujus sine zelo poterunt, cum sint ordine pares cæteris, et tanta dignitate præpolleant. Nam labor concordiam, discidium insolentia parat. Accelerant semotim pariter, et se unire minores, majorum in injuria, sibique deberi causantur plurima quæ retinent, et exæquanda castigant [106]. Hii superant agmnibus, et toto fervet robore virtus. Maturior illis sensus viget, excelluntque opibus, et mœnium sublimitate firmantur. Sed tamen considerant, quod ebullit extinguere invalidum [107] esse, ni statuant principem, sub quo sed se statuere recusant. Consilium ineunt tandem præponere sibi stolidum, perficiant quæ sunt commoda per quem, inquirere nec quicquam illos, qui vel recusare præsumat. Divina cogunt etiam quem hæc testare per sacra. Incassum; fuerit nam cumque prælatus, si hebes perstiterit, luctamen deluet nullum. Adjicient quin etiam juvenes priscis jam derogare potenter. Nec dominum excipiunt [108], ni segregetur ab illis. Qui contra facundi rudibus [109] infigere deteriora minantur, et exercent dominum. promissaque requirunt, ut surgat in adversos et docent. Quid faciet? Poteritne utrasque vitare ruinas (1650)? Sed nec ingenia suffragantur inepto. Restat ut osores effugiat, vacetque privatus. Ignavum si vero se primum propalaverit arte, eluceat, et protinus prudentia diademate in quo favente odia perterriti clanculo tum sopire procurant, rursus et in unum se reducere mussant, hujusce pacto queant herilem ut iterum retexere pestem, quæ (1651) cognitione clara nec poterunt delitescere duci : quas abolere nugas parat cum nugacibus una. Quem etiam adversæ solio et ipsi gestiunt excludere ab aucto [110]. Impediunt quos plurimum quæ præcedentia (1652) ducem informant, arbitrentur ac si verenda hæc et duntaxat semet opinentur deficere in ipsis (1653). Tunc quoque gazas dirigunt heroes eminus conducere sibi. Hinc augenda tenent solatia [111]. Extimum quin etiam atque robustum inde promovere parant ducem, et submitterd colla. Tum quidem (1654)... suffragia, et primum per vicarios si non fuerit fas celebrare conventus, quibus digesta differantur si hæc imperfecta paulisper deficient.

10. Præsidis interius nec cessabit præsentis concursus sævire furor, torpebitque depascere sontes. Perpetitores [112] in supernum aget enixius hostire [113], subversis. Et si subvenire parent his olim prodicere [114] quos sæpe salutando tentabant; hoc primum labentis ut famæ sibilum persenserint, immo declinant, vigentis referunt et ducis ad aures ipsius, quod a propriis fuerit militibus pestis ad ipsos exquisita nimis, quorum animus poterit persuadere nullus, et caritate relicta inficiunt quæ metus deluerat. Talibusque figmentis fœnora [115] expectant ejus a latere, quamvis prærogativas dudum his proceres infidi promiserint, quæ sunt dejerando mercati. Porrigit sed pauca providus quibus dux, arguitque modestus, maturius hæc nobis vestra si panderentur a parte dum cæca laterent, juvaret; quorum et invalidos despectat artus cordaque tabida subsannat. Externi sunt etiam alterius principes militum qui cum lamenta per latores hauserint ad gratiam

GLOSSÆ.

[103] Juvenes. [103] A mutire seu mutire Mai. [104] Sepulcra majorum quæ nunc ipsis mortuis posuit. [105] Manifestantium. [106] Monent. [107] Impossibile. [108] Excusant, scilicet a minis vel a derogationibus. [Cod. *exipiunt.*] [109] Juvenibus vel imperitis. [110] Sublimi. [111] Auxilia magnificanda. [112] Toleratores, qui sunt et potentiores. Majoribus vero fulti præsidiis magis prævalent adversa tolerare [113] Æquare. [114] Promovere. [115] Lucra.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1646) Ops dicitur misericors, eo quod libenter opem ferat.

(1647) Speculatur; nullam namque partem in his prospicit, quam in se recognoscat, cum illos crudeles, se misericordem intelligat.

(1648) Locum pro habitatoribus posuit; ex ea enim provincia sunt homines nimiæ atque incredibilis velocitatis.

(1649) Cælia est potio ex succo tritici per artem confecta.

(1550) Pernicies ab utrisque partibus pollicitas. Minores minantur principi ni segregetur a majoribus, et suis consiliis adquiescat: at contra majores admonent ut in minores sæviat, sibique ut promiserat in omnibus pareat. Minores quoque in aliquibus superant, majores vero in quibusdam excellunt.

(1651) Quæ neutrum absolutum est, id est quæres. Dicit enim, quia si ante adsumptum honorem, stultum se princeps simulaverit, et potestatem adeptus suam ostenderit sapientiam, cuncti proceres ejus pavore clam ad concordiam revocantur, ut ejus a se jugum facilius simul excutere valeant; non enim volunt imperantem habere dominum, sed potius obsequentem.

(1652) Prioris principis dejectio.

(1653) Scilicet in dominica expulsione.

(1654) Desunt verba aliquot.

prisci seductos ne quando redeant ducis illico firmare deposcunt : subvenire quibus,et pari mox ratione confirmant.Legatos ad quorum caute dirigunt tum et citissime regem,pandere quæ milites,sed non quæ firmaverant ipsi, ut dona præstet lepida [116], jam quæ sunt et firmata cassentur : sævist inque suos,nec enim sustinere valebunt requiem in ipsis. Et si cumulare procuret quos ad eorum exitium volebit concitare hostes,dum credantur solari; tunc nectum fœdera prolato talione, si expediat. Sunt invadera iterum alterius qui dum principatus rogantur,rugiunt fremuntque et rigida jactant, accelerant incinctum armis ducem et incursare latenter. Sed postquam ultra margines [117] subierint ejus,stipatum cernant eum si jam radiante caterva, subsistunt,ab animis frigescuntque,et subfugia captant, inde referre pedem. At extare suum licet conspiciant agmen,tranquillos dux illis eminus si angelos gravatos xeniis indicere procuret, disputant inclusi, sese querelantque seductos, et perfidos declamant consules sibi qui conduxerant ipsos, innectuntque fraudes, ques et deserunt, letoque distingunt [118]. Tum et reducere gressum pertemptant incolumes, et adepta solo perferre privato [119].

11.Est raro sed inductus nudo est adgreditur pectore qui ducem expugnare dicatum,nec donec desistit adeptus sit orcumve palmamve, aut cum altero belli per cladem dividat, partibusque contenti, in unum coeant fœdus,sua quis edomare securus. Proficient qui provocaverant quid milites hunc? Si in discrimine tali supremum efflet, pænæ hos expetet [120] superstes.Evaserit et eos si compos,ad id tunc coget et isdem [121], nec thronum extare sibi jam intemerabile ponit, hujusmodi quæ fuerant recolens, ni auctoritate priventur. Provinciæ sunt quibus præsidet nnus princeps, summo tenus et læserit si quos, hyperiphania turgescunt rumina si quidem, verendum et adeunt protinus diademate trino,incitant auferre ,impar quibus potitur dux. Explicent sin poterint, recursum ne habere ad propria et quamvis perfecerint, tandem conpetentia ferent. Diversas nationum acies sibi præminens, verbaque diffusa conducet in obsequium,nec vivere parce quæ nosci-

A tant,sed potiora conpilare quæque, ut prostibuloque matronas addere in sacris (1555). Depopulatamque ut patriam persenserint, non statio traducitur [122], diu nam in externis invalidum est continere phalanges. Nec tanto convenit a legione remotum sua quidem degere duci, exili cum ipsis quorum oppido de fide veretur. Ad proprium redit, quod gaudet revisere solum. Deducere [123] proponant quem induxerant, qui eum si forte sollempne exilium eligant lugubre jugi confusione manente, ruinæ sin potius ignominiosæ linquntur. Milibus inferior præsentis, [124] interea patriæ dux exulat vel profunde mœnibus obstrusus prævalide vel residens ejulat urbis. Sed cum optatam diem discessum noverit hostis, in aciem disclusos convocat, clara quos signaverat fides. Primipilos instruit, et debita conferre disponit cuique læta fidelis et acerba sinistris. Summe qui tyrannum accierant præ se, multatio his, et pœna adicitur supplicium inde. Nec solum exosor dux est, sed et agmina figunt odia, pertulerant quæ contumelia, tantum nec illis, sed et ipsorum conantur pariter egestare [124*] minores, hoc totum gradatim ætas donec demoliatur in annis.

12. Et superest hos funus si forte præcidat in istis, labenti ut ævo valeant nec gratulari futuro. Non deperit quapropter vitium. Insurgunt alii, et rursus rotantur in hisdem.Sed quia sunt,qui neque fuerant cirrati (1656) laciniam nec præ fulgore vel carbasi (1656) poterant pertingere sophiæ; si duces nihil est et quibus sandapila deferantur ad urnam, ut eis indemnem liceat domoitionem [125] perferre manubiis refertis. Inluderis erronee a sæculis præ te [126] singillata [127] confundere sutelis [128]. Exercita fuerint vel si effusa, quæ promis flocci pendenda, natura et sterilis sua tunc munera linquat.Summati [129] et lixæ statum poteris si fingere eundem ætheris, et aridæ [130], Cocytique unum [131] prospicere quibis. Officiis quid derogas præsidum? Vales an offuscare quas ipse legerat summe potens habentem subpetias [132] ut fulciret orbem? Non malachim [133] confiteris [134]? Aut minime plaudis, cui concentus decem milium virginum dat hostium ipse trophæum? Non potius hoc,quam hecaton per phoneuma(1658)

GLOSSÆ.

[116] Honesta. [117] Fines. [118] Destinant. [119] Terra propria. [120] Expetet ad pœnam. [121] Ipse. [122] Prolongatur. [123] Deducere proprie est amicum abeuntem prosequi. [124] In qua ista aguntur. [124*] Ad egestatem perducere. [125] Domum ire. [126] Extra te. Non poteris namque adprobare quæ nisus es confirmare. [127] Separata. [128] Astutiis, quasi subtilibus telis. [129] Summates. [130] Terræ. [131] Eundem statum. [132] Retro *subpedias*. [133] Libros regum. [134] Testaris.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1655) Etiam in sacratis locis, hoc est in ecclesiis.Pro nimia enim multitudine hostium quia castra vel urbes raro defendendi adsumunt fiduciam, nobiles feminæ contemptis omnibus ad ecclesias confugiunt,ut saltim pudicitiam inibi religionis valeant reverentia custodire.Sed nefandissimus hostis non eas tantum extrahere, sed inibi etiam commaculare præsumit.

(1656) Cirrati sunt scholastici a cirris capillorum dicti. Nam antiquitus scholares pueri usque ad adolescentiam non tondebantur.

(1657) Carbasus genus veli tenuissimi et perspicui ex lino. Bene sophia carbaso tegitur, quia nec ex toto latet sapientibus, nec omnino nuda conspicitur. Stultis vero nec ad ipsius etiam veli perscrutationem patet accessus, quia ejus disciplinæ non susceperunt intellectum.

(1658) Hecaton per phoneuma genus est sacrificii. Si quis centum hostes interfecisset, Marti de homine sacrificabat; et dicebatur hoc sacrificium per phoneuma (a φονευω).

adsumis? Bis quinis an cui titan oculis gradibus revocaverat cursum? Procanum [135] nec refers templi coheleth, qui et abominanda detersit? Nunc testamentum subeat, et ut ordine novum, Helenæ filium trophicis strenuum armis, pancratiari [136] christicolis qui removens officii jura firmavit. Hujus nec dux ore magnus duceris tantis o Theodosi triumphis, qui respuens hæreses barbara tu tela fudisti, et fana desiruens tutulos [137] et deleri sanxisti, restaret hypogæum dæmonis saltim ne in quo lateret residuum ex sacro quiddam uno sed cuncta militarent auctori. Nepotem æquivocum hujus nec extare sublimem reputas inducte [138], prunas pruna qui temperans pruinas iterum pruna (1659), et dogmate furorem libidinem domavit, et karitati [139] fidus nec extiterat segnis tristitiæ aut cedens subindius [140] æterno supplicans quem triumphaverat armis. Perficit plebeia quid manus? Singula nec ipsa subsistet ducibus exhausta, quod prima sæcula signant non tamen facile, et est hinc apponere curæ. Seminibus Adæ primis validi excreverant artus, et fœcunda proles turbas paravit opimas, successibus crebris et raro crescens exessu [141]. Sed præses intructus defuit rudes erudire cohortes, discrimen undantis lymphæ unde vitarent. Abramicus ipse populus, Dei plebs, est actus triumphis, dum stitiosis [142] deguit sub ducibus supplex, quoniam exhorbitatus [143] contempsit, exulat a limine procul, stirps et inutilis extat hoc, cujus nec solum est sed cuique terrigenæ restat, et quid homines notantur tantum, quorum quod præcipuum mente est, cum Deo (1660) esse fatemur. Exiguæ sunt etiam volucres et providæ, quæ sollertia vigent, ceditur perhenne quibus et cælibatum ferre per auras, stratilatem [144] quæ in se colunt, stratilati et debita reddunt. Alacres quem cæteræ si sint, et sospitem monstrant. Cujus etiam rursus si sit pro funere squalent. Discedat a propris, suas sed si cunctæ serias linquunt, cum quo hesternas piget eas nec inquirere sedes. Sedulo et cato proficit nempe sub duce popellus, quo sine legio exinanitur instructa.

13. Desine nunc cœptos, et sensibus utere nostris. Sic fabre nunc eos suggilare juvat pecuatos [145] memet. O quos sat est vestris effusa distrahere hemicadiis (1661)! Quorsum? Ut positis fore vel symbolones [146] magnatum. Dumtaxat nugæ quorum in talione [147] redduntur delenifici vester pleumon non durat, dum angitur panegyrica videtur tuccetis [148] exprimere solum. Helluones, edulio [149] conclave vos si suspendat ab uno, mox catillando [150] procul jentaculum vel insectari, temetum exteriusque libare, ferculum et inde gyrando, vel obolam [151] in ganea deficiat, si hoc parare curatis, abscessus remota si præda sit, vel auctoritate privetur. Non crapula differtur, utcumque prægravidus acerbum reppellat dum aqualiculus fascem. Fraternitas in vobis arvalis, quo sola est, fatetur a vobis. Jam quibus sarciam [152], staret ut ne ferendis, sed vergitur quod pectore vulnus hæc in tenui licore consumens, hinc fœtare [153] bilem non desinit atrum (1662). Sarcophaga polinctos [154] quam hunc o tantum caperent vos subgrundaria [155] prius! Et silicernios obtat in istis si pegaso (1663) vos protrahi, ad usque non capulum spectat tum sed ora jocunda vispillones et neque sublustrat. Manalibus (1664) nam licet validum esset cæli vobis faciem, non viri est inficere sensum. Rictibus bacchantes quod tristibus cassare minamini verum ad levem æmula ducentes valgias [156] et ora baubatum [157]. Aretina [158] cacabant [159] ut humida cum hauserint ignem, sic temulentia stultis stitiat in

GLOSSÆ.

[135] Procanus est ornator ædificiorum. [136] Omnimodis pati. [137] Tutulos dicebant sacerdotes brevium templorum. [138] Seducte. [139] Deo qui karitas est. [140] Sæpius. [141] Exessu, morte. [Malim *excessu*.] [142] Moderatis. Stitiosi siquidem dicuntur instituta servantes: unde et superstitiosi qui super instituta observant. [143] Deviatus. [144] Magistrum militiæ. [145] Stultos. [146] Symbolones a Symbola, quæ vulgo dicitur confersa. [147] Vicissitudine quæ vobis redditur. [148] Tuccetæ dicuntur escæ principum. [149] Edulium est prægustativa comestio. [150] Catillare est alienas domos infrontate gyrare. [151] Confertam. [152] Sarcia est, superfluum carnis incrementum, quo ultra modum corpora saginantur. [153] Implere. [154] Funeris obsequio perunctos. [155] Sepulchra infantium nulla obsequia promerentium. [156] Valgia sunt labellorum obtorsiones in supinatione tractæ. [157] Latratum, et est proprie canum. Baubare tamen nunc eos dicit supervacua et vilia loqui. [150] Vasa fictilia dicta ab Aretio civitate, in qua plurima fiunt. [159] Fervendo sonant. Cacabare enim a

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1659) Hæc omnia per hexegesin in subsequentibus inveniens explanata. Nam pruna ignis est adhuc ardens, unde etiam a pruritu dicitur, id est ab ardore, vel ἀπό τοῦ πυρός, cujus vis diversas in scripturis habet significationes: aliquando enim significat doctrinam, aliquando iram, aliquando libidinem, aliquando præceptum caritatis et cetera. Pruina est frigus, cujus nomen ab igne est, sicut et prunæ, quia pæne unum effectum habent: urit namque ignis, urit et frigus; quod etiam quamvis varias habeat significationes, sæpius tamen in malo ponitur. Fere ergo Theodosius prunas pruna temperavit, quia per doctrinam, quam didicerat, iram et libidinem devicit. Rursus pruna pruinas edomavit, quia per ignem caritatis segnitiem et accidiam superavit. Hæc siquidem duo vitia bene pruinæ comparantur, quia prudentiæ ignem minime capiunt naturaliter etiam in corporibus hominum ex frigidissimo humore, id est, melancholico nascuntur. (Theodosii senioris vitia hæc, verene an potius falso? notat Eunapius ethnicus in excerptis vaticanis script. vel T. II. p. 281. Editor.)

(1660) Ideo mentem hominis cum Deo esse dicimus, quia inter omnes mortales solus de divinis noverit cogitare.

(1661) Hemicadium est vas olearium: dicitur autem hemicadium eo quod non plenum cadum contineat; cadus quippe Græce amphora est.

(1662) Ad augmentum quidem suæ invidiæ, quicquid comedunt, in felle destillat.

(1663) Pegaso homo jocularis aut vilis persona, et declinatur pegaso pegasonis. Pegasus vero apud paganos fingitur equus fuisse pennatus.

(1664) Manales dicebantur petræ, quas antiqui in modum cylindri per limites verrere solebant pro pluviæ commutanda inopia.

ipsis. Quid taciti respuo nictent,quorum et frigultire contemno, garrireque nauci pono.Non diobolaris ad nænias lingua est mihi defluens quaque injuriam stilo vestra meo, sed si syngraphia moveant, ad semnion [160] paginæ stat ut nostræ ducantur.Mea quam nec obelus signabit, merebitur (1665)... cera unus esse sedula turrix [161] cuspidis ne inhæreat nocuum sigim.

14. Dedistis etiam populis blaterando licet quos nunc sedare rumores. Futilibus si deinde pullulent sed harpagantibus [162] ullis, urbanum in ipsis dudum jam erit tunc promissa tueri. Num lusciniorum [163], et acies flosculum si sit perpendiculi prætores poterunt prospicere sudo ? Erucæ quærunt sed amrodere more, non quod in ore sapor sit, sed ut devorando pessum dent, horticola repagulis ego quos obstans excludere curo. Myropolam adeant, collyria delegant, et alucinaria [164] comant, ut lucidum post opacumque secernant. Non ego letargum passus officia præsidum pellere præsumo, sed non temeranda castigo. Inepte quod retuli jam quia grave est comicii scandere summum, captivam et subigere patriam, alterumque frustari solio. Pornia [165] et præda quis hoc etsi deneget erit ; pellere primatum potius amplexum est quam auferre jugalem ducere inelegum An levius a proprio non fert exulat qui limine tractus,premitur in ipso,ut labor [166], quam qui rusticus alterius inibi condensare promos [167], quos struxerat sibi ne mordeat inde cujus absque jure parumper ? Vadatusve nummellis [168], et abstemius, sint dum diruta cuncta. Saviis qui propriam cernit mulcere matronam, et suæ nepotem familiæ vi sentiat corrumpere hymenæum, earum quin etiam et deludere procos spe clientelæ seducta Arguat aliqui difficile, si hæc est, invadere regnum. Polenum [169] quod hinc est, cui oriendum delectat oppetet interea forte, barathroque decedet. Inhiat descriptos cæteris sed qui parare mærores, Avernum aut ignorat, impavidus aut expectat. Quem ipse omnium sator volvet in sententiam,ut ab hoc discedat ævo ignobilis subeatque futuri supplicium. Prognosticis omnipotens igitur quem suis vult ostentare dignum, vel procerum una quærit omnium promovere conventus, juvat et quem patrius amor ad id decorus, vacantem fas est ascendere thronum,cum antestat.Sed caveat quod populo ne dividiæ crescant, ejus sed ascensus, justitium et si sit removeat omne. Ad regnum evaserint qui tali satione, felicem poterunt beando diem forsitan patriam obtinere supremum. Tyrannidis exuti luent pœnam cæteri,quam et protraxerunt tenendo, pandecten [170] reserare poterit, ramenta [171] hæc in gymnasia vobis ; millenas et facies [172] cujus si revolvere placet, non obicem opponet meis testibus, sed scriptis ipse succurret.

15. At ut ad ipsos redeat, quos prænotare curatis in faciem [173] stilus,Isai,o pelingna [174] cohors,proles an prœspiraverat usque in scipionem (1666) mutare pedum,videntis dum oratione mystici quæsita chrismatis in vertice sit virtute prælata ? Ezechiam, Josiamque genitali prodiisse populo recolo favente regum a sanguine reges. Helena non ejus genitrix an regni fuerat genitor cujus in sede sopitus ? consedere dum ageret sibi voluit quod providentia natum (1667) militibus Hispaniæ claris est et Theodosius ortus, auxilio tutum primi a barbaris qui reddidit numinis orbem. Indiciis primum ad summa cum intenderat se quoque levari, Meletio (1668), inquam, a probo in oramate se cernens imperii indutum chlamyde, stemmaque ferente impositum ; invisum sibi indagine potuit ante qua noscere eundem,nullo indice, cum quandoque ejus conspiceret vultum (1669). Qui mox promotus ab imperatore Gratiano consors efficitur, visio quod ipsa monebat. Urguentibus interea bellis,quæ isque sedavit, æquivocum et inde suum nepotem meritis equipedantem tranquille patris avique decuit subsedere thronum. Provenit alicui hac si in norma regale solium,et si sedeat, hunc jam non culpa tenebit, ad majestatis semet tantæ censeat si sufficere nomen ; minime pro quo sed jubilet adhuc se manere securum. Auspicia supplent solo non præbere felicem, sed incrementa quærunt, digna licet existant.

GLOSSÆ.

qualitate soni dicitur. [160] Semnio Grecæ, Latine conventiculum honestorum dicitur. [161] Herierunt in lacuna glossæ. [162] Excolensibus. [163] Luscinii dicuntur in die parum videntes. [164] Vasa somniaria et obscura, conopeis similia. Dicuntur autem alucinaria quasi a luce alia,id est luce privata. [165] Fornicatio. [166] Fortis mercenarius. [167] Ita cod. At Mansius *primos*. Mai. [168] Vincula quibus quadrupedes alligantur. [169] Bellum. [170] Pandecte, liber Vetus et Novum Testamentum continens. [171] Ramentum dici voluerant antiqui quasi quoddam projeticium purgamentum. [172] Folia. Specialiter. [174] Stulta.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1665) Perierunt verba aliquot. Mai.

(1666) Scipio virga regalis est. Romani siquidem scipionem vocabant virgam quam triumphantes cum sceptro in manu gerebant, ad imitationem victoriæ Scipionis.

(1667) Constans enim imperator filium suum Constantinum favore populi etiam secum regnare compulit.

(1668) Meletius quidem episcopus fuit Sebastes Asmeniæ civitatis, qui merito sanctitatis maximus ab omnibus dicebatur. Postea etiam ad Antiochenam translatus est ecclesiam.

(1669) Theodcsius cum a Gratiano imperatore directus contra barbaros triumphasset, vidit se in somnis a Meletio episcopo imperiali more ornatum ; et non longe post ab eodem Gratiano ad imperii susceptus est culmen. Sed postea cum synodum Constantinopolim centum quinquaginta episcoporum congregare fecisset, nullo prodente, inter omnes et sola sui somnii memoria eundem cognovit Meletium.

16. Unde pasta [175] mihi ponere nunc dogmata libet. Λόγῳ κυρίου Saul Israël de parva est ut tueretur traduce levatus. Hinc palæstinos trudit sui cæteras et perduelles ceperat in tirocinio regni per gyrum nationes levibus exinanire triumphis. Quem pleonexia [176] ut vetitis inhiare coegit, a pugna teretes mox ejus cesserant torpendo lacerti. Terribola [177] mens etiam hostis aciem cujus non spectare præsumens semet telo proprio impegit ætnæas pœnas. Eudoxus [178] et regem Manassen redivivo (1670) tulerat de sanguine princeps. Succedens extingui interim (1671) censuit genitor in throao, cui quæ ipse flagrare, et quæ subsiciva (1672) prodit, his supplicanda sancivit theusebian impugnans, dæmonis et orgia fanaque reducens. Collega Licinius donec quippe militum in agmine tendit, scytalis (1673) eorum ad usque obtinuit inlicere mentes, favoribus ut eum urguerent calculo (1674 inepte potiri imperii, se concinant impune sub et quo silere. Augustum inluserat quod sedulum (1575), ut falciat et ipse. Quem etiam applicuit (1676) insodem, suam deflans [179] haud jugare germanam ejus thalamis. Toga qui tantisper tum rudi te obduxerat pellax, hortodoxis secunda spirans, et dæmonolatria ruens. Auxerat [180] tum delphicos, et tugularia [181] pressit prorsus abjurabat mechanicæ [182] acceptatores [183] et artis, archontes [184] adlexerant prisci quos et adseclas sibi et spiculatores cimilia [185] idoneis ut attaminarent cum ipsis et artaverat is. Anna [186] jam non auspicata caluisset [187], auctorata [188] fuerat per climata [189]. Sed ut præsentia [190] cujus desipuit, antithetis quin recusare appendit tunc mulgata [191] cruentis alme [192] nuper. Jesum confiteretur jam si quis, sectoribus primum destinabat, et inde lanistis. Cum mox et Bromio bacchare donavit, simulque Cynthio complicibus eorum et Incubo tenus omnes. Præterea romphæam principem erexerat contra tum Constantinum, a quo stipulatus in regno est, etiam conglorium ejus et cognationis adtinxit. Ilico traducta [193] sed ei ut sunt hæc ipsa refragans a numine [194] exemit eum, tersa quin et jura firmavit (1677).

17. Digna quidem species a torpido vix pullulat vel nequando genere. Nec quæ etiam ab expectabili [195] extat, indifferenter provenit, sed subinde præcipuo defluit a germine, neque ut prætaxata [196] tonant ad sceptra, et est inde ruere crimen. Sed quemquam perficiet, nec sola dicatio magnum æqua, minoribus dignatem imbutis quoque protendat honestus, quoad in æternum valeat conscendere regnum. Redimiis (1678) debentur hæ omnibus et phylacteriæ [197] Christi. In mensura vitæ cuique propria servare modestum. Accidiam ambire ponat extra, sit et abrogans [198], sit neque congerro [199]. Sat cui sint beneficia juste ei quæ liquerant antigenæ, impendit et herilis liberalitas quæ inlibato falumatu cogente, jure et exacta de proprio quæ rusticatio fundit, ars et injuncta quæ rite depromit. Officia delegant et sedulo si forte majores, suppleat non pompam hic sed gestiendo perhennem. Emolumentum quæ si referant, laudes æterno rependat, et pariter obsequia. Deliquium et quamvis patiatur,

GLOSSÆ.

[175] Præclara: unde et pastophoria dicimus. [176] Avaritia. [177] Formidolosa. [178] Bonæ gloriæ rex. [179] Despiciens. [180] Suppresserat. [181] Veneficia, quæ super tegulas sacrificabantur. [182] Fraudulentiæ. [183] Auctores. [184] Principes. [185] Vasa sacra. [186] Interjectio est deprecantis, quasi diceret utinam, vel obsecro. [187] Numquam inchoata evacuasset. [188] Auctoritate majorum firmata. [189] Per partes mundi. [190] Dominatio. [191] Prolata. [192] Sancte. [193] Publicata. [194] Potestate. [195] Nobili. [196] Prædicta. [197] Observationes. [198] Humilis. [199] Congerrones dicuntur qui aliena bona sibi congerunt, id est congregant.

SCHOLIA ET NOTÆ.

(1670) Reviviscente: postquam enim Deus quindecim annos Ezechiæ auxit ad vitam, postea iste natus est Manasses.

(1671) Interim, donec. Interim autem dixit propter ipsius ultimam conversationem. Notandum sane quod horum trium regum exemplus satis, ad hoc quod proposuerat explicandum sufficere credidit. Nam hii legitime sumentes imperium nefandissime postmodum conversati sunt: quorum Manasses solus egit pœnitentiam: ceteri vero in id perdurantes ad infelicem pervenerunt exitum. In quibus ostendit nullum debere pro rectitudine esse securum, vel pro criminibus desperare.

(1672) Abicienda. Subsiciva proprie sunt quæ sutor de materia præcidens quasi supervacua amputat.

(1673) Scytalis genus est serpentis, quæ tanta præfulget tergi varietate, ut notarum gratia aspicientes retardet: et qui reptando pigrior est, quod adsequi non valet, miraculo sui stupentes capit. Bene ergo, Licinius scytalis vocatur, quia fraudulenta simulatiene adeo sibi aliorum favorem adscivit, ut sponte sibi subponerent: cujus venenosis fraudibus plurimi postmodum deperirent.

(1574) Antiqui lapillos in manu tenentes numeros componebant. Dicitur etiam calculus adeptio culminis vel victoriæ, quia quotiens ad millenarium crescebat numerus, millesimum sibi computatores adsumebant calculum, dicebantque se tot adeptos fuisse calculos, quot et milia numerassent. Et ideo quia millenarius numerus summus est, et ultra jam numerari non potest, siquis summam alicujus rei adquisisset, ipsum dicebant calculum obtinuisse.

(1675) Sedulum Augustum, fidelem, absque dolo. Constantinum siquidem dicit, quod et in sequentibus indicabit.

(1676) Adumpsit. Audiens quidem Constantinus eum tantum laudari a militibus, secum adscivit in imperio, suamque illi germanam in matrimonium tradidit: qui intio regni ficte se modestum reddidit; novissime vero ad omnia facinora delapsus, insuper et eisdem bellum indicens, ab eo de imperio ilico est abjectus.

(1677) Dejecit ejus abominandas leges, et dignas posuit observandas.

(1678) Redimiæ sunt quæ ab hostibus pervasa, a propriis dominis redimuntur. Redimiæ ergo Christi omnes sunt christiani, quos a diabolica pervasione suo sanguine redimere et sibi reconciliare dignatus est.

eundem non expes flagitare deserat, nec in egestate blasphemet, ignarus qua sit sententia tactus [200]. Inopinatæ nequeunt num succedere vices ? Præ se [201] cenodoxus inhiet egratus [202], nam si auctionari [203] erinis [204] hic elisus poterit, ereboque retrudi.

18. Patagine (1679) profusus hem (1680), sed quid ego, præconis instar emphatici, explicare sæculi diætam [205] liquentis, diserta cujus nec glossa suffert conicere morbos ? Sed languit deterius quondam dum clinicus cænoque depressus,congeminans threnos defreta [206] jam salute tabebat. Cui super astabat morsibus etiam protocleptes [207] demoliri virosis. Interim adtrito respiciens subvenit, vola sed qui conlinierat ipsum, excussit ab ore ejusdem, et eum quem etiam edentavit [208] evirans [209], solutumque resolidans mundum, tum et stare firmavit elumbem. Innotuit vitanda cujus pariter et utenda saluti. Quod quia transgressus, noxiis communicat, salutariaque recusat, hinc recidivare totiens conspicitur. Ponit sed et ipse medelam ingratis opifex medicus salutis et auctor. Antidotis impensis pariter et lixopyritis [210] tensis persæpe jam. Nunc instanter oremus, se manum retrahat, vel chirurgiam premat adhuc furore motus, sed delegat unguenta a summis dynamidiis (1681) iufundat et liniat, quibus et repellat tabifica , chirurgiæ venerit sacio [211] his ut cum modicum dilata exurere inveniat, quod vel secare præsumat. Ne Christi dicata thalamo (1582) defleat præsegmina [212], mystica quæ mnasiterna [213] lavit. Quibit medicinæ capax nullus esse peritus, physicam intente ne rationem scrutetur. Intellegit figmenti nequis et, ut qui finxerat ipsum. Quis ergo poterit mundum salute tueri, haud dicam monarchiam vel proportionem in ipsa ejus primæ, ni figulus ipse plastis (1683). Formulam et si perfici per humanam quod fateatur, almus in ea manet qui spiritus id tamen ministrat, pure si cui famuletur in ævum, ab illa devenient prosperea quæque fiant. Sceleribus inde citus et fugiet si commulgaverit [214] semet. Actibus deserta tunc ilico cum suis quæ una peribit, ni se ab ipsis eruderet, et ut ante consistat.

19. Hanc unde congruit Augusti caveat qui potiri censuram ut nomine parat. Inlatum communi suscipiat voto sic quoque vivat adepto ne temeraverit ipsum. Nutibus in quo se divis agat, suumque [215] frustretur [1684). Inlustres sint adhuc, qui superant arbitri [216] et qui jam præcesserant hinc, et diathecam [217] ponat speculum quod callidus nec relnat kaupo (1685). Imploret quapropter Dominum jugiter, adiciatque non comperendinare devotus. Hoc etiam supplere [218] ne seducatur [219] ab ipso cunctus debitum est ut populus instet. Crœcipui quoniam testamenti vim abolere luctatur pro ope qui sui stolidus neglegit flagitare patroni. Præsto sum indifferens [220], orate vobis ut fiat. Adæ in lingua (1686) nunc jam ut fiat vobis respondebo, etsi mavultis auspicare me. . . a majestate vestrum ante summa (1687). . . . ut placido deluat lumine noxam de me, fingat et quem tibi gratum, precesque fundendas acceptet, inlex [221] quas nec primus valeat impiare molestus, hiantis mutilare linguam, nec ea inspirante politam, nec facile quæ etiam meum alibi subferat cor inquam dilabi, sed exaudiri pio merear a pietatis auctore. Auxilio quo fretus, supplices, oriar tum dependere voces. Hebraicus confirmet vester quas et una dictione succentus, ejus et extremis coronis aptetur in oris.

GLOSSÆ.

[200] Judicio pulsatus. [201] Ultra modum. [202] Qui grates non reddit. [203] Augmentari. [204] Miseriis,quod etiam nomen furiæ esse dicunt. Dic *ærumnis*. Mai. [205] Regulam. [206] Desperata. [207] Diabolus. [208] Absque dedtibus fecit. [209] Exinaniens. [210] Cataplasmata, Antidota et lixopyrita, opera misericordiæ vocat. [211] Tempus. [212] Præsegmina sunt partes corporis recisæ. [213] Aquæ urna. [214] Coinquinaverit. [215] Proprium. [216] Judices qui vivunt. [217] Librum duorum testamentorum Veteris et Novi. [218] Implere. [219] Separetur. [220] Paratus sum ad respondendum, nil morans. [221] Deceptor.

SCHOLIA ET NOVÆ.

(1679) Inter pataginem et patagium hoc differt. Patago est exulceratio oris, quod cum intumuerit, pæne elingnem facit. Patagium vero est pallium ex auro perpuraque variatum.

(1680) Hem quando cum aspiratione scribitur, interjectio est dolentis, quasi heu me. Quando vero sine inspiratione adverbium ostendentis,quasi enme.

(1681) Libris medicinalibus. Dynamis dicitur potestas et vis herbarum ; unde etiam dynamidia dicuntur, ubi earum medicinæ vel curationes scribuntur. Merito nunc pro dynamidia divinas intelligimus miserationes.

(1682) Ecclesia. Fovit namque omnes sacri fontis unda ablutos, corpus esse sancta matris Ecclesiæ, sponsæ Christi. Et ideo orat ut nullus christianus ab ejus divellatur corpore, ne ipsa in aliquo mutila ad luctum videatur promoveri.

(1683) Dicit nullum esse medicum, nisi fuerit physicus. Rursus nullum tam plene intelligere physicam rationem uniuscujusque rei, quam qui eandem composuit. Restat ergo nullum posse tueri mundum salute, nisi ipse qui eum plasmaverit.

(1684) Non tantum quæ illi solum bona videntur agere præsumat, sed auctoritate præcedentium doctorum et consilio honestorum potius adquiescat.

(1685) Fraudulentus tabernarius aquam vino miscens : quod refertur etiam ad falsos doctores, qui vera falsis inficientes, noxias solent propinare doctrinas.

(1687) Innuitne preces psalmorum Hebraicorum? Mai.

(1687) Desunt aliquot vocabula. Mai.

POLYPTICI TEXTUS ALTER

Editus a Joanne Dominico MANSI, *in Miscellaneis sacris Baluzii, edit. Luc., p.* 560.

INCIPIT POLYPTICUM QUOD APPELLATUR PERPENDICULUM.

INCIPIT EPISTOLA.

Reverendo in me Fulano valde præsuli.

Fulanus cupiens me sic beatum exitum instat FelicissimiOpilionisSilvestri summi mortuis aliquibus, sed mihi nec emortuus vivus immo mihi vividus es mortuus sed vivus in me. Hujus laberinthi iter currentes, aut qua insistendo vitare voraginem edoce, aut quo salubres sublati adtingere possint delicias. Quæ sentio in hoc cernes; sed sic ego quæ et tu comparantur. Contabres ut pollini. En quæ ego tu quæ fœliciter redde. Amen.

Explicit epistola.

INCIPIT ARGUMENTUM.

Non chaos explicant sophistæ, bombinare rerum exequar assiduum orbi. Non ocia hoc calamo concussa pistico, nec osilla pinsabunt. Fessus jam hinc perpendiculum ponam. Cujus vocem non poterit compescere aciare, nec Attica Rema inrumine E. A. J. P.

Explicit Argumentum.

INCIPIT POLYPTICUM QUOD APPELLATUR PERPENDICULUM.

Fragilis pompa hujus ævi languor est et quæritur, pestis, est et omnimodis ambitur. Quæ arridet in accessu, cum serpit delectat, in cujus adolescentia est ingens labor, cum intumescit prosternit, et cum recesserit blasphematur, quia solet clientes suos reddere ignobiles, spernentes autem se reddere gloriosos.

Non hæc mirum quia cum hactenus extiterit ruina pene omnibus sese appetentibus, nec arrogantes deficiunt adhuc, nec acerbitas se elevandi moderatur.

Fallentes se quidem præstantiores veteribus, quos provida censura accusat segniores. Horum igitur fasces si enucleati gradatim initientur, dignum judico prænotandos quos rigentes serto exhibent remiditos. Num Chronici fraudant hoc qui præsertim summum væ, et ipsorum omne concrepant ohe? Haud perstrepunt agmen eorum, qui gradiendo perplexum collem induxerunt sequentes perrecta rubrica quamvis pingant inextricabilem tesseram, qui durantes nec superstites vixere, nec miselli jocundantur. Sed nec autumo sincerum nunc privatim adnotare facies gestorum, nec eos quoniam pupilli musta ætate vident nunc etiam hæc clara et hauserant frequenter recitata a suis patribus, et restringunt certius inculcata. Nunc jam in promptu est censere membra prælibatæ nequitiæ secundum quod cura perlambens A repræsentaverit ipocondria stilo. Tale quod resolvimus discrimine trino scanditur fastigium, quidam adjiciunt assem aut cum præses nominatim signat quem claris nutibus vel cum eadem vox omnium calat. Vel cum eadem unum, aut cum parentis valido jure fas est perfrui throno. Improbus aut labor et cum vesana triumphis prælia conveniunt propere trucibus alteri insurgere quem jam cantaverat præco prophanis non conjurati manibus execrabiles favent. Quid? Exinanitur æmulus penitus, cujus beneficio ditantur primi velites nec poscunt intemerabile fœdus in quo herilis somnus capiat dulcedinem.

Sed juvat interim jocundius traducere remissum tempus et placito potiri adeptis ut ambo principes terreantur per adversas lites nec audeant potentes exippitare. Contra milites vel negare quidquam restat ut vigeant principes tantum miserabili nomine ut potius nec compotes sint immo privatæ rei compotes. Tum sedulo ruminant et secreta cura rependere sociis has strophas. Quapropter nec tædet clanculo frequentare sese divis ramis per cautos reveredarios qui nec nunciasse frivole piis solertes per quod milites prima instigentur indagine fulti. Externos etiam duces et conniventia rogant et xeniis cumulant et propere macta deponunt. Cur pollicetur extimis fortuna potentum necdum extorta quam ii sequestres gestiunt prælibaro vel strictim, ut auxilia eorum ferveant edomare superbos secum, vel si desides torpeant tunc sævire per sua arma denegent subsulia oppressis nam ipsi sævient. Specimen propterea restat doli quo affecti tribuni eliduntur in imo, cum horum milites captant blandas regias auras; et dictati muniatores redeunt inde ad propria onustis humeris nec ferent duces dominos ipsorum primos arbitros etiam in largiendo beneficia sese præponent si sint arcta an larga.

Et fœnerant immunes a proprio, et vehunt sibi fidos detrimendo alterius. Qui præferunt per quos sumunt, sed non a quibus. Si fors sparat hos, ipsi ministrabunt donec discant ab alterutro perlata in alterutrum, quæ melius silerent. Quos statuunt quidem explorare, et instruere se se. E quibus spargunt per singulas domos velut semina, unde sæpe metunt nugas, et sæpe præciscunt expedientia. Hinc milites diluunt primam fidem dominis, firmant servare secundam principibus, quæ jam deerit. Tunc notant se infamia, supplantant dominos, nec respuunt dene-

gare supremum. Sic illecti fœda cupidine, quandoque sperant mœstis præstare levia si fors differt quicquam periculi utcumque ingerit ex proprio et communando prosternunt.

Igitur Principes addunt munire scabrosa et cuncta radosa per exesum ut nil queat quis traducere sibi ignotum. Et cui extant prævalida munimina aut premunt obsidibus, aut nituntur eximere. In quorum fide, si forie credas, committere tuum fundum, ut fervent tibi, aut si cures imponere ullum titulum tum metiri propriis hæredibus elogium quidquid utile est cunctis sibi vindicant, neque ponunt dispergere saltem partem in his, quæ olim paraverant. Quis struunt arces concilii, ut ne qua incursio sit, quæ terreat ipsos, sed tranquille, valeant mihi reddere meditata cuilibet. In qua statuunt humatia et componunt tristega. At postquam solide præfixerint labentes plantas, tum diponunt digesta jurgia inter animos procerum, et affirmant se esse socios utrorum adversantium, et plagiatores accusant æmulis æmulos infidos, quod fungantur, ei quoque perversi ut illis. Semotos arguunt tanto crimine, ne pandatur iniqua pharetra, et ne mordeat quemquam indifferenter fore ingratum. Accitos canunt perclues et perdurant dissidium, contestando sacris ne simul redeant cum ipsis ad pristinum, donec versentur in imo et ipsi indices non sequestrantur nitentes..... has versutas curas et susurret ; valebit si hæc fuerint deserta infecta. Non lavant insontes, quos nec censura fatigat. Tum Bronchus premitur horrore et vox urgens fulcire edicta politis præstigiis exilii evadit ad aulas stridentibus postibus et lividis pupillis. Hic assertor veri notatur rabido stigmate, ut præda quantocius discerpenda. Quomodo cum mastrugati Pharti intentant Tragelaphos Scorpus et prævius gradiens captaverit auras lethi, tum se duce contorquens agmina pecudum fugat per aera, cui imputat quisque arcitenens, quod non fuissent omnes prostrati ; quem etiam solum imprecans blasphemat, et fatigat compescere. Sic qui valet cognoscere fraudes ducum si protulerit in medium. At consonos mandat cælare coruscis plastis et frequenter advocant martisus et in tristis et emistibus, ut resolvant sese condito dum sunt quibus et horridulis offatim insuper student discludere de cruore. . . . . aut quæ relinquunt quos pessundant. Ministrant his provectum donec. Sed de aliorum jactura. Ex quibus sunt etiam quidam, qui dum æmulant fortunam aliorum sibi indeptam fatigant eos cassare his præstigiis ostendant inlices luctus, et depromunt quod Principes, qui auxerant ipsos fixissent illis ærumnas quos et produnt dignum exludere, et repulsant vindicare hæc, et dissorunt validum. Illi dum nituntur hoc perpetrare exquirunt modos potius, ut dictant tales amphifari, qui si aspectent jam nactum unde valeant elidere duces, tunc quærunt inde proventum. Sin ponunt sese cautos quibus et exponunt socios et resolvunt machinas. Et docent primum se vocatos in his ab aliis et mox refugiisse ad eos ut proderent, et exposcunt attribui sibi fidis quæ possedere rebelles, ut maneant dotes proditionis ; spectant revellere quæ tunc cedunt, et prisca dum subpediæ fuerint abrasæ dimersis procintis et dimersis iis qui vigent solertia ; tum et hi luunt detrimenta et tristi successu efficiuntur extorres a commodis nec vegetant ab ullo. Vicissim ejulant ; nec deerit titulus facinoris, quo instigetur ærumnæ, ut cæteris quæ heu, proh dolor ! rapaces ambrones propalaverunt.

Tunc etiam nex atque ruina cæterorum objicitur his, et duces qui fecerunt fœda per omnes accusant hos fomenta scelerum. Pudet se, nec conantur traductos redigere. Sed hæc tantum ut possint injicere odia, fama diducit quamdam acerbam avem, quæ dum pipliat glicescente genitali calore et blanditur remissa alis subvenit conjux imparis generis non naturæ. Quo patrante ales præsenserit se fœtam insequitur, gaudens dissolvere dotata viscera sponsi. Sic duces crassantur in exuviis, inhiant ut surgant in alterutrum, ne vana libido impediatur ad omne facinus quod appetit. Dum impacati custodes trahunt diversa exosi inter se, nec bini sentiunt unum, nec singuli possunt resistere vittatim procedunt quocunque tantum est expectare quæ actiat urna.

Pudet quemquam vibrare ipsum spiritum per superas auras, quæque manent ingrata cuique dum tenetur auferenda felicior jam proditus, qui immunis extasset. Hinc alii exules repudiant basia nec verentur frustrari natos. Et alii quidem perstringunt lurida viscera paschemate. Et sunt inertes spectantes nodum pyramidis et speleon yconis vel lacunæ. Et restant quibus fraudatur aspectus tyrannis vel quos præcisum nomen parentis, videtur servare impubes.

Aliis adimitur pars quæ experiens bajulat quatuor sensus et revulsa compescit alium.

Nec sic odia premunt sopita, sed persequuntur quidquid restat de germine, sed furibunda cupido dum fruitur sontibus, ne quæ donat excipiendum nefas effræna sævit in abruptum per ipsos probos. Et postquam insignes diruti compendio frænant hiare eorum derisores implicantur tædiis. Et qui quondam abdicaverunt ipsos irrita fide tum quærunt seductas dextras jam nullis prædiis vel facultatibus dotandas, quas jucundæ prius committerent prædictis dominis si servassent prima fœdera. Et si origo protulerit hos eugenes niortii continui pareant nequitiæ. Post cogunt se ire naufragos abiis pedibus et causantur dediticii, ut vel inviti suppleant quod spoponderant fœnerati munerati. Arbitri qui deligantur? quos nec juvat referre spectata, nec juvat spectare inserta vetustis tomis. Intentant hæriles nutus inductos et sic concinnant jura infecta numismate, ut exequata lanx justitiæ neminem trutinet facete. Nec omnibus indicetur diligant, indemnis exiet ipse, et quamvis excuset quem exodiunt, vel tenentem fortunam succumbet aut fractus vi aut

abactus insidiis. Nec censura durans in idem sæpe respondet una sententia, quæ nunc arguit, mox iterum inflat laudibus, et rursus proclamat eadem prophana insuper et deteriora.

Ast conditor arduæ arcis quin laureatus solio nixus elevatur opimo, et fœtatur eludere residuam cohortem rudibus syllogismis, jubilat si quos eximet summa dies dum intret caducarius et viduis, quæ superstant ab ipsis, non datur optio si sic maneant aut quibus præparent se bivitas ni redimant quorum inepta connubia aut mercantur ab immeritis aut erigunt egentes clientes regis, qui nec dubitant offuscare privignos nec excludere prodigas matres.

Et dux interdum sumet insignitas figuris in Lytostratam aulam turpibus usibus. Deinde cogit privatim degere cæteros productos indigenas et jaceat egenos advenas electis aurilibus quia dapsyles sperat eos sibi. Et si vel cives tantum buccos sequestrante sacra mammona ; ut potius celebrent obsequia, et pareant jussis per omne. Nec jactent : hæc magnalia fudit nobis genuina prosapia. Quia attoniti plaudunt sed ignari quid rutilet per trabeam, nec docuit prætexta. Obsius fallit hos et licorem quem cauma expulit antro, solent præferre lapillis indicis et caucasi. Et dum tollunt ciliartica insignia, nec noscunt secunde coaptare. Cumque plebs consulit hos frendentes premunt rudere barbaricas sequelas. Fastidiunt quid reboent leges, et frigore sui barritus perterritant subditos. Et primum gaudent traducere pompam ignotis successibus, ut vero cœperint inspicere mores fortanæ licet foris perendinent curas, sed vulnus inspiciatur sub pectore. Sic postquam se dedere quieti altis fulcribus tunc et suscipiunt stephadium sub dio et frequentant clypsidras lucubre et si fallant metiri. Animi fluctant his dum insuetæ rimantur, furtuitæ nunc opes, nunc et ruinam expavent degra Principis, ut docuere præcedentes dum crederent tranquillam. Quod nec ducunt veniabile, nec ullus modus excusat præterire dum quæque servitus excutitur ab ipsis ut ab immeritis villicis, et neminem excusat inde auctoritas sedis suo respectu, nec doxa fugat contumeliam quos dignitas et eulogiæ priscorum cælatæ cathalogis retardant. Si origo dedit nævum parant obducere et emicare solum de suscepta dignitate. Hoc stimulant sese. Sed dum conscientia vexat animos degeneris propaginis quos arctius implicat terror revolvunt procacem dominum, et retractant prædecessores et consules et speculantur pervasa quæ subegerunt et metuunt exire unde poscunt se sodales... minaci perficitur. Dum jam diutina securitas incaute præparant lapsum, ut fingit didascala series. Nec exclucidant compacta dum ad unum cogant in glomere inductos milites, ut sit ne quis quærat obsistere ne exulet.

Tum una facie prorumpunt incusare decem cui indulgent, et castam fidem servant si licet recedere. Quem enim si forte opponat lentiginem populo, vel si immurmuret vincilibus compellent compensare suum silere, vel moleste obducunt luci et cogunt experire acerbum iter, et lustrare ignota sæcula. Hinc effluunt animis dum compotes caducarii eveniunt prostrati regis. Unde sæpe colunt caltudias ostendendo superba, et conducunt se alogiis libare nibaria carcæsia et tribuunt calbas ad invicem et reddunt sabæa semicintia gravata coruscis bullis. Rursus ingeminant se vincire novella fide alternas sibimet mutuo dante prosapia nymphas, et vicissim excipiunt sibi pignora delubro... servanda clientela, et vel tali atrabone persistant compacta. Cæteri jurando per Dominum spirituum, et per urnas ejus fidissimorum testium celatas in polito opho. Igitur distinguunt inter se gentem et patriam, et evertunt inopes, et haud odiunt temerarii quælibet sacra.

Fama est cum Autolops cœperit elidere comam hericinæ implicat se neci, et tandem et tandem prodere se propria voce. Sic evenit illis qui præsumunt violare sacra. Interea nec cessat punitio, quamvis credantur obliterata, quæ dudum tulerant moleste, vel si non fuerint impetrata quæ jusserant, opportunitas vindicat in ipsis. Insuper tripliciter addunt perficere noxos pro quibus olim finxerant repellere lucem. Quibus præda est supellex, de qua rursus proclamat curiam, cum nemo sit qui mutiat de curia. Ops considerat longe neo prophetat in his partem secum quos stipant Neotherici buteones, quorum plaudente caterva, mucissonem audies velit si opipare cum ipsis obsoleta veritate proferre. O tempora quæ nullum celebrem protrahitis ad judicem et insistant rustici. Recolo Busticeta, sed non propense consules, quales istos qui sic prospiciunt cuncta librare secundis rebus, dum pertrahunt symphosias musica per urbem modulis inflata, et repercussa, et pulsata proruptis fidibus, inde sudpeditat canora vox. Istria dat saltus pincernæ invigilant perpetim simul confundere defæcata vina nectare, et ministrant cæliam, et siceram ut fugent parcos, et resolvant temulenta corpora ; heu prodentium hinc nefas. Qui perstrepunt quoquo petulcis cachinnis, et mutuo instigant sese jaculando lascivas fabellas. Tunc illecebræ suggerunt stupra et incesta ; et servi morigerando dominis pernoctant in his circumquaque bacchantes.

Sed nec poterunt diu perfrui his sine zelo alicujus cum sint pares cæteris ordine, et tanta dignitate præpolleant ; nam labor concordiam, dissidium insolentiam parat, et minores semotim accelerant unire se pariter injuria majorum, et causantur deberi sibi plura, quæ retinent et castigant exequanda. Hi superant agminibus, et fervet virtus toto robore. Illis viget maturior sensus, et excellunt opibus et firmantur sublimitate mœnium. Sed tamen considerant invalidum esse extinguere quod ebullit ni statuant Principem sub quo, sed recusant se statuere. Tandem ineunt consilium proponere sibi stolidum, per quem perficiant quæ sunt commoda, qui nec præsumat illos quicquam inquirere vel recusare, quem etiam cogunt hæc textare per divina sacra incassum. Nam, cum-

que fuerit Prælatus, si hebes perstiterit nullum luctum deluet. Quin etiam juvenes potenter jam adjicient derogare priscis. Nec excipiunt dominum nisi segregetur ab illis. Qui facundi contra minantur rudibus infigere deteriora et exercent dominum et requiruntur promissa, ut surgant in adversos, et docent. Quid faciet? poterit ne utrasque vitare ruinas? sed nec ingenia suffragantur inepto. Restat ut effugiat osores, et vacet privatus. Si vero primus propalaverit se ignàvum arte in quo et protinus eluceat prudentia favente diademate : tum perterriti elanculo procurant sopire odia. Et rursus mussant reducere in unum, ut iterum queant retexere hærilem pestem hujusce pacto, quæ nec poterit delitescere duci jam clara sui cognitione. Quas nugas parat abolere una cum nugacibus, quem etiam et ipsi adversus se gestiunt excludere ab aucto solio. Quos primum impediunt præcedentia, quæ informant ducem. At si arbitrentur hæc verenda, et opinentur dumtaxat semet deficere in ipsis, tunc quoque eminus dirigunt gazas conducere sibi heroes. Hinc tenent augenda solatia, quin etiam et parant inde promovere extimum atque robustum ducem, et submittere colla. Tum quidem . . . suffragia et primum per vicarios si non fuerit fas celebrare conventus. Quibus si hæc digesta paulisper differantur, deficient imperfecta. An interim cessabit sævire concussus furor præsentis Præsidis, et torpebit depascere fontes? Num insuper exinius aget hostire perpetitores subversis. Et si parent subvenire his quos sæpe salutando olim tentabant producere ut primum persenserit hoc sybilum labentis famæ, immo declinant et uferunt ad aures vigentis ducis quod ipsi ut pestis nimis fuerit exquisita ad ipsos a propriis militibus, quorum animis nullus potuit persuadere et charitate inficiunt relicta quæ metus deluerat, et talibus figmentis exspectant fœnora a latere ejus quamvis infidi proceres ; dudum præmiserint his prærogativas quæ sunt mercati degenerando quibus sed pro viduis dux pauca porrigit et modestus arguit, si hæc maturius panderentur nobis vera aperte dum cæca latenter juvaret. Quorum et invalidos despectat artus cordaque rabida subsannat. Externi sunt etiam Principes, qui cum hauserint lamenta alterius militum perlatores illico deposcunt seductos firmare nequando redeant ad gratiam prisci ducis quibus et mox pari ratione confirmant subvenire. Ad quorum Regem tunc caute et citissime dirigunt legatos pandere quæ firmaverant milites, sed non quæ ipsi ut præstet lepida dona, et cassentur quæ jam sunt firmata, et sæviat in suos, quia nec valebunt sustinere requiem in ipsis. Quos etsi procuret cumulare, valebit concitare hostes ad exitium eorum, dum credantur solari. Tunc nectunt fœdera prolato talione si expediat. Sunt iterum, qui rogantur invadere alterius Principatus rugiunt et fremunt, et jactant rigida, et latenter accelerant incursare armis incintum ducem. Sed postquam subierint ultra ejus margines stipatum cernant cum, si jam radiante caterva subsistunt et frigescunt animis, et suffugia captant : referre inde pedem. At licet conspiciant suum agmen extare. Si dux eminus procuret indicere illis tranquillos angelos gravatos xeniis inclusi, disputant, et querelantur se seductos, et declamant consules qui ipsos conduxerant sibi perfidos, et innectunt fraudes, quos et deserunt et distinguunt lætho, et tunc pertentant incolumes reducere gressum, et perferre adepta privato solo.

Raro est, sed est qui inductus aggrepitur expugnare dicatum ducem nudo pectore, nec desistit, donec adeptus sit orcum vel palmam aut per clades belli dividat cum altero et contenti partibus coeant in unum fœdus securus quis edomare sua. Quid proficicient milites, qui hunc provocaverant? si in tali discrimine efflet supremum superstes expectet hos pœnæ, et si compos evaserit, tum et isdem compellat ad id nec ponit jam extare sibi intemerabile thronum hujusmodi quæ fuerant recolens, ni auctoritate priventur. Sunt quibus præsidet Princeps unius Provinciæ quos etsi summo tenus læserit turgescunt siquidem rumina yperifania, et protinus adeunt verendum trino diademate et incitant auferre quibus potitur impar dux. Sin explicent, poterint ne habere recursum ad propria? et quamvis perfecerint, ferent tandem competentia. Præminens conducet sibi in obsequium diversas acies nationum et diffusa verba quæ nesciant vivere parce, sed compilare quæque potiora, et in sacris addere matronas ut postribulo. Et ut persenserint depopulatam Patriam non traducitur statim, quia invalidum est diu continere phalanges in externis, nec convenit tanto duci remotum a sua legione degere quidem cum ipsis de quorum exili fide oppido veretur. Redit ad proprium solum quod gaudet revisere. Quem si forte proponant deducere qui eum solemne induxerant, eligant lugubre exilium jugi confusione manente ruinæ sin potius ignominiosæ linquuntur. Interea dux præsentis Patriæ inferior milibus vel exulat profunde, vel residens obtrusus mœnibus prævalide urbis ejulat. Sed eum noverit discessum hostis optatam diem convocat disclusos quos signaverat clara fides in aciem. Et instruit primipilos, et disponit conferre cuique debita fidis læta, et sinistris acerba. Summe his qui accierant tyrannum per se addicitur muletatio et pœna et inde supplicium. Nec solum dux est exosor, sed et agmina quæ pertulerant contumelias infigunt odia ; nec tantum, sed et pariter conantur egestare minores ipsorum, donec ætas gradatim demoliatur hoc totum in annis et si forte funus præcidat hos in istis superest, ut nec valeant gratulari labenti ævo nec futuro. Quapropter non deperit vitium.

Rursus insurgent alii et rotantur iisdem.

Sed quia sunt qui neque fuerant Cyrrati nec poterant pertingere vel laciniam carbasi præ fulgore sophiæ et quibus nihil est si duus deferantur ad urnam sandapila, ut liceat eis perferre indemnem do-

moictionem refertis manubiis ii stimulant memet sic lacessere erroneæ induleris Prete si tuleris confundere sigillata has seculi si fuerint exercita vel effusa quæ promis floccipendenda tunc et natura sterilis linquat sua munera si poteris fingere eumdem statum summati et lixæ, quibus prospicere unum hæteris et aridæ et Cocyti quid derogas officiis Præsidum? an vales obfuscare suppetias, quas ipse summe potens legerat ut falciret labantem orbem. Non confiteris Malachim aut minime plaudis cui concentus virginum dat tropheæum decem millium hostium? non potius assumis hoc quam hæcaton prophoneuma occulis gradibus revocaveras cursum nec refers procanum templi cohelectæ qui et detersit abominanda? et ut nunc subeant novum testamentum in ordine Helenæ filium strenuum strophicis armis qui removens pancratiarii Christicolis firmavit jura officii. O Dux Theodosi magnus tantis triumphis nec duceris ore hujus tu qui respuens hæreses fudisti barbara tela et destruens phana sancxisti deleri titulos ne restaret saltem hypogæum in quo lateret quoddam residuum ex sacro Dæmonis, sed cuncta militarent uno auctori. O inducte ne reputas æquivocum nepotem hujus extare sublimem, qui temperans prunas pruna, atque iterum pruinas pruna domavit libidinem et furorem dogmate et fidus charitati, nec extiterat segnis aut cadens tristitiæ et subindius triumphaverat supplicans æterno quam armis.

Quid proficit plebeia manus? nec ipsa subsistet singula exhausta ducibus, quod prima secula signat notamus facile et est hinc apponere curæ. Validi armis artubus excreverant primis seminibus Adæ et fœcunda proles paravit opimas turbas, crescens crebris successibus et raro exexu. Sed Præses instructus defuit erudire rudes cohortes, unde evitarent discrimen undantis limphæ. Ipse Abrahamicus populus plebs Dei est auctus triumphis dum supplex deguit substitiosis, quod quia exorbitatus contempsit, exulat procul a limine et extat inutilis strips (*sic*).

Cujus nec hoc solum est, sed cnique terrigenæ restat. Et quod notantur tantum homines quorum mentem quod præcipuum est fatemur esse cum Deo? Sunt etiam exiguæ volucres et providæ quæ vigent solertia et quibus ceditur ferre perenne cœlibatum per auras, quæ colunt Stratilaten in se, et reddunt debita Stralitati. Quem et ceteræ monstrant sospitem si sint alacres. Pro cujus etiam funere si sit, rursus squalent. Sed si discedat a propriis cunctæ linquunt serias cum quo externas piget eas nec inquirere sedes. Nempe popellus proficit sub sedulo et Cato duce sine quo instructa regio exinanitur.

Desine nunc cœptos et utere nostris sensibus. Juvat memet nunc fabre suggillare eos pequatos (*sic*). O quos sat est distrahere effusa vestris emicadiis. Quorsum! ut possitis fore vel symbolones magnatum. In quorum talione. Dumtaxat nugæ reduntur delenefici videtur pleumon dum angitur tuccetis non durat exprimere solum panegyrica. Elluones sicut clave suspendat vos ab uno edulio, mox cantilando curatis procul insectari vel lentaculum et exterius libare tementum et inde gyrando parare ferculum, vel si hoc deficiat obolam insanea si præda sit remota abcessu vel si privetur auctoritate. Non differtur crapula utcumque, dum prægravidus aqualiculus repellat acerbum fascem.

Fraternitas quæ in vobis fatetur a vobis sola arvalis est quibus jam staret sarchiam ut ne ferendis; sed vergitur quod pectore vulnus consumens hæc in tenui liquore; non desinit hin fœtare atrum bilem. O prius caperent vos tantum subgrundaria quam nunc polynctos sarcophaga. Et si Pegaso optat vos protrahi in istis usque ad silicernias non spectat tum capulum sed jucunda ora, neque sublustrat vispillones, nam licet validum esset vobis inficere faciem cœli manalibus non est inficere sensum viri quod bacchantes tristibus rictibus minamini cassare verum ducentes æmula ora ad Valgias et ad levem baubatum? ut cacabant humida aritina. Cum hauserint ignem sic stitiant temulentia in ipsis stultis. Respuo quod nictent taciti quorum et frigultire contemno et garrire nauci pono. Non est mihi diobolaris lingua defluens quaque ad nænias, sed si vestra syngrapha moveant injuriam meo stylo stat ut nostræ paginæ ducantur ad sennion.

Mea quam nec obelus signabit merebitur..... ne inhæreat nocuum sigim. Licet nunc etiam sedare rumores quos blaterando dedistis populis se si deinde pululent arphagantibus ullis futilibus tunc urbanum erit tueri in ipsis jamdulum promissa. Prætores nunc acies luscinorum poterunt perspicere sudo ullum flosculum perpendiculi etsi sit? Sed erucæ more quærunt ammordere non quod sit sapor in ore, sed ut pessundent devorando quos ego horticola ostans repagulis curo excludere. Adeant miropolam delegant colliria et comant allucinaria, ut post secernant lucidum et opacum. Non ego passus lœtargum præsumo pellere officia præsidum; sed castigo non temeranda. Quia quod jam retuli grave est inepte scandere summum conniti, et subigere captivam patriam et frustari alterum solio. Pormia et præda erit hoc, et si deneget quis, potius est ducere pellere primatum quam auferre. An levius a proprio non fert exulat qui limine tractus premitur in ipso ut baro quam qui rusticus alterius inibi condensare primos quos sibi struxerat absque cujus jure ne parum permordeat inde vel qui vadutus numellis et absteniis dum sint cuncta diruta cernit mulcere propriam matronam saviis, et sentiat nepotem vi corrumpere himenæum suæ familiæ, quin etiam et deludere proces earum seducta spe clientelæ.

Difficile est alicui invadere regnum si hæc arguat quem delectat pilemum quid hinc est oriendum? forte interea oppetet et decedet barathro; sed qu inhiat descriptos mœrores parare cæteris aut ignorat avernum, aut impavidus expectat. Quem ipse sator

omnium volvet in sententiam, ut ignobilis discedat ab hoc ævo et subeat supplicium futuri. Igitur quem Omnipotens vult ostentare dignum suis prognosticis vel quem una quærit promovere conventui omnium procerum, et quem juvat, ad id decorus patrius amor fas est ascendere vacantem thronum. Sed cum antestat, sed caveat quod populo ne dividiæ crescant, sed ejus ascensus removeat omne justitium et si sit· Qui tali sanctione evaserint ad regnum forsitan beando patriam poterunt obtinere felicem supremum diem, cæteri exuti luerunt pœnam tyrannidis, quam et tenendo protraxerunt ramenta Pandecten poterit reservare vobis hæc in gymnasio ; cujus millenas facies et si placet resolvere non opponet obicem meis scriptis, sed ipse succurret testibus at ut stylus redeat ad ipsos quos opeligna cohors curastis prænotare in faciem ante proles Ysai perspiraverat mutare pedum in scipione, usque dum quæsita oratione videntis sit prolata virtute mystici crysmatis in vertice? Recolo Exechiam et Josiam a genitali sanguine Regum prodiisse Reges favente populo. An non fuerat ejus genitor sopitus in sede regni, cujus genetrix Helena ? qui dum ageret providentia voluit sibi consedere natum. Et Theodosius ortus est claris militibus Hispaniæ. Auxilio primi a barbaris qui reddidit tutum orbem ; cujus quoque indiciis primum intenderat se lavari ad summa. Inquam. Cernens se in oromate indutum clamyde imperii, et ferentem stegma impositum. Qua indagine potuit noscere eumdem ante invisum sibi nullo indice cum quandoque conspiceret ejus vultum. Qui mox promotus ab Imperatore Gratiano efficitur consors, quod manebat ipsa visio urgentibus bellis, quæ is sedavit interea. Et inde decuit suum æquivocum nepotem æquipedantem meritis tranquille subsedere thronum patris et avi. Si in hac norma alicui regale solium hunc jam non tenebit culpa et si sedent si censeat semet sufficere ad nomen tantæ majestatis pro quo sed minime jubilet adhuc se manere securum. Solo auspicia licet existant digna, tamen non supplent præbere felicem, sed quæruntur incrementa. Unde libet mihi nunc ponere pasta dogmata λογω ΚυνΝου Saul levatus est de parva traduce ut tueretur Israel. Hinc Palæstinos trudit in principio sui regni et cæperat per gyrum exinanire cæteras perduelles nationes levibus triumphis. Quem ut Pleonexagia coegit inhiare vetitis mox ejus teretes lacerti torpendo cessarant a pugna. Cujus etiom terribola mens non præsumens spectare aciem hostis proprio telo impegit semet in etneas pœnas. Et Eudoxius princeps tulerat regem Manassen de redivivo sanguine ; postquam enim Deus quindecim annos Ezechiam auxit ad vitam postea iste natus est Manasses. Cui succedens in throno censuit interim extingui quæ genitor flagrare et quæ ipse prodit subcisiva is sancivit supplicanda impugnans Theusebiam et reducens orgia Dæmonis et phana.

Licinius quippe donec tendit collega in agmine militum scitalis adusque obtinuit illicere mentes eorum ut urgerent cum favoribus inepte potiri calculo imperii sub quo et concinant se impune silere. Quod illuserat sedulum Augustum ut et ipse fulciret quem etiam applicuit in sodem haud deflans jugare suam germanam . . . . . obauxerat se tunc tantisper rudi toga spirans orthodoxis secunda et ruens demolatria. Tum anxerat Delphicos et pressit tegularia, et prorsus abjurabat acceptatores methanicæ artis, et instauraverat asseclas, et spiculatores quos prisci arcontes adlexerant sibi ut attaminarent cimilia cum ipsis idoneis. Anna non jam caluisset inchoata. Sed cujus præsentia ut fuerat auctorata per climata desipuit, quin appendit tunc recusare alme mulgata nuper cruentis antitethis. Jam si quis confiteretur Jesum primum destinsbat eum sectoribus, et inde lanystis.

Et mox donavit omnes bacare Bromio et simul Chinthio, et complicibus eorum cubo tenus. Præterea erexerat tunc romphæam contra Principem Constantinum, a quo est stipulatus in regno, et adtinxit etiam conglorium ejus cognationis. Sed illico ut hæc sunt ei traducta refragans ipsa exemit eum a numine quin et firmavit tersa jura. Digna quidem spoties vix pullulat, vel nequando genere. Neque extat etiam ab expectabili indifferenter provenit ad perfectum venit, sed subinde defluit nequam a præcipuo genere. Et inde est crimen ruere ad seeptra ut tonant prætaxata.

Sed nec sola æqua dicatio perficiet quemquam magnum, ni honestus prætendat quoque dignitatem imbutis moribus quoad valeat conscendere in æternum regnum. Et hæ filacteriæ debentur omnes redimiis Christi. Cuique servare modestum vitæ in propria mensura. Ambire extra ponat accidiam, et sit abrogans neque sit congerro cui sat sint beneficia, quæ juste liquerant ei antigenæ, et quæ impendit herilis liberalitas, cogente illibato famulatu, et quæ fundit exacta rusticatio de proprio jure, et quæ rite depromit injuncta ars.

Et si forte majores sedule delegant officia, suppleat non gestiendo hic pompam, sed perennem. Quæ si referant emolumentum, rependat pariter laudes et obsequia æterno. Et quamvis patiatur deliquium non expers deserat flagitare eumdem nec blasphemat in egestate ignarus qua sententia sit tactus. Num nequeunt succedere inopinatæ vices ? Nam si Cænodoxus inhiet e gratus auctionari præ se poterit hic elisus erinis, et retrudi crebo. En ! Sed quid ego profusus patagine, instar emphatici præconis enitor explicare digestam linquentis sæculi, cujus morbos nec diserta glossa suffert conjicere ? Sed deterius languit quondam dum Clinicus, et depressus cœno congeminans trenos tabebat jam defreta salute ; cui etiam protoclectes superastabat demoliri virosis morsibus. Sed respiciens interim qui conlinierat ipsum vola subvenit adtrito, et excussit eum ab ore ejusdem. quem evitans etiam adentavit ; et resolidans tunc solutum, et clumbem mundum firmavit stare. Cujus saluti pariter innotuit vitanda et utenda. Quod quia transgressus communicat noxiis, et recusat saluta-

ria,hinc recidivare toties conspicitur. Sed et ipse opifex medicus et auctor salutis ingratis ponit medelam,nunc instanter oremus,ne adhuc motus furore jam persæpe impensis antidotis et pariter tensis lixopiritis retrahat manum vel premat chirurgiam, sed delegat unguenta a summis dinamidiis infundat et liniat quibus et repellat tabifica,ut cum venerit satio cirurgiæ dilata his modicum inveniat quod præsumat exurere vel secare ne dicata thalamo Christi defleat præsetemina,quæ lavit mystica inna-siterna. Nullus tam capax quibit esse peritus medicinæ ni intente scrutetur physicam rationem.Et ne quis intelligit figmenti,ut qui ipsum finxerat.Quis ergo poterit tueri mundum salute?haud dicam Monarcham vel portionem in ipsa ni ipse figulus ejus primæ plastis? Et si fateatur explici quodve per humanam formulam tamen almus Spiritus manet in ea quæ ministrat inde,cui si pure famuletur in ævum ab illa devenient prospera quæque fiant. Sceleribus inde citus et fugiet si commulgaverit.Quæ deserta illico peribit tunc cum suis actibus ni eruderet se ab ipsis et consistat ut ante. Unde congruit, ut qui parat potiri nomine Augusti caveat hanc censuram, inlatum communi reto suscipiat ;sic quoque vivat adepto ne temeraverit ipsum. In quo agat se divis nutibus,et frustretur suum sint arbitri illustres, qui adhuc superant,et qui jam præcesserant hinc et diathecam ponat speculum,quod nec reluat callidus caupo fraudolentus tabernarius aquam vino miscens quod refertur etiam ad falsos doctores, qui vera falsis inficientes noxias solent propinare doctrinas; hi denique non secundum rei veritatem vel auctorum definitionem,sed propria adinventione sacras quærunt tractare scripturas ut potentius sibi gratiam et populi inde favorem concilient. Quapropter jugiter devotus imploret Dominum,et non adjiciat comperendinare.Debitum est etiam ut cunctus populus instet hoc supplere ne seducatur ab ipso, quoniam vim præcipui testamenti luctatur abolere,qui stolidus negligit flagitare pro ope sui patroni. Præsto sum indifferens, orate nunc, jam respondebo vobis in lingua Adæ ut fiat ; et si mavultis auspicare me . . . . . a summa majestate, ut deluat noxam de me placido lumine,quem et fingat sibi gratum, et acceptet fundendas preces,quas nec valeat impiare molestus inlex,nec mutilare linguam hiantis politam ea inspirante,quæ etiam nec sufferat alibi dilabi meum cor inquam facile, sed merear exaudiri a pio auctore pietatis.Quo auxilio fretus oriar tunc dependere supplices voces quas confirmet vester Hebraicus succentus una dictione, et extremis ejus oris apetur chronis.

ATTONIS TESTAMENTUM (1688).

(Apud Mai, Scriptorum veterum Collectio nova, tom. VI, ex codice Vaticano.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti,cui sit gloria in sempiterna sæcula sæculorum,amen. Regnantibus domo Hugone et domno Hlotario piissimis regibus, regni domni Hugonis vigesimo,et domni Hlotarii decimo quinto, pontificante venerabile patre et domino domino Marino sanctissimo papa universalis Ecclesiæ Dei anno tertio,indictione 3,Idibus Maii,constituta synodo a venerabili patre domo Olderico archiepiscopo sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ in basilica gloriosissimi pontificis et confessoris sancti Ambrosii ante ejus sanctum corpus;astantantibus domno Hugone legato misso dominorum qui supra regum, et venerabili patre domno Rogerio episcopo Perusino legato sanctissimi domini papæ.In ipsa synodo erat venerabilis pater dominus archiepiscopus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ,et venerabiles episcopi Vercellensis Papiensis,Novariensis, Brixiensis, Laudensis, Bergomensis, Terdonensis, Cremonensis, Astensis, Curiensis,Taurinensis, Eporediensis, Augustensis, Albensis, Aquensis, Savonensis, Januensis, Albingaunensis ,Vigintimiliensis, Placentinus, Parmensis, Mutinensis, et quamplures alii episcopi,abbates,sacerdotes,et clerici,una cum Vidone comite et quamplures illustres regni proceres.

Completa liturgia,antequam dissolveretur synodus, surrexit domnus Atto sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopus, qui petiit reverenter facultatem loquendi, qua ei largita, dominus archiepiscopus eum sedere fecit,quo facto dixit :Venerabiles Patres et illustres viri,cum dixisset Deus in sancto Evangelio ubi duo vel tres in nomine meo congregati sunt,ibi et ego in medio eorum sum ; ideo dubitare non debemus,Deum in medio nostrorum esse. Quam ob rem cum sim in bona senectute constitutus, et Deus nos admonuisset dicens : Estote parati, quia nescitis diem neque horam quando Dominus veniet, propterea si vultis mihi complacere,vellem coram Deo et vobis bona mea ordinare ad salutem animæ meæ,parentumque meorum et omnium fidelium defunctorum,ut post mortem meam habeam qui pro anima mea Deum exorent,ut a peccatis solvatur.

(1688) Burontius in præfatione donationem Attonis Vercellarum canonicis factam recitat. Deinde breve testamentum Mediolani anno 948 scriptum profert quo bonorum suorum partem Mediolanensi clero Atto legat;majoris vero testamenti in Mediolanensi synodo ante triennium editi, quod exhibemus,nullam Burontius mentionem facit. MAI.

Quibus auditis,omnes dixerunt : Fiat per venerabilem domnum Attonem quidquid vult. Et ipse sic dicere cœpit :

In Jesu Christi nomine, ego Atto, sanctæ Vercellensis Ecclesiæ humilis episcopus,cogitans infallibilia esse verba Domini,videlicet thesaurizate vobis theauros in cœlo,et date pauperibus,quoniam centuplum accipietis et vitam æternam possidebitis ; ideo ego qui supra Atto episcopus volo,judico, seu per hoc meum judicatum statuo una cum Hugone marchione, ac Brucardo comite advocatis meis, quod omnia quæ statuero perpetuis temporibus inviolata permaneant :et in primis judico et lego statim post mortem meam palatium meum Stazone cum ejus pomerio et silva et annexis in integrum vobis venerabili patri,et domine domine archiepiscope Mediolani, et iis qui post vos Ecclesiam Mediolanensem episcopabunt,ita ut perpetuis temporibus permaneat sine imminutione in potestate archiepiscoporum Mediolani : pro quo rogo eos semel in anno sacra facere pro requie animeæ meæ.Item lego et judico Ecclesiæ sancti Eusebii seu episcopatui ejus,unde sum indigne episcopus casales quatuor juris mei in valle Augustæ, et alios duos in Verdenzo,omnia cum suis ædificiis et terris et juribus mihi, qui supra Attoni episcopo spectantibus,cum servis et aldiis utriusque sexus in integrum; ita ut qui post me præerunt dictæ Ecclesiæ, usufructuario nomine tantum,cunctis diebus suis faciant ex fructibus eorum quidquid voluerint,absque tamen alienatione fundi.Quod si aliquid alienaverint,prædicta omnia perveniant in potestatem sanctæ Eporediensis Ecclesiæ:qui omnes mei successores teneantur semel in mense sacrum facere,ut Deus misereatur animæ meæ pro ignorantiis in regimine Ecclesiæ mihi commissæ.

Item judico et lego canonicis prædictæ sanctæ Ecclesiæ curtem regiam cum curticella, quæ sunt juris mei, qui supra Attonis episcopi, cum eorum ædificiis,terris et juribus,vivis et mortuis in integrum,ut de eorum proventibus in Dominica olivarum unitim sumant refectionem,et residuum dividatur in octava Pentecostis æquis portionibus inter eos,quo die anniversarium faciunt pro omnibus episcopis ejus sanctæ Vercellensis Ecclesiæ, et prohibeo eis omnem alienationem ; et si alienaverint, omnia proveniant in potestatem Ecclesiæ Taurinensis.Item volo quod statim post meum decessum,in honorem duodecim apostolorum liberentur duodecim servi mei, qui supra Attonis episcopi, ita ut cum uxoribus suis et filiis, cum omnibus eorum substantiis sint liberi, prout nunc,pro tunc,manumitto et libero.

Item judico et lego domno Aldemano consanguineo meo arhipresbytero sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, et cardinalibus et presbyteris decumanis, et clero dictæ Ecclesiæ,qui modo sunt et in futuro erunt, illas quatuor valles juris mei,qui supra Attonis episcopi, quæ vocantur Bellaniam, Leventinam, Biascam,et Intrascam,cum omnibus capellis, casis et terris,cujuscunque speciei sint, cum famulis et aldiis utriusque sexus in integrum, ita ut perpetuo sint in potestate cleri dictæ sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, cujus fui indignus archidiaconus.Quorum proventus sic dividatur : dominus archipresbyter tantum habeat, quam duo cardinales presbyteri ; et cardinales presbyteri cum primicerio decumanorum tantum habeant per unumquemque,quam duo presbyteri decumani; et diaconi cardinales et subdiaconi quantum unus presbyter decumanus.Eam vero partem,quæ cardinalibus presbyteris spectat, dividat archipresbyter;ea quæ cardinalibus diaconis et subdiaconis,dividatur per archidiaconum ; et decumanis dividatur per eorum primicerium ad ejus mansionem.Et hæc omnia cum conditione ut in perpetuum omni primo die lunæ Quadragesimæ majoris prædicti archipresbyter et cardinales primicerius et decumani, qui pro tempore erunt, veniant cum litaniis,et crucibus ad hanc basilicam,ubi ante corpora sanctorum Ambrosii, Protasii,et Gervasii, sacrum celebrent pro animabus, mea, et bonæ memoriæ domni Desiderii regis, et ducis Ermenulfi ejus patris,et Asprandi et Eberardi ejus fratris abavi mei(1689),qui supra Attonis episcopi ejus filii et aliorum filiorum ejus.Et item in die lunæ sequenti idem fiat ante corpus sancti Satyri in requiem animæ meæ et bonæ memoriæ Vuidonis comitis qui fuit proavus meus,et Attonis qui et Anscarius, qui fuit marchio,ejus filii,qui sunt tumulati in eadem ecclesia.Iterum idem fiat tertio die lunæ sequenti,ut supra,et ibi ante corpus sanctæ Marcellinæ virginis sacrum fiat pro animabus, mea,et bonæ memoriæ Aldigerii (1690), alias Ermenulfi patris mei, et fratrum suorum in eadem ecclesia quiescentium. Et prima die recedendo ab ipsa ecclesia intrent ecclesiam sancti Naboris ;secunda vero vadant ad basilicam trium regum ; et tertia pergant ad ecclesiam sancti Georgii, ibi ubi dicitur ad palatium, et ibi faciant kyrie et rogationes pro salute hujus civitatis et omnium habitantum in ea,et iu fine dicant requiem pro omnibus defunctis.Qui vero ad istas tres litanias non erit,nihil penitus habeat,salvo si ægrotaret,et tamen teneatur idem facere in alio die.

Item judico et lego venerabili domno Rupaldo abbati monasterii prope eamdem basilicam, et ejus monasterio,curtem meam de Deliciano, cum capella, et casis,et terris, et juribus ejus, et famulis mihi qui supra Attoni episcopo spectantibus,in integrum;

(1689) Notemus regiam Attonis originem, Burontio incognitam,qui et ex longinqua gente Vercellas delatum Attonem(quem unicum agnoscit) somniatur

(1690) In alia charta anni 1027,apud idem archium S.Mauritii majoris Mediol., cujus item apographum in prædicto vaticano codice extat, verba leguntur hæc : *concedimus nostras ecclesias seu capellas quæ*, etc.,*sanctis martyribus nostris Nazario et Celso consecratæ fuerunt,et dotatæ ab religioso viro Attone episcopo vercellensi domni Algerii filio.*

cum hac tamen conditione, ut ipse abbas cum monachis suis, dum cardinales at decumani præfati erunt in ecclesia sancti Ambrosii, vadant cum litaniis suis ad ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris sitam intra civitatem Mediolani, ubi dicitur intus vineam, et ibi sacra faciant pro anima mea, et bonæ memoriæ domnæ Mariæ matris, ac domnæ Imildæ sororis, mearum ibi humatarum : altera die idem faciant pro animabus bonæ memoriæ comitissæ Felindæ aviæ meæ, et filiarum ejus; et dic tertio etiam ita fiat pro animabus Rodelindæ proaviæ meæ, et omnium defunctorum meorum : quod si non fiet,omnia prædicta eis legata sint domnæ Bertradæ abbatissæ dicti monasterii sanctæ Mariæ Majoris. Item judico et lego dictæ venerabili domnæ abbatissæ Bertradæ fratruæ meæ cum ejus monialibus et monasterio suo mansa quinque terræ juris mei, qui supra Attonis episcopi, in curte Cerdati, cum ædificiis, servis, aldiis et eorum familiis utriusque sexus spectantibus, in integrum, ut commodius possint Deo servire, et semel in mense recordentur orare ut anima mea a peccatis solvatur.

Et hæc omnia ego qui supra Atto episcopus judico et facio cum conditione, quod prædicti omnes qui supra cardinales, decumani, abbas, monachi, abbatissa, et moniales, ac eorum successores, vel succetrices, unitum vel separatim, in totum vel in partem, dictas valles, curtes, casales, terras, servos, famulos, aldios utriusque sexus, non possint quovis modo alienare aut invasere, quia mea firma voluntas est, quod omnia prædicta perpetuis temporibus permaneant ad cultum divinum in requiem omnium defunctorum meorum. Ideo reverenter rogo vos, venerabiles, pater domine archiepiscope, et omnes residentes in hac sancta synodo, ut ponatis excommunicationem et anathema super omnes qui hoc meum judicatum in toto vel in parte violaverint.

Hoc audito, dominus archiepiscopus et omnis synodus ex parte Dei et omnium sanctorum anathematizavit quicunque per qualecunque ingenium hoc judicatum venerabilis patris domini Attonis sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopi violaverit; et qui fecerit, partem habeat cum Juda traditore ac Simone mago in gehennam æternam, una cum Satana et diabolis ejus. Et dixerunt omnes : Fiat, fiat, fiat. Quo facto, ipse Atto episcopus dixit : Audite, omnes venerabiles Patres; hic disposui, quæ judicare et disponere potui pro conscientia mea; reliquas vero meas substantias, quæ mihi modo pertinere videntur, judico et lego propinquioribus meis, ut de eis faciant quidquid voluerint, juxta dispositionem majorum eorum, et lex Longobarda disponit. Item rogo sanctum patrem venerabilem papam, et clementissimos dominos reges suis litteris hoc meum judicatum confirmare dignentur.

Quibus auditis, dominus Hugo comes et dominus Rogerius episcopus missi prædicti, auctoritatem dominorum regum et domini papæ interponentes, hæc omnia convalidaverunt et confirmare facere promiserunt. His peractis, idem dominus Atto episcopus una cum Hugone marchione et Brucardo comite advocatis suis dixit : Hæc est mea libra voluntas et ultimum meum judicatum. Sic me Deus adjuvet, amen. Actum in basilica sancti Ambrosii pontificis et confessoris, ubi ejus sanctum requiescit corpus.

† Ego Rogerius humilis episcopus legatus missus sanctissimi patris venerabilis Marini papæ hoc judicatum laudavi, confirmavi, et subscripsi.

† Ego Hugo comes legatus missus dominorum Hugonis et Lotharii regum piissimorum hoc judicatum laudavi, confirmavi, et manu mea subscripsi.

† Ego Olricus (1691) sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopus omnibus, quæ supra interfui, laudavi, confirmavi, et propria manu subscripsi.

† Ego Atto sacræ Vercellensis Ecclesiæ indignus episcopus ad confirmandum hoc meum judicatum manu mea subscripsi.

† Ego Lincfredus Papiensis episcopus laudavi et confirmavi.

† Notinghus Brixiensis episcopus subscripsi :

† Gezzo sanctæ Dertonensis Ecclesiæ episcopus manu propria subscripsi.

† Ego Bruningus Astensis episcopus subscripsi.

† Ego Riculfus episcopus Taurinensis laudavi et subscripsi.

† Griffo Augustanus episcopus subscripsit.

† Ego Adalgisus sanctæ Aquensis Ecclesiæ episcopus me subscripsi.

† Mildo Vingintimiliensis Ecclesiæ episcopus firmavit.

† Ego Sigifredus Parmensis episcopus subscripsi.

† Joannes Massanensis episcopus firmavit.

† Ego Aldemanus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ archipresbyter laudavi, et ad firmandum manus posui.

† Daipertus episcopus sanctæ Cremonensis Ecclesiæ manu sua firmavit.

† Ego Baldo Curiensis episcopus subscripsi.

† Asmundus Eporediensis episcopus manu mea firmavi.

† Ego Daibertus episcopus Albensis subscripsi.

† Ingulfus Albengaunensis episcopus firmavit.

† Ego Boso episcopus Placentinus subscripsi.

† Ego Vuido Mutinensis episcopus laudavi et subscripsi.

† Lotherius Marianensis Ecclesiæ episcopus subscripsi.

† Ego Hupaldus humilis abbas laudavi et subscripsi.

Signa ** (1692) manuum Hugonis marchionis, et Brucardi comitis advocati præfati venerabilis patris domini Attonis episcopi, qui hoc judicatum lauda-

(1691) Supra, *Oldericus*. (1692) Astericos posui; at in codice sunt lineolæ directæ et transversæ, cratis ritu.

verunt, et ad confirmandum manus suas posuerunt.

Signa ****** manuum Ariperti, Olderici, Joannis, Asprandi, Burli, et Canonis testium, et quamplurimæ aliæ personæ quæ ad hoc vocati (*ita cod.*) sunt.

Ego Vualpertus humilis archidiaconus et cancellarius sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ et præsentis sacri (*ita cod.*) synodi de mandato suprascriptorum Patrum hoc judicatum venerabilis patris domini Attonis episcopi Vercellarum scripsi, tradidi, et subscripsi.

Ego Lambertus notarius sacri palatii et missus dominorum Hugonis et Lotharii piissimorum regum, una cum suprascripto domino archidiacono tradidi atque subscripsi.

Ego Petrus, qui dicor Rabbus, notarius domini Henrici imperatoris suprascriptum judicatum domini Attonis episcopi Vercellarum ab eo pronuntiatum in synodo Mediolanensi et subscriptum, ut supra fideliter exemplatum per infrascriptum Rogerium Bonafidem notarium ab originale prædicti judicatus, quod apparet fuisse tribus sigillis munitum, primum quorum erat dominorum regum, alterum cum sanctis Petro et Paulo, et tertium cum sancto Ambrosio sed antiquitate quasi consumptum, cum ipso originale, ut plurimum marcido, ut vix difficulter legi possit, diligenter concordavi, rogatus a venerabili domino Ambrosio dicto de Vicomercato abbate monasterii sancti Ambrosii, ubi ejus sanctum requiescit corpus; instante etiam domna Columba abbatissa monasterii Majoris Mediolani: et hoc de mandato domni Joannis dicti de Rusca honorabilis potestatis civitatis et communis Mediolani, præsentibus dicto Bonafide, T. Senago, Jo. Coalia, J. Canova, A. Lomatio, notariis, atque Thoma dicto Crasso, et Rufino Corbo juris peritis, ac Ossa de Ossis, Petro dicto Bellabucca, Comasino de Cremis, Joanne Marcellino, Vidone vicecomite, testibus : et quia concordare inveni, præter litteras plus minusve, mea manu subscripsi.

Ego Tebaldus, qui dicor de Sunago, notarius hoc transumptum quia fidele inveni me subscripsi.

Ego Joannes, qui dicor Coalia, notarius sacri palatii prædicto transumpto interfui, et quia concordare inveni, ut supra, de mandato me subscripsi.

Ego Joannes, qui dicor de Canova, imperialis notarius hoc transumptum fideliter concordavi, et [quia] uniforme cum originale inveni, me subscripsi.

Ego Anselarus, qui dicor de Lamatio, notarius cum supradictis notariis hoc transumptum examinavi, et quia concordare inveni, me subscripsi.

APPENDIX AD ATTONEM.

FRAGMENTUM VETERUM PRECATIONUM, IN FORMA LITANIARUM, IN HONOREM S. EUSEBII.

(Ex cod. Othonis.)

. . . . . factus est Eusebius, et Christianæ legis maximus. Exaudi nos.

. . . . . Omnes sacro sibi suscepit, et præsul factus Vercelles directus est. Exaudi, etc.

. . . . Hæresiarca quæ cum esset civitas dure pastorem orthodoxum spreverat. Exaudi, etc.

In S. Templo Mariæ se obstruunt, doctor ad eos ne intret catholicus. Exaudi, etc.

Charus sed Deo signo crucis fregerat vectes et seras, et intravit januas. Exaudi, etc.

. . . . de luce consubstantialiter prædicans multos instruxit fideliter. Exaudi, etc.

Mox sed tyrannus callide Constantius synodum dictat in urbe metropoli. Exaudi, etc.

. . . . Minorem in qua Patris Filium temere pulsat scribere catholicos. Exaudi, etc.

. . . . . Occurrere præsul et ad fluminis moratur ora cum unda. . . Sicidæ. Exaudi, etc.

Navis, quæ erat ad alteram ripam ad eum sola quia jusserat. Exaudi, etc.

Ut facto celere it Mediolanum ad confligendum cum tyranno. Exaudi, etc.

. . . . . Nec suasionibus cessit, tunc vinctus conditur exilio. Exaudi, etc.

. . . Tyrannus sed postquam est mortuus, pastor ad caulas reversus est proprius. Exaudi, etc.

. . . Avidos invenit Ariani dogmatis, ut jam cum paucis degeret catholicus. Exaudi, etc.

Verum cohors ruit in pontificem; mortem dederunt prædicandi vivere. Exaudi, etc.

. . . Sic sanctam tunc reddidit animam, hic sepulturæ locus manet celeber. Exaudi, etc.

. . - Sesultat et pollet miraculis, tristes levantur et languentes inibi. Exaudi, etc.

. . . Hunc rogare pariter ut intercedat pro nobis ad Dominum. Exaudi, etc.

NOMINA PLEBIUM EPISCOPATUS S. EUSEBII.

(Cod. Vatic. 4322, ad calcem epistolæ Attonis ad Waldonem.

† Prodobio, Cozzo, Martyri, Mediolano, S. Evasii, Rusciniano, seu Cassiani, Castello Turris, Montigio Pini, Duperia, monte Calano.

Balzola, Tridino, Cornetæ, Medæ, Palaciolo,

Palazzo, Fennerno Salucra, Ciciliano, Scevoli...
Sanctæ Ahathæ, S. Secundi, S. Peregrini, Bugella, Cossatæ, Diffellenga, Badalauco.
Bulgari, Blandendæ, Albano, Sente, Radi . . .
Nivola.

DE ATTONIBUS DIATRIBA.

Auctore erudito sæculi XVIII *viro,*

(Apud Mai, Veterum Scriptorum Collectio nova ex codice Vaticano).

I. Cum multa sunt quæ facile inducere in errorem prudentes etiam et acutissimos viros potuere, tum maxime ejusdem nominis in pluribus hominibus iteratio. Huic malo, ut remedium aliquod afferretur, fuere qui disquisitiones, dissertationes, diatribas, vel simile aliquid scriberent de cognominibus viris. Quo in genere celebres sunt viri eruditissimi Joannis Alberti Fabricii in bibliotheca præsertim Græca elenchi illi sui, et viri pariter docti Leonis Allatii de Simeonibus de Psellis diatribæ. Atque utinam alias, quas paraverat his similes, vel ad umbilicum ille perduxisset; vel perductas evulgasset? (1693) quod nunc a viro similis doctrinæ, et ejusdem patriæ avide exspectamus (1694). Mihi Attonum diversorum capitularia vulganti constitutum est et si laudem illorum non possum, consilium tamen imitari et de Attonibus pluribus, ut lux aliqua edendis monumentis accedat, diatribam scribere.

II. Et primo quidem de nomine ipso dicendum est, quod varie multum afferri solet. Nam « Hatto, Haddo, Hetto, Hayto, Haydo, Haitho, Otto » idem nomen est, ut adnotavit quem modo laudavi Joannes Albertus Fabricius (1694[1]), et alibi (1694[2]) quoque adjunxit pronuntiationes ejusdem nominis alias «Ahytho, Haito, Heito, Haido, Hatto, itemque (1694[3]) Adto, Atto.» Papebrochius (1694[4]), de sancto Attone Vallisumbrosæ olim abbate loquens, admonet antiquioribus scriptoribus dici « Attus, Actus, Actius; ex sui temporis, ait, Latino usu; aliis vero ex vulgaris linguæ Italicæ forma Atto, Sive Attho.» Vellem dixisset vulgatis linguæ formam id tulisse potius, ut Azzo diceretur: quod celebre sit Italis hoc nomen; ut vel in una Estensi familia Muratorius (1694[5]) novem sic nuncupatos principes numeraverit, quorum non nemo dictus etiam Azzolinus. Et fortasse non aliud nomen est Azzo, quod legitur in veteri charia apud Edmundum Martenium (1695). Esse vero idem nomen Attus, seu Atto, et Azzo, vel etiam Actis, Actius etc., monuit quem modo laudavi Muratorius ad chartam Azzonis episcopi Pisani anni 1017 (1696), qui (1697) de marchione Alberto Estensi ait : « Chiamato ancora con altro nome, o sopranome Azzo, Ato, Atto, Azo, Atho, Aczo, Acto; » et postea (1698) de bisavo comitissæ Mathildis Adalberto seu Alberto : « Era anco detto con secundo nome Attone, che è lo stesso che Azzone, e Azzo « quanquam (1699) contra Leibinitium negat idem nomen fuisse Adelbertum et Azzonem (1700). Nihilominus celeberrini auctores annalium Camaldulensium admonet (1701) sequioribus ætatibus promiscua fuisse nomina Azonis et Arnaldi, ut Cononis et Conradi. Illud autem est verissimum, quod Papebrochius addebat, ex idiomatum diversitate atque ex unius idiomatis alia apud aliam gentem pronuntiatione multiplex hoc nomen esse factum, idemque in aliis nominibus contigisse. Nam, e. g., commutationem litterrarum *tt* et *dd*, quam potest hic animadvertere, in aliis etiam nominibus videbis, atque observavit alibi (1902) Muratorius. Addas ex Mabillonio (703) varietatem aliam Heido, et ex Francisco Zacharia in catalogo abbatum Vallisumbrosæ Acto (1784). Nescio vero an idem ac Hatto sit Hatta nomen monachi Blandiniensis apud Gandavum, et abbatis Nobiliacensis, de quo Mabillonius (1705). Idem est Hetti, de quo infra erit sermo.

III. Utilis est hæc nominis ejusdem in scribendo vel pronuntiando dissimilitudo, ne ad diversos homines distinguendos hoc quasi indicio seu argumento utamur. Exempli causa, auctor Germaniæ sacræ, Marcus Hansizius (1706), ut probet Attonem Pataviensem episcopum alium esse ab Attone Frisingensi. « Nam, inquit, Frisingensis in tabulis Frisingensibus non appellatur Hatto, sed Atto. » Miror etiam virum eruditum, et in mss. codicibus tractandis versatissimum, Lucam Dacherium (1709), postquam de Ahytone (ut ipse vocat) Basileensi dixit : « Qui aliis Halto, Heito, Haido nuncupatur,» scribere paulo post in chronico Sanctigallensi : Hatto, corrupto nomine, appellatur pro Haito vel Heito. Peræque enim illa nomina a veteribus usurpantur. Cæterum facile erit in eodem Attone Frisingensi errare non attendentibus aliter atque aliter hoc nomen efferri in unius Anastasii codice. Nam in Vita Leonis III « et post aliquantos dies, ait, fidelibus missis, qui cum eo venerunt in pontificale obse-

(1693) Leonis Allatii diatribæ tres ineditæ de Nicetis, de Philonibus, et de Theodoris, a me vulgabuntur ex codice mihi extra Vaticanam bibliothecam cognito. A. Maius.

(1694) Intelligit, puto, auctor N. Vernatiam, Græcum linguæ patriæ in bibliotheca Vaticana scriptorem, ad quem multa Allatii scripta pervenerant. A Maius.

(1694[1]) Biblioth. med. latin., V. Hatto.

(1694[2]) Ib., V. Ahytho.

(1694[3]) Ib., V. Adto.

(1694[4]) Ad. d. 22 maii, tom. V, pag. 194, edit. Antuerp.

(1694[5]) Antichità Estensi tom. I, II.

(1695) Tom. I, Thesaur. anecd., pag. 5.

(1696) Antiquit. med. æv., tom. III, col. 1073.

(1697) AA. Estens. sub. init.

(1698) Cap. 21, pag. 197.

(1699) Dissert. XII, tom. 3, col. 728.

(1700) V. eumdem annal., ad A. 365.

(1701) Ad A. 109.

(1702) Antiq. med. æv., tom. 3, col. 1073.

(1703) Ib., dissert. 33, V. *addizzare*.

(1704) Anecd. med. æv., pag. 176.

(1705) AA. Bened. ad A. 672, num. 20, et Act. SS. sæc. II. part. 2. pag. 985, et sæc. III, par. I, pag. 472.

(1706) Tom. I, pag. 153.

(1707) In præf. tom. VI, Spic.

quium, videlicet Haldivaldo et Arno, revefendissimis archiepiscopis, et Cuniberto Bernhardo, Hattone et Jesse reverendiss., et sanctissimis episcopis, »tc. Ita prima Anastasii editio Velseriana, necnon Fabrotiana (1708), Blanchiniana (1709), Muratorii (1710). At in editione Vignolii (1711) Caniperto, Bernardo, Ottone, et Jesse ; aliosque mss. codd. allegat, ubi Otto et Jesse. Magis etiam in eodem erratum a Cl. Cointio, qui Attonem hunc esse Pataviensem episcopum censuit, qui, eo anno 799, nondum erat episcopus ; est vero Atto Frisingensis, ut recte Pagius statuit (1712), et Hansizius. etc. (1713), Non erit ergo sine ullo fructu Attones saltem celebriores recensere.

IV. Prætereo martyres duos, Attonem diaconum, de quo Bollandiani in Actis sanctorum (1714),et Attonem martyrem Alexandrinum, de quo pariter iidem Bollandiani (1715). Primum in his occurere videtur hoc nomen sæculo circiter IV.Sed acta eorum incerta sunt.Profecto multo frequentius factum est, consequentibus sæculis,in sæcularibus viris vel ecclesiasticis. Ex prioribus illis celebris maxime est Atto ille, Attici ducis filius, qui monasterium condidit Attonis,ab eo dictum,de quo Mabillonius(1715). Attonem,vicecomitem Odonis ducis Tolosani narrat idem Mabillonius (1717). Hoc recentior, alius Atto vicecomes in veteri charta apud Martenium (1718); item altus Atto apud eumdem (1719),Bernardi vicecomitis Biterrensis pater. Atto comes, qui bellavit apud Tarentum cum Saracenis anno 991,nominatur in chronico Cavensi. Sed nihil hi ad propositum nostrum faciunt,et Attones,viri laici nobiles tam multi sunt,ut in uno monumento plures quandoque occurrant.Itaque de ecclesiasticis duntaxat viris agemus: quod ut facilius fieri possit, elenchum eorum,quos celebriores invenimus,hic attexemus,quem quidem a sæculo VIII ordimur. Nam ante Gothorum,et Longobardonum tempora difficile est reperire qui ita nominarentur.Itaque barbaræ originis videri posset nomen Atto, præsertim cum prima syllaba in pluribus eorum gentium nominibus aliis reperiatur : *tti* vero barbarorum lingua *habitationem* designare aiunt ; sed ludere in voculis non placet.

V. Anno 740,Atto abbas sancti Vincentii ad Vulturnum successor Talonis ex Mabillonio (1720). Hunc a Stephano II missum legatum ad Aistulphum constat ex iisdem Annalibus Mabillonii, aliisque.

754. Hatto, Strasburgensis episcopus,nominatur in epistola Zachariæ PP. in Vita sancti Bonifacii apud Mabillonium (1721) ; ab aliis vocatur Heddo.

760. Ante annum 761, quo Rodulphus,Vercellensis episcopus,concilio Romano interfuit sub Paulo I, ponitur ab Ughello (1722) Atto I, Vercellensis episcopus ex Cortinello : de quo tamen uulla exstare monumenta testatur celeber editor operum Attonis Vercellentis. (Fictitium existimo hunc Attonem. MAI.

769. Atto, abbas Bauzani, cui Tassilo Bajoariæ dux cum Roma rediret, magnum terræ tractum concessit «in ædificationem monasterii atque ipsius servitium, » ut Tassilo ipse loquitur in diplomate suo apud Mabilonium (1723) ; qui an idem sit cum episcopo Frisigensi sollicite disquirit (1724).

772. Atto abbas concilio apud Dingalvingam interfuit ex monumentis veteribus, a Velsero collectis (1725).

784. Atto, episcopus Ratisponensis, ex annalibus Ratisponensibus (1726).

787. Atto diaconus. Adrianus PP. memoeat,inter missos Caroli Beneventum, » Attonem, religiosum diaconum » qui,fugiens intus in ecclesiam Salerni, præstimore ejusdem ecclesiæ altare tenuit (1727).

799. Atto,episcopus unus ex missis Caroli magni, qui quæstionem habuerunt de aggressoribus Leonis III (1728).Fuit hic Frisigensis episcopus,de quo Hansizius (1729) ; sed omnium uberrime in historia Frisigensi (1730). Carolus Meichelbeck, eique successit Hitto. In carmine de episcopis Frisigensibus. apud Mabillonium (1731) Hatto hic quintus episcoporum Frisigensium recensetur.

810. Hatto monachus, de quo in indice abbatum Fuldensium (1732) « Ratgarius...Harbanum et Hattonem Turonis direxit ad Albinum magistrum,gratia liberales discendi artes. »

811. Atto, episcopus Basileensis, legatione functus jussu Caroli magni ad Nicephorum imperatorem (1733).Fuit episcopus Basileæ, et abbas Angiæ. De eo nos postea.

Hatto,episcopus Augustensis,memoratur fn chronico Saxonico (1734).

817. Aatto, Pataviensis episcopus, hoc anno moritur (1735).Episcoporum acceperat anno 806.(1736)

818.Atto,episcopus Cremonensis,hoc anno suffectus dicitur Valfredo (1757). Idem,anno 842,nominatur in placito apud Muratorium (1738).

821. Hetto, Trevirensis (1749) interfuit concilio apud Theodonis villam : memoratur etiam in fragmento de episcopis Trevirensibus (1748),ubi vocatur Hetti. Exstant ejus epistolæ ad Frotarium Tullensem episcopum (1741).

830.Ato,episcopus Santonensis,in diplomate apud Mabillonium, (1742) ubi illum Ludovicus Pius « parentem suum » vocat.

833. Atto. Nannetensis episcopus, in diplomate apud eumdem Mabillonium (1743) subscripsit conventui Wormatiensi, anno 833 (1744).

(1708) Pag. 125.
(1709) Tom. I, pag. 281.
(1710) Tom. III, part. I, pag. 190.
(1711) Num. 20. tom. II, pag. 251.
(1712) Ad. A. 799, num. 5.
(1713) Tom. I, Germ. sacr., pag. 152.
(1714) Ad. d. 27 Aprilis, tom. III, pag. 488.
(1715) Ad d. 10 Jul. tom. III, pag. 33.
(1716) AA. Bened., ad A. 667, num. 61.
(1717) Ib., ad. A. 840, num. 26.
(1718) Tom. 1, Thesaur. anecd., pag. 149.
(1719) Ib., pag. 335.
(1720) In AA. Bened., ad A. 740, num. 52.
(1721) Sæc. IV, part. 2. pag. 63.
(1722) In Epp. Vercellens., tom. IV, Ital. sacr., num. 25.
(1723) In Annal., ad A. 769, num. 1.
(1724) Ib., ad A 723, II, 41.
(1725) Ap. Baronium, ad A. 722.
(1726) Ap. Mabillon., tom. IV. Anecd.
(1727) Ex epist. C. Caroli 90 et 91. col. 92. et 83.
(1728) Ex Anastas. ap. Baron. ad h, A., numer. 8.
(1729) In episc.
(1730) Part. 1, Lalisb. in Arnon., pag. 84.
(1731) Tom. IV., Analect., pag. 526.
(1732) Ap. Baronium.
(1733) A A. Pithœani, et Baronius, ad A. 812, num. 12, 14.
(1734) V. Mabillon.
(1735) Hansizius, Germ. sacr, tom. II, pag. 122.
(1736) Id., tom. 1, pag. 152.
(1737) Ap. Zachar., de epp. Cremonens.,pag. 62.
(1738) Dissert. 31, tom. II Antiquit. med. æv. ; pag. 97 .
(1739) Collect. Hard.. tom. IV, col. 1237.
(1740) Mabill., sæc. III, Ben. part 2, pag. 613.
(1741) Tom. VII, CC. Isabbe, col. 1865.
(1742) Sæc. IV. Ben. part. I. p. 431.
(1743) Ib., pag. 578.
(1744) Tom. IV., coll. Hard., col. 1373.

840. Ante hunc annum, quo floruisse ponitur, sanctus Adelgisius, Novariensem Ecclesiam rexit Atto (1745).

856. Atto Fuldensis, abbas Bonosus dictus, hoc anno decessit (1746). Exstat ad eum Lupi Ferrariensis epistola LXXXVI.

859. Atto Virdunensis interfuit concilio Tullensi (1747), et, sequenti anno, capitula pacis inter reges Francorum excussit ; quæ Atto laicus confirmavit (1748). Anno 862, legatus Romam mittitur (1749). Hic est de quo mota quæstio« quod oblatione regulari in monasterio sancti Germani Antisiodorensium exstiterit, et, contra regulas ecclesiasticas inde discedens, ad ordinem episcopalem pervenerit » ut narrat synodus Tullensis ad Saponarias hoc anno congregata. Ab anno 859 ad 870 sedit ; ejus epitaphium protulit Mabillonius (1750) qui de eo fusse in annalibus (1751). Inventio corporis,et translatio narratur in Vita B. Richardi abbatis (1752).

876. Atto, Eporediensis episcopus (1763).

877. Azzio Regiensis subscripsit concilio Ravennatensi sic : « Azzio Regiensis episcopus subscripsi (1754). » Quare corrigendus Ughellus, qui Azium (ut vocat) Regii Lepidi episcopum Aaroni decessori suffectum dicit anne 890. In diplomate Berengarii regis apud eumdem Ughellum, anno 898 vocatur « Azzo, venerabilis, sanctæ Regien. Ecclesiæ præsul, » nominatur ab Adelardo, qui diu post ei successit, in placito apud Muratorium (1755), anno 944.

890. Sunzoni archiepiscopo Moguntino suffectus Hatto Augiensis abbas, cujus ingenium describit Mabillonius (1756), et mortem (1757) de eodem ex Regione Baronius (1758) Triburiensi concilio subscriptus invenitur (1759) et archiepiscopatus Magdeburgensis in concilio Ravennatensi institutioni (1760) Habetur etiam ejusdem, et suffraraneorum epistola ad Joannem IX (1761).

903. Azo, diaconus sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, et abbas præpositus sancti Vitalis (1762).

912. Ahyto, archiepiscopus Mediolanensis, in veteri charta apud Muratorium (1763).

927. Cluniacensis monasterii fundationi a Willelmo comite factæ subscriptus invenitur « Atto peccator, episcopus » quin sedes exprimatur (1764).

933. Azzo, episcopus Cumanus seu Comènsis, apud quem Ratherius exsul detentus, narrante Mabillonio (1765).

935. Atto Vercellensis nominatur in placito apud Muratorium hoc anno (1766), et in placito alio anni 912 (1767). Item in alio anni 948 (1768). De eo Ughellus (1766). Vide Burontium, editorem ejus operum, anno 1768.

945. Azzo, S. R. E. scriniarius, in diplomate apud Mabillonium (1770).

964. Atto, Ausonensis episcopus, de quo Mabillonius (1771).

967. Atto, Senogalliensis episcopus, interfuit concilio Romano (1772).

Azzo, abbas montis Aventini Romæ (1773).

968. Atto abbas Fuldensis, ab Ottone Romam anno 962 præmissus (1774) ejus diplomati pro Ecclesia Romana subscripsit (1775); postea archiepiscopus Moguntinus subscribit concilio Ravennatensi, et loca quædam ditionis suæ Magdeburgensi subjicit : « Ego Hatto sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ archiepiscopus manu propria confirmavi, et subscripsi (1776).» Fuerat abbas Fuldensis factus anno 956, (1777) et anno 968, archiepiscopus Mogontinus ; altero anno extinctus « parum secunda fama, ait Mabillonius (1778), ex commentis recentiorum, qui ejus clarissimo nomini perperam illuserunt. »

970. Atto, Tudertinus episcopus, apud Ughellum (1779), qui hoc anno Ottonis imperatoris legato constantissime restitit, ne corpus sancti Fortunati episcopi deportaret in Gallias.

972. Atto, abbas sancti Basoli (1780), subscribit decreto Adalberonis archiepiscopi Rhemensis.

Atto, reclusus, cujus mentio in Vita sancti Udalrici, cui moriens vestium partem donavit (1781).

976. Atto, episcopus Brixiensis (1782).

989. Atto, abbas cœnobii Ticinensis in Cœlo aureo, cujus mentio in placito apud Muratorium (1783).

996. Azzo, episcopus Ostiensis S. R. E. card. nominatur inter eos qui subscripsere Gregorii V. diplomati, dato Romæ VI Kal. Jun. pontif. A. I., monachis cœnobii Amiatini contra Arialdum, seu Esvaldum episcopum Clusinum.

Atto, episcopus Senogalliensis, ex veteri charta apud Muratorium (1784).

1000. Azolinus, Laudunensis episcopus, ad quem exstat epistola Silvestri II (1785) : aliis autem Ascelinus.

1010. Atto, abbas sancti Victoris de Clusis O. Camaldulensis in veteri charta (1786).

1012. Azo, coepiscopus Arretinus (1787).

1014. Atto, primus Bobiensis episcopus (1788).

(1745) Ughell. in epp. novar., num. 31.
(1746) Mabillon. ad h. A., num. 5.
(1747) Collect. Hard., tom. V., col. 490.
(1748) Baron. ad A. 860, num. 14.
(1749) Id., ib., num. 23.
(1750) Analect., tom. II.
(1751) Ad h. A.. num. 567.
(1752) Sæc. IV, Ben., pag. 522, 541.
(1753) Collect. Hard., tom. VI, col. 159.
(1754) Id., ib., tom. IV, cal. 192.
(1755) AA. med. æv., diss. 62, col. 203, tom. V.
(1756) AA. Bened., ad. A. 890, num. 57.
(1757) Ib., ad A. 912, num, 71.
(1758) Ad. A. 891, num. 8.
(1759) Collect. Hard., tom. V, col, 436.
(1760) Ib., col. 654.
(1761) Ib.. col. 481.
(1762) In diplom. apud Murator., tom. III, col. 143.
(1763) Dissert. 72., AA. med. æv., tom. VI, pag. 193.
(1764) Ap. Mabillon. sæc. v., Bened., pag. 80.
(1765) AA. ad h. A., num. 40.
(1766) Diss. 31, tom. II Antiquit. med. æv., pag. 5.
(1767) Ib., pag. 942.
(1768) Diss. 56, tom. V, pag. 559.
(1769) In. epp. Vercellens., dum. 44.
(1770) AA. Bened., ad h. A., num. 56.
(1771) Ib., ad h. A., num. 86.
(1772) Mansius, tom.1, supplem., col. 1155.
(1773) Cl. P. Gallett. Gab., pag. 49.
(1774) Baronius, ad A. 961, num. 1.
(1975) Collect. Hard., tom. VI, part. I, col. 626.
(1776) Mansius, tom. I, supplem., col. 1157.
(1777) Mabillon, ad h. A., num. 97.
(1778) Ad A. 968.
(1779) In epp. Tudert., num. 19.
(1780) Collect. Hard., tom. VI, cod. 690.
(1781) Mabillon., in AA. Bened., ad h. A., num. 81.
(1782) Ughellus ex Fayno.
(1783) AA. med. æv., tom. VI, pag. 349.
(1784) In AA. Estens.
(1785) Collect. Hard., tom. VI, col. 759.
(1786) Apud. annal. Camald., pag. 196, V. ibid. pag. 225.
(1787) Vid. annal, Camal., ad h. A., p. 344.
(1788) Ughellus. tom. IV.

cujus mentio habetur in privilegio Conradi imperatoris Bobiensi Ecclesiæ.

1015. Azzo, Civitatisnovæ episcopus synodo Aquileiensi interfuit (1789).

1017. Azzo, episcopus Pisanus ex charta apud Muratorium (1790), memoratur etiam in diplomate, anno 1188, Clementis III (1791).

1026. Acto II, abbas sancti Victoris de Clusis (1792).

1028. Atho seu Azo, monachus Vallisumbrosæ, sanctitate insignis (1793).

1032. Azo, monachus alter, de quo Petrus Damianus (1794).

1037. Acto, episcopus Florentinus, cujus exstant apud Ughellum (1795) diplomata plura vel pro canonicis suis, qui communiter vivebant, vel pro monasterio sancti Miniati ; hoc anno subscribit concilio Romano (1796).

Atto, episcopus Centumcellensis, interfuit eidem concilio Romano (1797).

1039. Azzo, abbas Farfensis (1798).

1049. Actius, episcopus Firmanus, cujus permutationem bonorum hoc anno factam cum Adelberto Arduino refert Ughellus. Hic videtur esse Azzo, cujus mentio in veteri charta apud auctores Annalium Camaldulensium (1799).

1050. Atto, episcopus Camerinensis

Atto, episcopus Marsicanus.

Atto, episcopus Fulinensis [*al.* Fulginensis] una cum Attone Centumcellensi subscribunt concilio Romano Sub Leone IX (1800).

1056. Actus vel Acto, ad quem scribit Nicolaus II (1801) : » Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri Actoni, sanctæ Alternensi Ecclesiæ episcopo. » Exstat hujus narratio « de Passione imaginis Christi Domini, facta in civitate Alternensi anno 1062.» Eam Ughellus edidit (1802). De hoc episcopo clerus quoque Mazzucchellus.

1058. Azo, episcopus Arretinus, ecclesiam Camaldulensium consecravit (1803).

1059. Conventui Mediolanensi subscribunt Atto presbyter ; Atto diaconus ; Atto subdiaconus (1804). Concilio Romano sub Nicolao II subscribunt Atto, episcopus Novariensis ; Atto, episcopus Fulinensis (1805). Invenitur etiam nomen Attonis episcopi Reatinus. Verum cum ibidem subscriptus inveniatur « Girardus, episcopus Reatinus » dubius est Atto iste Ughello (1806). Dubitationem etiam majorem injicit antiquus Vaticanus codex, ubi, qui huic synodo interfuit, appellatur. Secundus episcopus Reatinus ; cujus Secundi mentio exstat in donatione quadam Ecclesiæ Reatinæ facta. Atto, episcopus Reatinus, cum Attone Novariensi subscripus invenitur concilio Romano sub Gregorio VII, anno 1081. Suspicor ergo concilia ista duo Romana confusa, et subscriptiones ab uno ad aliud translatas.

1061. Atto, Bergomensis episcopus, hoc anno electus archiepiscopus Mediolanensis (1807).

1063. Azo, presbyter et monachus atque abbas monasterii sanctæ Reparatæ Canaldulensis O (1808).

1067. Atto sive Panzo, Adriensis episcopus, Mediolanensis, cui cathedrale templum absolvit, e vivis exemplus anno 1078 (1809).

1870. Atto diaconus interfuit synodo Volaterranæ (1810).

1071. Atto, archiepiscopus Mediolanensis qui in summa ejus Ecclesiæ perturbatione, cum Guidone archiepiscopo mortuo ab Henrico imperatore intrusus esset, Gothofredus studio Erlambandi Ecclesiæ defensoris canonice electus est, ejusque electio a Romano Pontifice probata. Quia tamen nunquam episcopalem ordinationem accepit, locum non invenit in catalogo archiepiscoporum Mediolanensium apud Papebrochium (1811).

1075. Atto, episcopus Lucerinus, interfuit concilio Beneventano, eique subscripsit : « Ego Azzo Lucerinus episcopus (1812). »

(1078. Atto, cardinalis Mediolanensis apud Martenium (1813).

1079. Azo monachus, in monumentis celebris Patris, abbatis Galletti (1814).

1081. Atto, cardinalis ab Alexandro II creatus, de quo Ciaconius (1815. (Hic est cujus ego nuc capitulare seu canonum breviarium in lucem extuli. Mai.)

Atto episcopus Novariensis, et Atto episcopus Reatinus concilio Romano interfuerunt (1816).

1088. Azo, abbas sanctæ Floræ de Arretio (1817).

1090. Azo, archipresbyter Florentinus (1818).

1092. Azzo, ex subdiacono S. R. E. diaconus, cardinalis sub Urbano II (1819).

1102. Atto de monte Burranzonis, testis donationis a Mathilda factæ E. R. (1820).

1103. Azzo Aquensis (1821) interfuit concilio Romano (1824). Invenitur etiam in placito anni 1115 apud Muratorium (1823).

1115. Atto Arelatensis epistolam scripsit hoc anno, quam refert Martenius (1824).

1 16. Azo, archiepiscopus Turitanus (1825).

1117. Beatus Azo, monachus Camaldunensis (1826).

1119. Atto, archipresbyter sanctæ Mariæ in via Lata subscribit electioni Calixti II : « Ego Atto archi-

(1789) Mansius, supplem. tom. I, col. 1252.

(1790) AA. med. æv., tom. III, col. 1073.

(1791) Vid. AA. Camald., ad. A. 1002, num. 1, et in app., tom. I, n. 97,

(1792) Ex vet. charta, in app., AA. Camald., tom. I, pag. 277.

(1793) Tom. II, AA. Camald., ad h. A.

(1794) Vit. sancti Romual., cap. 72.

(1795) In epp. Florentinis, num. 23.

(1796) Collect. Hard., tom. VI, col. 216.

(1797) Ib.

(1798) Gallett. Gab., pag. 141.

(1799) App., tom. IV, num. 84,

(1800) Mans., supplem. tom. I. col. 1293, et Mabillon. sæc. v, Bened. p. 895.

(1801) Ap. Ughell. in ep. Teatin., num. 13.

(1802) Ughel., loc. cit.

(1803) Breve record., in app. tom. II, AA. Camaldul., num. 89, V. AA. ad h. A.

(1804) Mans. supplem., tom. I, col. 1328.

(1505) Collect. Hard., tom. VI, col. 1067.

(1806) In epp. Reat., num. 16.

(1807) Ughellus, t. IV, in epp. Bergomens.

(1808) Ita subscribit diplomati. App., tom. III, AA. Camald., num. 105.

(1809) Ughellus, in epp. Adriens.

(1810) Mans. supplem., tom. I, col. 1374.

(1811) In exegesi du epp. Mediolanees., tom. VII, actor. Mai.

(1812) Collect. Hard., tom. VI, col. 1554.

(18 3) Tom. IV Thes. annecd., col. 103.

(1814) Vesterar., pag. 20, et Gab., pag. 24, A. 1077.

(1815) Tom. I, col. 841.

(1816) Ap. Marten., loc. cit.

(1817) In vet. charta, tom. III, AA. Camaldl., pag. 44.

(1818) In vot. charta, ib., num. 68, pag. 99.

(1819) Ciaccon.

(1820) Baronius, ad h. A., num. 21.

(1821) Collect Hard., tom. VI, part. II, col. 1872.

(1822) Ex Landulpho in chron.

(1823) Tom. V, AA. diss. LXX, col, 1027.

(1824) Ampliss. collect., tom. I. col. 634.

(1825) In vet. diplomate ap. AA. Camald., ad h. A., num. 21.

(1826) Brocchi descriz. del Mugel., pag. 67, et AA. Camald., ad h. A.

presbyter in via Lata sanctæ Mariæ cum omnibus clericis ejusdem ecclesiæ laudo et confirmo (1827).»

1119. Atto Vivariensis interfuit concilio Rhemensi (1828).

1120. Atto, Arelatensis episcopus, interfuit concilio Tolosano (1829), ex quo Callixtus II, epistolam dedit Pontio Anianensi abbati adversus illum et monachos Casæ Dei. Subscribit concilio Viennensi anni 1124 (1830) : « Ego Atho, Arelatensis archiepiscopus, laudo et subscribo. » Ejusdem epistolam ad G. Ademarium profert Martenius (1831).

1120. Atto, archidiaconus Placentinus, eligitur archiepiscopus Pisanus, decessitque anno 1122 (1832).

1123. Azolinus Augustensis subscribit concilio in quo Henricus imperator investituras restituit (1833).

1125. Atto, episcopus Phistoriensis, antea abbas Vallisumbrosæ, celebris est scriptor Vitæ sancti Joannis Gualberti, quam Mabilonius edidit (1834). et Bollandiani (1835). Celebrior etiam vitæ sanctitate : quare fuse de eo in Actis sanctorum Papebrochius (1836). In serie abbatum Vallisumbrosæ apud Zachariam (1837) octavus recensetur. Ughellus episcopum Pistoriensem vigesimum facit (1838), et Innocentii II ad eum diploma refert.

1128. Azzo, Camaldulensis abbas sanctorum Justi et Clementis Volaterrarum (1839).

1129. Atto Trecensis (1840) interfuit concilio Parisiensi. Memoratur in bulla Innocentii II, anno 1142 (1841).

1120. Actus, seu Azzo, Placentinus præpositus Ecclesiæ collegialis sancti Antonini Placentiæ, renuntiatus ab Innocentio II cardinalis sanctæ Anastasiæ (1842) mense Decembri, anno 1130 vel 1133. Reperitur subscriptus in diplomate anni 1137 Innocentii II (1843).

1135. Azzo presbyter, cardinalis sanctæ Anastasiæ sub Innocentio II (1844).

1139. Azo, Tyrensis archiepiscopus (1845).

Azo, prior Camaldulensis (1846).

1143. Actius, seu Atus, aliis sanctus Atto secundus, Florentinus episcopus, cujus exstat (1847) epistola Oprando abbati sancti Salvii in ejus monasterii et monachorum gratiam, quorum expertum se esse charitatem dicit in necessitate sua, qua gravabatur pro expensis, « quas pro ecclesiastico officio recuperando Romam sæpe eundo et redeundo fecerat.» Ex quo colligunt censuris ipsum fuisse irretitum, quibus ut se exueret, Romam petere coactus est.

1149. Azo Camaldulensis, abbas sanctæ Mariæ, Florentiæ (1848).

1174. Atto, abbas sancti Salvatoris de Sexto, nominatur in sententia Pisanorum judicum in controversia inter ipsum et Ubaldum archiepiscopum Pisanum (1849).

1174. Atto, archipresbyter sancti Flaviani, episcopus Aprutinæ Ecclesiæ seu Terani, qui sancti Bernardi corpus in decentiorem locum transtulit (1850).

1193. Atto, ejusdem Ecclesiæ episcopus, post Guidonem successorem Attoni, cujus mentio in privilegio Henrici VI imperatoris Asculanæ Ecclesiæ concesso. Memoratur quoque in donatione ejusdem Henrici Berardo, archidiacono Asculano, mox Messanensi archiepiscopo (1851).

1197. Atto, episcopus Camerinensis (1852).

Ultra hoc sæculum XII non progredimur; quod nimirum ultra non assurgant hoc nomine ecclesiastici viri, quos scripsisse capitularia comperimus, et quorum causa duntaxat alios recensere aggressi sumus. Cæterum ita usitatum præsertim sæculo XII cœpit esse hoc nomen, ut in cognomen familiæ nobilis Pisanæ transierit, cujus capita dicebantur de domo Azzonis, de quibus exstant vetera monumenta (1853). Nunc ergo de Attonibus dicemus, qui ad propositum nostrum maxime conducunt et fuerunt capitularium auctores.

VI. Incipimus ab Haytone Basileensi; cujus plura opera feruntur; sed maxime capitulare quod Lucas Dacherius « nobilissimum ejus fetum » vocat (1854), ediditque primus. Cum enim indicium operis hujus ei fecisset Emericus Bigotius, Roma reversus Parisios, Dacherius a Joanne Bona (postea S. R. E. cardinale tunc Fuliensium abbate generali) postulavit impetravitque descriptum ex codice Barberino. Addidit (1855), cum illud ederet Dacherius, exstare etiam in codicibus Vaticanis 1146, 1147, 1148. Exstat et in codice nostro Holsteniano eodem titulo, quem repræsentavit Dacherius. Hinc translatum est in collectionibus conciliorum Labbeana (1856), Harduini (1857) etc. Labbeus testatur ultra anni 822 differri hoc posse. Ad annum 816 retulit illud Mabillonius (1858), speciminis etiam loco recitans capitula nonnulla. Obiit enim anno 836. At ex Hermanno Cantracto, Augiæ monacho, idem (1859) et ante annos tredecim ad Augiæ monasterium redierat. Erlebaldo discipulo antea suo monasterii cura commissa, anno scilicet 822, aut 823. Bene ergo illud a Labbeo constitutum est : nam quo præcise anno dederit, pro certo constitui non potest. Fuisse jam episcopum. anno 811, cum missus est in Orientem constare videtur : nam episcopus nominatur. Hinc auctores incerti a Pithœo editi (1860) : » 811. Imperator legatos suos Constantinopolim misit Haydonem Basileensem episcopum, et Bug. comitem Turonicum, et Aio Longobordum de Aquileia ad confirmandum cum Nicephoro pacem. » De hac legatione laudatur Mabillonius (1861) ostendens prosperum ejus exitum, contra quam scripserat Sangallensis monachus, qui tamen Hattonem vocat, præcellentissimum mente et corpore virum. Hæc est legatio cujus Hatto Hodæporicum scripsit; qui non-

(1827) Mans. supplem., tom. II, col. 347.
(1828) In collect. Hard., tom. VI, part. II, sub init., col. 1980.
(1829) Mans., supplem., tom. II, col. 342.
(1830) Marten. Thesaur., tom. IV, col. 130.
(1831) Ampliss. collect., tom. I, col. 634.
(1832) Ex chronico apud Murator., tom. VI scriptor., col. 110.
(1833) Collect. Hard., tom. VI, part. II, pag. 1115.
(1834) Sæc. VI, part. II, pag. 266.
(1835) Ad d. 12 Jul., tom. III, pag. 365.
(1836) Ad d. 22 Maii, tom. V, p. 194.
(1837) Anecd. med. æv.. pag. 176.
(1838) Ughellus in epp. Pistoriens., t. III, p. 294.
(1839) In vet. charta, app., tom. III, AA. Camald., num. 258.
(1840) Collect. Hard., tom. VI, part. II, pag. 1148.
(1841) Marten., tom. III, Thes., col. 1229.
(1842) Ciaccon.
(1843) Append. AA. Camald., num. 236.
(1844) Ciaccon.
(1845) In diplomat., tom. III, AA. Camald., App., num. 247.
(1846) Ibid.
(1847) Ap. Ughellum, in epp. Florentinis, num. 29.
(1848) AA. Camald., ad h. A., num. 42.
(1849) Excerpt. arch. Pisan., ap. Murat., tom. III, AA. col, 1173.
(1850) Ughellus in epp. Aprutinis.
(1851) Apud Ughellum.
(1852) Ughellus in epp. Camerinens. V. AA. Camald. ad A. 1059, tom. II, pag. 215, et ad h. A. tom. IV, pag. 16.
(1853) V. AA. Camald. ad A. 186.
(1854) In præfat. tom. VI. Spicil.
(1855) Præfat.
(1856) Tom. VII, col. 1522.
(1857) Tom. IV, col. 1241.
(1858) Ad h. A. num. 42.
(1859) Ad h. A. num. 55.
(1860) Inter scriptor. XII.
(1861) Ad A. 811. num. 87.

dum lucem vidit : de quo alioque opere anonymus Mellicensis a Pezio editus (1862). « Hetto, venerabilis Augiensis cœnobii presbyter temporibus Ludovici, mirabilem visionem cujusdam Augiensis monachi, nomine Wettini, quam eductus e corpore vidit, qui et reductus post triduum obiit, prosa describit, idem, postmodum Basileæ episcopus factus, cum Bugone et Aione comitibus Constantinopolim missus, suum describit hodœporicum. » De hoc pariter opere Hermannus ad annum 824: « Augiæ Wettinus monachus e corpore ductus et reductus post triduum obiit, cujus visiones Heito episcopus prosa, et Walachfridus heroico metro scripsit. » Wettini visum ab Hettone nostro descriptum editum est cum visionibus sancti Methildis, Hildegardis, etc., Parisiis, 1513, typis Henrici Stephani, et cum Walafridi Strabonis ejusdem descriptione hexametro versu a Mabillonio (1863) cum Balutii epistola. Sed maxime legendum ejusdem Mabillonii de ea et similibus rebus judicium in auctoribus (1864). Obiit Hetto Basilcensis, anno 836, quemadmodum laudatus Mabillo statuit (1865), et Pagius (1865) ex auctoribus Wingartensibus, Augiensibus et sancti Galli. Floruit Hetto magna apud Carolum magnum gratia: quare inter episcopos, quos Caroli testamento subscripsisse legimus, invenitur Hetto, episcopus Basileensis, idemque Augiensis abbas. Hanc gratiam virtutibus sibi suis collegit. Quinquennis venerat ad cœnobium Insulanense, seu Augiense (utroque enim nomine vocatur); in quo ex Walafrido (1867) sub abbatibus præsertim Joanne, Petro, et Waldone, velut aurea stella, fulgebat. Cum ejus fama ad Caroli aures pervenisset, ab eo in palatium vocatus est, et invitus ad Basileensem episcopatum promotus : eo postea relicto, ad monasterium suum rediit, ut diximus. Laudatur in Vita sancti Menginradi eremitæ (1686). « Fuit autem tunc temporis in ipsa insula abbas, nomine Hatto, vir valde in doctrina, et operibus bonis morumque nobilitate fulgens, qui et Basileensis Ecclesiæ præsul exstitit, quo actuosæ vitæ negotia respuente, atque ad contemplativæ vitæ pulchritudinem se transferente, » etc. Veterum de eo scriptorum loca retulit Dacherius (1869), et crebra ejus mentio in Benedictinorum auctoribus. Addo nihil aliud videri, quam hujus capitulare quod in catalogo miss. Augiæ divitis apud Legipontium (1870) inscribitur Hattonis nomine « ordinationes pro presbyteris suæ diœceseos. »

VII. Alterius Attonis capitulare codice Holsteniano nostro continetur, nimirum Vercellensis (1871), quod capitula habet centum hoc titulo : « Incipiunt capitula canonum excerptorum de diversis conciliis, decretalibus, statutis atque epistolis congruentium ad forense judicium, collecta tempore domini Attonis episcopi. » Edidit hæc capitula Dacherius (1872) titulo alio, nimirum : « Attonis II Vercellensis episcopi, capitulare; » quæ ex Vaticano codice sibi misit Joannes Bona, ut in præfatione narrat Dacherius scripta anno 1664. Cum vero male mulcatus vitio temporis fuisset Vaticanus codex, obtinere non potuit exemplum codicis Vercellensis, ut emendaret. Sed Vercellensem expressit nuper clarus vir Carolus Burontius del Signore editis Attonis operibus et capitulari hoc eodem illo Dacheriano titulo, anno 1768. Capitula uti sunt in codice nostro, ita etiam in memorata editione (1873, et apud Dacherium. Sed mirum est priora capitula duo « 1. Admonitio pontificis ad presbyteros, qualiter erga subditos agant. Obsecro vos, fratres dilectissimi, ut erga subjectarum plebium profectum et emendationem vigilantissima cura laboretis, etc. 2. Retractio ejusdem, et de ordinis discretione, bonæque vitæ exhortatione. Veraciter nosse debetis, » etc., edita a Baronio (1874) nomine Theodulphi Aureliamensis, cum aliis Theodulphi capitulis, quæ ab Attonis capitulis prorsas discrepant. Ex Baronio eadem vulgavit cum Hincmari epistolis Joannes Busæus (1875), illata deinde in collectiones conciliorum Labbei (876), Harduini (1877), etc. Quod confirmat virorum eruditorum opinionem, quæ ad usum ecclesiarum erant ex diversis scriptoribus selecta, omniaque unius insignioris auctoris nomine data. Cum vero Dacherius ejusdem Attonis opera alia vulgasset, libellum scilicet de Pressuris ecclesiasticis, et epistolas cum frequentioribus lacunis ob codicis Vaticani vitium, eadem integriora Vercellensis editor repræsentavit, et præterea Commentarium, quem Attoni huic tribuit, in omnes Pauli Epistolas. Verum nec, ut ipse narrat, posteriores partes duas tractatus de Pressuris ecclesiasticis integras, quibus ea supplerentur quæ desunt apud Dacherium reperire potuit, nec aliud Attonis opus quod Polypticum et Perpendiculum (1878) appellavit quo noxia redarguere, et honesta sancire decet. Clarus Mazzucchellus (1879) annotat a Piccinello (1880) aliud opus Attoni tribui adversus libidinosos, helluones, et aleatores, sed simul animadvertit simile opus ascribere Rossottum Attoni Avogadro, Vercellensi pariter episcopo.

VIII. Atto II, in Dacherii titulo hic vocatur quod alius præcesserit in eadem Vercellensi Ecclesia episcopus ex Ughello, quod pariter sensit Rossottus (1881); « at unius tantum memoria, scribit Vercellensis editor (1882), apud nos exstat Attonis scriptis factisque celeberrimi; alterius autem cujusvis, qui hinc vel præcesserit annis vel subsecutus sit, nihil in monumentis habemus. » Cæterea Attonis hujus obscura sunt, quemadmodum idem vir eruditus probat : qui tamen suspicatur a Longobardia Vercellas venisse : atque indubitatum esse asseverat ad episcopatum pervenisse anno 924 et (1883) Ragemberto successisse. Itaque a vero aberravit Dacherius Ughellum secutus, et annum episcopalis cathedræ assignans 945. Hoc manifeste refutatur ex placito Papiæ habito ab Hugone rege apud Muratorium (1884), ubi una cum Ratherio, Epoderiensi episcopo interfuit Atto episcopus, anno 935. Ejus virtutes, et quanto calamitosissimis temporibus plebi suæ subsidio fuerit demonstrat del signore, edito diplimate quo ad subveniendum egentibus prædia possessio-

(1862) Ad calc. biblioth.
(1863) Sæc. IV, Bened. part. I, pag. 263.
(1864) Ad A. 824, num. 67.
(1865) Ad h. A., num. 55.
(1866) Ad h. A., num. 14.
(1867) In carm. de vis. Wett.
(1868) Ap. Mabill. sæc. IV, Ben. part. 2, pag. 65.
(1869) In præfat.
(1870) Histor. litter., O. S. Ben. part. I, pag. 576.
(1871) De Attone Vercellensi ejusque operibus Natalis Alex. in S. IX et X, cap. 3, art. 36.
(1872) Tom. VII, spicil. init.
(1873) Tom. II, pag. 207.
(1874) Ad A. 835, num. 5.
(1875) Moguntiæ A. 1602, in 4.
(1876) Tom. VII, col. 1137.
(1877) Tom. IV, col. 913.
(1878) Perpendiculi secundam editionem vulgavit Mansius, primam ergo, ut suo loco dixi, MAI.
(1879) Tom. I, pag. 1221.
(1880) In Athen.
(1881) In syllab. script.
(1882) In præfat.
(1883) De duobus Attonibus Vercellarum episcopis, recte distinguendis, videsis quæ ergo dixi ad illorum scripta, et in præfatione, MAI.
(1884) AA. med. æv., diss. 31.

nesque suas liberalissime cessit : cui diplomati dato anno 945 ipse subscribit sic : « Atto, gratia Dei episcopus a ma facto subscripsi. » Donatus vero ipse quoque est, id est ejus ecclesia, alveis fluminum cum insulis, ripis,etc., a regibus Hugone et Lothario, ex alio diplomate ab eodem auctore recitato. Adhuc in vivis fuisse Attomen anno 948 colligitur ex diplomate apud Muratorium (1885) eo anno dato, cui ipse subscriptus invenitur. Quo anno obierit non constat. Hoc solum scimus anno 964 Ingonem ejus successorem episcopum fuisse. Addo exstare ad Attonem epistolam Ambrosii presbyteri Mediolanensis (qui ex claro Saxio (1886) floruit circa annum 850), editam in spicilegio Dacherii, cum hunc Atto consuluisset de conjugio eorum,qui ob baptismum cognationem spiritualem contraxerant : consuluerat etiam eumdem Atto de canonibus quibusdam Patrum orientalium. Capitularia Attonis utriusque,de quo hactenus dixi, Basileensis et Vercellensis,jampridem in lucem prolata fuerant, et cum minima sint ea, in quibus codex noster ab editis differt,non existimavi facturum operæ pretium si iterum edidissem.

IX. Tertius est Atto,cujus capitulare nondum vulgatum habet Holstanianus codex hoc titulo: « Attonis cardinalis presbyteri capitulare. » Quis hic Atto fuerit non pronum est dicere, cum nihil aliud quam quod hoc titulo habetur eum nobis patefaciat.Quinque sunt hoc nomine (nam ut diximus, Atto, Hatto, Azzo, idem valent) qui recensentur cardinales ab iis, qui eorum res gestas seu nomina colligere (non enim ad cardinales S. R. E., de quibus nunc loquimur pertinet « Azo canonicus et cardinalis » qui, anno 1023, memoratur in monumentis, quæ clarus Pater abbas Gallettus de Gabio Latinorum oppido collegit (1887) , fuere enim, qui canonici ecclesiarum quarumdam cum essent, « canonici cardinales . dicerentur ; quorum septem Ecclesiæ Bisuntinæ indulsit anno 1051 Leo IX (1888), « qui cum dalmatica, mitra, sandalis,chirothecis ad altare illud ordinati missas ibi facerent, quorum unus loci illius decanus annullo etiam ad missarum solemnia uteretur. » Hinc scriptor historiæ fundationis archiepiscopatus Magdeburgensis editus a Meibomio narrat jus hoc attributum ejus Ecclesiæ archiepiscopo « ut inter cardinales episcopos Romanæ sedis consortium haberet ; præterea duodecim presbyteros,septem diaconos, sexdecim subdiaconos cardinales ad morem S. R. E. ordinare posset : qui ad principale altare ministrantes quotidie, excepto jejunio, dalmaticis, festis vero sandalis uterentur. » Ex veris propriisque Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, qui huc pertinent, primus est Azzo, qui sub Gregorio V, vixit et anno hujus pontificis primo id est, vulg. ær. 996, subscripsit pontificis illius diplomati Romæ dato VI Kal. Jun., pro monachis cœnobii Amiatini contia Arialdum seu Esualdum episcopum Clusinum (1889); quod diploma legitur apud Ughellum (1690): « Azo episcopus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ. » Celeberrimi auctores annalium Camaldulensium (1891) annotant Azonem hunc in episcopis Ostiensibus præteritum ab Ughello esse, nec præteriri debuisse. « Ipsi vero diploma producunt (1892) Benedicti VIII,pro abbatia Burgensi,datum per manus Azzonis episcopi sanctæ Ostiensis Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis anno 1013. »

Alter est Atto, cujus titulum ignoravit Ciacconius (1893) et Panvinius (1894).Sed ab Alexandro II creatum dixit, perhibetque acerrimum fuisse vindicem adversus schismaticos Gregorii VII ; dubitatque an Prænestinus episcopus fuerit. Hunc et Palatinus memoravit (1895).

Tertius est Azzo ex subdiacono S. R. E. diaconus cardinalis ab Urbano II creatus, quem Ciacconius ait (1896) diplomatibus pro monasterio Cassinate,et Ecclesia Salernitana subscripsisse. Ex Palatio (1897) interfuit concilio Vastallensi celebrato a Paschali II.

Quartus est Actus seu Azzo, Placentinus præpositus Ecclesiæ collegialis sancti Antonini Placentiæ, ab Innocentio II renuntiatus cardinalis sanctæ Anastasiæ mense Decembri anno 1130, vel 1133. Consecrata ecclesia cathedrali Ferrariensi sancti Gregorii, obiit sub eodem Innocentio : atque hic de ejus decessu ad canonicos sancti Antonini Placentiæ scribit (1898): « De morte quidem charissimi filii nostri Azonis, presbyteri cardinalis præpositi vestri, tanto amplius condolemus,quanto magis personam ejus amabamus, atque in ejus obitu majora sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et nobis obsequia sunt subtracta. »

Quintus est Azo,presbyter cardinalis sanctæ Anastasiæ; quem Tudertinum ex familia de Actis (infirmo ex nomine argumento capto) facit Jacobilus (1899). Hic Innocentii II diplomati anni 1135, XIII Kal. Jul. dato Petro præposito Bergomensi subscriptus invenitur apud Ughellum (1909) : « Ego Azo presbyter cardinalis titulo sanctæ Anastasiæ. »

X. Videamus nunc utrum ex hs aliquis sit Atto capitularis nostri auctor. Planum est neminem ex tribus postremis esse posse : nam quem ultimo loco nominavi,titulum habuit sanctæ Anastasiæ ; reliqui duo fuere diaconi ; noster vero presbyter tituli sancti Marci. Dubitari ergo potest an unus sit ex duobus primis, vel alius nobis hactenus ignotus.Dubitantibus tamen opportune occurrit vetus monumentum apud Martenium (1901) : in quo cum Gregorius VII. anno ejus pontificatus 9, id est, 1081, convenientibus simul episcopis, cardinalibus,abbatibus,archipresbyteris, ut dicerent utrum bona ecclesiarum possint poni in pignore, pro pecunia colligenda ad resistendum Wiberto archiepiscopo Ravennati, Romanam sedem invadere conanti, statutum est sacras res ecclesiarum nullatenus in militia,sæculari expendendas,nisi in alimenta pauperum,in sancto usu rerum divinarum, et redemptione captivorum. Huic decreto subscribit inter cæteros « Atto cardinalis sancti Marci (1902). » Vivebat ergo anno 1091, et secundus est ex iis, quos nominavi. Patriam etiam ex vetere alio monumento elicere me posse puto apud eumdem Martenium (1903), cui hic est titulus : « juramentum Berengarii Turonici factum Romæ in ecclesia Lateranensi de Eucharistia tempore Gregorii VII papæ. » Est autem fragmentum concilii Romani

(1885) AA. med. æv., diss. 66.
(1886) Tom. I. bibl. med., col. 44.
(1887) Pag. 97.
(1888) In constit. ap. Chifflet.
(1889) Ciaccon., tom. I, pag. 750.
(1890) In epp, Clusin., tom. III, col. 618.
(1891) Ad A. 106, num. 8.
(1892) App. tom. I, num. 92.
(1893) T. I, pag. 841.
(1894) Pag. 68.
(1895) Tom. I, fast. card., col. 81.
(1896) Tom. I, pag. 895.
(1897) Tom. I, pag. 119.
(1898) Ciaccon. tom. I, pag. 986, et AA. Camald tom. III, ad A. 1136.
(1899) In annal, Umbr.
(1900) In epp. Bergomat., tom. IV, col. 455.
(1901) Monumentum hoc a Martenio editum, occurrit etiam in calce codicis Vaticani. Unde nos Attonis cardinalis capitulare edidimus,cum his optimis lectionibus,quibus turpia Martenianæ editionis menda objurgantur : *alimonia* pro *alimenta*, *corbonam* pro *corbanam*, *Heliodorus* pro *Eliodorus*, *portuensis* pro *portunensis*, *S. Chrysogoni*, pro *Chrysogonius*, *Conon* pro *Cono*, *Atto* pro *Ato*, *Sabæ* pro *Sabbæ*, *Mauritius* pro . . . *us*. MAI.
(1902) Ampliss. collect., tom. VII. col. 16.
(1903) T. IV, Thesaur. anecdot., col. 103.

anno 1078, in quo, quod alias fecerat, fecitque postea renovatum a se errorem ejuravit, et Papæ satisfecit. si quod hic dicitur audimus : quare additur : « mecum sentientibus in eis qui cum papa erant episcopo Portuensi, episcopo Sutrinensi, episcopo Terracinensi, cardinalibus Attone Mediolanensi, monacho Tudensi Romanæ Ecclesiæ cardinali, nomine Deusdedit, Petro ancellario, etc. » Nam si temporum rationem habeamus, hæc congruere videntur, nec credibile est duos fuisse eodem tempore Attones cardinales.

XI. Dubitatum est an Atto hic cardinalis episcopus fuerit Prænestinus. Asseruit Panvinius, Ughellus eum præterivit. Sed Julius Ambrosius Lucentius (1904) scripsit : « Atto, presbyter cardinalis creatus ab Alexandro secundo, Gregorii VII in tuendo jure constans contra schismaticos, a Panvinio episcopis Prænestinis inseritur, præteritur ab Ughello, nullam de eo fortassis notitiam habuit ; hæsitans non deliberat Oldoinus. Nos, cum ad annum usque 1092, nullum habeamus post Ubertum, alterius Prænestinorum episcopi mentionem, nescio cur non deferendum sit tanto viro, qui Attonem ex presbytero cardinali Prænestinum episcopum enuntiat, nostro non contradicente Ughello. » Lucentio subscribere videtur Leonardus Cecconius in Historia Prænestina (1905) Uberto episcopo Prænestino subjiciens hunc Attonem ; cui anno 1092 jam successerat Berardus seu Benardus. Tempore ergo episcopatus, Prænestinis sacerdotibus suis hoc capitulare dedisse credo, nuncupans se cardinalem sancti Marci vel quod titulus dimitti tunc non soleret, vel quod nuncupationis loco illa denominatio prior retineretur.

(1904) In Prænest. epp., num. 22, col. 168. edit Rom. 1704, et in 2. edit Ughell., tom. I, col. 196.

(1905) Lib. IV, cap. 2., num. 15, pag. 239.

ANNO DOMINI DCCCCLXIV.

ADALGERUS

INCERTÆ SEDIS, FORSAN AUGUSTANÆ EPISCOPUS.

ORDINIS S. BENEDICTI.

ADMONITIO AD NONSUINDAM RECLUSAM

SEU

LIBER DE STUDIO VIRTUTUM.

(Apud Pez, Thesaurus Anecdot. novissimus, tomi II parte I.)

Tuæ non immemor piæ petitionis, o charissima mater, tibi, ut rogasti, scribere studui. Novi enim ardorem animi tui erga Scripturas divinas, novi tibi inesse studium legendi, et implendi ea quæ legis. Memor igitur sum lacrymarum tuarum, et omnis studii tui, quod in te sæpe perspexi, dum tecum de animæ tuæ sermocinarer profectu, et idcirco me non piguit, hoc, quod mihi tua subgerere studuit charitas, adimplere, quatenus et tu ex hac ipsa admonitione in Deum gradatim amore proficias, et ego tuæ mercedis effici merear particeps. Scio vero non mediocriter esse beatum, qui se solummodo Domino adjuvante salvat, sed novi multo beatiorem esse, qui secum alios ad cœleste regnum trahere festinat. Quapropter hortor tuam eximiam dilectionem, ut hanc admonitionem subinde legas, et memoriæ commendes, atque opere compleas, ut aliis bonum demonstrando, et te, et alios salves ; ut de tuo, et aliorum profectu felicem remunerationem a sponso tuo immortali recipere merearis. Mente sollerti pertracta, ne hoc agas, unde tuo cœlesti sponso displiceas, quia ipse tibi, si bene, ut cœpisti, perseveraveris, inauditam lætitiam invisum gaudium cum cæteris condonabit sanctis, Paulo apostolo affirmante, qui dicit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit ; quæ præparavit diligentibus se Deas* (*I Cor.* II, 9). Festina igitur ad illud gaudium, ad illam lætitiam, in qua multi sanctorum requiescunt. Considera, Deo dilecta, quanta sit felicitas Dei vultum sine defectu cernere, sanctorum angelorum choris interesse, cum sanctorum hominum multitudine sine fine gaudere, et ad hanc gressibus virtutum quotidie appropinquare stude, et ut ad ea, quæ commemoravi recto tramite pergas, citiusque pervenire queas, hanc tuæ beatitudini admonitionem conscripsi, per quam non de una solummodo virtute, sed de multis te cupio admonere virtutibus. Quem sermonem ideo singulari numero *admonitionem* voco, quia quamvis multæ sint virtutes, et innumerabilia hortamenta, ad unam tamen

pertinent viam, ad unum iter, ad unam felicitatem hominem ducunt.

CAP. I. — *De charitate.*

Cum igitur de plurimis virtutibus te admonere desiderem, primum cum Paulo apostolo hortor, ut charitatis virtutem ante omnia habere studeas: quia sicut panis omnibus cibis melior est, ita charitas omnes antecellit virtutes, et sicut sine pane mensa efficitur inops, ita sine charitate nulla proficit virtus. Sine charitate vera nec lacrymæ, nec vigiliæ, nec nuditas, nec castitas, nec eleemosynæ, nec martyrium hominem possunt salvare. Hanc Dominu ac Redemptor noster specialiter nobis commendat: *Hoc*, inquit, *mando vobis, ut diligatis invicem* (*Joann.* XV, 17). Et iterum: *In hoc cognoscent, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35). Hanc apostolus Joannes laudans dicit: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV, 15). Hanc prædicator egregius cunctis virtutibus præferens dicit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut urdeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 3). Deinde subjungit: *Charitas patiens est, benigna est* (*Ibid.*, 4); *patiens*, tolerando adversa, *benigna*, bona præstando. Quod si charitas patiens est atque benigna, stude fidelissima inter omnia patienter tolerare adversa, ipsaque quæ toleras cura diligere.

CAP. II. — *De humilitate.*

Certissime vero convenit credere quod charitas nunquam sine humilitate et obedientia in homine regnat. Si veram habueris charitatem, mox eris humilis atque obediens. Humilitas namque eximia virtus est: hæc de terrenis hominibus facit cœlestes; per hanc diabolus superatur, per hanc ejus laquei vitantur. Sic beatus Antonius dixit abbati Pastori: Vidi omnes laqueos inimici tensos in via, et ingemiscens dixi: Quis, putas, transiet istos laqueos? Et audivi vocem dicentem: Humilitas. Hoc vero beatus Antonius, ut puto, non pro se tantum vidit et audivit, sed et pro nobis, qui peccatores et insipientes sumus, et longe ab illius meritis distamus: ut nos hæc legentes, et opere complentes, diaboli laqueos possimus vitare, qui propter hoc inquirit, quomodo nos decipiat. Igitur quam magna virtus sit humilitas, Marci etiam monachi vita insinuat, quem dicunt etiam in juventute valde fuisse mansuetum, humilem ac sapientem, et pro ejusmodi virtutibus tam dicunt Deo fuisse amabilem, ut dum ad Dominicum corpus accederet, angelus ei sacramenta præberet. Pensare vero debemus ex hoc miraculo quam magnum donum sit humilitas, per quod tam amabilis tamque acceptabilis Deo adhuc homo mortalis efficiatur. Abbas etiam Daniel miraculum narrat per quod virtus humilitatis declaratur. Erat autem, ait, in Babylonia filia cujusdam illic primarii dæmonium habens. Pater autem ejus diligebat quemdam monachum qui dixit ei: Nemo potest curare filiam tuam nisi quos scio solitarios. Et si perveneris ad eos, non acquiescent hæc facere propter humilitatem. Sed hoc faciemus: quando veniunt afferentes venalia quæ operantur, dicite vos emere velle quod vendunt; et cum venerint in domum, pretium accepturi, dicemus eis ut faciant orationem pro ea, et credo quod sanabitur filia tna. Exeuntes vero in plateam invenerunt unum monachum sedentem ut venderet sportellas suas, et tulerunt eum secum in domum suam, qui pretium sportarum acciperet. Et cum intrasset monachus ille in domum, venit puella quæ a dæmonio vexabatur, et dedit alapam monacho illi. Ille autem convertit ei aliam maxillam secundum divinum præceptum. Dæmon autem, cum torqueretur clamare cœpit: O violentia mandatorum Jesu Christi expellit me hinc! Et statim mundata est puella. Cum autem venissent senes, indicaverunt eis quod factum fuerat, et glorificaverunt Deum et dixerunt, consuetudo diabolicæ superbiæ ad humilitatem mandatorum Jesu Christi corruere. Consideremus et nos, o sanctissima mater, humilitatem hujus felicissimi monachi, et in quantum possumus, imitari curemus. Si igitur humilitas alterius dæmonium expulit, sine dubio firmiter credere debemus quod nostra humilitas diabolum in cordibus nostris regnare non sinet. Tunc vero veram humilitatem habemus si omnibus nos putamus esse inferiores, et omnibus venerationem deferimus, et omnia quæ nobis alii faciunt adversa, humiliter toleramus propter amorem Dei. De hac virtute Dominus in Evangelio dicit: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV. 11). Ex isto versiculo etiam discere debemus quod superbia contraria sit humilitati. Ergo, si vere humiles esse volumus, superbiam fugiamus, quia superbia dejicitur, humilitas elevatur. Ad hanc virtutem princeps apostolorum nos invitat dicendo: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis* (*I Petr.* V, 6). Hæc sententia manifestissime nobis insinuat quod si hic dum vivimus nos humiliare curaverimus, in tempore tribulationis vel retributionis, id est, in die judicii Domini, nos pietas exaltabit in cœlesti regno. Jam vero superius dixi quod charitas, humilitas atque obedientia ab invicem separari non possint.

CAP. III. — *De obedientia.*

Et quia hactenus de charitate et humilitate dictum est, restat ut solerter attendas qualis sit obedientiæ virtus. Propter inobedientiam primus homo ejectus est de paradiso. Quapropter si illuc vis ascendere, obediens esse stude. Ut autem quam magna sit hæc virtus agnoscas, miraculum tibi ad memoriam revocabo. Quidam sæcularis vitæ habens tres filios, renuntiavit sæculo et venit ad monasterium, relinquens filios in civitate, et cum fuisset per tres annos in monasterio, cœperunt cogitationes suæ filios ei ad memoriam frequenter adducere, et contristabatur pro eis valde, neque tamen dixerat abbati filios se habere. Videns autem eum abbas tristem, dixit ei:

Quid habes, quod tristis es? Et narravit ei quia tres A filios haberet in civitate, et vellet eos adducere ad ejus monasterium. Præcepit autem abbas ut adduceret eos. Qui eum pervenisset ad civitatem,invenit ex iis duos jam fuisse defunctos,unum vero solummodo remansisse. Quem assumens duxit ad monasterium ; et requirens abbatem, non eum invenit illic. Interrogavit autem fratres ubi esset abbas ? Et illi dixerunt quod ad pistrinum perrexisset.Ille vero tollens filium suum, quem adduxerat, abiit ad pistrinum : et videns eum abbas venientem salutavit, et tenens infantem quem adduxerat,amplexatus est eum et osculabatur : et dixit patri ejus,amas eum ? Et ille respondit : Etiam. Et rursus dixit ei : Ai modo ; diligis eum ? et respondit : Etiam. Postea vero dixit abbas : Tolle ergo, si amas eum,et mitte eum B in fornacem modo, dum ardet. Et tenens eum pater suus jactavit eum in fornacem ardentem. Statim autem factus est fornax velut ros. Ex qua obedientia acquisivit gloriam, quemadmodum Abraham patriarcha. Hoc ergo miraculum hortor ut memoriæ tradas et ut semper obedientiæ virtutem ante oculos habeas, quia sicut illo tempore illius monachi obedientia exstinxit ignem fornacis, sic et modo si fueris obediens, ipsa virtus in corde tuo ignem vitiorum exstinguet ; et si hic ignis vitiorum exstinctus fuerit in te, nequaquam post mortem in ignem descendes æternum, sed ad cœlestem gloriam sine fine manentem. Ergo ama obedientiam, dilige obedientiam, quia magna virtus est. Ut autem illius magnitudinem adhuc lucidius intelligas, sequens miraculum frequenter lege. Dicebant autem fratres, C quia narravit quidam patrum, se vidisse tres ordines in cœlo, quorum primus erat hominum infirmorum et gratias agentium Deo ; secundus ordo erat hospitalitatem sectantium,instanter ministrantium eis ; tertius ordo erat eorum qui ad obodiendum spiritualibus patribus se subjiciunt propter Deum. Videbatur autem ordo obedientium torquem auream habere, et multo amplius quam alii gloriam habebat. Ego autem dixi ei qui mihi ostendebat hæc omnia : Quomodo iste ordo, qui primus est majorem quam alii gloriam habet? Et ille respondens dixit mihi, quod hi qui hospitalitatem sectantur, secundum propriam voluntatem idipsum faciunt : similiter qui in eremo se religant, arbitrio suo de sæculo recesserunt ; hic autem qui se ad obedien- D tiam dedit, omnes voluntates suas abjiciens, pendet ad Deum et ad jussionem spiritualis patris ; propterea majorem gloriam habet. Quapropter, o mater, bona est obedientia quæ propter Deum fit. Intende ergo, mater, virtutis hujus aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est omnium fidelium, obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia regni cœlorum inventrix est, obedientia, cœlos aperiens, hominem elevat de terra, obedientia cohabitatrix est angelorum,obedientia sanctorum omnium cibus est ; ex hac enim abluti sunt, et per hanc ad perfectionem venerunt.

CAP. IV. — *De continentia et ejus diversitate.*

Sed jam tempus est ut post trium virtutum doctrinam vigilanter attendas, quanta sit virtus continentiæ, et quod continentia non solum in cibo et potu, sed etiam in locutione et in somno ac vestitu. et innumerabilibus sit causis. Admoneo ergo dilectionem tuam ut non delicatos cibos quæras,nec ante horam congruam comedere velis, nec dicas in corde tuo : Ecce aliæ, ita vel ita faciunt. Scito pro certo quod unusquisque, quo in hac vita plus in Dei servitio laboraverit,eo majorem post mortem a Domino mercedem recipiet. Ne igitur tam gravis videatur continentiæ virtus, miraculum hic inseram, quod in Tripartita historia legi.

Dorotheus genere Thebæus talem vitam ducere curavit, ut quotidie lapides a mari colligeret, et annis singulis hospitium ædificaret,et ipsa hospitia dabat illis qui non habebant hospitia ; noctibus autem propter eorum cibum faciebat sportellas. Cui cibus erat panis unciæ sex, et olerum minutorum fasciculus unus, et ad bibendum aqua. Sic a juventute sua vivens, nec in senectute defecit. Nunquam visus est in lectulo soporatus, vel pedes pro requie tetendisse, aut dormire pro voluntate, nec quando operando natura compressos oculos claudere potuisset, ita sæpe comedendo dormiret, cibus ex ore ejus laberetur. Aliquando vero somno gravatus valde, cum in stercore cecidisset, obdormivit. Expergefactus autem et contristatus sub silentio dixit : Si angelus suaserit dormire, et mihi ulterius non suadebit : quod forte dicebat ad somnum aut ad dæmonem, qui nitebatur bonos ejus actus impedire. Huic laborandi quidam dixit : Cur ita perimis corpus tuum ? Cui ille : Quia me,inquit, illud occidit. Hujus vero sanctissimi monachi continentiam tibi scripsi, ne ipsa tibi virtus gravis videretur, ut cognosceres quantum ab antiquis vel modernis quibusdam Patribus distemus. Audivit enim nunc beatitudo tua, quod Dorotheus omni anno ædificabat cellum, et aliis donabat ; audisti etiam, quod in lecto non jacebat, et de pane et aqua et herbis vivebat ; non ideo hoc dico, ut tu tantum facias, sed ut te humilies, simulque scias quam magnam abstinentia Patres nostri habuerint, et nequaquam cibos delicatos quæras, præsertim cum in præfato libro de Moyse monacho scriptum sit, quod per multos annos panem tantummodo comederit, et multum opus fecerit,sex autem annis per totam noctem stans oravit,neque genibus inclinatis, neque oculis in somnum sponte clausis. Insuper etiam pernoctanter invisebat cellulas monachorum, et lagenas singulorum aqua complebat, cum longe aut decem, aut viginti aut triginta stadiis aqua manaret ; qui licet ita domaret corpus, priorem tamen valetudinem non amisit. Hæc miracula assidue lege, sanctissima mater, et per hæc cum Dei adjutorio in abstinentia proficere stude. Non simus parati ad omnia quidem concupiscenda: recolamus continentiam beati Zenonis abbatis. Ab-

bas Zenon ambulans aliquando in Palæstinam, cum laborasset, resedit, ut manducaret juxta cucumerarium. Suadebat autem ei animus suus dicendo: Tolle tibi unum cucumerem, et manduca. Qui increpans cogitationem suam dixit sibi ipsi: Fures ad tormenta vadunt; proba ergo teipsum in hoc, si potes ferre tormenta. Et consurgens sedit ad ardorem solis diebus quinque et dixit: Si ardorem solis non possum sufferre, potero ignem æternum? Et dixit ad animum suum: Si non potes portare tormenta, non rapias cucumerem, et manduces. Verba igitur tanti viri considerare nos admonent, quantum ab ipsius conversatione longe distamus. Quapropter perpendamus, nos peccatores et infirmos esse in comparatione sanctorum virorum, ut nos ipsos ex illorum meritis despicientes, per Domini piam misericordiam eorum consortium habere possimus.

Cap. V. — *De continentia oculorum.*

Quod autem non tantum in cibo, sed etiam in visu sit continentia, sequens miraculum aperte insinuat. Pior autem, cum de domo patris ad philosophiam conversationis exiret, promisit denuo nullum propinquorum de cætero fore visurum. Post quinquaginta vero annos, dum ejus soror eum vivere et habitare eum in eremo cognovisset, non cessabat, donec inspiceret. Quam dum episcopus ejus loci, jam grandævam propterea videret affligi, scripsit præsulibus eremi, ut Piorem dirigerent. At ille, quoniam contemnere nefas est, jussionibus seniorum obediens et assumens quemdam venit ad patriam. Cumque ante domus suæ januas accessisset, et suum nuntiasset adventum, veniente germana clausis oculis dixit: Ecce ego sum Pior, quantumvis aspectu satiare. Tunc illa gratificata laudavit Deum. At ille oratione facta remeavit ad eremum, ubi fodiens aquam invenit amaram, eaque usus est usque ad ultimum vitæ diem. Post cujus obitum nullus illic habitare prævaluit. Ego autem reor, quia per orationem ejus ad suos usus fecisset dulcem, dum etiam alibi non exstantem oratione meruerit emanare. Nam cum Moyses et ejus monachi puteum aliquando foderent, nec venam aliquam reperirent, et non amplius jam fodere altitudo permitteret, medio die supervenit Pior, et oratione facta descendit in foveam, cumque tertio percussisset terram, mox emanavit aqua, cumque oratione facta discederet, illis eum petentibus ut vel ex aqua gustaret: Ad quod, inquit, directus sum, et propter quod veni, peractum est. Propterea vero, o sanctissima mater, hæc tibi de Piore monacho scripsi, ut perfecte scires quod continentia etiam in visu sit necessaria. Audisti vero nunc, quam cautus iste sanctus monachus fuit, qui nec inobediens fuit præceptis seniorum, qui illum ad sororem suam ire jusserant, nec vidit ipsam visus ab illa, ne contra votum suum facere videretur. Quapropter hortor sanctitatem tuam, ut illum studeas imitari. Non sit tibi cura videndi tuos propinquos vel amicos, quos in sæculo reliquisti, et per illorum curam tua oratio, tuæque lacrymæ non minuantur, ne cum uxore Loth retro respiciendo in salis convertaris statuam. Recole ergo illum Evangelii versiculum, quod *nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus sit regno Dei* (*Luc.* IX, 62).

Cap. VI. — *De continentia locutionis.*

Hortor etiam, ut in locutione sis continens, ut assidue cum Psalmista decantes: *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea posui ori meo custodiam* (*Psal.* XXXVIII, 2). Noli igitur aliis detrahere; memento quanta Maria sit perpessa in eremo, quando detraxit Moysi servo Dei suoque fratri. Narrat enim historia, quia pro hac culpa a lepra fuerat maculata, septemque extra castra manserit diebus: quæ postquam per orationem Moysis fratris sui fuit e lepra mundata. Absit autem, ut ex lingua, per quam benedicimus Dominum, inde maledicamus aut detrahamus proximo. Unde eradicabitur omnis detractor, sine dubio de cœtu sanctorum. Ergo ne nos de cœtu sanctorum eradicemur, custodiamus a detractione linguam nostram; non detrahemus proximo, quem jubemur diligere sicut nosmetipsos. Et non tantum a detractione cessare non oportet, sed etiam ab otiosis verbis, quia Evangelium clamat: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Otiosus vero sermo est, qui non ad illius, qui illum dicit, nec ad illius, qui eum audit, pertinet profectum. Noli ergo proferre verba, quæ risum vel cachinnum moveant, sed magis ad compunctionem et lacrymas, et ad profectum animæ pertineant. Tuus sermo semper sit sale conditus. Narrat historia Tripartita namque Amonem Tabenensiorum præsulem atque Theonem multorum monachorum præsidem fuisse: ambo namque fuerant operatores inopilabilium rerum, et divina prudentia prophetiaque completi. Dicitur Theonem eruditum Ægyptiacorum, Græcorum Latinorumque studiis, triginta annos habuisse taciturnitatem. Porro a nullo hominum visum irascentem, aut jurantem, aut mentientem, aut vanum aliquod, vel asperum, vel infirmum protulisse sermonem. Horum temporibus fuit etiam Helias monachus agens in eremo ætatis annum circa centesinum atque decimum; antea tamen pene septuaginta annis solus vixit in solitudine, et usque ad hanc ætatem jejunando, multumque silendo et viriliter conversando pervenit. Hæc miracula hortor ut frequenter legas, ut scias, quam cautam in loquendo te esse oporteat. Audisti vero nunc, et ut puto, memoriæ commendasti, quod doctissimus monachus Theon per triginta annos tenuit taciturnitatem; hortor igitur, quia nobis assidue tacere non licet, vel etiam libet, id placeat, ut vel semper a malo detractionis sileamus. Ut ergo tibi virtus taciturnitatis placeat, audi adhuc, quid Zacharias de ipsa interrogatus respondeat: dixit abbas Pastor, quia interrogavit Moyses fratrem Zachariam dicens, quid vides? et ille

dixit: Nihil melius est quam tacere, pater. Et dixi: Verum est, filii, tace. Hora autem mortis ejus sedens abbas Isidorus respexit in cœlum et dixit: Lætare, filii Zacharia, quia apertæ sunt tibi januæ regni cœlorum. Vides, o sanctissima mater, quod Zachariæ pro taciturnitatis maxima virtute apertæ januæ cœli. Ut ergo et tibi aperiantur, ama tacere, dilige silere. Legi enim de quodam servo Dei, quod, ut taciturnitatem disceret, per plures annos lapidem in ore suo portaverit. Admoneo itaque, admoneo iterum, ut linguam tuam custodias, nulli detrahas, nemini maledicas, nulla risum moventia verba proferas; cogita quam brevis sit ista vita, et quam misera in comparatione æternæ vitæ. Hæc cogitando et linguam tuam refrenando, imitando eorum actum, quorum superius facta est mentio, sine dubio ad eorum consortium, et ad eorum gloriam pervenies. Quoniam autem in animo tuo multum taciturnitatem inculare volo, et quia multa bona opera propter vitium linguæ pereunt, ideo adhuc unam sententiolam de taciturnitate subjangam. Venit in itinere conversationis suæ Evagrius ad quemdam senem, et dixit ei: Dic mihi, abba, sermonem, quo salvus fiam. Ille autem dixit ei: Si vis salvus fieri, quando ad aliquem vadis, non prius loquaris quam ille te inquirat. Evagrius in hoc sermone compunctus pœnitentiam egit in conspectu senis, et satisfecit ei dicens: Crede mihi, multos codices legi, et talem eruditionem nunquam inveni. Et multum proficiens exivit. Ex his enim verbis, o sanctissima mater, lucide demonstratur; beata est illa anima, quæ taciturnitatis perfectæ habet virtutem. Dilige hanc virtutem, posside hoc donum, conserva hanc margaritam. Amandum est ergo silentium, quia per id humilitas nutritur, lacrymæ gloriantur, ad extremum multa mala per illud declinantur.

CAP. VII. — *De continentia vestitus.*

Sciat denique beatitudo tua, o sanctissima mater, quod in vestimentis sit continentia valde necessaria. Sunt etiam multi, qui putant, quod appetitus pretiosarum vestium peccatum non sit. Quod si peccatum non fuisset, nequaquam Dominus Joannem de asperitate vestimenti sui laudasset; ait enim turbis: *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Luc.* VII, 25). Joannes ergo mollibus vestitus negatur: quia qui mollibus vestiuntar, magis terreno regi serviunt quam cœlesti. Joannes enim primus Novi Testamenti monachus pilis camelorum indutus fuisse legitur. Si ille, qui in utero matris sanctificatus fuit, et ideo multum amabilis atque dilectus exstitit, qui fuit verus propheta etiam plus quam propheta, pilis camelorum induitur, nos qui peccatores et infirmi sumus, quanto magis debemus vilibus vestibus esse contenti? Nemo namque, ut ait beatus papa Gregorius, pretiosa vestimenta non ad inanem gloriam quærit. Peccatores enim sumus, et ideo pretiosa vestimenta quærere non debemus. Magis vero ornamenta mentis quærere debemus quam corporis. Ornatus est mentis charitas, fides, humilitas, bonitas, ac benignitas. De his namque virtutibus mens ornatur sine fine cum Deo victura: caro enim, quamvis pretiosis vestibus cooperiatur, quamvis auro argentoque ornetur, nihil aliud est quam caro, et pulvis, et lutum, et stercus. Quapropter non magnopere de vestibus procura. Corpus domare debemus, non balneum subinde requirere, non ornata vestimenta, quia si corpus nostrum delicate foveamus, hostem nostrum nutrimus. Nunquam enim majorem inimicum potest homo habere quam corpus; corpus enim trahit mentem ad peccandum, et ideo propter illud debet servus Dei subjugatum habere.

CAP. VIII. — *De abstinentia.*

Debet namque corpus affligi per abstinentiam, per vigiliam et per diversos modos, ita tamen, ut semper suum officium suamque obedientiam possit perficere. Castigandum semper et affligendum est corpus, ut ad malum opus animam non trahat, et ad peragendum bonum sit semper idoneum. Nam, qui ita corpus macerat, ut ne quidem bonum opus facere valeat, discretionis adhuc ignorat virtutem. Ut igitur et corpus scias affligere, et temperare, unum de vita sanctorum Patrum dicam sermonem. Dicebatur de quodam patre, quod dum sæcularis esset, et conjugem habuisset, postea conversus tentabatur de ea a Satana. Ipse vero narravit hoc patribus. Qui cum audissent, quia operarius esset, et majora facere potuisset, quam ei dicebatur, imposuerunt ei majora, ut debilitaretur corpus ejus, ita ut surgere non posset. Deo autem dispensante, quidam peregrinus advenit, et pertransivit cellam ejus, admirans quomodo nemo egressus esset in occursum ejus. Et reversus pulsabat dicens: Ne forte fruter, qui in ea habitat, infirmetur. Qui cum pulsasset ter, intravit, et invenit eum nimis infirmum, et dixi ei: Quid habes, pater? Et enarravit ei dicens: Ego de sæculari vita sum, et sollicitat me modo inimicus meus de uxore mea, et narravi patribus, et imposuerunt mihi onera diversa; et cum implere vellem jussa, defeci, et tamen stimulus crescit. Audiens autem hæc senex, contristatus est et dixit: Siquidem patres et magni viri bene tibi imposuerunt onera, quibus gravaris; sed si me parvulum audire volueris, cito inveniens requiem. Sume parvum cibum in tempore suo, et recolligens vires tuas fac aliquantulum opus Dei, et jacta in Deum cogitatum tuum, quod tuis laboribus hanc impugnationem non poteris superare. Corpus enim nostrum velut vestimentum est; si cum discretione illud tractaveris, stabit, si autem cum discretione omnia non egeris, non stabit. Qui eum audisset cum, fecit ita, et infra paucos dies recessit stimulus ejus. Hunc autem summam ideo scribere volui in isto ordine, quod, quæ superius admonui, id est, silentium, nuditas, abstinentia, corporisque castigatio cum discretione sunt agenda. Discretio vero magna virtus est, quia per ipsam mala declinantur, et bona servantur.

Bonum ergo opus,si sine discretione fit,cito deperit ; discretio enim est mater omnium virtutum. Quapropter, o mater,tuam hortor dilectionem, ut omnia cum discretione facias,ut nec ad dextram vel ad sinistram corruas. De hac discretionis virtute habes etiam hoc in vita sanctorum Patrum. Dixit abbas Antonius,quia sunt quidam gerentes corpora sua in abstinentia,et quia non habuerunt discretionem,longe facti sunt a Deo. Supervenit autem quidam venationem faciens in silva agrestium animalium.Et vidit abbatem Antonium gaudentem cum fratribus,et displicuit ei. Volens autem senex ostendere ei,quod oportet aliquando condescendere fratribus,dixit ei : Pone sagittam in arcu tuo,et trahe, et fecit sic. Et dixit ei : Iterum trahe,et traxit, et rursus dixit ei : Trahe adhuc.Et dicit ei venator : Si supra mensuram traxero, frangitur arcus. Dixit ei abbas Antonius : Ita est in opere Dei. Si plus a mensura tendimus, fratres cito deficiunt. Expedit ergo vel ad momentum horæ relaxare vigorem eorum.Hæc audiens venator compunctus est, et multum proficiens in sermone senis discessit,et fratres confirmati reversi sunt ad loca sua.Maxima autem in cura fuit,hæc tibi scribere, religiosissima mater, ut ab utroque periculo te immunem custodias,videlicet ut curam corporis non Dei servitio præponas: et rursus,ut Dei servitium explere queas, corporis necessaria illi ministrare non negligas. Admonere tuam dilectionem non cesso,quamquamtuum bonum mihi notum sit studium.Sed et nunc admoneo, ut secundo loco continentiam,et discretionis virtutem memoria commendes.

Cap. IX. — *De compunctione.*

Et quia compunctio est in omni opere necessaria commendanda est etiam ipsa virtus,quatenus mortificationi jungatur compunctio.Puto enim,quod vera mortificatio ab aliquo non possit possideri,nisi cum compunctione. Idcirco tuam, o mater, charitatem hortor,ut quidquid agis,id est,vel silentium teneas. vel abstinentiam facias, vel nuditatem ames, vel vigilias furtivas inquiras, omnia pro Dei amore fac, et cum lacrymis ; si lacrymæ non occurrunt, adsit tibi salutaris compunctio, ita duntaxat, ut cum discretione, de qua supra dictum est, facias,ut per te non scandalizentur aliæ, sed potius ædificentur. Simus ergo in omni opere nostro compuncti, ut possimus Domino cum Psalmista dicere : Holocausta medullata offerimus tibi. Holocaustum vero totum incensum dicitur. Holocaustum autem Domino offert, qui totum se Domino tradit, quod ad monachorum specialiter pertinet ordinem : per medullam vero holocausti compunctio designatur.Holocaustum namque sine medulla est bonum opus sine compunctione. Helocaustum autem meduilatum offerimus, quando bonum opus cum compunctione perficimus.Hanc medullam ipse Psalmista alibi pinguedinem nominat:*Holocaustum tuum pingue fiat* (*Psal.* xix, 4). Magna enim virtus compunctio, de qua in vita patrum scriptum est : Frater interrogavit alium senem dicens : Pater, quid faciemus ?dicit ei senex : Flere debemus semper.Contigit autem aliquem senem mori aliquando et postmodum in se ipsum reverti, et interrogavimus eum dicentes : Quid vidisti,abbas?Et narravit nobis plorans : Audivi illic vocem sine cessatione dicentem : Væ mihi, væ mihi ! Sic et nos semper dicere debemus. Aptissime vero in his possumus cognoscere, quare nobis semper flere conveniat, scilicet ne post hujus vitæ discessum in luctum veniamus æternum.Utile namque consilium est, hic ad tempus deplorare, quia hæc vita brevis est, labens est, misera est, cito transitura est ; illa alia vita nullum terminum habet,nunquam finietur : et sicut sancti sine fine gaudebunt cum angelis in cœlo sic et peccatores sine fine cruciabuntur cum diabolo in inferno.Quod si lacrymas statim, ut volumus, invenire non possumus, non deficiamus orando,persistamus in precibus,quia Dominus nobis facile potest lacrymas dare. Multi enim volunt lacrymas habere, sed non statim, ut volunt, illas inveniunt.Unde in vita sanctorum patrum scriptum est : Interrogavit frater quidam senem dicens : Desiderat anima mea lacrymas habere,sicut audio senes lacrymantes,et non veniunt mihi, et tribulatur anima mea.Et dicit ei senex : Filii Israel post quadraginta annos intraverunt terram promissionis ad quam si perveneris,jam nullum timebis bellum. Ita enim vult Deus affligi animam,ut semper desideret ingredi in illam terram. Dicebat etiam de beato Arsenio,quod toto tempore vitæ suæ sedens,ad opus manuum suarum pannum habebat ante se propter lacrymas,quæ crebro cadebant ex oculis ejus. Hæc ergo nos audientes, o charissima mater, quantum debeamus nos præparare ad lamenta, pensemus. Quod si illi tam sancti et justi, et Dei per omnia facientes voluntatem, sic se mortificabant, quanto magis nos, qui peccatores sumus, flere et lugere debemus? Pensare debemus diem mortis nostræ,et diem judicii. Pensare etiam, qualis discussio ibi erit.Audiamus,quid beatus Ammon fratri se interroganti respendit.Frater interrogavit abbatem Ammonem dicens : Dic mihi aliquid verum. Dicit ei senex : Vade,talem fac cogitationem tuam, quemadmodum faciunt iniqui,qui sunt in carcere. Illi enim interrogant,ubi sit judex,et quando sit venturus,et in ipsa exspectatione pœnas suas deplorant.Ita et monachus debet esse semper suspectus de morte,et objurgare animam suam dicendo : Væ mihi, væ mihi !Quomodo habeo astare ante tribunal Christi,et quomodo habeo actuum meorum ei reddere rationem ? Si igitur sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse,atque compunctus. Et tu, o mater fidelis,hæc audiens fac, sicut iste servus Dei hortatur. Cogita de pœnis inferni : vermis non morietur,ignis non exstinguetur, luctus nunquam cessabit, pœna nunquum finietur. Et si semper tu hæc cogitaveris, salvaberis. Recole igitur semper illud, quod abbas Helias dixit : Ego tres causas ti-

meo : primam,quando egressura est anima mea de corpore ; secundam,cum occursurus sum Deo ;tertiam,quando adversum me est proferenda sententia. Et tu,o mater,omnia hæc meditare, hæc cogita, hæc tracta sollicite, ut inferni laqueos evadere possis,et ad regna cœlorum merearis conscendere. Lugendum hic est, quia scriptum est : *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5). Nequaquam hæc de omni luctu dicit, quia sunt multi, qui lugent mortem parentum suorum, vel amicorum,et quia res, quas desiderant, terrenas adipisci non possunt,qui pro luctu suo non sunt beati. Solummodo illi lugentes sunt beati, qui sua aliorumque peccata deflent, sicut Samuel deflebat Saul,et Paulus deflebat eos, qui non egerant pœnitentiam a fornicatione ei immunditia sua.Deflemus in hac vita nostra et nostrorum peccata quia dictum est lugentibus : *Luctus vester vertetur in gaudium* (*Joan*, xvi, 20) ; seminemus nunc in luctu, ut metamus tunc in gaudio cum illis, de quibus Psalmista dicit : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (*Psal.* cxxv, 6). Vides igitur, quam beatus in Scripturis sanctis prædicatur luctus Audi adhuc,quod in vita sanctorum patrum de eo scriptum est : Miserant aliquando senes de monte Nitrio ad abbatem Micarium majorem in Scithi, rogantes ut veniret ad eos : alioquin sciret omnem multitudinem ad se venturam,eo quod desiderant eum videre,antequam migraret ad Dominum. Qui cum venisset ad montem, congregata est omnis multitudo fratrum ad eum. Rogabant autem eum senes,ut faceret verbum ad fratres. Ille autem lacrymans ait : Ploremus, fratres,et producant oculi nostri lacrymas,antequam eamus hinc, ubi lacrymæ nostræ corpora nostra comburunt.Et fleverunt omnes proni in terram dicentes : Pater, ora pro nobis.Abbas etiam Silvanus sedens aliquando cum fratribus factus est in excessu mentis,et cecidit in faciem suam,et postmodum surgens plorabat, et interrogaverunt eum fratres dicentes : Quid habes, pater ? Ille autem tacebat et flebat. Compellentibus autem illis dixit : Ego ad judicium raptus sum, et vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta,et multos sæculares ad regnum. Et lugebat senex, et nolebat deinceps exire de cella sua ; sed si exire rogabatur,operiebat de cuculla faciem suam dicens : Quid necesse est videre lumen istud temporale,in quo nihil est utile ? Manifestum est igitur credo,prudentiæ tuæ, quam magna sit virtus discretionis (compunctionis], per quam peccata delentur,virtutes acquiruntur. Nolo autem ut ab hac virtute tua mens sit aliena, quæ in pectore perfectorum hominum habitat. Per hanc multi Domino placuerunt,per hanc diabolus vincitur, per hanc vitia superantur.Per veras etenim lacrymas,ea quæ dicta sunt complentur. Veras etenim lacrymas habet,qui hoc committit,quod defleat. Hoc est etiam docte plangere : docte plangit,qui plangendo malum, quod fecit, non perpetrat, quod iterum plangere debeat. Dicit enim Isidorus, quod miser est non pœnitens,qui adhuc agit, quod pœniteat.

Cap. X. — *Admonitio salutaris.*

Quam prope post luctum admovenda est beatitudo tua,ut quod plangis desiderio emendandi, ne iterum delectet diabolo suadente ! Cani enim assimilatur omnis pœnitens, qui plangendo iterum committit,quod plangit : canis reversus ad vomitum, et pœnitens ad peccatum ; multi enim lacrymas indesinenter fundunt,et peccare non desinunt. Et ideo, o mater,charitatem tuam hortor, ut, quod plangis, iterare ne velis. Scito ergo, quod ille, quod plangit,iterum committit, similis est illi, qui lavit laterem, qui eo, qui illum magis lavat, magis lutum facit. Isaias namque hortatur dicens : *Lavamini,mundi estoto,auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* (*Isai.* i, 16). Lavatur enim, et mundus non est,qui quidem peccatum plangit,et iterat. Lavatur,et mundus efficitur,quisquis plangendo malum, quod fecit, iterum non committit, quod plangat.De illa enim anima,quæ plangit mala sua, et iterat, scriptum est in propheta : *Quoniam vilis facta es nimis iterans vias tuas* (*Jer.* ii, 36). Non ideo hæc tibi scribo, ut de te suspicer talia ; sed ut pleniter et lucide scias, qualis compunctio esse debeat.

Cap. XI. — *De qualitate orationis.*

Et quia tibi jam manifestata est compunctionis virtus,restat ut modus orandi pandatur.Cum rogaretur Christus a discipulis suis,ut eos doceret orare dixit : *Cum statis ad orandum,nolite multum loqui,sed ite : Pater noster, qui es in cœlis* (*Marc.* xi, 25), et reliqua. Oratio enim brevis esse debet,nisi forte ex affectu divinæ gratiæ protendatur. De beato autem Arsenio in vita sanctorum Patrum legi, quod nunc narrabo. Dicebant de eo, quia vespere Sabbati lucescente in Dominica relinquebat post se solem extensis manibus ad cœlum,donec mane die Dominico ascendens sol, illustraret faciem ejus, et sic residebat.Videat igitur, o sanctissima mater, charitas tua,quam fortis iste vir fuit in orationis officio, qui de vespera usque mane extensis manibus orabat. Non ideo hoc tibi scripsi, ut tu ita facere tentes ; sed ut affectum,et studium, quod ille per solam noctem, vel etiam per totum tempus habebat,tu vel in regularibus horis,habere studeas. et sic stes in oratione,ut mens tua ,concordet voci tuæ.Audiat igitur dilectio tua adhuc unum de modo orandi; narravit abbas Dulos,qui fuit discipulus abbatis Besarionis dicens : Veni aliquando in cellam abbatis mei,et inveni eum stantem ad orationem, et manus ejus erant extensæ ad cœlum. Permansit autem faciens jugiter quatuor dies, et post hæc vocavit me dicens : Sequere me. Et exeuntes per reximus in eremum, et cum sitirem dixi : Abbas, sitio.Ille autem tollens peram dicessit a me, quantum est jactus lapidis,et facta oratione, attulit eam plenam aquæ,et ivimus in civitatem illico,et veni-

mus ad abbatem Joannem. Deinde sedentes cœpimus loqui de visione quam viderat. Dicebant etiam de abbate Sysoio, quia non cito deponeret manus suas ; quando stabat ad orationem, rapiebatur mens ejus in superioribus. Si autem contingebat, aliquos fratrum cum eo orare, festinabat cito deponere manus suas, ne raperetur mens ejus, et moreretur. Dicebat etiam alius senex, quia assidua oratio cito corrigit mentem. Dicebat quidam patrum : quia sicut impossibile est, ut videat quis in aqua turbida faciem suam ; sic et anima, quæ non purgata fuit a cogitationibus alienis, contemplari non potest Deum. Audisti quoque, quod, quando abbas Sysolus non cito dimitteret manus suas, rapiebatur in contemplationem. Quare ergo repente in contemplationem rapiebatur ? sine dubio, quia mortificandus erat. Audiat etiam dilectio tua, rogo, quale studium beatus Paulus monachus habuit orandi, quod in ecclesiastica historia scriptum habetur. Fuit Paulus de Libya in Scythi non minus quam quingentos monachos habens. Nihil autem operabatur neque percipiebat ; non quod comederet tantum, orabat autem solummodo, et veluti quoddam tributum habens impositum, trecentas orationes Deo unaquaque die reddebat, et ne unam quidem relinqueret, trecentos lapides ponebat : singulis orationibus lapidem ponebat, et singulis orationibus lapidem mittebat in sinum. Expensis vero lapidibus orationes sciebat esse completas. Multum igitur debemus humiliari, qui longe ab illorum meritis, quorum superius mentio facta est, distamus, et sic prompti ad orationem faciendam non sumus ut illi. Oratio vero juncta compunctioni magna est virtus. Volo quoque, ut hoc solerter attendas, quod Jesus Christus ac Salvator noster volens orare ascendit in montem. Ideo Jesus oraturus in montem ascendit, ut et tu orando in montem conscendas. Nequaquam enim omnis, qui orat, in montem ascendit. Ille vero, qui in oratione mortem inimici sui quærit, aut res mundi hujus, ut honorabilior in hoc mundo esse possit, nequaquam in montem ascendit orando. At contra, qui in oratione pro remedio animæ suæ, sive pro aliorum peccatis, Dominum deprecatur, iste sine dubio in montem oraturus ascendit. Vide ut hæc legas attente, Deo dicata, ut ordinate de mortificatione venias ad compunctionem, compunctionemque habendo nosse queas modum orandi.

CAP. XII. — *De pugna vitiorum.*

Et quia lucide de nonnullis instructa es virtutibus, restat ut mente perpendas, quanta lucta sit vitiorum adversus virtutes. Magnum quoque certamen est vitiorum adversus virtutes. Tunc enim poteris omnia vitia vincere repugnando cum divino adjutorio, si contra vitia singula opposueris virtutes. Solet enim pugna vitiorum adversus virtutes ad profectum hominis venire ; quia per illud certamen mens excitatur, et ab elationis vitio purgatur. Contra singula quoque vitia virtutes sunt adhibendæ : contra luxuriam munditia cordis est adhibenda ; contra iracundiam vero patientia ; contra timorem mittenda est fiducia ; contra teporem vero zelus est opponendus. Contra tristitiam quoque malam adhibendum est gaudium spiritale ; contra acediam vero fortitudo est assumenda : contra avaritiam assumenda est largitas ; contra superbiam autem humilitas est proponenda. Contra odium vero charitas virtus assumenda est. De hoc etiam certamine Paulus dicit apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem ; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* v, 17). Et tu, Deo dicata, hæc legendo et memoriæ commendando stude contra hostis iniqui insidias viriliter dimicare. Si te somnolentia gravat, stude illam vincere amando vigiliam, quia somnolentia per vigiliam destruitur. Si te delectat balneorum usus, veniat tibi ad memoriam beatus Jacobus frater Domini, qui primus post apostolos Jerosolymorum rexit Ecclesiam, de quo Josephus narrat, quod nunquam carnem comederit, nec balneo usus fuerit unquam, nec lineis vestibus fuerit indutus, non caput suum secundum consuetudinem gentis suæ oleo unxerit. Si in delectationem tibi deliciæ veniunt, propone ante oculos tuos Joannem Baptistam, qui fuit in utero matris suæ sanctificatus, et de quo Dominus Jesus dixit, quod major illo inter natos mulierum non surrexit. Narrat etiam de eo sanctum Evangelium, quod mel silvestre et locustas edebat. Si ei, qui in te deccat, qui tibi detrahit, aut maledicit, aut in aliquo lædit, non potes ignoscere, sicut vis, veniant ad memoriam quanta et qualia passus fuerit pro te Christus : pro te factus est homo, mortalis, corruptibilis, passibilis, qui erat immortalis, impassibilis. Assumpsit pro te carnem ex Virgine, in qua pateretur et moreretur ; pro te quoque fuit flagellatus, alapis cæsus, sputis linitus, spinis coronatus, ad extremum etiam crucifixus ; pro te hæc omnia sustinuit Christus, ut te a diaboli potestate liberaret. Pendens vero pro te in cruce, quid dicebat : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt ?* (*Luc.* XXIII, 34.) Ille ergo, qui sine peccato occidebatur, pro suis inimicis orabat, et tu si aliquam molestiam patiaris ab aliquo, non potes ex toto corde dimittere. Credo quoque, quod si ista, quæ dico, subtiliter cogitare volumus, omnibus in te peccantibus ex toto corde facile dimittere poteris. Hæc meditando, hæc mente discutiendo poteris iram vincere, poteris omnes diligere, poteris implere Dei præceptum : *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* v, 44). Si tibi venerit voluntas vagandi, recole quod jam mortua es, quod crucifixa es. Nunquam crucifixo homini venit voluntas vagandi : non, quia nihil cogitat nisi de morte sua. Et tu jam mortua es huic mundo. Vide autem ne tu illi, aut ille tibi reviviscat : dic potius cum apostolo Paulo : *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Hæc vero cogitando poteris vincere vagationem. Audi quid

ipse Apostolus de pugna vitiorum adversus virtutes doceat : *Si autem*, inquit, *facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VI I, 13). Tu ergo, si vis vivere, mortifica per virtutes omnia vitia. Per charitatem mortifica odium ; per gaudium occide tristitiam ; per pacem extingue dissensionem ; per patientiam mortifica impatientiam ; per bonitatem occide malitiam ; per mansuetudinem exstingue ferociam ; per continentiam mortifica intemperentiam ; per castitatem occide impudicitiam.Si isto modo actus carnis mortificare curaveris, sine dubio perenni lætitia cum angelis frueris.

CAP. XIII. — *Admonitio de divina pagina.*

Non est in his diu morandum, quia transmitto charitatem tuam ad latissimum campum divinarum Scripturarum, ut quod hic tibi cernis deesse, ibi solerter perquiras. Quapropter oro dilectionem tuam, ut studium in te semper crescat legendi ; quia quanto quisque in divinis Scripturis assiduus fuerit, tanto ex eis majorem intelligentiam capit : sicut terra quanto magis excolitur, tanto amplius fructificat. Nam, quamvis homo tardum sensum habeat, aliquid tamen discere poterit ex Scripturarum mysteriis, si assiduitatem habuerit legendi. *Qui enim habet, dabitur illi, et qui non habet, etiam hoc, quod videtur habere, auferetur ab eo* (*Matth.* XIII, 12),id est : qui habet studium legendi dabitur illi etiam intelligendi facultas ; et qui non habet studium legendi,etiam hoc quod videtur habere, id est, quod naturaliter bonum intelligere valet, propter ignaviam ejus aufertur ab eo. Et sicut ille, qui tardus est ad intelligendum pro sua bona intentione recipiet gloriam, ita ille qui talentum sibi datum negligit,condemnabitur.Quapropter admoneo charitatem tuam. ut studium habeas legendi ; quia omnis profectus ex lectione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus. Dicit enim Isidorus, quod orationibus mundamur, lectionibus instruimur : utrumque bonum est,si liceat ; si vero non liceat, melius est orare quam legere. Qui vult cum Deo semper esse,frequenter debet orare, frequenter debet et legere.Nam cum oramus,ipsi cum Deo loquimur ; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Si hæc ita sunt,o Deo dicata, necesse est tibi orandi legendique studium habere.Lectio cognitionem Dei administrat, lectio tenebras ignorantiæ fugat, lectio scientiam homini confert, lectionis studio Dei,omniumque virtutum amor nutritur,per lectionem potes cognoscere, qualis sit pœna,qualis luctus, quale supplicium imminet malis, injustis, impiisve hominibus,per lectionem potes cognoscere, qualis beatitudo, qualis sit gloria, qualis charitas, quæ promittitur sanctis electisque hominibus. Per lectionem cognoscere vales,quid audituri sint boni vel mali in die judicii ; malis enim dicetur a Domino : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41) ; bonis autem dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.*XXV, 34).Hæc enim omnia lectione discimus ; lectio enim manifestat, quomodo prospera, quomodo adversa tolerare debeas. Quapropter subjungendum est hic aliquid de patrum exemplis, qui infirmitates, vel omnia adversa pro Christi amore patienter tolerare studuerunt, ut tua charitas hoc legens, hoc menti commendans,illud viribus ex totis imitari studeas.

CAP.XIV.—*Admonitio de adversis tolerandis patienter, infirmitateque amanda.*

Hortor igitur, ut si vel infirmitas, vel alia contrarietas tibi accidet,quatenus perfecte valeas scire, qualiter tribulationes,omnesque infirmitates tolerare debeas, lectioni esto dedita. Ibi enim invenies scriptum : *Quos Dominus amat, arguit, et castigat* (*Apoc.* III, 19). Ergo tu, mater, ama argui, et castigari ab illo. Qualiscunque infirmitas venerit, grato animo suscipe illam. Unam rem volo tibi de historia Tripartita narrare, quam subinde volo ut legas,et memoriæ commendes.Fuit Benjamin senior, qui valde clarus habebatur, dono Dei ditatus, ut sine medicamine tactu manus aut olei facta oratione sanaret ægrotos.Hic fertur incidisse in hydropicam passionem et in tantum corpus ejus intumuisse,ut non per januas cellulæ suæ,in qua habitabat,efferri, nisi januæ cum tabulis ante positis sublatæ fuissent. Is ergo passionis suæ tempore pene octo mensibus ante mortem in cella latissima sedens curabat solemniter ægrotantes, non graviter ferens, quomodo suæ ægritudini non prodesset ; sed etiam sedentes consolabatur et deprecabatur,ut rogarent pro anima ejus,et de corpore non curarent : quia et dum sanus essem, inquit, nihil mihi proficit. Hunc Benjamin imitari stude,o sanctissima mater,in omnibus infirmitatibus tuis,Domino semper gratias stude referre. Audiat etiam dilectio tua de beato Stephano monacho,qualiter agere studuerit.Stephanus autem circa mare Oceanum habitavit, perfecta degens, et integra contentione qui circa sexaginta annos probatissimus monachus fuit,et Antonio magno notissimus, Fuit autem mansuetissimus,et sapiens,in locutione suavis, et utilis, et tristes consolabatur animos, et alacritate revocabat,licet necessaria tribulatio præveniret, talis etiam erit in cladibus propriis. Denique dum infirtatem incurabilem incurrisset, et medici putrida membra incidissent,ille tamen manibus operabatur palmarum plectens folia, et præsentibus persuadens, ut de rebus hujuscemodi non dolerent, neque cogitarent,nisi de bono fine : Deus, inquit, quæ fecit cuncta utilia sunt. Ego autem novi, quia hujusmodi passiones pro peccatis meis eveniunt, et melius est hic pœnas solvere, quam post mortem perpetua supplicia sustinere. Stude ergo et tu similiter dicere, quando tibi infirmitas aut alia contrarietas evenit. Considerare quoque summopere debemus,si illi,qui sancti et justi erant, Domino pro infirmitate gratias referebant, quanto magis nos, qui peccatores sumus, infirmitates et tribulationes amare debemus,præsertim cum dicat Apostolus,quod *per multas tribulationes oporteat nos*

intrare regnum Dei (*Act.* XIV, 21). Si igitur per multas tribulationes intratur in regnum Dei, amandæ sunt tribulationes cum gratiarum actiune, a nobis tolerandæ sunt infirmitates, quatenus hæredes regni cœlestis effici mereamur. Peccator enim, qui in hoc mundo flagellari non meretur, in inferno torquebitur. Optandum ergo nobis est, o sanctissima mater, ut in hac, dum vivimus vita, tribulationes et infirmitates pro Christi amore, et pro remissione peccatorum nostrorum libenti animo sustineamus. Scire namque debet dilectio tua, quibus modis Deus hominem flagellat. Legi enim, quod quinque modis Deus hominem flagellat. Primo modo flagellat probationem. Sic flagellatus es Job et Tobias ; ad hoc enim flagellati sunt, ut probati essent et manifesti aliis ob causam exempli imitandi, ut eorum cognoscentes impatientiam illos imitari studeamus. Secundo Deus homines flagellat, ne se extollant in superbia, vel in securitate ponant, quod ad sanctos specialiter pertinet, sicut beatus apostolus Paulus de seipso dicit : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, ut me colaphizet* (*II Cor.* XII, 7). Qui postquam cognovit, quod salubre illi fuisset illud flagellum, dixi : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabibet in me virtus Christi* (*Ibid.*, 9). Tertio modo Deus hominem flagellat propter peccatum, sicut paralyticum, cui dixit : *Remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 2). Deinde dixit : *Tolle lectum tuum et vade in domum tuam* (*Ibid.*, (Per hoc vero, quod illi peccata dimisit, et deinde ab infirmitate curavit, apertissime demonstratur, quod illa infirmitas ei propter peccatum evenerit. Quarto modo Deus hominem flagellat, ut sua virtus, vei factorum suorum meritum demonstretur, sic de cæco nato ipse in Evangelio Dominus dixit : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, sed ut clarificetur Filius Dei per eum* (*Joan.* IX, 3). His verbis aperte demonstrat, quod ideo cæcus natus fuerit, ut a Deo illuminaretur, ac per hoc virtus divinitatis manifestaretur. Quinto modo Deus homines flagellat, ut hic incipiant tormentum sustinere, quod postmodum sine fine sustinebunt, quod solummodo ad malos pertinet. Sicut Antiochus et Herodes inchoaverunt pati hic, quod postmodum in inferno passuri erant. De his scriptum est : *Duplici contritione contere eos* (*Jer.* XVII, 18), hoc est : in præsenti et futuro. His quinque modis Deus hominem flagellat. Idcirco vero incognitum est, quomodo ex his unusquisque flagellatur, ut unusquisque flagellatus timeat, et emendet, flendo, quod fecit ; quatenus flagellum et ad profectum eveniet. Adnonenda est ergo beatitudo tua, ut hos quinque modos, quibus Dominus hominem flagellat, memoriter discas, quatenus in omni infirmitate vel in tribulatione semper ante mentis tuæ oculos illos habeas. In his namque meditando flagellum Domini gratanti animo tolerabis. Firmiter enim debemus credere, quod nullum peccatum sine vindicta relinquatur : aut enim hic per pœnitentiam, A unusquisque suum peccatum delet, aut Dominus pie per suum flagellum purgat, aut post mortem igne purgatorio expiabitur. Quod si his modis peccatum hominis non fuerit deletum, post hanc vitam in ignem descendet æternum. Hæc vero nequaquam de tua debes desperare salute, nequaquam cum desperatis dicere : multa sunt mala mea, et innumerabilia peccata mea. Scito pro certo, quod nullus tantum possit peccare, quantum Dominus valet dimittere : tantum si pœniteat peccantem, et si ad illum converti studeat. Et quia sermo se intulit de venia peccatorum speranda, volo factum Theodosii imperatoris tibi ad memoriam adducere, per quod et ad sperandam peccatorum veniam mens tua sublevetur, et ad lacrymarum fluentiam proferendam cor tnum compungatur. Cur desperabit aliB quis peccator de venia, si ad Dominum ex toto corde convertatur, cum supradictus imperator septem millia occidens lamentando et se reum agnoscendo veniam intra paucos dies potuit promereri ? Ut igitur manifestissime cognoscere possit sanctitas tua, quomodo hæc gesta sunt, cur videlicet septem milia hominum occiderit, et qua se occasione reum agnoverit, et quomodo se humiliaverit, et quomodo veniam promeruerit, verba historiæ Tripartitæ hic per ordinem sunt inserenda : per quæ verba in multis proficere, Domine juvante. poteris virtutibus ; primo in speranda venia peccatorum ; quia tantarum hominum sanguine reus existens facile veniam impetravit. Deinde in humilitate, quia cum imperator esset, per prædicationem beati Ambrosii tantum se C humiliavit, ut omnibus peccatoribus se inferiorem esse cognosceret. Deinde in lacrymis, quia cum ecclesiam intravit, pavimentum ipsius ecclesiæ lacrymis rigavit. Volo igitur, ut hoc tuæ charitati non sit incognitum, quod nemo simul in se omnia valet exstinguere vitia. Nam, dum quispiam passionem libidinis effugerit, in avaritiam incurrit ; et, cum avaritiam declinaverit, invidiæ fovea illi præparatur ; et, si invidiam vicerit, mox vitium futuris et alios plurimos laqueos ponit inimicus, per quos possit capere incautum. Non est itaque facile hominibus vitare universas insidias hostis, sed mens divino solatio evigilans, divinaque protectione adjuta, argumenta et machinamenta omnia antiqui hostis destruet.

D CAP. XV. — *De speranda venia peccatorum, quamvis innumerabilia sint pœnarum tormenta, pœnitentiaque Thodosii imperatoris a beato Ambrosio sibi injuncta, causa exempli hic infertur.*

Theodosius namque imperator habuit passionem furoris ; sed justo furori immensam crudelitatem permiscuit, quam rem pro tua humilitate, id est, ut in supradictis virtutibus ex ejus lectione proficias, narrare necessarium est. Thessalonica civitas est grandis et populosa, in qua cum orta fuisset seditio, quidam ex judicibus ejus lapidati sunt, atque tracti. Hinc indignatus Theodosius, iracundiæ non refrenavit infirmitatem ; sed jussit injustos gladios

super omnes evaginari,et una cum nocentibus innocentes interimi. Septem etiam milia hominum,sicut fertur, occisi sunt, non præcedente judicio, sed tanquam in messibus omnes incisi sunt.Hujusmodi cladem plenam valde gemitibus audivit Ambrosius, et cum princeps Mediolanum venisset,et solemniter in sacrum templum voluisset intrare,occurrit foris ad januas beatus Ambrosius, et ingredientem his sermonibus a templi ingressu prohibuit : Nescis, o imperator,perpetratæ necis a te quanta magnitudo, neque post causam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit? sed si forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii, decet tamen, ut ratio vincat potestatem, scienda quippe natura est, et ejus mortalitas, atque resolutio,et pulvis progenitorum, ex quo facti, ad quem redigendi sumus. Non in flore purpureo confidens infirmitates operti cordis ignorare coæqualium hominum ; non est confidendum in purpura, sed magis consideranda est conditionis æqualitas,Princeps es,o imperator, conservorum ; unus est enim rex Deus omnium et Creator. Quibus ergo oculis Domini aspicies templum ? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pavimentum? Quomodo manus extendes,de quibus sanguis injustus adhuc distillat ? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus?Qua præsumptione ori tuo porrigis poculum sanguinis Domini pretiosi, dum furore sermonum tantus sanguis sit injuste effusus ? Recede ergo, recede, ne secundo peccato priorum nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum, quo te omnium Dominus nunc ligavit ; est enim medicina maximæ sanitatis.His quoque sermonibus imperator obediens (erat enim divinis eruditionibus enutritus),et aperte sciens quæ sunt propria sacerdotum,quæ regum, gemens et deflens ad regalia remeavit ; cumque octo mensium continuata transissent tempora, propinquans erat Salvatoris nostri nativitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens,continuas lacrymas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus tunc magister et singularem fiduciam apud principem habens,et videns eum in lamentatione prostratum accessit, ut lacrymarum causas requireret. At ille amarissime ingemiscens et vehementer lacrymas fundens : Tu, inquit, Rufine, ludis, et mea mala non sentis ; ego autem lamentor et gemo calamitatem meam ; quia servis quidem et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum licenter ingredientes exorant ; mihi vero ingreesus non est ad eum. Insuper etiam cœli sunt mihi clausi. Hæc singula verba dicens singultibus interrumpebat. Rufinus vero : Curro, inquit, si tibi placet, et pontifici precibus persuadeo,ut solvatur vinculum,quo te ligavit. Ait imperator ; Non suadebis Ambrosio ; novi enim decretum illius justum esse, neque enim reverebitur imperialem potentiam, ut legem possit prævaricare divinam.Cumque Rufinus verbis plurimis uteretur,et promitterct Ambrosium esse flectendum, imperator eum pergere eum festinatione præcepit.Ipse vero spe data post paululum est secutus, credens Rufini promissionibus. Porro vir mirandus Ambrosius mox ut vidit Rufinum ait : Imitatus es impudentiam canum, o Rufine,tantæve necis auctor existens,pudorem ex fronte detergens, nec erubescis,nec metuis contra divinam imaginem latrare. Cumque Rufinus supplicaret, et imperatorem diceret venturum esse, superno zelo accensus Ambrosius : Ego, inquit, Rufine, prædico quoniam ego eum ingredi ecclesiam prohibebo ; si vero imperium in tyrannidem mutabit, necem ego libenter suscipio. Hæc et alia plurima Rufinus audiens nuntiavit imperatori votum antistitis,monens ne de palatio forte procederet. At imperator hoc in media jam platea cognoscens : Pergo, inquit, et justas in facie suscipio contumelias.Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam ecclesiam non præsumpsit intrare sed veniens ad antistitem et inveniens eum in solario residentem, supplicavit ut ejus vincula solveret.At ille crudelem dicebat ejus esse præsentiam,et contra Deum insanire Theodosium,ejusque calcare leges. Verum, inquit, imperator,non insurgo contra ecclesiasticas sanctiones, neque inique ingredi limina sacra contendo ; sed te solvere mea vincula deposco,et Domini clementiam pro me exorare stude:nec mihi januam claudi præcipias,quam Dominus noster cunctis agentibus pœnitentiam aperuit. Tunc ait antistes : Quam,inquit, pœnitentiam ostendisti post tantas iniquitates ? Quibus medicamentis incurabilia vulnera plagasque curasti ? At imperator. Tuum, inquit, opus est et docere, et medicamina temperare ; meum vero oblata suscipere. Tunc sanctus Ambrosius dixit : Quoniam furore tuum judicium commisisti, et non ratio protulit sententiam,sed potius iracundia, scribe legem,quæ decreta furoris evacuet,ut triginta diebus sententia necis in litteris tantummodo maneat, et judicium rationis expectet ; quibus transactis diebus,ira videlicet cessante,ratio causam judicans,apud semetipsam quæ cognovit sub veritate disponat ; in his enim diebus agnoscitur,si justa sit sententia,quam protuleris, an injusta. Si justa fuerit, permaneat ; sin autem injusta,destruatur.Numerus vero triginta dierum ad hæc examinanda sufficiet.Hanc admonitionem imperator libenti animo suscipiens et optimam esse confidens, legem rescribi repente præcepit, et propria manu litteras confirmavit. Quo facto vinculum ejus solvit Ambrosius. Quæ lex hactenus observatur. In tali namque tenore facta fuit illa descriptio,ut si quos imperator morti damnasset, usque triginta dies servarentur illæsi, quos regis ira judicaret severius,et eorum sententia esset suspensa, quatenus in spatio triginta dierum ira quiescente, probasset justum an injustum,et quod justum probasset, hoc agere studuisset. Hic ergo sacratissimus imperator ingredi lamina permissus, non stans Domino supplicavit, neque genua flexit, sed pronus in pavimento jacens Davidicam vocem proclamat : *Adhæsit pavimento anima mea, vivifi-*

ca,etc.(*Psal*.cxviii,25). Manibus autem capillos evellens,frontemque percutiens,pavimento lacrymarum guttas aspergens,veniam impetrare poscebat. Cumque tempus accederet, quo munus ad altare solebat offerre, surgens est ingressus. Cum vero obtulisset, sicuti solitus erat,et intra cancellos stetit,rursus Ambrosius non acquievit,sed locorum differentiam edocuit.Et primo quæsivit quid ibidem exspectaret. Imperatore autem dicente,sustinere se sacrorum ministrorum præceptionem,per archidiaconum remandavit : O imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collocata,quæ nec cæteri ingredi,nec contingere permittuntur.Egredere ergo,et hanc exspectationem cum cæteris habe communem; purpura namque imperatores, non sacerdotes facit. Tunc fidelissimus imperator etiam hanc traditionem gratanti animo suspiciens remandat : Non audaciæ causa intra cancellos mansi,sed hanc consuetudinem in Constantinopolitana urbe esse cognovi : unde ago gratias pro hujusmodi medicina· Tali ergo et tanta virtute et præsul et imperator clarebant.Ego namque utriusque opus admirari (soleo) illius fiduciam, hujus obedientiam,id est fiduciam sacerdotis,obedientiam regis, illius zeli fervorem, hujus fidei puritatem. Igitur eximium opus nunc narratum est,quod te potest excitare,o sanctissima mater, in custodia multarum virtutum. Hæc enim Theodosii christianissimi principis,et beatissimi Ambrosii pontificis contentio sancta provocat hominem ad sperandum veniam peccatorum, ob quam maxime causam hanc sanctam contentionem tibi scribere studui.Provocat etiam ad charitatem, humilitatem obedientiamque sectandam,quas virtutes in principio hujus admonitionis tuæ dilectioni commendare curavi. De quibus ergo virtutibus te in principio hujus exhortationis admonui,de ipsis te et in fine admoneo,quatenus bonum quod cœpisti, perseveranti fine percipias. Provocat etiam durum et lapideum cor ad lacrymas profluendas, incitat ad zeli fervorem.Deprecor vero dilectionem tuam, ut hunc actum, hanc sanctissimam pœnitentiam piissimi principis,et zelum sanctissimi pontificis crebro legas, quia magnus animi profectus in ea latet. Si itaque ea, quæ sanctitati tuæ scripsi,prudentissima mater,perficere potueris opere, id est, si prorsus a te omnia vitia repuleris, et quæ in hac admonitione narrantur bona,custodire volueris, scito, quod tuis viribus hoc non facias,sed inspirante et adjuvante, qui dicit in Evangelio : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Sed nec cogitare quidem aliquid boni valemus nisi illo operante, illo donante, a quo omne bonum procedit. Audi quoque attente, quid Dominus de hac causa per Jeremiam prophetam dicit:*Non glorietur sapiens in potentia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur : scire et intelligere et nosse me* (*Jer.* ix, 23). Per hæc enim verba cum fumo auferetur superbia; quia sapientia et fortitudo et omnes opes reputantur in nihilum,et ista et sola gloriatio,ut sciat et intelligat quod ipse sit Dominus,qui facit misericordiam,judicium et justitiam nostram. Ex isto quoque loco sumpsit apostolus Paulus,quod ad Corinthios scripsit : *Fratres, qui gloriatur, in Domini glorietur* (*II Cor.* x, 17). Ubi sunt illi, qui dicunt hominem proprio arbitrio regi? Ubi sunt illi, qui dicunt,quod a nobis bonum inchoare possimus? Nequaquam illud credere debemus,quia nec cogitare,quanto minus perficere valemus,nisi ipso Domino donante.Ergo,si Domini gratia largiente bonum opus peregeris, et ea, quæ beatitudini tuæ scripsi,perfeceris,non tuis viribus,non tuis meritis hoc tribuas, sed illi qui in te operatur et velle et perficere pro bona voluntate, cui est honor et potestas, et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI DCCCCLXV.

SANCTUS BRUNO

COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM BRUNONEM

(Apud Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.)

Bruno, Henrici Aucupis filius et Othonis Magni imperatoris frater, Coloniensis, ab anno Christi 953 ad 965 archiepiscopus. Huic *commentarios in Pentateuchum* alii tribuunt, quales habentur editi sub nomine Brunonis Herbipolensis, et de quo jam dixi, Astensis. Sixtus vero Senensis lib. iv Biblioth. s., pag. 270, testatur in Bibliotheca Bononiensi Prædicatorum exstare ms. hujus Brunonis *Commentarium in quatuor Evangelia*, quo testatur se illa post Pentateuchum Moysis, ut nova veteribus jungeret, illustrasse.

VITA SANCTI BRUNONIS

AUCTORE RUOTGERO CLERICO COLONIENSI.

(Apud Pertz, Monumenta Germaniæ historica. — Script. tom. IV, p. 252.)

Vitam Brunonis optimi viri, animo factisque ad Ottonis fratris magnitudinem proxime accedentis,

amicus ei et in cathedra Coloniensi successor Folcmarus sive Poppo (1906-9), Ruotgero cleri Coloniensi (1910) et præcipuo defuncti familiari et comiti (1911) scribendam injuxit. Quo munere vir talibus amicis dignus, litterarum Romanarum(1912)et Græcarum peritus, judicio rectus (1913) rerumque calamo tradendarum apprime gnarus, absque mora functus,librum egregium, et Sigeberto monente luculenter scriptum, qui tamen nonnunquam propter brevitatem intentiori animo legendus est, Folcmare obtulit. Opus igitur anno 966 aut 967 (1914) intra biennium post Brunonis obitum et paulo ante Widukindi res gestas Saxonicas (1915) et Hrotsuithæ panegyricum (1916), quibuscum in laudibus Brunonis congruit, absolutum, præcipuam sibi fidem conciliat,et inter primos ævi illius fontes referendum,statim ut prodiit doctis viris plurimum sese commendavit.Siquidem Folcuinus abbas,in gestis abbatum Lobiensium nostrum ad verbum pene ducem secutus est,et Thietmarus Brunonem in cunctis divinitus humanitusque proficuitatibus pollentem celebrans (1917),quominus de innumerabilibus tanti viri ingenuis actibus plura proferret, se libro de nobili ejus conversatione scripto prohiberi dicit. Eodem tempore auctor Vitæ Mathildis reginæ (1918) et sæculo post Sigebertus (1919) nostrum exscripseruut, Hermannus Contractus (1920), Ægidius Aureævallis monachus (1921), et Trithemius eum noverant; nec apud Colonienses latuisse auctorem tantis eorum memoriæ titulis commendatum, altera Brunonis Vita testatur, sæculo XIV conscripta,quam Ruotgero præcipue inniti lectores facile advertent.Editionem nostram post priores Surii, Leibnitii et Byei curas ope codicum trium, omnium scilicet qui unquam innotuerunt, instituimus.

1. C. bibl. ducalis Guelferbytanæ mbr. sæc. XI in fol. inter Augusteos 76, 14 signatus qui plerumque per quaterniones littera valde parva exaratus,paginis 63 (1922) complura magni momenti opera historica exhibet, Sigeberti Vitam Deoderici I Mettensis episcopi; fol. 5-18 Vitas Goerici, Clodulfi. Adelberonis II, Romarici abbatis, Amati confessoris, Adelphi abbatis, Mansueti episcopi Tullensis auctore Adzone, quas æque ac easdem in codice regio Parisiensi n. 5294 a Bettone scriptas, ex antiquiore quodam libro fluxisse patet; tum fol. 18-24 Vitam Grodegangi episcopi Mettensis; fol. 25-30 olim Alperti libri de diversitate temporum et de gestis pontificum Mettensium fragmentum exstabant, jam in bibliotheca regia Hannoverana reconditi; fol. 31-36, Aviti, Severi, Evodii, Pauli scripta de Stephano; fol. 36, Bedæ epistola ad Eadfridum de Vita Cuthberti; fol. 38, Miracula S. Wigberti; fol. 40, Luciani epistola de S. Stephano leguntur.Unde a folio 43 Ruotgeri Vita Brunonis, sermo in natali S. Pantaleonis, Stephani sermo in natali S. Maurini, translatio S.Maurini et sermo S. Augustini; fol. 49-63, Harigeri et Anselmi gesta pontificum Leodiensium habentur. Folii 63 pars, fol. 64 et aliæ codicis partes vacant. Scribis, quibus tanti libri debentur, corrector successit,qui multa passim emendavit, perperam omissa in margine et in schedulis annexis supplevit; correctorem hunc fortasse Sigebertum Gemblacensem fuisse, conjicere licet,quod tamen manus cum Chronico ejus autographo collata confirmabit aut refellet.Certe Sigeberto codicem hunc ad manus fuisse, operibus quæ continet Sigeberto notis confirmari videtur. Inter quæ Vita Brunonis textum talem præbet, qualem, paucis tantummodo mendis exceptis, Ruotgerus scripserit. Usus erat eo jam ante nos Leibnitius in SS. Brunsw. 1, 273 sqq., sed Surii editione seductus, textum minus bonum et fidum dedit.

2. C. bibl. regiæ Bruxellensis, olim S. Pantaleonis Coloniensis, jam numeris 329-341 signatus,membranaceus in fol. sæc. XV, quem a. 1826 evolvi (1923) et Bethmannus noster jam in usum nostrum convertit, a Surio (1924) typis expressus est. Exhibet Vitam et miracula S. Pantaleonis, Vitam et translationem S. Maurini auctore Stephano, Vitam et translationem S. Albini, Vitam Mathildis reginæ, testamentum ecclesiæ S. Ceciliæ, notitiam de constructione monasterii S. Pantaleonis, Vitam breviorem S. Brunonis, Ruotgeri Vitam S. Brunonis, sermones Augustini et Bedæ; et Ruotgeri quidem opus insertis historiis translationum S. Evergisili et Patrocli. Altera Vita magnam partem ex libro Ruotgeri hausta, propter nonnulla tamen aliis fontibus qui hodie latent debita typis vulgari meretur. Exscripsit eam et in capita distinxit Bethmannus.

3. C. bibl. regiæ Bruxellensis n. 7460, olim Vallicellianæ, Vitas SS. mensium Octobris et Novembris continens, mbr. fol. max. duabus columnis sæc. XIII scriptus, quem adhibitis Surii et Leibnitii editionibus Byeus in Actis SS. Bollandianis mensis Octobris t. IV, 698-790, secutus et præfatione atque commentario commitatus est. Detexit eum iterum a. 1839, et in usus nostros converti Bethmannus; textus, multis vocibus omissis, aliis additis, a genuino recedit (1925).

Capitum distinctionem,quæ a Leibnitiana paulutum recedit, ex codice 3 acceptam, nonnunquam, prout sententia flagitare videbatur, emendavimus. Codex 1 capita longiora exhibet, sed omissis numeris nonnullis in hac re facem præferre nequivit.

(1906-9) Idem nomen est. Cf.

(1910) Præf. et cap. 13, *hujus sancti cleri senatus.*—Eum scholarum magistrum fuisse,Leibnitius conjecit; congregationi S. Pantaleonis ascriptum fuisse ex verbis cap. 47, haud necessario efficitur.

(1911) C. 4 : « sicut ab ipso. . . hoc sæpius ruminante didicimus; » c. 29, 30, 37 : « in acie vidimus; » c. 43 : « Wicfrido episcopo, ut ipse testis est; » ibidem inter « clientulos, » archiepiscopi in itinere Gallico comites, fuisse videtur.

(1912) e. g. Terentium novit c. 39.

(1913) Cf. e. g. quæ de Friderico archiepiscopo Moguntino cap. 16, de Heinrico duce ejusque adversariis c. 17 dicit.

(1914) Bruno d. 11 Oct. 965,Folcmarus d. 18 Jul. 967 obiit.

(1915) Nec tamen Widukindus Ruodgeri libro usus,eodem animo Brunonem laudat 11, 36.Cf. I. 31.

(1916) V. 53 sqq. — Cf. et infra vitam Joannis Gorziensis cap. 116.

(1917) II, 15.

(1918) Cap. 9.

(1919) Vita Deoderici c. 1 SS. ecclesiast. c. 130 chronico ad a. 953-965.

(1920) a. 965 neque tamen librum habuisse videtur.

(1921) Gesta epp. Leod. c. 34.

(1922) In eodem volumine alter codex, cujus folia jam numeris 65-156 insigniuntur, habetur, sed a nostro plane diversus, chartaceus scilicet et qui nonnisi sæculo XV, exaratus est; hinc errore manifesto totus liber sæculo XV ascrbitur in b. m. Eberti nostri catalogo codicum Guelferbytanorum, Archiv. VI. 5.

(1923) Archiv. VII, 407.

(1924) Acta SS. V, p. 701.

(1925) De aliis codicibus qui Ruotgeri opus præbere dicebantur, hæc addimus : C. bibl. regiæ Bruxellensis n. 982 chart. fol. sæc. XV exeuntis nonnisi ex Ruotgeri libro decerpta, iisdem verbis fere semper servatis, exhibet, ideoque a Bethmanno neglectus est.C. bibl. ducalis Guelferbytanæ inter Helmstadienses, n. 353 chartac. in folio sæc. XV, tum codex universitatis Lipsiensis n. 594 et C. regius Monacencis inter Tegernscenses n. 897 mbr. sæc. XIII, ad Ruotgeri opus minime faciunt.

INCIPIT PRÆFATIO VITÆ [223] DOMNI BRUNONIS COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Domino in Christi gratia beatissimo atque in omni splendore sapientiæ [223] *a* perfectissimo FOLCMARO archiepiscopo BUOTGERUS [223] *b*, servorum suorum ultimus, veræ claritatis gloriam sempiternam.

Imposuit sanctitatis vestræ reverentia super caput meum gravem quidem sarcinam, sed pro captu parvitatis meæ dulcem admodum et jocundam, videlicet ut mirabilis et magnifici archiepiscopi Brunonis, qua potuerim sermonis facultate, describerem. Cui virtus laudem contulit, quam, ut ipse meruit, styli mei officium implere non potuit. De ipso tamen [224] quomodocunque loqui, quia vos jussistis, delectabile fuit. Qui ab initio sic fuit animatus, ut non magis sua causa se putaret natum quam nostra reique publicæ procreatum. Fecit omnino plurima et prope infinita, quæ digna fuerunt semperna memoria ; sed non exspectet auditor aut a me aut a quolibet hæc omnia explicanda. Quod si quis fideliter et vere agendum promitteret [225], singulos quos pueritiam prætergressus [226] vixit annos propriis et his utique spatiosis codicibus insigniret. Æstimo igitur multos longe lateque hac occupatos industria, ut gesta ejus his etiam qui post futuri sunt, partim scribendo, partim commemorando transmittant. Non enim in una provincia aut in uno negotiabatur regno ; omnium quos adire poterat salutem benevolentiæ atque laboris studiique sui quærebat commercio.

A Non [227] desunt plurimi qui hoc laute et prudenter exsequi possint, cum etsi nulli alii tales valeant reperiri, in solis [228] ejus discipulis omne studiorum et eloquentiæ genus adhuc recenti ejus memoria ita per multa terrarum loca floreat, ut maxima rerum gestarum insignia non enarrare modo verum et exornare sufficiat. Quot quantosque de alumnis tanti viri episcopos, quantos in quacunque ecclesiasticæ professionis disciplina probatissimos novimus, qui eum et familiarius noverunt, et perfectius illustribus monumentis vitam ejus declarare potuerunt ! Sed quid sum ego, qui votis vestris, dominorum excellentissime, ausus fuerim contraire ? Feci ergo quod potui, quomodo potui [229], non præsumens de scientia, sed fiduciam qualemcunque retinens in

B obedientia. In quo, etsi minus possibile mihi visum est id explere quod aggressus sum, præcepti tamen vestri dignitatem ita venerari semper et amplecti animum induxi, ut impossibilitatis meæ oblitus, in manibus vestris sim oculis et animo totus. Hinc ego largifluæ [230] pietati vestræ supplico [231] ut quod huic operi meo deest in pompa ornatuque sermonis, suppleat in auribus vestris ejus [232] commendatio, quem pro merito virtutis tam suaviter amastis. Beatitudinem vestram Deus omnipotens ad salutem nostram diutissime incolumem [233] et benevolentem conservare dignetur [234].

INCIPIT VITA DOMINI BRUNONIS ARCHIEPISCOPI [235].

1. Sapientiæ nimirum est, scire unde sit donum quod finis accepit [236] ; ne [237] a se sibi hoc esse, aut a Deo quidem sed sibi debitum, pûtet. Si enim quærimus quid nobis debeatur, nihil invenimus nisi supplicium. Misericordia autem Dei prærogavit nobis gratiam, ut haberet, quibus redderet gratiam pro gratia ; et hoc jam [238] esset debitum, quia Deus voluit non quia homo meruit. *Quid enim habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ?* (*I Cor.* IV, 7.) Ineffabili igitur providentia bonitatis Dei collatum est electis ejus, ut et gratis copiosis gratiæ muneribus ditentur, et tamen hoc ipsum, quo munerantur, quodammodo per gratiam mereantur ; alius sic, alius vero sic, unusquisque secundum quod in eo operatur

C unus atque idem spiritus, divicens singulis prout vult (*I Cor.* XII, 11). Soli Unigenito non ad mensuram dat Deus Spiritum. In ipso namque, ut ait Apostolus, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II, 9), membris ejus pro sua cuique voluntate partitur ; quibus abundanter omnia dat ad fruendum, videlicet se ipsum, ut sit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV, 28). Dispar hæc claritas et diversa donorum largitas nunc est admirabilis quæstio, quandoque erit honorabilis [239] pulchritudo et ornatus domus Domini, de qua dicitur Deo : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate* (*Psal.* LXIV, 5, 6).

2. Compertum est nuper a plurimis in venerabili Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopo Brunone piæ

VARIÆ LECTIONES.

[223] incipit vita 1. 2. [223] *a* gratia *corr.* sapientiæ 1. [223] *b* Rotgherus 2. Rogerus 3. [224] t. me q. 3. [225] promittit 3. [226] *ita L.* prægressus 1. 2. 3. [227] nec 2. 3. [228] solis *corr* . scolis (*deest* discipulis) 3. [229] q. p. *desunt* 2. *sed postea corr.* [230] largistuæ 1. [231] suplico 1. [232] *deest* 3. [233] colum 1. [234] d. explicit prologus, 2. 3. [235] Coloniensis *addit* 3. [236] accipit 2. [237] nec 3. [238] ammirabilis 2.

memoriæ,et satis a prudentioribus intellectum,homo homini quid præstet [240], vel excellat [241]. Cujus plerique [242] dicta et opera, qui [243] familiarius eum noverant, satis admirari nequibant. Erant enim in uno illo homine res valde dissimiles : natalium nobilitas, honorum dignitas,scientiæ, quæ inflare solet, tanta sublimitas [244], ut nihil supra animi vero et habitus humilitas quantum a sagacioribus discerni potuit, ut nihil infra putares. Nam [245] media charitate constrata sunt. Arridebant [246] ei omnia quæ ad fastum suppeterent, quæ [247] a [248] se semper studiosissime vigilantis [249] manu discretionis abegerat. Ita illud ad oculos hominum, aliud ad testem cordium exhibebat [250]. Cujus conversationis exemplo plurimos salubriter institui posse credimus,si eamdem strictim a pueritia repetamus. Habent enim in illa mediocres et humiles, unde convalescant : elati contra et divites, unde obstupescant. Attavorum ejus attavi usque ad hominum memoriam omnes nobilissimi ; nullus in eorum stirpe ignotus [251], nullus degener facile [252] reperitur ; hic tamen omnes,salva augustorum et regum excellentia,omnino perspicacissime lineamentorum gratia,artium gloria, et omnigena animi superabat industria : natus eo tempore (925), quo pater ejus Henricus [253] rex gloriosus, perdomita [254] barbarorum sævitia, represso etiam intestinæ cladis periculo, diruta magno studio reædificabat, et volentem populum justitiæ frenis in tutissima et optatissima [255] demum pace regebat. Ita nativitatis ejus tempus jam quasi futura bonæ voluntatis ejus insignia præferebat. Nam cum omne quod bonum esset [256] vivacissime semper appeteret, pacis donum quasi nutrimentum et ornamentum quoddam cæterorum [257] virtutum sollicitius expetivit, quod bonis omnibus profuturum præscivit. Tranquilitatis enim tempore nutriri [258] debent et solidari virtutes, ut perturbatione qualibet ingruente, a status sui vigore hominem emolliri non desinant.

3 Nimis longum est prosequi [259], quomodo memoratus rex, pater hujus magni viri de quo agimus, ad illam tam gratæ pacis serenitatem pervenerit, cum ipse omnia regni [260] spatia et continuis finitimorum incursionibus et gravissimis inter cives etiam et [261] cognatos dissentionibus concussa et atrociter vexata repererit [262]. Hinc etenim sæva Danorum gens terra marique potens, inde centifida Sclavorum rabies barbarorum frendens inhorruit ; Ungrorum nihilominus insecuta crudelitas, transgressa terminos Marahensium, quos sibi non longe ante impia usurpavit licentia, plerasque provincias regni ejus ferro et igne longe lateque vastavit. Dies ante, quam hujus mali materies narrandi [263] deficeret [264]. Trans Hrenum [265] occidentem versus nobis omnia rebellabant, ipsi certe regni adhuc angusti [266] principes in sua viscera pene irremediabiliter sæviebant ; quæ omnia vel resecare vel sanare [267] nemo nisi præcipua virtute et singulari præditus industria posset. Sed post aliquantulum [268] temporis tantus timor per gratiam divinam invasit extraneos, ut nihil unquam eis esset formidabilius ; tantus amor colligavit domesticos, ut nihil unquam in quolibet potentissimo regno conjunctius videretur.

4. Eo tempore (929) generosa regum proles, annos circiter quatuor habens, liberalibus litterarum studiis imbuenda [269] Baldrico venerabili episcopo, qui adhuc superest (1926), Trajectum missa est. Ubi cum ipse disciplinabiliter [270], ut puta bonæ indolis puer, ingenio sagaci proficeret, invisa Nordmannorum [271] tyrannides [272] quasi [273] per hujusmodi obsidem aliquantum refriguit, et Ecclesiæ demum cæteraque [274] ædificia, quorum ruinæ vix exstiterant [275], hac occasione restauratæ [276] sunt. Ita nulla suæ ætatis spatia absque [277] utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ transigebat. Per ipsum enim, licet adhuc inscium, jam christianus populus ab hostibus liber,in Dei laudibus exsultabat. Deinde ubi prima grammaticæ artis rudimenta percepit, sicut ab ipso in Dei omnipotentis gloriam hoc sæpius ruminante didicimus. Prudentium poetam tradente magistro legere cœpit. Qui sicut est et fide intentioneque catholicus, et eloquentia veritateque præcipuus, et metrorum librorumque varietate [278] elegantissimus, tanta mox dulcedine palato cordis ejus complacuit,ut jam non tantum exteriorum verborum scientiam,verum intimi medullam sensus, et nectar ut ita dicam liquidissimum, majori quam dici possit aviditate hauriret. Postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni Græca vel Latina eloquentia,quod ingenii sui vivacitatem aufugeret. Nec vero, ut solet, aut divitiarum affluentia, aut turbarum circumstrepentium assiduitas,aut ullum [279] aliunde subrepens fastidium ab hoc nobili otio animum ejus unquam avertit ; ita ut munditiam cordis ejus attestaretur jugis meditatio et indefessum continuæ exercitationis studium,cum jam penitus omnis hujusmodi affectio transiret in habitum, sicut scriptum est : ***Ex studiis***

VARIÆ LECTIONES.

[240] prestat 3. [241] v. e. *desunt* 3. [242] pleraque 2. 3. [243] quid 1. [244] *deest* 3. [245] N. 1. *deest* 2. 3. [246] Aridebant 1. [247] hec 3. [248] ad 1. [249] vigilanti 2. 3. [250] exibebat 1. [251] innotus 3. [252] *deest* 2. *sed postea corr.* [253] hienricus 1. henricus 3. [254] per dogmata 1. [255] et o *desunt.* 3 [256] *deest* 3. [257] cetorum *superscripto* a 1. [258] nutri 1. [259] prosequi 1. [260] r. sui sp. 3. [261] *deest* 3. [262] repperit 3. *qui hic novum cap incipit.* [263] narranti *ed.* [264] deficiet 3. [265] rhenum 2. renum 3. [266] *ita* 1. augusti *edd.* [267] narrare 3. [268] aliquantum 2. 3. [269] imbuendo 3. [270] disciplinaliter 3. [271] normannorum 3. [272] *ita codd.* tyrannis L. [273] *deest* 3. [274] ceterarumque 1. [175] etiterant 1. [276] restaurata 3. [277] atque 1. [278] *deest* 3. [279] illum 1.

NOTÆ.

(1926) Obiit an. 976.

suis intelligitur puer, si munda et si recta sint opera ejus (*Prov.* xx, 11). Huc accedit, quod sicut fervorem animi sui non passus est aliorum desidia et levitate existingui aut superfluis vanisque corrumpi colloquiis, ita libros in quibus studuit, aut quoscunque præoculis habuit, incaute refringi aut corrugari vel quomodolibet minus diligenter tractari omnino ægerrime tulit; nihil sane in his, quæ ad se pertinebant, negligendum ducens; quoniam quidem, ut Salomon ait: *Qui minora negligit, paulatim decidit* [280] (*Eccli.* xix, 1).

5. Igitur postquam pater ejus, fundato et ad unguem pacato imperio, rebus humanis concessit, Otto filius ejus major natu, benedictione Domini auctus et oleo lætitiæ unctus (936), magna voluntate et consensu principum regnare cœpit, centesimo octogesimo octavo lustro, sexagesimo tertio (1927) indictionum circulo ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi; vir in quem Spiritus Dei donum contulit singulare veritatis et fidei. Cujus virtutes si me narraturum promiserim, nimium mihi sumpserim [281], et ferendus minime fuerim. Excedit enim laus ejus et gloria, quidquid vel ipse Cicero sibi promitteret in facundia. Hic germanum suum Rrunomen Deo Dicatum, adhuc adolescentulum, honorabiliter, ut par fuit, e scholis in palatium evocavit, locum videlicet tam lucidissimo aptum speculo, ubi, quidquid deforme per totum pene mundum esset, in studiis liquidius appareret. Huc enim ex omnibus finibus ejus confluebat totum quod sibi aliquid esse videbatur. Nihilominus ab omnibus calumnia qualibet oppressis hoc asilum unicum petebatur. Exemplar ibi sapientiæ, pietatis et justitiæ supra hominum memoriam eminebat. Inde reversi, qui sibi paulo ante domi videbantur doctissimi, rubore [282] notati, rudimenta artium, quasi *Nunc cœpi* dicentes, aggressi sunt. Cui in læva parte mamillæ nil saluit, sese ab hoc quasi celso tribunali exinde verecundus abstinuit. Vas illud suum implevit Dominus spiritu sapientiæ et intellectus. Nec suffecit [283] ei in gazophilacium cordis sui colligere, quod in promptu habebat; peregrina insuper conduxit ænigmata, et quidquid philosophicum terrenisque sensibus remotissimum sensit hoc undecumque contraxit. Oblitteratas diu septem liberales artes ipse retexit. Quidquid historici, oratores, poetæ et philosophi novum et grande perstrepunt, diligentissime cum doctoribus cujuscunque linquæ perscrutatus est; et ubi magister excelluit ingenii velocitate, ibi se discipulum præbuit humilitate.

6. Sæpe inter Græcorum et Latinorum doctissimos de philosopiæ sublimitate aut de cujuslibet in illa florentis disciplinæ subtilitate disputantes doctus interpres medius ipse consedit, et disputantibus ad plausum omnium, quo [284] nihil minus amaverat, satisfecit. Non enim examen improbum in illa castigavit trutina, nec se quæsivit extra; gloriam sibi æstimabat testimonium conscientiæ suæ [285]. Spectavit hoc frequentius judex in talibus falli nescius, rex orbis terrarum maximus, et qui regnum suum exterius fortitudinis et consilii vigore firmavit, interius illud tali splendore vestivit. Horum spectator et ipse Deus creditur [286], cujus misericordia donum, quodcunque tribuit, custoditur. Quis enim a tanta et tam incomparabili altitudine prohiberet arrogantiam, nisi pius ipse suam adhiberet custodiam?

7. Israel episcopus Scotigena (1948), sub cujus magisterio illustrissimus hic de quo loquimur plurimum se profecisse testatus est, de moribus ejus resiquitus a quibusdam, quos ipsi audivimus hoc idem sollicitius ruminantes et quasi pro oraculo habentes, sanctum eum apprime virem esse [287] respondit. Satis laudabile scitumque doctoris de discipulo testimonium. Græci, quibus æque magistris usus est, ad tantam gratiam stupebant; digna nimirum de illo problemata domum suis civibus reportabant; quorum studium quondam fuisse dicitur, aut audire semper aliquid novi aut invenire (*Act.* xvii, 21).

8. Millies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari [288], consulere afflictis, opem ferre miseris. Quæ omnia sic administrabat, ut refugium factus egenis omnibus videretur. Ita, cum esset in otio, nemo fere magis videbatur in negotio; nec, cum esset in negotio, unquam cessabat ab otio. Lucubrationibus intentissimus inveniendis, in dictatu, quæcunque sunt honestissima, acutissimus fuit. Latialem [289] eloquentiam non in se solum, ubi excelluit, sed [290] et in multis aliis politam reddidit et illustrem. Nullo autem hoc egit supercilio, sed cum domestico lepore, tum urbana gravitate. Post epulas cum alii, et majores etiam ut accepimus, paulo agunt remissius, ipse lectioni et meditationi vacabat [291] attentius. Matutinum crepusculum nullo pretio vendidit, nec tunc se somno sollicitanti ullo modo credidit. Scurrilia [292] et mimica, quæ in comœdiis et tragœdiis a personis variis edicta quidam concrepantes risu se infinito concutiunt, ipse semper serio [293] lectitabat: materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compositionibus pro maximo

VARLÆ LECTIONES.

[280] decidet 3. [281] supserim 1. presumpserim 3. [282] rumore 3, [283] sufficit (*deest* in) 3. [284] quod 1. 2 [285] nec quesivit extra gloriam, sed sibi sufficere estimavit testimonium c. s. 3. [286] conditor 3. [287] *deest.* 3. [288] patrocinali 1. [289] laicalem 3. [290] scilicet 2. *qui sæpius ita falso legit compendio scriptum* sol. [291] uaccabat 1. [292] Scurilia 1. [293] serie 3.

NOTÆ.

(1927) Id est est intra annos 935—940 et 930—945.

(1928) Fortasse idem quem a. 947, synodo Virdunensi præsentem memorat Flodoarduo in Annalibus « *Israhele Brittone.* »

reputabat. Translatitiis usus est est scholis, non [294] corpore quidem sed mente quietus [295]. Quocunque enim circumagebantur tabernacula aut castra regalia, bibliothecam suam sicuti arcam [296] Dominicam circumduxit, ferens [297] secum et causam studii sui et instrumentum, causam in divinis, instrumentum in gentilibus libris ; ut puta doctus paterfamilias, qui novit de Thesauro suo proferre nova et vetera (*Matth.* XIII, 52), Nec in ipso itinere desidiæ locus erat ; in turba, quod paucorum est, quasi solus erat. Confabulabatur namque utilissimum aliquid cum quovis, aut meditabatur id [298] ipsum in quovis.

9. Cum ad divinum ventum esset officium, animum agebat intentum, brevi quidem sed pura se oratione Domino commendans. His, quibus convixerat [299], habitu et gestu aliquando, mente aliud actitans, satisfecit. Non enim aliter tam vere popularis esset, neque tam multis meliora persuasisset. Quidquid sacerdotum Domini aut perfectorum virorum quispiam illo in tempore magnum in religione moliebatur, hoc quasi solo quodam comite nitebatur ; nec rebatur auctoritatem suam satis per se vehementem, nisi hunc, quasi succenturiatum [300], nosset se in divina acie sustentantem. Servus autem Dei non mediocriter in incepto profecit ; rumores vulgi pro nihilo duxit ; nec quod ante pedes fuit solum sed multa quoque in posterum prævidit. Hinc est, quod de fratre suo cognomento patris sui, et de Cuonone [301] in affinitatem regiam assumpto (1929), dum nimiam inter eos colloquii familiaritatem, et hoc maxime missarum tempore, cerneret, præsago spiritu fertur dixisse : *O in quantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo male parta contubernia resolventur !* Eventus rei non multo post dictis fidem fecit.

10. Prima dispensatio credita est illi adhuc adolescenti in quibusdam monasteriis (1930) ; in quibus degentes cum idoneo Ecclesiæ [302] testimonio, partim voluntarie, partim vi, ad regularem vitam constrinxit sciens quod et invitis bona præstantur. Ipsaque post paululum Deo sacrata loca, annuente regia liberalitate, privilegiis et immunitatibus pristinis reformavit, nihil sibi suisve [303] exinde beneficii jure reservans, nisi quantum cœnobiorum patres sponte causa charitatis obtulerant. In his exstat Loresham locus regum munificentia nobilis adhuc in memoriam tanti viri retinens et prærogativam libertatis (1931) et monimenta religionis. Deinde cum de virtute in virtutem giganteis, ut ita dicam, passibus iret, et quocunque pedem intendit, semper in voluntate Domini proficeret, orta est subita tempestas dissensionis in Ecclesia (953), dormiente credo Jesu [304] in pectoribus vigilum ante fores domus Domini excubantium ; ita ut quidam Satenæ socii, invidiæ spiritu distenti, imperatorem ipsum, per quem salus erat in populo, videlicet lumen orbis terræ, conarentur extinguere. Quare hoc, nisi ut non [305] arguerentur eorum mala opera ? Nam teste evangelica Veritate, *omnis qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III, 20). Cassato igitur per Dei miserationem hoc per serpentinum [306] sibilum concepto consilio, nequitiæ suæ virus per totius regni ejus viscera diffuderunt. Quod licet ubique et legum minaretur silentium et plebis per cædes et rapinas interitum, nusquam tamen ferocius quam in occidentibus partibus æstuabat [307]. Ibi principes vi et rapto assueti, populi rerum novarum cupidi, civilibus omnes [308] cladibus intenti, aliorum ditescere miseriis præoptabant.

11. Tunc sanctæ Coloniensis Ecclesiæ pastor Wicfridus [309] diu admodum imbecillis, regiæ tamen majestati et patriæ satis fidus, fessis tandem relictis terræ artubus, supernis spiritibus sociatus est. Plebs autem destituta postore, in ipsa confusione nil anceps nil varium molita, unicum unice optatum in domno Brunone, magnifico viro et probatissimo, sibi delegit solatium, secuta magnatum et totius cleri consilium. Qui in juvenili corpore moribus maturus, in maximo nobilitatis fastu humilis et mansuetus erat ; in sublimitate sapientiæ, quam percepit, non plus sapere quam oportet sapere (*Rom.* XII, 3), sed sapere ad sobrietatem animum induxit : in regali affluentia parcus sibi, dives amicis fuit. In ea primum electione præter cæteros Godefridus floruit episcopus (1932) ; sed si [310] quis alium voto præiret, difficile quispiam expediret. Hoc uno inter spem metumque dubii ferebantur, quod honoris dignitatem et viri gloriam metientes, indignum fore tantæ sublimitati metuebant, quod ei cum tanto ambitu præparabant. Et revera si quis in toto hoc regno locus esset augustior, aut certe clero, populo, ecclesiis, omnique apparatu elegantior, hic tanti pastoris receptui [311] ab omnibus qui eum noverant dignior putaretur.

12. Conspirantibus itaque omnibus et idem in Christo sentientibus, cum adhuc inhumatum et ad oculos positum secundum consuetudinem loci corpus

VARLÆ LECTIONES.

[294] *deest* 3. [295] quietis 3. [296] aquam 1. [297] frequens 3. [298] *deest* 2. *sed corr.* [299] quibuscum v. 3. [300] succentarium 3. [301] conone 3. [302] 1. *modo* ecclesiæ *modo* ecclesiæ. [303] suisuel 1. [304] illum 2. [305] *deest* 3. [306] serpentium 3. [307] estuabant 3. [308] *deest* 3. [309] wiikfridus 2. [310] *deest.* 2. 3. [311] preceptui 3.

NOTÆ.

(1959) Genere regis.

(1960) Jam. a. 947 abbas erat ; Flodoard. h. a.

(1961) A. 956. jus liberæ electionis redditum accepit. Cont. Reginonis.

(1632) Spirensem fuisse Cornelius Byeus conjicit ; sed quid officii Spirensi episcopo in diocesi Coloniensi, nisi legatum regium electioni deputatum fuisse statuas ?

bonæ memoriæ decessoris ejus aspicerent, electi sunt a senatu sanctissimo quatuor summi viri et eodem numero laici, omnes apprime eruditi, qui omnia hæc perferrent ad palatium, et patefacta [312] post defletam destitutionem electionis unanimitate, memoratum desolatis flagitarent solatium. Quid multa ? Complacuit, Deo gratias, imperatoriæ(1933) auctoritati, sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta constantia visitatorem festinanter ad destituti gregis custodiam mitteret. Missus tandem e castris terreni imperii in cœlestis regis tabernacula cum spiritualibus nequitiis pugnaturus intravit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei præ se ferens[313]. In illo mox novi ejus comites viderant et quod blandiebatur et quod terebat. Affabilem namque se valde et mitem præbuit, et cum ejus industriam in agendis nihil effugeret, requisivit tamen undecunque sollicitius quid agendum sibi esset, quibus consuetudinibus inniti debuisset. Erat ei comitate condita gravitas ; ita confluenti turbæ modicum [314] hilaris et per omnia mirabilis apparebat.

13. Ventum est ad sacratissimam sedem, huic pio provisori ab omnipotente Domino ante tempora præparatam, in ipso tempore præsentatam. Factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio vulgi ; novis gaudiis exultavit civitas. Clerus ex monasteriis convenit, sanctimonialium multitudo concurrit, conditio quælibet et sexus uterque plus solito ad gaudia convenerunt. Ecclesia læta prolem suam, maternis eatenus [315] lactatam uberibus, jam in Christi gratia adultam, in die tantæ solemnitatis ablactavit, et spiritualiter matrem esse constituit, quæ sibi postmodum filiolos, in quibus Christus formaretur, affectu dulcissimo parturiret (958). Episcopi autem, qui frequentes aderant, et hujus sancti cleri senatus, acclamantibus cunctis in voce exsultationis et salutis, electum a Deo et hominibus virum super cathedram pontificalem sedere fecerunt, et laudem Deo simul universi clamore, quo [316] quisque poterat, in organis nihilominus et cymbalis et quocunque signo lætitiæ personuerunt.

14. Exinde omnis ejus intentio, omne studium, sanctæ matri Ecclesiæ aut munimento fuit aut ornamento. Munienda scilicet erat exterius, ornanda interius ; munienda in sæcularibus, ornanda in spiritualibus [317]. Dilexit ante omnia decorem domus Domini et locum habitationis gloriæ ejus (*Ps.* xxv,[8]); hoc se ardere desiderio multis modis perspicaciter[318] ostendit, quod hic scripto perstringere necesse non est, quoniam quidem illustrium ejus factorum memoria recens est, nec in ejus populo de eo loqui cessabit omnis qui fidem et veritatem amabit. Quædam tamen de his, ut proposuimus, propter exemplum et instructionem plurimorum scriptorum silentio tegenda non sunt. Impossibile namque est tanti viri gesta per quotidianos virtutum profectus evolvere, dignisque factorum laudibus magna ejus merita congruenter attollere, quæ longe lateque more prudentissimæ apis, ut Christi bonus odor esse posset, benefaciendo et oppressorum inopiam sustentando collegerat. Hoc nimirum aliis ad vitam aliis ad mortem erat. Nam qui amaritudinis zelo succensi, bonarum artium [319] ignari, dissimillima suis factis studia, quæ nec [320] immutare, poterant nec venerari noverant detrahendo et maledicendo pervertere conabantur, mortem sibi et væ perpetuum comparabant, secundum prophetæ comminationem dicentis : « Væ, qui dicunt malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras ! » (*Isa*, v. 20.)—« Qui vero sequitur me, » dicit Dominus[321], « non ambulat in tenebris (*Joan.* VIII, 12). » Hic profecto ante tempus non judicat, nec quemlibet facile ex sua sententia damnat. Bonis igitur propositum est pessimis displicere, unde vitam suam non popularium vanitate sermonum, sed conscientiæ veritate metiuntur.

15. Antequam in suggestum pontificalem vir iste in lege Domini eruditus ascenderet, seditiosis nostræ reipublicæ civibus, quos inflammavit spiritus Satanæ insurgere in christum Domini, erat spes quædam Colonia [322] potiundi ; ita magnanimum regni Lotharici populum aut pacis sibi fœdere devinciri, aut crebro belli impetu propter opportunitatem loci terreri posse arbitrabantur [323]. Sed postquam illam hic filius pacis, custos Ecclesiarum Dei pervigil, introivit, dici non potest, quanto mœrore sint afflicti, quanta desperatione incepti sui perficiendi obducti sunt, quicunque in hoc regno erant pacis inimici. Hinc blasphemiæ, maledicta probra et multimoda impietatis commenta. Sane mentita [324] est iniquitas sibi, ut quia [325] pastorem nec corrumpi nec ullo modo seduci posse sciebant, gregem saltem ab ejus amore, si quis daretur hujusmodi fraudis processus, his mendaciorum ostentis averterent. Docti namque et magni viri invidiam [326] promereri norunt, habere nolunt.

16. Ea tempestate ab imperatore et exercitu ejus obsessa est Magontia, urbs nobilis et opulenta. Erat enim referta [327] hostibus et insidiatoribus regni ; et ubi vigere solebat sinceritas religionis, illuc maxima

VARIÆ LECTIONES.

[312] patefacta 1. [313] f. rederens 3. *ipse corr. in rasura.* [314] modice 3. [315] cathenis 2. *sed corr.* [316] Qua quis ei. 3. [317] muniendo scilicet ext. ornando int. (m. in s. o. in sp. *desunt*) 3. [318] specialiter 2. 3. [319] arcium 1. [320] *deest* 3. [321] d. D. *deest* 2. [322] Coloniam 2. [323] arbitrantur 3. [324] inimica *L.* [325] quem 3. [326] inuidia 1. [327] refecta. 2. *sed corr.*

NOTÆ.

(1933) Regiæ potius tunc temporis.

confluxit sentina dissensionis. De archiepiscopo loci varius principum æque et vulgi sermo fuit : alii innocentiam ejus in cœlum ferre, virtutes prædicare, ea quæ passim, et in illis præsertim partibus, per civile malum perperam agebantur, ipsi præ omnibus odiosa dicere ; quippe partes eum exsecrari testabantur, idcirco e modio secedere ; minimum curare, cui urbs pateret, cui milites obedirent. Hæc fere illorum erat sententia, qui conjuratione impia fœderati, ejus jugi auxilio et consilio in omnibus se fretos esse jactabant ; hoc solo causam suam defendentes quod nequaquam reproba esse posset, cui talis vir communicare vellet. Alii vero et pene omnes quorum cordibus divina gratia inspiravit, potestatem a Deo ordinatam [328] venerari, imperatorem omni devotione sequi, tutorem opum, vindicem,[329] scelerum, largitorem honorum. Ipsi etiam, quibus domi sua res familiaris, conjuges et liberi curæ erant, aut pax et salus sua quomodocunque dulcis exstiterat, longe aliter hujus viri merita æstimabant. Nos interim hæc Dei judicio relinquamus, et a diverticulo ad propositum redeamus.

17. (953) Novum itaque Agripinæ [330] civitatis custodem et designatum antistitem imperator ad novum incitavit consilium, expertus, quid ante hanc injunctam ei curam mente linguaque posset. Ibi varius altrinsecus assentantium favor, et prope, cui merito crederetur, incertum. Audire hoc erat frequentius, etiam ab his qui in castris regalibus militabant, laudare adversæ partis fortitudinem, præferre in eisdem innocentiam causæ, quod coacti et nimis inviti hunc sibi laborem assumerent. Et quoniam quidem nec inter [331] hostes quisquam tam demens inventus est, qui majestatem regiam blasphemaret, in Heinricum fratrem ejus, Bauwariorum ducem et marchionem inclytum, barbaris et omnibus id locorum gentibus, ipsis etiam Græcis, formidabilem, crudelitatis inchoatæ culpam omnem et malitiam retorquebant. Revera autem quo quis melior, et ad conservandam imperatori et regno ejus fidem promptior erat, hunc magis exosum habebant (1934). In hoc impie latrocinantis et perjuræ partis odium [332] Bruno, gloriosus et populo Dei optatus præsul semetipsum sponte libensque conjecit, nec duplici corde nec labiis dolosis cuiquam occasionem præbens, aut dissimulare quod vellet, aut simulare quod nollet. Ita neque alium fallere animum induxit, neque ab alio [333] se falli ipse consensit. Prius tamen dura tentavit corda [334] rebellium, si quo modo ullis salutiferæ suasionis ejus et doctrinæ possent curari fomentis ; ultimam cauterii differens medicinam, donec pia sollicitudine diligentius experiretur, quid [335] sibi hæc infrenis audacia polliceretur.

18. Erat in ea conjuratione princeps imperatoris filius Liudulfus [336], unice clarus et spectabilis adolescens, qui non solum ad conservanda [337], verum etiam ad exornanda patriæ monimenta victoriæ sufficeret, si seductoribus minime credidisset, et hæres esse, non proditor, voluisset. Sed quia festinans ditari, peterno non meruit obedire consilio, contigit illi secundum veridicam Salomonis sententiam, ut hæreditas, ad quam festinavit in principio, in novissimo benedictione careret. (*Prov.* xx, 21). Egregius ergo ut[338] plenus consilii, futurus et jam designatus, ut diximus, sacerdos Domini, dolens de contemptu [339] fratris, de interitu nepotis, eumdem accepta fide per obsides in castra beluino animo venientem, eductum ut ferunt de turba, seorsum ita allocutus est: « Nescis, juvenum omnium quos terra tulit clarissime, quantum tibi tuisque profueris, si admonitionis meæ verba in pectoris tui secreta demiseris. Tu namque maxima gloriosissimi patris tui cura et nostra gloria, quid nobis sperandum relinquis, si te ipsum nostris votis ademeris ? Non respicis honorandam pii genitoris tui [340] canitiem, quem te contristari [341], cui te injuriam inferre non expedit? Non recordaris ejus paternam erga te semper a puero pietatem ? Deum, mihi crede, offendis, cum patrem contemnis. Non est quod te excuses. Ad injuriam ejus respicit, quidquid novum contra hoc regnum absque ejus voluntate moliris. Causam tuam tractas cum inimicis tuis, quo contra decuit [342] cum amicis. Illi enim non te, sed quæ sua [343] sunt, quærunt in te ; salutem tuam parvipendunt ; verbis omnia, non rerum veritate metiuntur [344]. Vide, quæso, quo te ducant, ne forte seducant. Qui eras gaudium et corona patris tui, spes et oblectatio totius regni, quomodo conversus es in amaritudinem? Desine tandem esse Absalon, ut possis esse Salomon. Cogita [345], quis te tantum exaltaverit, quis omnes regni hujus principes tibi sacramentorum fide firmaverit. Quare hoc fecit [346] ? Nunquid ut ingratus existas ? Nunquid ut proditor esse discas ? Vere insaniunt, qui te sic decipere volunt. Time quotidianos singultus, expavesce frequentes gemitus, horresce lacrymas patris tui. Minus ægre ferret, totum sibi ab hostibus præripi regnum, quam te, cui servat regnum, innocens cor tuum venenosis heu! blanditiis seductum est ; paternæ pietatis patet sinus, in quo nullus est dolus. Dolet pius pater filium sibi corruptorum impietate præreptum ; gaudebit ad reditum. Si paulo iratior est seductoribus tuis, cito mitescet, cum te suas delicias receperit ; nec scelere, sed errore hoc actum esse judicabit, eum te sibi restitutum senserit, quem etiam plus quam se ipsum amavit!»

VARIÆ LECTIONES.

[328] o. a deo 2. [329] vindicte 2. *sed corr.* [330] Agrippine 2. 3. [331] in 3. [332] odivit 3. *qui falso hic novum caput incipit, sed erroris conscius ad marginem. V. posuit.* [333] ab a. *desunt* 3. [334] *deest* 3. [335] quod 2. [336] liodulfus 1. ludolfus 2. [337] confirmanda *corr.* conseruanda 1. [338] E. uero p. 3. [339] conteptu 1. [340] *deest* 3. [341] contristare 2. [342] *deest* 3. [343] tua 3. [344] Non istud est sapere *add.* 3. (*deest* ne fortes). [345] tectum *add.* 3. [346] fecisti *L.*

NOTÆ.

(1934) Igitur Heinricum oderant, quod regi utilis et fidus esset.

19. Hæc et his similia domnus Bruno, vir bonus, dicendi peritus, de salute pulcherrimi juvenis valde sallicitus perorabat. Ille vero, quasi cujus mentem Erinnis [347] ad cœptum [348] nefas instigasset, aurem cordis sui neutiquam passus est hujusmodi monitis admoveri ; vix auditu exteriore, ne videretur nimis insolens, propinquavit. Innocens enim ab hujus dissensionis miseria videri quam esse, honestus duxit. Movit ejus juvenilem animum anxietas et motus elegantissimorum comitum, qui nisi illius impiæ conjurationis tabo [349] essent infecti,ornatus et jucunditas esse possent [350] imperatoriæ dignitati. Tunc utique tam desiderabilem, tam manu fortem, tam egregiam ejus prolem deceret hoc agmine stipari, de hac delecta juvenum excellentia gloriari. Erat præ omnibus in ejus animo quasi quidam stimulus dux paulo ante fortissimus, tunc autem prædo audacissimus,Cuono ; etiam parta, ut ipsi jactabant, divitiarum et regni gloria, sed revera labor sterilis pro tranquilitate, sollicitudo semper auxia pro securitate. Nan is cui, ut ita dicam, omnia erant in manibus, agendo ut plus haberet, ut nihil haberet omnimodis effecerunt. Interea tamen modis omnibus, nec dolis minus quam viribus certare, neque [351] dies neque noctes requiescere, adversarios inter se [352] suspectos facere, nihil intentatum relinquere neque quidquam pensi habere dummodo id efficerent, ut maximis intra regnum urbibus, et his opulentissimis, quocunque ingenio potirentur inde cunctis regni finibus facile se imperaturos [353] arbitrantes. Ac ne quid penitus sine fraude fieret, cum Arnoldo, strenuo imprimis viro, cui summa rerum per idem tempus in Bauwariorum terra (1935) commissa fuit, secretius [354] pollicitationibus infinitis, commemorando insuper odium vetus, egerunt, ut se primum, deinde [355] urbem præclaram, postremo totum illud regnum Heinrico duci perjurus abdicaret. Tantum sibi roboris inter eos invidia et odium vindicavit. Simul Ungros, antiquam pestem patriæ, sollicitabant, ut regnum in se ipsum divisum invaderent ; arbitrantes, hoc modo sibi [356] sollicitudinem, qua premebantur,aut penitus adimi aut aliquatenus minui posse.

20. Hac de re, ut puta [357] tam subita et improvisa, commotus imperator, et magis illorum miseriæ quam suo damno dolens, obsidionem Magontiæ, accepto tandem quod patebatur pacto, dimisit ; e [358] castris orientem versus cum his, quos fidos habuit, consultam partibus illis, festine proficisci disposuit ; fratrem suum Brunonem occidenti tutorem et provisorem, et, ut dica dicam, archiducem, in tam periculoso tempore misit ; cui talia mandata dedit : « Unum nos semper idemque sensisse, nec unquam vota nostra in quocunque negotio discrepasse, dici non potest, frater dilectissime, quantum delector ; et hoc est quod in acerbis meis [359] me maxime consolatur, cum video per Dei omnipotentis gratiam nostro imperio regale sacerdotium accessisse, in te namque et sacerdotalis religio et regia pollet fortitudo, ut et scias sua cuique tribuere, quod est justitiæ, et possis adversariorum sive terrori sive fraudi resistere, quod est fortitudinis et justitiæ [360]. Nec abesse tibi jamdudum perpendi ipsam ingenuarum artium [361] matrem et vere virtutem [362] philosophiæ, quæ te ad hanc modestiam magnitudinemque animi erudivit. Scio itaque, frater mi- scio, quod nemo prudentiæ tuæ persuadebit, id tua non interesse, quantum perversi de bonorum pernitie glorientur, quacunque id quod intenderint honestate verborum velent [363]. Dicent fortasse, bellis hæc sedanda esse, quæ ad te non pertineant, quæ tui ministerii dignitatem non deceant. Hujusmodi fraudulenta verborum jactantia istius metropolis præsul (1936), vides, quantos seduxit [364], quantos ad civilis cladis rabiem illexit ; qui si subducere se vellet a dissensione, quemadmodum fingit, et bellorum periculo, ut religioso degere posset in otio, nobis profecto et nostro reipublicæ melius id, quod ei regali munificentia contulimus, reddidisset quam hostibus. Hostes dico, ut fere omnes sentiunt, nefarios civium prædones, patriæ proditores, regni vastatores, militiæ desertores [365], qui me ipsum utique sacrilega audacia suis, credo, manibus necatum, aut quovis quam acerbissimo mortis genere perisse vellent ; cui filium sustulerunt, fratrem [366] regno, liberis, ipsaque dulci conjuge, vita denique ipsa privare contendunt.Tu solus mihi demum es solidum, fidum firmumque solatium, qui tantum ab ineunte ætate in bonis actibus [367] profecisti, ut benefacere summaque diligentia omnia circumspicere tibi jam ex consuetudine in naturam venerit [368]. Te plane sospite si jucunde et ex integro fruitus fuero, ut mens mea semper flagitat, desiderium postulat, animus implorat : tum dignitas, tum gloria, tum decus aderit. Præsidii satis abundeque nobis est ; ne nobis nos de-

VARIÆ LECTIONES.

[147] erinis 1. 2. [348] acceptum 1. 2. 3. [349] tabe 2. [350] p. etiam i. 2. 3. [351] ut neque 3. [352] a. interdum 3. [353] impetraturos 1.2.3. [354] secretas 2. [355] d. Regenesburgh u 3. [356] *deest*.3. [357] imputa 1. [358] et (*deest* castris) 3. [359] *addunt* rebus 2. 3. [360] constantæ *præfert Leibnitius*. [361] arcium 1. [362] uirtutum 1. [363] uellent 1. 2. [364] q. a. *decunt* 3. [365] r. v. m. d. *desunt* 3. [366] fratrum 2. fratre 3. [367] artibus 3. [368] ueniret 1. 2.

NOTÆ.

(1935) Comes palatinus, cui Heinricus Bafoariam commendaverat. Vita Udalrici, c. 18.

(1936) Fredericus Moguntinus.

simus ! Hoc vero summopere curandum est. Tu mihi, tu inquam testis, quanta cura quantaque benevolentia foverem, tuerer, amplecterer hos, quos modo tam crudeles patior, quibus tamen adhuc quam libentissime mederi vellem, si sibi ipsi parcere vellent. Ah ! quanta [369] importunitate præcipites perire festinant,secumque prolem meam innocenter educatam in omnia scelera versant ! Ita in potestatibus temperare illis adeo difficile est, qui per ambitionem probos se non esse, sed videri, præoptant. Nosti, dilectissime, quod quidem cum dolore recolo, eos mihi frequenter duriores et magis [370] infidos fuisse, quos amplius fovi quos in multis necessitudinibus fœderatissimos amavi, quos denique mihi conjunctissimos æstimavi [371]. Grave hoc perpessu [372] fuit, duplex miseria. Quod autem me urget, mala superiora præponderat,cum ille quem genui præreptus mihi, paternæ pietati didicit insidiari. Enitere igitur, vir Deo dedite, non quo modo primum, sed modo potissimum, enitere, quæso, consilio illo tuo quo calles plurimum, ut pro loco et tempore aut arma desuadeas, aut quoquo pacto compescas. Absens tibi corpore, ubicunque ero, gaudeam tibi, gratuler providentiæ et moderationi tuæ. Id mihi reputare libet quod feceris, id ibidem [373] libeat tibi quod fecero. Opto et cumulate desidero ut ea nobis sit votorum et oblectamenti summa, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus , provideri bona alterutrum ea quæ sunt, et si fieri potest, cum omnibus habere pacem. » Deinde postquam ruerunt in osculа, non sine lacrymis ab invicem digredientes, imperator orientem, frater ejus occidentem petivi.

21. Moxque ad Aquas Grani palatii [374] properavit (1937). Ibi principes regni, quorum id intererat, convenit, eos variis multisque modis instruxit, atque hoc cum eis potissimum egit, ne seductoribus aut vanis corum promissis crederent, ne minas timerent [375], regiæ majestati et suæ ipsorum fidei pollicitationes nullas præponerent ; spondens se ante [376] tempus et in tempore semper paratum fore, ut [377] pacem Ecclesiæ violatam, si sic necesse esset, vitæ etiam suæ periculo reformaret. Hoc facto Coloniam lætus adiit ; exspectabatur ordonationis tempus et unctionis lætitia salutaris. Hoc facto, innovatum est gaudium plebis, et refulsit in conspuctu omnium qui convenerant, ornatus stola jucunditatis, sacerdos Domini Salvatoris, Postea nardus pretiosa dedit odorem suum ; in medio Ecclesiæ aperuit os suum (*Exod.* xxviii, 35). Audiebatur secundum legale institutum sonitus intrantis in domum Domini Dei ; exemplum et documentum factus est omnibus obtemperantibus sibi in salutem. Quid autem fecerit,quomodo docuerit, qualiter pro pace Ecclesiarum Dei se ipsum impenderit, actu [378] est mirabile, dictu difficile. Tantum enim superiorum insignia hujus quotidiano opera præcedebant, ut totum, quod in Ecclesiis sive ampliandis sive restaurandis, quod in reliquiis et corpo-

VARIÆ LECTIONES.

[369] *ita corrigo*. Aliquanta 1. (2. 3?) [370] magnis 1. [371] existimavi 3. [372] perpessum 3. [373] f.identidem 3. [374] palatium 3. [375] terrerent 3. [376] autem 3. (*deest se*). [377] vel 2. [378] actu *corr*. actum *corr*. actu 1.

NOTÆ.

(1937) De tempore electionis et ordinationis cf. Ballerinorum editionem Opp. Rattherii, p.LXXVII. Ratherius eodem die quo Bruno electus et consecratus est, præsentibus præterea Roberto Trevirensi archiepiscopo, Balderico Ultrajectino, Hildebaldo Mimigardevordensi, Druogone Osuabrugensi, Berengarie Virdunensi, Folberto Cameracensi episcopis, Ratherius in Phrenesi hæc ita narrat (c. I.) : « Pulsus episcopio Veronensi Italiæ, ordinatus ubi fuerat, cum ad gloriosissimi regis se contulisset Ottonis auxilium, copiaque restitutionis præcessisset nulla, ipso quoque piissimo rege conante, data optione, interventu fratris ejus Brunonis archipræsulis atque patratu, postquam electus coram eodem ad Aquas quod dicitur Grani palatium, non solum ab his quorum intererat specialius, sed et ab episcopis, abbatibus,comitibus,totiusque regni primoribus quarta solemnis jejunii septimi mensis feria fuerat expetitus : rursum sequenti Dominica ab eodem, hoc est Leodicensis Ecclesiæ populo electus, septem a coepiscopis duo quorum fuerant archipræsules, cæteri præsules, prælibato scilicet Brunone, Rodberto, Baldrico, Hildibado, Druogone, Berengario, atque Folberto, conniventia decretorum,consensu atque exemplis nonnullorum,quibus et id contigerat, antiquorum, summo totius quæ aderat (*a*) favore,destinatus eisdem atque solemniter inthronizatus Ecclesiæ ; cumque postea ingenio jam fati Baldrici, patratuque, qui eum super ambonem Ecclesiæ Coloniensis spectanti cuncto specialius collaudaverat populo. Rodberti Trevirorum archiepiscopi, vi publica comitum Regeneri atque Ruoduolti — nepos ipsorum, qui et filius fratris exstiterat Baldrici, talia ut quid contigerint ne difficile sit conjectari, ejusdem nominis puer quidam ut institueretur — et ut per omnia materies personarum acceptione pateat neglecta, timiditate jam dicti regis germani — ne scilicet jam fati comites a rege ad Conradum, qui tunc contra ipsum agebat, deficerent sibique cum eo inimicarentur,vel, quod verius ipsius asseruut defensores, resistendo, quia nullum habere potuit idem archiepiscopus, ut inhiaverat, ex episcopi amicis vel militibus adjutorem — fuisset expulsus, Moguntiæque benignitate archiepiscopi Wilhelmi filii regis munificentissima copiosissime frueretur : data otii occasione, curavit, quæ circa eum acta fuerant, in libros digerere, qualitas elaborans ne vel curiosi lateret sui temporis. Utique hoc audientes duo illi ejus specialis inimici, Rodbertus videlicet et Baldricus,dixerunt eum phreneticum esse. »

(*a*) *Plebis* vel ejusmodi vocabulum deest.

ribus sanctorum in suam parochiam transferendis, quod in privatis vel publicis [379] ædificiis componendis, quod in ordinandis domibus familiæque sanctæ Dei Ecclesiæ rebus fecerat, ad aliorum opera [380] pene incomparabile videretur. Nam sicut super omnes [381] docentes se intellexit, ita cordis sui [382] aciem, ingenii acumen, animi vigorem, ad majora sapientiæ et virtutis opera direxit [383]. De religione primo et cultu Dei, quod Græci *theosebian* [384] dicunt, secundum datam sibi sapientiam, canonicam et apostolicam auctoritatem secutus, instituit, ut multitudinis, quæ in diversis [385] congregationibus ad ejus honorabilem sedem pertinentibus erat, unum cor esset et anima una; ut vestium superfluitas, morum inæqualitas, et quidquid hoc modo [386] effeminatum et indecens in ejus Ecclesia videretur, vera et spirituali circumcisione, quod est initium sapientiæ, diligentissime abscideretur; ut divinis ministeriis [387] omnes, quorum id intererat, intentissime [388] secundum præfixam sibi regulam viverent, nec aliam sibi suæ salutis causam ullatenus æstimarent.

25. Hæc et his similia cum venerandis patribus et cleri sui senioribus frequens egit, eosque in custodia Dominici gregis secum pariter invigilare sollicitus admonuit; et quia culpa temporum urgebatur, ut rarius hæc cum illis ageret quam volebat, sollicitius absens non minus quam præsens, spiritu fervens [389], Domino serviens æstuabat. Erant ei foras [390] pugnæ, intus timores. Pugnabat contra luporum Ecclesiam Dei devastare cupientium rabiem; timebat Domini ovium simplicitati, sicut Apostolus: *Timeo*, inquit, *ne serpens sicut Evam seduxit astutia sua, ita sensus vestri corrumpantur a simplicitate, quæ est in Christo Jesu* (*II Cor.* XI, 3). Ita exercitato pectore contra adversa omnia robustissimus erat; in prosperis quoque talis animus minime vacillabat, rebus æque et crebris exercitationibus docens omnes sibi subditos, sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Visus est singulari illa mentis suæ agilitate pene excessisse generale illud, quo dicitur, mentem, cum dividitur ad multa, fieri minorem ad singula. Cogente igitur [391] imperiali auctoritate, suscepit, ut jam dictum est, tractare negotia regni apud Lotharios [392]. Et cum unicuique de principibus et magistratibus suum partiretur onus [393], unicuique sibi congruum impararet opus, nihil tamen erat, quod non ipse obiret; hoc maxima consilii vivacitate providens, quod omnibus expediret.

23. Causantur forte aliqui divinæ dispensationis ignari, quare episcopus rem populi et pericula bell tractaverit, cum animarum tantummodo curam susceperit. Quibus res ipsa facile, si quid sanum sapiunt, satisfacit, cum tantum et tam insuetum illis præsertim partibus pacis bonum per hunc tutorem et doctorem fidelis populi longe lateque propagatum aspiciunt, ne pro hac re quasi in tenebras amplius, ubi non est præsentia lucis, offendant [394]. Nec vero nova fuit hujus mundi [395] gubernatio aut sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus antea inusitata; cujus exempla si quis requisierit [396], in promptu sunt [397]. Nos vero ad alia festinantes, quid quisque [398] de pio hoc viro loquatur, suo ipsius judicio relinquimus: scientes, sani capitis esse neminem, qui bonum evidentissimum ullo maledicti opprobrio fuscare nitatur. Honestum enim et utile [399] nostræ reipublicæ fuit omne quod fecit. Factis vero suis hunc finem nequaquam constituit, ut nonnisi per hominum ora favorem captando volarent, sed ita vixit, ita opera sua coram hominibus temperavit, ut pessimis horrori, bonis esset honore. His aperte cunctis innotuit, quod in episcopatu bonum opus desideravit, in quo nec ab invidis et æmulis suis facile potuit reprehendi, nisi hoc ipsum in laude ejus magis proficeret, quod talibus displiceret. Hac igitur mirifica operatione detentus pervigil summi patrisfamilias operator et summus præsul, lucernam ardentem, boni videlicet operis exemplar, in manibus ferens, ad ea quæ Dei sunt alios volentes duxit, alios nolentes traxit.

24. (954) Sed inter hæc humani generis antiqua pestis non cessavit invidiæ suæ virus per opera pii doctoris jam in bona spe germinantia longe lateque dispergere. Nam cum primum Lotharici regni populus multimoda magni hujus viri exhortatione [400] vix tandem inductus, blandimenta pacis valde sibi insueta tentaret, et his qui sola civili dissensione tutum sibi aliquid pollicebantur, assensum in sui perniciem ex parte plurima præbere [401] respueret, sæva Ungrorum gens, et qualem nunquam terra nostra sensit barbariem, a perversis illecta civibus, transitis Germaniæ [402] plerisque provinciis, Galliæ, cui jam olim nobilis Francorum populus insedit, omnia ferro et ignibus vastatura se totam infudit. In hac acie Cuono, qui prius [403] dux erat egregius, cum suis sequacibus militavit — utrum ad hoc, ut odio suo, quod in virum Dei Brunonem bonis certe mansuetissimum conceperat, hæc fœda crudelitate satisfaceret, an ut quibus posset in tanto periculo subveniret, incertum; sed illud prius latius opinione disseminatum est. Nam et contra eum dura quæque fraudulenter, quia vires defecerant, tenta-

VARLÆ LECTIONES.

[379] in p. 2. 3. [380] operam 2. [381] superos *L.* [382] ejus 2. [383] dilexit 1. [384] theofebian 1. [385] diversi 1. [386] h. m. *desunt* 3. [387] mysteriis 3. [388] diligentissime *L.* [389] fruens 1. [390] foris 2. 3. [391] *deest.* 3. [392] lotharicos 2. 3. [393] o. u. s. c. i. *desunt* 3. [394] offendit 1. offendunt 1. [395] hujusmodi 3. [396] si quesierit 3. [397] *hic* 2 *addit*: Nemo igitur super hac re culpabilem eum dicat, cum Samuelem sanctum et alios plures sacerdotes pariter legamus et judices et Danielem prophetam duos sacerdotes ad mortem dampnasse legamus. *Sed hoc glossema est partim ex Widukindo I*, 31. *haustum, quod* 2. *solito more in textum recepit.* [398] quis 3. [399] uelle *corr.* utile 1. eelle 2. [400] exortatione 1. hujus exercitatione v. t. indoctus 3. [401] *deest* 3. [402] G. et p. p. 3. [403] pius 1.

vit, ita ut Mettim, urbem opulentissimam, dolo invaderet, ipsi Coloniæ et cæteris regni munitionibus suspectum se faceret, probra jactaret, minas effunderet. Et postea aliquantulum [404] temporis in hac eadem qua dudum erat immanitate permansit. Nihil reliquit intentatum, quo fœdus in populo nostro per sapientiam doctoris sui pactum dissolvere se posse putaret. Homo namque erat paulo ante summa potentia summaque fortuna, sed ignarus, quomodo secundis rebus uti conveniret. Has quoniam, postquam abusus est, perdidit, in bonos ultra modum impatiens sæviit [405]; sed a nefariis suis conatibus semper, ita Deo dispensante, repulsus est, ut hoc eum non leviter pœniteret, quod magnum facinus tanta levitate aggressus est.

25. Pepercit autem in omnibus sacerdoti suo et pio provisori populi sui misericors et miserator Dominus, et ita omnia ordinavit, ut absque bello et humana pernicie maxima sæpe pericula sedarentur. Inter quæ frequenter ipse interritus aut secum intentus legit, aut de maximis quibusque rebus, quasi curarum instantium nescius, disputavit. Hoc Treverim, hoc in Alisatio gentibus et populis innotuit, quanta constantia et securitate animi sui inconstantes et temerarios adversariorum motus redarguit, cum eos, qui in alienis se fortissimos jactabant, in propriis tam imbecilles esse monstrabat. Et revera quos nulla unquam acies, nulla inflexit [406] asperitas, hos hujus viri pietas imbelles et timidos faciebat. Consilio namque et bonorum hominum multitudine, non sævitia timendus fuit; et quod nemo hostium tam acriter vigilabat ad perniciem, quam ipse ad salutem. Fama autem et multitudinis judicio minimum motus est; suo sibi judicio usus est, et in quo recta probavit, non ut sibi, sed Deo placeret, optavit. Itaque — ut paucis [407] multa comprehendam, plura omittam — intus et foris, domi militiæque indefessus Domini prællator, animi plus quam corporis viribus tandiu contra pestilentes et inquietos tantumque vitæ etiam suæ plerumque periculo decertavit, ut nominis quoque ejus fama, quousque pervenit, bella sedaret, pacem formaret, studium in omnibus bonis artibus firmaret, sanctæ religionis et salutiferæ quietis gratiam ampliaret.

26. Quoniam igitur humilis iste philochristus [408] et meliorum ardens æmulator charismatum, servus Domini Bruno, secundum dignitatem sedis suæ, Romanæ quoque sedis et apostolicæ benedictionis privilegio debuit insigniri, et cum eis pariter, qui traditam a beato Petro apostolo sanam servare (1938) doctrinam, catholicæ fidei integritate, in vera confessione et inviolabili veritate prædicationis uniri: synodicam suam epistolam per Hadamarum, venerabilem monasterii Fuldensis abbatem, Romam ad Agapitum, miræ sanctitatis papam, direxit; in qua, cujus spiritus esset, et quia pastor ab ovibus electus, a Domino missus esset, innotuit. Appellatusque est ibi concors et concivis apostolorum, princeps [409] ac propagator Domini præceptorum. Legatus inde cum magna mentis alacritate reversus, pio pastori, cui antehac gratia Dei collatum est secundum prophetam oleum gaudii [410], pro luctu (*Isa.* LXI, 3) tunc attulit pallium laudis pro spiritu mœroris. Spiritus namque Dei cordato homini, et sacramenti [411] hujus magnificæ virtuti [412] magis quam his quæ visibiliter gerebantur intento, divinitus inspiravit, ut erigeret cor suum in spem per [413] gaudium spirituale, ne tristaretur in eo quem sensit imminere laborem. *Cor enim, quod novit amaritudinem animæ sux, in gaudio ejus non miscebitur extraneus* (*Prov.* XIV, 10). Sapientiæ hæc verba sunt.

27. Legatus ergo, ut loqui cœpimus, Roma rediens, bonum nuntium Coloniam ferre acceleravit, portans sacrum habitum ab universali pontifice missum, prætendentem jugum Domini suave et onus ejus leve, et ipsum quod sub eo dispensatur humile ministerium, quod verba Domini testantur dicentis: *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Marc.* X, 43); ferens simul reliquias de proprio corpore sancti Pantaleonis martyris et privilegium apostolicæ sublimitatis auctoritate traditum; quo et eodem pallio præter consuetudinem sacerdos Domini quoties [414] vellet indui permissus, ut concessis omnibus quæ petebantur, præ [415] magnitudine virtutis et sapientiæ in participatum ejus operis et prope in consessum tantæ dignitatis admissus est. Properavit in occursum ejus læta civitas, undique jubilans multitudo accurrit; convenerunt in suburbio prope antiquum locum, ubi ecclesia ejusdem pretiosi martyris erat, inculta adhuc et ruinæ proxima. Ibi deposita sunt grata onera, deinde suo quæque loco reposita.

28 [416]. Monet me hic aliquantulum immorari festivus ille, et qui postea in [417] brevi, proh dolor! factus est funerosus, ejusdem loci occursus. Ibi venerabilis iste amictus [418] primo, ibi postremo, semel læto, semel lugubri carmine susceptus est. Corpus enim religiosi et Deo digni sacerdotis ibidem sepeliendum officii sui insignia non amisit, quæ tamen spiritua-

VARLÆ LECTIONES.

[404] aliquantum 2. 3. [405] seuit 4. [406] inspexit 2. infelix 3. [407] pacis 1. [408] phylochristus 1. [409] *fortasse* apostolorum principis *legendum erit*, [410] tui *corr.* pro luctu 1. [411] sacræ menti *L.* [412] virtutis 3. [413] vel 3. [414] quoties 1. *interdum.* [415] ip 1. [416] *Hoc primum loco signo* § *et numero* III *capitum divisio indicatur in* 1, [417] in in 2 (*deest* qui). [418] amicus 3.

NOTÆ.

(1938) i. e. servarunt *aut* servare habent, debent.

liter et ideo[419] feliciter,ut credimus, anima secum vexit.Arcano itaque Dei omnipotentis consilio provisum est,ut idem locus ad declaranda sancti sui[420] martyris merita prima hoc occasione illustraretur et talis fieret,ubi vir iste Domini pacificus et mirabiliter humilis potissimum eligeret sub ejusdem pii martyris patrocinio tremendi judicii diem et futuræ resurrectionis gloriam exanimis præstolari. Non multo post ibidem ut puta in loco secretiori[421] et ab urbanæ inquietudinis molestia remotiori, fratres in laude divina pervigiles et sollicitos sub monasticæ regula disciplinæ Domino servire instituit ; quibus abbatem præposuit nomine Christianum, suæ videlicet professionis foronomum, et in lege Domini sicut hunc decuit ordinem,apprime eruditum. Cui ordinato hoc breve commonitorium de occidentis partibus scripsit : *Ut sis quod vocaris, cura, gentilitati ne degeneres. Id serio triumpha, ut non, sicut prius, antiquetur ; sed de virtute in virtutem ut eatur, nava !*

29.Nunquam ita civilium negotiorum occupatione detentus est,ad quam eum non sua libido, sed populi necessitudo attraxit, ut animo illo ad omnia vivacissimo non vigeret,intentus religioni præcipue et lectioni,in cujus studio mori videbatur. Ad id agendum exemplo suo et crebro monitu accendit omnes pene quos præ oculis habuit. His vero qui hoc ita non amabant vehementer indoluit, eosque licet alias familiares essent, a secreto tamen et amico mœroris loco,ubi se sibi licentius et ideo diligentius solebat explicare, removit. Pectus cordati viri pertæsum fuit regifici luxus et consuetæ, hoc præsertim tempore, potentibus jocorum et voluptatum illecebræ. Unde si quando suis coactus quodammodo reddidit quod non debuit, excessum hunc modicum fletu plerumque largiore detersit Vitam præsentem et dulcem metuit, et amaram expertus est. De vita vero omnis sollicitudinis et languoris ignara, haud dubium, quin ante omnia plurimum cogitaverit, qui [422] de ea tam luculenter multoties et cum familiaribus et coram plebe sibi commissa disseruit.

30. Juvenis ut erut omnique pompa circumfluus audeo dicere, dissolvi vellet,tantum ut cum Christo esset. Hinc lacrymæ assiduæ, suspiria fere continua, furtivæ orationes, et singultus in ipso etiam lecto clarius perstrepentes, ut testantur, quos id minus celare poterat, etiam dum latere volebat. Quoties diem mortis posuit ante conspectum cordis! Quoties ad hoc vocis quoque officio prorupit, quod corde molitus est ! Quoties audivimus eum vehementi gemitu præoptasse id quod futurum,non tamen sine gravi trepidatione speravit, ut æstuosum mundi hujus naufragium in Dei sola misericordia tutus evasisset et in littore tandem securitatis intimæ constitisset !Elapsurus quodammodo putabatur ut,quasi mortem,aufugeret totum quod ei in hujus mundi deliciis blandiebatur. Testes supersunt conversationis ejus quamplurimi ; quoties eum in secreto, corde contrito et spiritu humiliato, persenserant,mirari plus poterunt quam imitari. Nam ille popularis plerumque quasi solitarius vixit ; mirum dictu, inter convivas lætissimos lætior ipse frequenter abstinuit. Molles et delicatas vestes, in quibus nutritus et ad hominem usque perductus est,etiam in domibus regum multoties [423] declinavit ; inter purpuratos ministros et milites suos auroque nitidos vilem ipse tunicam et rusticanas ovium pelles induxit.Lectuli delicias vehementer aspernatus est.In balneis cum lavantibus cutisque nitorem quærentibus vix aliquando lotus est ; quod eo magis mirum est,quia ab ipsis cunabulis ejusmodi munditiis et pompa regia educatus est. Hæc autem pro tempore et loco modo palam modo secretius egit, ut et laudem humanam subterfugeret, et tamen subditis exemplum hoc agendo præberet. Multi enim verbis,plus exemplis proficiunt plerique.Apud mites et humiles nemo humilior, contra improbos et elatos nemo vehementior fuit. Hunc terrorem, qui beneficio obligari non potuit, indigena æque et alienigena formidavit;et recto convenientissimoque ordine omnis, ad quem magnitudinis ejus fama pervenit, primo eum timere, postea consuevit amare.

31. Sanctorum corpora atque reliquias et quælibet monimenta,ut suis patrocinia cumularet et per multos populos ultra citraque hac celebriiate gloriam Domini propagaret, undecunque collegit. His loca et ministeria [424]omni sumptu et apparatu copiosius præparavit ;de quibus singulis plura essent dicenda si paterentur promissa compendia.Indicia sunt hæc inviotæ fidei, qua non ea, quæ sua [425],sed quæ sunt Jesu Chrsti, quæsivit. Baculum et catenam sancti Petri qua diligentia,quo fervore, quo gaudio Coloniam, alterum Metti, alteram Roma adduxerit, omnes noverunt ; in cujus honore domum ejus honoratissimam mirabiliter ampliavit,quam de pulchra pulcherrimam fecit. Inclytos et præcluis [426] fama martyres Patroclum, Elifium [427], Privatum et Gregorium,quorum gesta sunt permagnifica, merita gloriosa, pratrocinia tuta, Christophori sanctique Pantaleonis,ut jam dictum est, pretiosas reliquias, quibus se patronis specialius delegavit, ut puta gemmas gratissimas et duloissima pignora ad sanctissimam suæ Ecclesiæ sedem miro ambitu variis de locis attraxit. De translatione beati Evergisili tertii ejusdem sedis archiepiscopi, quid factum sit hujus pii provisoris dispensatione, plurimis notum est;quem in ecclesia beatæ Ceciliæ virginis cum homnis et divinæ laudis celebratione repositum,

VARIÆ LECTIONES.

[419] in Deo L. [420] *deest* 3. [421] N. m. p. i. n. i. I. s. *desunt* 3. [422] quid 1. [423] multocies 1 *hoc loco*. [424] monasteria omnia 2, 3. [425] quia non sua 2. [426] preclare 3. [427] elisium 1.

plebs religiosa ita veneratur et colit,ut præsentem A crederes beneficiis largioribus quotidiana obsequia mutuari [428].

32. Cætera quæ tam brevi tempore suæ Ecclesiæ filiis oblectamenta contulit et dona salutis, pensari nequeunt,æstimari non possunt ; quæ ex omnibus pene mundi plagis et terminis religioso affectu et animo congregavit,quasi conjiciens quod futurum erat,ut pro brevitate dierum suorum gregi[429]sibi commisso dona perennia confirmaret.Quo tamen studio id curavit potissimum,ut et illis unde abducta sunt desiderium,et his quo adducta sunt amplificaretur gaudium ; quatenus utrique, bono odore Christi, qui est in martyribus, imo quod ipsi sunt, licet diversis affectibus provocati, et illi vivatius appeterent quod negligebant,et isti perpetuo venerarentur quod ad se translatum esse gaudebant. Nam B qui [430] nescit honum amare quod habet, si ablatum ab illo fuerit, discit fortasse bonum amare quo caret ; et habebit illud dum aberit fructuosius in memoria, quod sibi inutiliter habuit in præsentia.|Impletum est hoc modo evangelicum illud elogium, quod dicitur : *Omni habenti dabitur, et abundabit ei autem qui non habet,et quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* xxv, 29).

33. Interea certatim multis in locis per parochias episcopii sui fidelis hic Domini servus et prudens, ecclesias, monasteria et cætera ædificia servitio domini Dei sui et honori sanctorum ejus apta,quædam a fundamentis erexit,quædam prius fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparavit. In his singulis, qui Deo omnipotenti sub regula C vitæ canonicæ deservirent,provida ingenii sui arte disposuit, ac ne quid eis pro modo conversationis suis deesset, liberaliter disponendo providit. Cujus operis est saluberrimi studii monimenta [431] perennius in his ubi acta sunt locis firmata perdurant,ita ut in laudem et gloriam Jesu Christi memoriam tanti viri nullam ætatem obscuratum iri in perpetuum patiantur. Idem ad exteras nationes transfudit,et in regno suæ providentiæ delegato partim exemplo,partim opere proprio, partim varia personarum qualitate et crebra admonitione diffudit. Non enim passus est suorum quemlibet aut incassum occupari,aut otio torpere inerti ; diffiniens,ut solebat loqui, ignavum pecus arcendum a præsepibus ; et secundum Apostolum : *Qui non laborat, nec manducet* (*II Thess.* III, 10). Non possunt singillatim prescribi bona omnia, quæ fecit, quæ docuit, quæ amavit. Tantum semper materiei [432]| supererit id curantibus, ut ipsi profecto ante lassi cessaverint,quam id quod moliuntur expleverint. Jam vero in prædicatione verbo Dei et in subtilitate [433] disputationum, et [434] de sinceritate scripturarum, qualis quantusque fuerit, admirari possumus, diffinire non possumus ; quæ tam copiose sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi et ea quæ secundum pietatem est doctrina profudit, et plenum eum esse sapientia Dei, per quam omnia facta sunt, nemo hoc audiens et recte intelligens dubitaverit.Et ut nihil quod divini cultus usui competeret,sagax eorum quæ sunt Jesu Christi scrutator intentatum relinqueret, si quos aut in suorum ovilium septis aut extra reperit, qui singulari acie contra diabolum dimicaturi solitariam vitam appeterent,hos cum omni veneratione susceptos, suæque [435] exhortationis charitativa consolatione munitos,per diversas monasteriorum et ecclesiarum cellulas, cum idoneo [436] Ecclesiæ testimonio et religioso ut decebat officio, alibi singulos,alibi binos inclusit ; quibus tamen ad invicem,nisi sermone tantum et aspectu, nullus pateret accessus.His sumptus et quæcunque humanæ fragilitati necessaria videbantur, per fidelissimos suæ administrationis vicarios sollicite ministravit, et præcipue per apostolorum festa, quotquot in anno occurrerant,singillatim eos donis congruentibus visitavit.Ita secundum perspicuam apostolicæ normam doctrinæ bona (*Rom.* XII, 17) provide curavit, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus [437],ut cujuscunque affectus sive conditionis homines, si Deum quærerent, inter ejus discipulos aut probari possent aut erudiri.

34. De ancillis Dei quæ in monasterio sanctæ Mariæ divinæ religioni fuerant deditæ, deque canonicis ad sancti Andreæ apostoli ecclesiam (1939) translatis, et si qua erant hujusmodi, scrupulum quidem reliquit non modicum,sed his (1940) quibus mentis acies ita non viget, ut sinceram ejus intentionem in diversis operibus valeant perspicaciter intueri. Qui utique si adverterent, non homines propter locum,sed locum a Deo elegi propter

VARIÆ LECTIONES.

[428] 2 *loco verborum* plurimis notum — mutuari *exhibet translationes S. Evergisli et Patrocii ita pergens :* non duximus supprimendum. De translatione S. Evergisli — — — in se |completum novit. *Quam cum Leibnitio post finem hujus vitæ rejecimus,utpote non ab Ruotgero profectam,sed ex ejus narratione imitando expressam. Ne autem Ruotgero antiquiorem et ab eo operi suo insertam putemus, id vetat, quod cum de Patroclo jam supra auctor locutus sit breviter,in hac translatione ad eum sermo iterum recurrat, reliquis anctis omissis ; quod ineptius est, quam ut Ruotgero imputare possimus. Verba quoque* urbs metropolis — extendebat *ague* colitur usque in presentem diem *non illo ipso tempore, sed post tantum scribi potuisse satis apparet.* [429] grege 2. [430] quis 3. [431] m. ære p. 3. [432] materieri 1. [433] et sublimitate 3. [434] *deest* 2. 3. [435] suæ queque 1. suæ quoque 2. 3. [436] c. dei et e. 3. [437] c. omnibus h. 3.

NOTÆ.

(1939) Quæ ad Sanctæ Mariæ monasterium pertinebat.

(1940) *Soil.* tantum scrupulum reliquit.

homines, et quia obedientia Deo [438] placet super sacrificium, scirent fortasse, oves vocem pastoris audire debere, et magis id [439] ratum acceptumque Deo fore, quod [440] per obedientiam, quam quod per propriam voluntatem sequuntur. *Ubi autem zelus et contentio*, ait Jacobus apostolus, *ibi inconstantia et omne opus pravum* [441] (*Jac.* III, 16). Similiter in eo, quod nefarios quosdam patriæ civiumque prædones de regno, ubi quieti et pacifici esse noluerunt, quasi pestem bonorum expulit et exsulari coegit, ipsis, licet nescientibus, profecto consuluit. Quo enim diuturnior nequam, eo graviorem et prolixiorem sibi comparabat pœnam. Quando autem boni quiescerent, si malorum furori nemo resisteret? Nimirum pepercit illis Deus, quibus hoc magna sua patientia et bonitate permisit, ut de pace et statu patriæ suæ absentes audirent, quod præsentes nunquam videre vellent; felices, si bona sua saltem in peregninatione cognoverint, et patriam cupierint [442] de qua expelli non possent, ubi beati omnes pacifici, quoniam filii Dei sunt vocati. Talis itaque per Dei omnipotentis gratiam vir iste fuit, ut nec odio nec invidia ad persequendum eos qui tales erant ullo modo excitaretur, nec a miserendo aut parcendo miseris duritia aut crudelitate aliqua restringeretur, sed ut pastor sollicitus et vere dux populi Dei salutem omnium et utilitatem in omni quæsivit negotio; et quos ipse in via Dei duxit et docuit, ne a perversis seducerentur et in errorem mitterentur, strenue decertavit. Tantum autem aberat a sævitia, ut pro his etiam, quibus amarum aliquid pro qualitate factorum necessario inferebat, ipse frequenter amare fieret; ita gaudere cum gaudentibus, cum flentibus flere consuevit. Nam et qui hoc dixit, quemdam Satanæ in interitum carnis tradere jussit, ut spiritus in die Domini salvus esse possit [443].

35. (955) Igitur cum jam prope esset summa dies et inelectabile tempus, quo Deus omnipotens, propitius terræ, populi sui ultus sanguinem, servorum suorum vindictam retribueret in hostes eorum, aggravata [444] est ultra modum et omnino intolerabiliter superbia ferocissimæ gentis Ungrorum, seducta, credo, superioris onni successu [445]. Siquidem, ut veracissime dictum est: *Ante ruinam exallatur cor* (*Prov.* XVI, 18), ibi ceciderunt omnes qui operabantur [446] iniquitatem [447]. Prævenit hanc pressuram imminentem Ecclesiæ pax in placito [448] regali, quod in Arnestat (1941) habitum fuit, ex integro condita [449], et ex magna jam parte per imperatoris nostri fratrumque ejus sapientiam confirmata. Et revera tribubus et linguis innotuit, quia Deus dissensionis non est, sed pacis (*I Cor.* XIV, 33); tantam [450] hujus initio operatus est salutem populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei tempus exercitum congregandi; sed fiduciam habuit per Christum ad Deum, qui potens est salvare in paucis sicut in multis (*I Reg.* XIV, 6). Aderat ibi Cuono, non jam dux sed miles, toto, ut putabatur, animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat; cilicio membra domans, Deum gemitibus, ut fertur, exorans, ut si sic ejus sancta voluntas existeret, permissa regi nostro et exercitui ejus victoria, cum ab impiis, quibus se prius male conjunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit jejunium ipsa, quæ tunc erat, in vigilia sancti Laurentii martyris, per cujus interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse refugium. Propositum suscepti operis negat, expedire bellum, primo sanctæ festivitatis diluculo susceptum, vixdum vespertino crepusculo, Deo misericorditer dispensante et pro suis pugnante, satis feliciter peractum, miserendum [451] post victoriam Cuononis interitum, gloriosissimum imperatoris triumphum, regem ipsum barbarorum, duces et principes captivos, tropæa per totam regni ipsius latitudinem usque ad ejusdem gentis fines frequentissima: quæ omnia proprii industriam operis ad gloriam et laudem Dei omnipotentis exspectant [452].

36. Nos ut, a quo paululum defleximus, ad propositum redeamus, quid interea pius archiepiscopus Bruno, totius semper perosus malitiæ et indefatigatus justitiæ exsecutor, fecerit, disseramus. Cum videret se ad præstitutum diem seniori et fratri suo magno imperatori cum auxiliaribus copiis non posse occurrere, simulque esset [453] sollicitus, ne forte barbari bellum vitantes in Galliam suo juri commissam provinciam declinarent, — arbitratus sic se regno consulere votisque imperatoris sic amplius deservire — Liudolfum prolem regiam, nepotem suum, convenit, ægrum ejus animum blanditiis [454] melle dulcioribus delinivit, statum pristinum, si quæ sua erant accuratius vellet attendere, repromisit. A quo postquam medicinalia sermonum et exhortationum suarum antidota non ut prius obliquis ambagibus declinari, sed solito avidius prægustari [455] et ad interiora pectoris recipi sensit, eum mox episcopii sui locum venerabilem, Bonnam videlicet, jucunde satis invitavit, jucundius suscepit, omni voluptate utriusque digna et

VARIÆ LECTIONES.

[438] do 1. [439] ad *corr.* id 2. [440] quam 1. [441] est *add.* 3. [442] cuperent. [443] posset 3. [444] etenim 3. [445] successum 3. [446] operantur 1. 2. *Folc.* [447] *deest* 1. [448] *ita correxi Folcuino suffragante;* palatio *codd.* [449] condicta 2. 3. *Folc.* [450] tanquam 3. *et Folcuinus.* [451] miserandum 2. [452] expectavit 3. [453] esse 1. [454] blandiens 2. [455] s. s. a. p. *desunt* 3.

NOTÆ.

(1941) Arnstadt in Thuringia; cf. ann. Augg. a. 954.

commoda cunctisque qui aderant gratissima, non immemor regiæ dignitatis, affecit. Qui dum adhuc simul essent, de his quæ in expeditione bellica, imo divina, virtute facta sunt, nuntios acceperunt. Institit nepotem patruus amplius consolari. Factum est in brevi instinctu hujus consiliarii, ut filio suo, qui perierat et inventus est, imperator totam Italiam delegaret, et quod majus fuit, paternam firmissime pietatem impenderet. Ubi dum maxime placuit populo, viamque affectavit Olympo, repente flos ille integerrimus et robur regni tutissimum e medio excessit (957). Pater autem ejus imperator ac semper magnificus triumphator, post luctum consolatione recepta, cum fratre suo veterem necessitudinem nova consuetudine junxit; Coloniam venit; ibi se non tam fraternis deliciis, quam mutuis cum illo aspectibus, affatibus, et cunctis omnino jucundissimis usibus oblectavit. Nec defuit ibidem severa in improbos et importunos cives regni censura judicii, blanda item in bonos et mites piæ dominationis liberalitas. De statu regni rebusque ejus tutandis et dilatandis sedulo et strenue in commune consultum [456], ut de sanciendis quibuslibet, aliis resecandis, cautissime ageretur, summo consilio provisum est.

37. Quæsivit interea summa diligentia pius pastor Bruno, veritatis assertor, Evangelii propagator, navos et industrios viros, qui rem publicam suo quisque loco fide et viribus tuerentur. His ut neque consilium neque copiæ deessent, sedulo curavit. Quotquot etiam de principibus et regionariis prioribus, cæterisque quorum dispositio regni intererat, saluberrimis suis admonitionibus ad communis bonorum omnium utilitatis fœdus fide plena consenserant, hos ipse inter summos et familiares habebat, eisdem imperatorem, germanum suum, apprime conciliabat [457]; pensans non temere a quodam sapiente dictum : « *Bonus, ubi negligas, segnior, at* [458] *malus fit improbior.* » Archiepiscopum Treveris Henricum, magni meriti et summæ probitatis virum, qui Rutberto [459] magnifico præsuli Coloniæ in gravi pestilentia, cum et imperator ibidem esset, defuncto successit, Wilhelmum quoque, præcluis et gratissimæ excellentiæ archimandritam, nepotem suum, Fritherici Mogontiani antistitis successorem, ambos egregios, ambos in Domini lege perfecte instructos, imperatori alterum consanguinitate, alterum probitate, utrumque familiaritate conjunctissimos, ipse quoque imprimis summa veneratione colebat. Hos igitur tales tam illustres, tam certe sapientes et religiosos et in omnibus bonis artibus eruditos viros ad consilium, ne fortè ipse per se, ut sunt humana, a tramite veritatis uspiam exorbitaret, frequenter adhibuit; hos cum ipso simul non solum in lectione, consilio et disputatione, sed etiam in acie vidimus providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Erat namque in occidentalibus Lotharici regni finibus velut indomita barbaries, ea quæ videbatur Ecclesiæ proles, felicitati invidens alienæ, nec minus saluti suæ, despiciens paternæ blandimenta exhortationis, terrorem vix sentiens potestatis. Qui si juri suo permitterentur [460], suis perversi, sibimet ipsis pessimi viderentur. Ille vero ante omnia provido usus est moderamine discretionis, ut pro qualitate locorum et temporum in prælatione pastorum [461] ad sapientissimi imperatoris nostri imperium Dominici gregis paci et tranquillitati consuleret, illos nimirum cæteris præferens, quibus nequaquam esset incognitum, quid pastoris esset officium, quid mercenarii vitium, quid in ministerio susceptio [462], quid in angaria aut agendum esset aut sperandum; alios, ut quasi cortinæ hyacincthinæ interiora domus Domini ornarent; alios, ut quasi saga cilicina deforis violentiam tempestatum arcerent.

38. Libet meminisse quoddam hujus pii Patris pium et laudabile factum, quod in ipsis sacerdotii sui primordiis, ut pro luctu spirituque mœroris in oppressorum cordibus excitaret spem salutis, effecisse cognoscitur, quamvis hoc ipsum, ob inopiam recte dividentium, linguæ calumnianti fuit obnoxium. Quid enim non pervertit invidentia, qua nulla major esse videtur amentia? Siquidem Ratherus, Veronæ — quæ civitas est Italiæ — ordinatus præsul, cum ex quadam levi suspicione, ut mos est gentis illius, ab honore propriæ [463] sedis esset expulsus, Leodicensis [464] cathedræ vacanti, magna ejus industria, secundum statuta canonum, incardinatus est. Quod quidem propter abundantem doctrinam [465] et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos florere visus est, non eidem solum Ecclesiæ cui præfuit, sed et multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est. Simul quia in illis partibus per zelum et contentionem, unde fieri solet inconstantia et omne opus prævum, quidam etiam sacerdotes Domini, plerumque, quod dictu nefas est, terrenæ plus justo confisi potentiæ, populum imperitum scandalizabant : sæpe dictus sæpeque dicendus domnus Bruno, cui jam totius regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc ejectum antehac et neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei et veritatis fœdus adduci, ut a nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica obstruere posse credidit, si nulla occasio scandali [466] posset in eorum episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra prævaluit; quidquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum æstimabant. Quid multa? Erratum est, sævitum

VARIÆ LECTIONES.

[456] consilium 2. [457] consiliabat 2. [458] aut 1. 3. [459] ruotberto 2. 3. [460] ipsos quoque quos imprimis summa veneratione colebat *add.* 3. [461] *deest* 3. [462] suscepto 2. *deest* 3. [463] primæ L. [464] leodicensi 3. [465] abundantiam doctrinæ 3. [466] *deest* 3.

est, nec cessatum est, donec expulsione ejus crudelitati suæ et nequitiæ satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis ejus; conspiratio enim gravissima facta est, quæ nisi et hic penitus amoveretur, et in [467] eumdem locum Baldricus, qui erat de magnatorum terræ illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari non posse visa est. Ad hanc sentinam tempestates undique innumeræ confluxerunt, navis Ecclesiæ laborante remige fluctuavit; gubernator ipse procellosæ tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur; cessit, ne [468] vinceretur a malo, sed vinceret in bono malum; cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet sibi. Obstricti sunt sacramentorum fide spontanei, ut si accipere mererentur episcopum quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem Ecclesiæ et jus imperatorium tuerentur. At ne quid in ejusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigationibus scrupulum commoveret, cum imperatore germano suo id effecit, ut Rathero episcopo, his jam destituto, antiqua sedes Veronensis Ecclesiæ redderetur (961).

39. Multa sunt alia et prope infinita, quæ in brevi non in Lothariorum [469] tantummodo populo, quem ipse ex integro susceperat gubernandum, quem etiam, sicut in præsentiarum cernitur, ex inculto et fero paccatum reddidit et mansuetum, sed etiam per totum regnum gloriosissimi imperatoris sui in Dei rebus et salute totius populi strenuissime operatus est. Erat enim eidem omnino communis cura cum seniore et germano suo, quorum uterque de altero merito gloriabatur in Domino. (962) Præterea Lotharium, sororis suæ filium, de antiqua regum prosapia ortum, cum a sobrinis suis vehementer esset oppressus, mirifice eruit et exaltavit, nec cessavit, donec in locum patris sui regem constituit, ac majores ipso potentioresque Hugonis filios omnesque illius regni principes sub jugum ejus stravit; ita prospiciens universis, ut sub unius moderamine imperii omnes pariter et ab hostibus tuti, et inter se invicem possent esse pacati.

40. Imminet regno illi, quod reticendum non est, sæva clades, Nordmannorum gens, quibus in piratico latrocinio non sunt alii exercitatiores. His ex magna jam parte præda erat populus dissensione et civili pernitie assuetus. Quod illis superfuerat, inter se domestica seditione consumpserant. Egit autem provida dispensatio rectoris nostri, qui, quoniam hominem se esse intellexit, humani nihil alienum a se putavit (Terent. *Heaut.* I, 1, 25); egit, inquam, ut ad se quasi ad tutissimum portum confugerent omnes, qui quietem et pacem amarent. Ipsorum etiam barbarorum immanitatem et intolerandam dudum ferociam mitigavit. Siquidem eo tempore et rex eorum Haroldus (1942) cum magna suæ multitudine gentis regi regum Christo colla submittens, vanitatem respuit idolorum.

41. Erat imperatori filius adhuc tenellus, delicatissimæ indolis et integerrimæ voluptatis [470], obsequacis et gloria plebis. Hunc archiepiscopis patruo fratrique (1943) commandatum, ad custodiam regni Cisalpini reliquerat imperator, profecturus Romam et res totius Italiæ ordinaturus. Cæsar ipse futurus, electum summo consensu ab omni populo regem esse constituit, unxeruntque Ottonem æquivocum patris, Bruno archiepiscopus, Wilhelmus et Henricus cæterique sacerdotes Domini regem in Aquisgrani palatio, et exsultavit maxima gratulatione populus dicens: *Vivat rex in æternum!* Divisi sunt deinde ab alterutrum germani, par semper invictum; et imperatore Alpes Penninas transeunte, remansit citra spectatus, atque incredibili pietate utrobique desideratus, pius pastor et archiepiscopus Bruno. Non longe post domino et fratri suo, quia ipsum per se ire non licuit, auxiliares copias non levem armaturam (1944) de Lothariorum populo misit. His præfuit Godefridus dux, quem ipse nutrivit, vir sapiens et religiosus, amantissimus pacis, observantissimus æquitatis, imperatori per id tempus ad votum serviens, omnibus [471] placens. Hic eodem tempore (1945) febre correptus, in magnam spem futuræ quietis exspiravit. De cujus innocentia quodammodo securus, quasi testis et conscius vitæ ejus, pius Pater Bruno, cum de pecunia dispensanda ageretur pro remedio animæ illius, non valde eam talibus indigere asseruit. (965) Imperatoris præterea reditum frater ejus nocte dieque sollicitus exspectavit; redeunti in omni gloria lætus occurrit. Ejus enim [472] eximia virtus, dignitas, et in eo negotio quod gessit fides et continentia; simulque cum ipso spem otii, et tranquillitate animorum judicia, leges, cum concordia populi regis et principum auctoritatem reductam æstimavit. Cujus consilis omnibus, cum ipse nihil aliud dies ac noctes nisi de salute populi cogitaret, interfuit, et inter primos excelluit. Hic eidem gravissimus auctor ad constituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rem publicam perficiendam fuit.

42. Igitur cum in hoc sanctissimo studio imperator tricesimum regni sui, germanus ejus duodeci-

VARIÆ LECTIONES.

[467] *deest* 1. 2. 3. [468] nec. [469] lotharicorum 2. 3. *sæpius*. [470] voluntatis *conjicit L.* [471] omnibusque 2. 3. [472] *deest*. 3.

NOTÆ.

(1942) Cognomine Blataand.
(1943) Scil. ejus (Ottonis II.) Brunoni et Wilhelmo.
(1944) Gravis armaturæ equites, quibus hodieque Lotharingia antiqua excellit.
(1945) Obiit a. 964. Cont. Reg.

mum pontificatus sui ageret annum, nondum [472] nisi vix prælapsus ætatis quadragesimum,sanctam Pentecosten (1946) simul Coloniæ celebrantes, qua major mortalibus gloria concessa non est, sese invicem inter [474] sancta solemnium dierum officia una cum diva matre, sorore regina, nepotibus filiisque regibus, totaque illa Deo dilecta familia et cunctis regni senatoribus affuerunt. Constat enim nullum aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum,ætatum,ordinum floruisse. Hanc itaque gloriossimi Cæsaris [475] Augusti, et germani ejus,summi et incomparabilis viri Brunonis archiepiscopi, fidam Deoque placitam in omni voluntate et opere conjunctionem, hanc conspirationem in omni utililitate et honestate administranda et bene gerenda, hanc jucundissimam vitæ officiorumque omnium societatem, mors sæva, mors horrenda mors,inquam,sola diremit. Et revera,quamvis nihil atrocius videretur, nihil [476] tamen esse potuit, quod eam innocentius diremisset.

43. Ergo cum summns antistes Bruno senioris et fratris sui orientem versus euntis contubernia,ruens prius in oscula et flens largiter, reliquisset, paccataque omnia et quieta intra metas regni sibi creditas,agens Deo gratias,aspexisset: iterum iterumque suos omnes, clerum,populum [477], quæ agenda fuissent, admonuit; et mox in occidente Compendium adiit,ut ibidem nepotes suos ab invicem dissidentes ad concordiam revocaret,in fide et gratia stabiliret, Ecclesiæ religionem, regi honorem, et quæ sua essent dictante æquitatis ratione,annuente Domino, singulis confirmaret. Eo intentus negotio infirmari cœpit; et sic [478] Remensium civitate gravi corporis molestia detentus,quinto demum die postquam invasit, ægritudo eum prævenit.Quibus diebus in itinere non minus quam in hospitio,lectione assidua, nullo pene alio cibo refocillatus est. Interrogatus autem familiariter ab episcopo [479] Wicfrido (1947), ut ipse testis est,cujus morbi gravedine urgeretur, non morbum, sed dissolutionem sui corporis esse respondit. Episcopus itaque supradictæ metropolis dignissime eum recepit, humanissime tractavit; et in festivitate quidem,quæ tunc inerat, sancti Remigii,levius aliquantulum habuit,ita ut clientulis ejus et sociis spes esset recuperandæ salutis ejus. Ipse autem, vocatis episcopis qui simul cum eo venerant, Theoderico (1948) et Wicfrido, postulavit, ut [480] testamenti sui faciendi copiam ei facerent et adjutorium exhiberent [481]. Quod cum perdolenter et lacrymabiliter valde excusarent, valetudinem optatam in brevi pollicentes futuram, ille animi industria, qua semper viguit, econtra renisus : « Dum tempus est, inquit, hoc fiat; multa nobis alia post hæc restant agenda. » Ingravata est deinde infirmitas et invaluit, jamque anhelitus intercluso faucium meatu vitalium lassitudinem præmonstravit. Tunc vocato notario, coram memoratis testibus testamentum suum ipse dictavit, res omnes quas habuit a sese, dum adhuc in bona spe viveret, abalienavit, dispersit, dedit pauperibus; quoque ordinandis exterioribus ecclesiarum Dei ædificiis congessit, in brevi secundum collatam sibi sapientiam, facta et corroborata cautione sua congrue et professione sua digne, divisit. Hoc qui legere ipse quærit, inferius scriptum in promptu habebit. Ingenium, quod mundo corde et jugi exercitatione politum duo Dei reddidit [482] et inlustre, illum [483], ut liquido apparet in ejus verbis, non defecerat in extremis.

44. Post hæc pauper Christi, collecta animi virtute, iterum semotim episcopos advocavit. Quibus assidentibus et interioribus factis,hæc verba gemitu exuberante et fletu inundante profudit [484]:« Tria mihi videntur genera esse confessionis, quibus se cor hominis Domino Deo suo, renum testi et [485] scrutatori cordium, patefacit, non ut ipsi,qui nihil non novit, lucidius innotescat, sed ut ille, qui se parum novit, veracius semetipsum agnoscat, et aut Deum in benefactis laudet,aut se in malefactis accuset.Hoc cum semper fieri debeat—sic enim vigilare præcipimur, ne fur veniat [486] quando nobis incautis damnum illaturus irrepat (*Matth.* XXIV, 42, 43.) — Tum pulsante Domino domus per infirmitatis molestiam, necesse est, ut mens se quibus possit [487] viribus erigat, qua valeat intentione judici suo appropinquanti assurgat, sopitis terrenis desideriis spe ad superna flagret,bona perennia, etsi non meruit, minime tamen desperet, sibi diffidat, in Domino confidat. Ecce, fratres dilecti, sicut cernitis, pulsatur janua pectoris mei; vocor ad reddendam rationem operis mei. Si quid potestis, rogo, ferte præsidium, orationis vestræ porrigite manum. Incertus inter spem metumque feror; ut in neutram partem pronior inflectar,id vero enitendum est.Sed quæ sunt vires meæ? Misericordiæ remedium præstolor; in manu Creatoris mei sum; de me, quod ipsi placet,ut fiat exspecto.Bonum est confiteri Domino. Confessio et magnificentia opus ejus. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante, fieri potest. Est autem quædam confessio, non peccata deplorans, misericordiam [488] tamen implorans; de qua per Psalmistam ex persona Domini dicitur : *Sa-*

VARIÆ LECTIONES.

[473] nondum 1. [474] *deest* 3. [475] cesari 1. [476] n. 1. [477] populumque 2. 3. [478] *deest* 3. [479] ipso e. 2. [480] ut in 3. [481] ei exhib. 2. [482] reddit 1. 2. [483] illud 3. [484] perfudit 2. *sed corr.* [485] r. t. e. *et postea* l. i. s. u. i. q. s. p. n. *desunt* 3. [486] neq. 2. veniens (*deest* q.) 3. [487] potest 3. [488] tuam *add.* 2.

NOTÆ.

(1946) Aut Ottomen circa diem 23 Maii Colonia Ingelheimum reversum,post paucos dies Coloniam iterum adiisse, aut, quod ægre credas, Ruotgerum errasse statuendum erit. Certe imperator die 23 Maii Ingelheimi, d. 25. Triburiæ, d. 2 et 8 Junii Coloniæ diplomata edidit.

(1947) Virdunensi.

(1948) Mettensi.

crificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi Salutare meum (*Psal.* XLIX, 23). Hoc Salutare, id est, Dominum Jesum, ore confiteor, et corde credo, quod Deus illum suscitavit a mortuis [489]. Hic omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos agnosco. Hunc Dominum Jesum nemo potest dicere,nisi in Spiritu sancto ; ante illum est omne desiderium meum, et gemitus meus ab eo non est absconditus. Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domino,quod est secundum genus confessionis lamentabile in peccatis. Tertium quod commendat beatus Jacobus apostolus : *Confitemini,* inquiens *alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut Salvemini* (*Jac.* v, 16), hoc vobiscum domini et fratres mei, agere volo, hoc anxie quæro. Spero autem, quod advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. » Deinde postquam his se coram Domino totum effudit,corporis et sanguinis Dominici sacramentum, virtutis [490] ejusdem sacramenti non inscius,expetivit. Quod cum fuisset allatum, vir ille Domini, quid animo senserit, toto [491] corpore prostratus ostendit. Refectus autem hac vitali alimonia, spe validior lectulo restitutus est, dies postquam non minus quam quinque in eodem corporis languore et spiritus fervore permansit.

45. Solemni vero die beatorum martyrum Gereonis et sociorum ejus jam vergente [492], subito mentis excessu raptus, episcopis, ducibus, comitibus, et cunctis qui aderant, luctum movit ingentem. quia dissolutionem optatissimi corporis instare putabant præsentem. Ille, ut solebat, paululum convalescens tumultum manu sedabat,fletus et rugitus astantium mitigabat, majores et hoc [493] affatu ultimo digniores ex nomine vocabat : « Nolite, » inquiens, « nolite, fratres, hac mea sorte tristari. Divinæ animadversionis judicio cunctis mortalibus imposita est ista conditio ; non licet nolle, quod Omnipotens sanxit inevitabile. Tristibus istis in brevi læta succedunt, Illuc non assumpta vita,sed mutata in melius,pergo, ubi viros longe plures et clariores, quam hic unquam viderim, cito videbo. » Nec plura his locutus, lectulo fessa mox membra reposuit.Consuctum paulo post, luce adhuc integra, vespertinæ laudis officium, nocte jam profunda completorium ipse cum fratribus consummavit ; Domino Deo suo sanctorumque ejus precibus sese quasi mox iturum attentius commendavit ; iter suum magno illo viatico, sancto videlicet et unico redemptionis nostræ pignore, munivit ; episcopos seipsumque et eos qui præsto erant benedictione consignavit. Ita tremendam dissolutionis suæ horam animo intento ad Creatoris sui imperium exspectavit [494]. Et in media nocte transacta, conversus nisu quo poterat ad episcopum Theodericum nepotem suum : *Domine,* inquit, *ora !* et mox inter psallentes Domino et orantes nimiumque flentes spiritum exalavit [495]. Quod in illo non potuit mori, redditum est Creatori ; corpus autem ejus exanime, sicut ipse vivus præceperat, eodem die, id est v Idus Octobris, indefessi ejus comites levatum in feretro transferentes, octava [496] postea die ad angustam sedis ipsius metropolim Coloniam pervenerunt. Quorum adhuc nonnulli jurejurando et mirum in modum affirmando testantur, in longo illo itinere nullam pene lassitudinem aut laboris molestiam se sub tanto onere pertulisse. Unde autem ibant, quocunque ibant, quascunque et [497] gentes, quascunque terras attingerant, omnes mirabiliter hujus, ut eorum verbis utar, digni Deo viri merita in rempublicam, in imperatorem, in reges, in principes,in omnem populum,eximia, qua quisque facultate poterat, æstimabant.

46. Jam vero cum ejusmodi exsequiæ Coloniam adventarent, et hoc per omnem regni Lotharici populum fama nimis odiosa dispergeret,ita dissoluti sunt omnes, præsertim sanctissimæ sedis illius et Ecclesiæ alumni, quasi discessus tanti pastoris et obitus ejusdem esset Ecclesiæ funus.Nam secundum amplitudinem prioris consolationis tunc invaluit vis et magnitudo doloris. Flebant igitur [498] omnes, plerique donec exsiccarentur in eis lacrymæ. Multi congelatis membris attoniti, in tanta orbitatis hujus miseria semetipsos [499] vivere obliti sunt. Ante omnes luctu se lacrymisque, magis autem interno dolore cordis affecit, qui hunc patrem patriæ præ cæteris amavit, Folcmarus, memorabilis probitatis et industriæ diaconus ac prudens fidelisque hujus sanctæ Ecclesiæ protus et iconomus, quo nomine eum ipse pater, ut puta vicarium suum et sibi in omni negotio conjunctissimum,honorare consuevit ; in quo solo tunc omnium desolatorum [500] ora oculi et animi versabantur, quorum certe omnium voluntate atque desiderio jam electus, licet nondum designatus, fuerat præsul.Huic pius pater absenti, quod eum nosset, ex nomine res suas omnes egenis et Ecclesiis episcopii sui distribuendas,præscius credo futuræ successionis, summo studio delegavit.

47. Est prope muros civitatis ecclesia, structura quidem et opere humilis,sed apostolorum nomine, in quorum veneratione consecrata perhibetur, insignis ; in ea depositum pastoris sui corpus exanime sacerdotii velabant [501] insignibus ; quo paucis, nisi episcopis et quibusdam secundi ordinis sacerdotibus, patebat accessus. Inde mox elevatum, clerus et populus cantum planctumque permistum ingeminantes, in ecclesiam beatissimi Petri apostolorum principis, ubi sedes erat venerabilis, detulerunt.Noctem illam celeberrime in vigiliis et psalmodii, vix refocillatis corporibus, insomnem duxerunt. Mane autem facto,

VARIÆ LECTIONES.

[489] me et — suscitavit *desunt* 3. [490] virtutem 2. 3. [491] *deest* 3. [492] vertente 3. [493] ad hoc 2. [494] ita — expectavit *desunt* 3. [495] exilavit 1. [496] nono 3. [497] *deest* 2. 3. [98] *deest* 3. [499] semetipsis 2, 3. [500] desolatorum 1. [501] vallabant 3.

convenit universa civitas, et eorum, qui de [502] diversis provinciis et regnis subita fama exterriti advenerunt, innumerabilis multitudo. Adfuit Treverensis archiepiscopus et Leodicensis antistes (1949). Processerunt in medium episcopi Teodericus et Wicfridus (1959), testes ultimæ sanctionis ejus et legationis. quam filiis suis ibidem Deo militantibus misit. Lectum est testamentum ejus in presbyterio venerabili ante altare sanctissimi Petri ; recensita sunt et ea, quæ pio quidem et sollicito in Dei rebus animo rogavit et jussit, sed scribenda non censuit, videlicet ut anno illo toto per singulos dies [503] nunquam minus quam libra denariorum [504] integra inusu pauperum erogari deberet.

48. Deinde secundum postulationem et desiderium cordis ejus, quo flagrabat in extremis suis, suasum est clero sanctissimo, ut volenti animo corpus ejus transferri permitterent ad monasterium monachorum, quod in honore sanctorum martyrum Pantaleonis, Cosmæ et Damiani atque Quirini extra urbis muros non solum tunc construxit, sed adhuc usque consilio et providentia sua construit et ordinare non cessat, gubernante Deo insignia bonæ voluntatis ejus per sanctorum merita, quorum illuc et reliquias advexit et patrocinia sibi religicsa et sedula supplicatione providit. Assenserunt promptissima voluntate omnes ad omnia quæ operavit ; solum illud difficillime persuasum est, ut de summo sacratissimæ sedis ejus loco corpus abduceretur exanime. Lugebant quasi iterum destituti, non audentes post longam deliberationem vel in hoc resistere ejus religiosissimæ voluntati. Deductus est pastor ab ovibus, dici non potest, quibus lamentis et questibus. Sepultus est in ecclesia beatorum martyrum XIV Kalendas Novembris, ubi usque hodie perspicue monstratur, quantus fuerit in oculis bonorum omnium. Quem postea amiserunt, qualis fuerit, et [505] boni et mali lucidius agnoverunt. Frequentant locum sepulturæ ejus ; certatim memorant, quid fecerit, quid docuerit, qualis vixerit, qualis obierit. Modo pro illo orant, modo, ut ipse pro se orare dignetur, rogant. Signa non quærunt, vitam attendunt, doctrinam recolunt ; futurum in eo aut sibi aut posteris suis magnum aliquid pollicentur. Denique omnes ejus monimentis, sicut olim per vivum, ita nunc per mortuum ad Dei laudem et gloriam excitantur.

49. Testamentum domni et in Christo venerandi Brunonis archiepiscopi, feliciter [506]. Bruno servus Christi, filiis suis Coloniæ Deo militantibns. Quæ in animum induxi de rebus quæ divina mihi commisit munificentia dispensandis, vestro reborari judicio, inniti testimonio, si ipsum me [507] præsentem hæc Deus vobiscum [508] communicare non siverit, dignissimum statui scripto ad vos perlato [509]. Eapropter ex sententia fratrum nostrorum Theoderici, Wicfridi, qui et ipsi alumni vestri sunt, cuncta consciscite, recte Deo volente cuncta transagite, et quidquid thesauri nostris opibus illati [510] ecclesiæ — quidquid enim est [511], clavibus hujus Evizonis viri illustris [512], kimiliarchi sancti Petri, custoditur, præter si quid a ministris nondum [516] relatum sit — ne quid ab Ecclesia divisum esse videretur, sub testimonio Christi et Ecclesiæ, ante altare sancti Petri, palam domno Popone [114] proto et iconomo Ecclesiæ nostræ congesta diligentique ratione inspecta, vasa aurea et pretiosiora quæque in ministerio sanctæ Dei genitricis Mariæ et beati Petri apostoli in ipsa ecclesia [515] in perpetuo usu perpetuo consecrentur. Ceppam auream, sigillum et scutellam [516] Græcam, quæ penes [517] nos sunt, beato Pantaleoni ; candelabra præterea quæ in ministerio nostro sunt quotidiana, equitem argenteum a Magontiaco [518] archiepiscopo datum, pallia decem optima, vasa decem argentea ex melioribus, libras centum ad claustrum perficiendum, trecentas ad ecclesiam ampliandam, cortinam latiorem, mensalia tria, tapetia tria, scamnalia totidem, mappas triginta, insuper equarum quidquid nobis fuerit, ipsis quæ ecclesiæ repertæ sunt exceptis, villas [519] quas Ecclesiæ nostræ acquisivi, Langalon (1951) juxta Rhenum, Welebetti, Heingelon 520, Lidron, Vishem (1952), quam Mosa alluit ; domum quoque sobrini nostri Mertensis episcopi, et villam Havingan [521], insuper quidquid de rebus Ecclesiæ nostræ tenet, trado. Detur etiam usui monachorum tertia pars hujus anni fructuum, ad usus nostros elaboratorum [522]. Jerichomium [523] (1953) loco competenti ad nutum abbatis non longe a cœnobio constituatur ; cui quidquid prædii nobis tuitii est, Leresfelt præter [524] in Saxonia usque [525] situm, et [526] quidquid Gevehardus quondam Bonnensis præpositus juxta Mosellam scitur habuisse, confero. Et ut hoc bona venia nostri senioris et successoris fieri queat, pro utriusque nostrum remedio, Ruothinge (1954), quod Ecclesiæ [527] rebus opera nostra augmentatum est, ut libet, utatur. Instar oratorii, quod beato Privato construimus [528] juxta altare sancti Martini in occi-

VARIÆ LECTIONES.

[502] *deest* 3. [503] *deest* 1. [504] *deest* 3. [505] *deest* 3. [506] *hæc inscriptio deest* 3. [507] ne 1. [508] nobiscum 1. [509] *scil.* communicare. [510] allati 3. [511] e. e. *desunt* 3. [512] illustri 1. [513] mundum 3. [514] poppone 2. 3. *et infra*. [515] ecclesiæ 1. [516] scutulam 2. [517] pene 1 [518] maguntino 2. magontio 3. [519] villis 2. 3. [520] heingilon 3. [521] baningan 2. 3. [522] elaboraturum 2. [523] lerichomium 3. [524] pretorea 3. [525] usque ad 3. — *an* in Saxonia adquisitum ? [126] I. p. i. s. u. s. et *manu correctoris* 1. [522] e. nostræ 2. [528] construximus 3.

NOTÆ.

(1949) *Eureraclus qui et Euercar* glossa codicis sæc. XI.
(1959) *Virdunensis episcopus* glossa sæc XI.
(1951) Langel infra Bonnam.
(1952) Wessem supra Ruremondam.
(1953) i. e.
(1954) Rœdlegen ?

dente ecclesiæ, beato Gregorio magno martyri, qui recens adductus est,fiat,ubi sacratissimum corpus ejus recondatur.Huic fundando centum libræ legentur. Cuppas aureas fratribus nostris ad sanctum Petrum, libras viginti, cortinam, mensalia duo, scamnalia totidem. Ad sancti Gereonis altare urcei magni, pallia duo, tapete ex majoribus : fratribus naves et libræ duodecim,mensale et scamnalia duo. Ad altare sancti Severini consummandum quatuor libræ auri ; fratribus libræ octo,vasa duo,mensale, scamnalia duo.Sancto Cuniberto scutulæ duæ.Sanctis [529] Ewaldis duobus pallia tria ; fratribus vasa duo, libræ octo, mensale, scamnalia duo, tapete unum. Sancto Andreæ libræ triginta,pallia quatuor, totidem vasa, candelabra duo ; fratribus libræ sex. Beato Elifio martyri sancto Martino confessori conferatur tantumdem; prædium præterea Solagon per precariam nostræ Ecclesiæ acquisitum. Ad sanctæ Mariæ altare vasa duo ex melioribus; monasterio et claustro perficiendo libræ centum,cortina,scamnalia duo, mappæ totidem.Ad altare sanctæ Ceciliæ auri libræ tres, cortina, candelabra duo, vasa duo, tapete unum,scamnalia duo ; in consummando monasterio libræ quinquaginta. Collegio illius monasterii libræ decem, mensale. Ad Sanctas Virgines vasa duo, candelabra duo, pallia duo, cortina, tapete [530] unum, scamnalia duo. Sanctis monialibus [531] libræ decem, mensale. Altari sanctorum martyrum, Casii et Florentii, auri libræ duo, baccina quæ penes nos sunt, cuppæ duæ, pallia totidem ; fratribus libræ decem. Sancto Victori et collegio tantundem, monasterio et claustro Sosacio (1955) fundando libræ centum ; altari sex vasa,pallia totidem, tapete unum ex majoribus, scamnalia duo, cappa et casula ex nosteis,prædium præterea quod Wodilo de precario [532] nostro dedit,illud etiam quod domnus popo Richildinchuso (1956) et Arvite (1957) nobis satis naviter acquisivii [533].

Fundite corda preces, lacrymosas mittite voces ;
Ecce pater patriæ conditus in silice,
Regia progenies, terras memoranda per, omnes,
Bruno pacificus, vir bonus atque pius.
Archos antistes cui data [534] Colonia sedes,
Visus erat cunctis charus ubique bonis.
Offendit tenebras lux vivacissima tetras ;
Invida lingua tacet, laus modo vera placet.
Non fuit hic mundus tam raro munere dignus
Raptus ab hoc nævo, jam fruitur Domino.
Idus Octobris quinto præsul duodennis [535]
Vitæ concessit, spes comes alma fuit [536].

VARIÆ LECTIONES.

[529] sancti 1. [530] tapetum 2. *et infra*. [531] sanctimon. 3. [532] precatio 1. 2. precatu 3. [533] explicit vita domni Brunonis archiepiscopi 3. *epitaphium deest*. [534] clara 2. 3. [536] *hic*, 2. *addit:* Bruno pius. Quod de casula mandastis domni Brunonis, eam fuisse non dubitetis, quam nostri priores Engilbertus et cæteri ipsius nomine in maxima habuerant, veneratione, eaque semper usi sunt in obitus (obitu *cod.*) sollempni commemoratione.

NOTÆ.

(1965) Sæst.
(1956) Recklinghausen.
(1977) Erwitte.

VITA BRUNONIS ALTERA [537].

1. Henrico (1958) primo et piissimo rege de medio facto,qui pro sui ineffabili clementia prudenti que rei publicæ administratione omni mundo famosus, et pater patriæ dictus est,filius ejus Otto primus divina dispositione in locum patris favorabili totius curiæ acclamatione exoptatissimus [538] imperator successit. Postquam autem consecratus esset in regem, præfecit fratrem suum Henricum ducem super Bajowariorum gentem. Sanctus vero Bruno, ætate minimus,sed honestate morum haud infimus, adhuc degebat sub censura litteralis disciplinæ, et læta indole de die in diem proficiebat in Christi servitute. Cum autem profecisset ætate et sapientia, rex adjunxit eum sibi per amorem fraternitatis in ministerium archicapellani. Millies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari, consulere afflictis,opem ferre miseris.Quæ omnia sic administrabat,ut refugium factus egenis omnibus videretur.Nihilominus ab omnibus calumnia qualibet oppressis hoc asilum unicum petebatur. Exemplar ibi sapientiæ, pietatis et justitiæ supra hominum memoriam eminebat.

2. Hoc tempore Wicfridus agebat regimen Coloniensis Ecclesiæ, Richarius vero Leodicensi præsidebat cathedræ; quorum canonica et spirituali provisione status sanctæ florebat Ecclesiæ. Ea tempestate dux erat, Kuono nomine, cui ob soliditatem sæpius expertæ fidei atque multiplicitatem jugis obsequii idem rex Otto delegaverat provinciam totius Lotharingiæ.

VARIÆ LECTIONES.

[537] *ex codice* 3. [538] favorali t. c. a. exoptantissimus *cod.*

NOTÆ.

(1958) ex Ruotgero cap. 5.

3. Tunc (959) Vicfridus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ dignæ memoriæ archipræsul, diu admodum imbecillis, regiæ tamen majestati et patriæ satis fidus, fessis tandem relictis terræ artubus supernis spiritibus sociatus est. Plebs autem destituta pastore, in ipsa confusione nil anceps, nil varium molita, unicum unice optatum in domno Brunone, magnifico viro et probatissimo, sibi delegit solatium, secuta magnatum et totius cleri consilium. Mox dispositione divina in hoc sui intentionem clerus et populus firmavere, ut domnus Bruno regis germanus ordinaretur eis episcopus, in diversis negotiis experti ejus inflexibilem esse constantiam ad omnem æquitatem et justitiam. Erat enim vir magnaminus, prudentia et consilio præstantissimus, pietate, misericordia et charitate profluus, concordiæ et pacis alumnus, ita ut, vulgari cognomine, diceretur Bruno pacificus. Concordantibus autem omnibus, et votis ipsorum Dei providentia concurrentibus, post exsequias honorifice celebratas, ut tam venerabilem Coloniensis sedis decuit antistitem, unanimiter electi sunt a senatu sanctissimo quator summi viri et eodem numero laici, omnes apprime eruditi, qui omnia hæc perferrent ad palatium, et patefacta post defletam destitutionem electionis unanimitate, memoratum desolatis flagitarent solatium. Quid multa? Complacuit, Deo gratias, imperatoriæ auctoritati, sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta constantia visitatorem festinanter ad destituti gregis custodiam milteret. Missus tandem e castris terreni imperii in cœlestis regis tabernacula cum spiritualibus nequitiis pugnaturus intravit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei præ se ferens. In illo mox novi ejus comites viderant et quod blandiebat et quod terrebat. Affabilem namque se valde et mitem præbuit, et cum ejus industriam in agendis nihil eflugeret, requisivit tamen undecunque sollicitius quid agendum sibi esset, quibus consuetudinibus inniti debuisset. Erat ei comitate condita gravitas, ita confluenti turbæ modicum hilaris et per omnia mirabilis [539] apparebat.

4. Ventum est ad sacratissimam sedem, huic pio provisori ab omnipotente Domino ante tempora præparatam, in ipso tempore præsentatam. Factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio vulgi; novis gaudiis exsultavit civitas. Clerus ex monasteriis convenit, sanctimonalium multitudo concurrit, conditio quælibet et sexus uterque plus solito ad gaudia convenerunt. Episcopi autem, qui frequentes aderant, et hujus sancti cleri senatus, acclamantibus cunctis in voce exsultationis et salutis, electum a Deo et hominibus virum super cathedram pontificalem sedere fecerunt; et laudem Deo simul universi, clamare quo quisque poterat, in organis nihilominus et cymbalis et quocunque signo lætitiæ personuerunt.

5. (953) Ascenso autem tanto culmine potestatis, nequaquam sibi inde crescebat tumor elationis; sed sancta mens episcopi ac potius inclinavit humilitati, illud in memoria recondens, quod Scriptura admonet dicens: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III, 20). Pervigil fuit sapientia, placabilis lenitate nimia. Serpentis astutiam cum lege custodivit, et columbæ simplicis animum non amisit. Gregem sibi commissum dilexit, et per baculum disciplinæ multos ab errore eripuit, quosdam collationibus assiduæ disputationis ad meliora ducens, quosdam placidæ maturitate doctrinæ desiderio sanctæ conversationis implens. In sermone fuerat mitis, in doctrina humilis, malorum acerrimus destructor et veritatis studiosus assertor, humilibus blandus, superbis severus. Quosdam infra septa gregis suscipiens, ex lupis oves fecit; alios extra septa enutrivit, et quidquid alios docuit, ipse primum implevit.

6. Erant enim illo uno homine res valde dissimiles, natalium nobilitas, honorum dignitas, scientiæ, quæ inflare solet, tanta sublimitas ut nihil supra, animi vero et habitus humilitas. Henricus primus, pater istius sanctissimi viri, Romanorum rex et semper Augustus, strenue gubernavit imperium. Post quem filius ejus Otto primus, frater ipsius sancti viri, potenter imperavit. Post quem Otto secundus, et Otto tertius, et Henricus, nepotes eorum successerunt usque in hodiernum diem (960). Attavorum ejus attavi usque ad hominum memoriam omnes nobilissimi, nullus in eorum stirpe ignotus, nullus degener facile reperitur. Hic tamen omnes, salva Augustorum et regum excellentia, genere, nobilitate et morum honestate præcellebat. Erat enim statura procerus, vultu decorus, aspectu pulcherrimus, lata fronte, alto supercilio; oculi ejus magni et clari quasi carbunculus; visu mutuendus, barba rubicunda, circa humeros et pectus large dispositus.

7. Adeptus itaque Dei ordinatione summi sacerdotii gradum, magis amari quam timeri affectabat. Ecclesiastica jura canonica auctoritate confirmabat. Exinde omnis ejus intentio, omne studium, sanctæ matri Ecclesiæ aut munimento fuit aut ornamento. Munienda scilicet erat exterius, ornanda interius; munienda in sæculari-

VARIÆ LECTIONES.

[539] mirabili *c.*

NOTÆ.

(959) Capp. 3. 4. ex Ruotgero cap. 11 — 13. (960) Hæc indicare videntur auctorum ante a. 1268, vixisse, cf. et. c. 9. 12.

bus ornanda in spiritualibus. Dilexit ante omnia decorem domus Domini et locum habitationis gloriæ ejus. Hoc se ardere desiderio multis modis specialiter ostendit. In omnibus etiam exstitit fortis athleta Dei et propugnator Christianæ fidei. His rex lætissimus, considerans virum omnium virtutum profectibus crescere, in quo non dubitaret secundum animam quiescere, et cum quo auderet cum omni confidentia partiri onera regalis justitiæ, commisit ei procurationem totius Lotharingiæ (1961).

8. Interea dominus rex, uxore priore defuncta, ex regina, quam ab Italia duxerat, filium æquivocum suscepit, quem sibi successorem regali benedictione consecrari disponebat. Quo comperto filius ejus Ludolfus major natu, qui plurimo jam tempore spei hujus detinebatur cupiditate, damnum hoc irrecuperabile duxit intolerabile, adeo ut paternæ vitæ sive saluti discrimen meditaretur intentare. Unde multimodis promissionum speciebus corrupto duce Kuonone cum nonnullis principibus, collectis copiis, hos insidiarum tetendit aditus, ut oculis capti patris erutis, libore potiretur regni fastigiis. Verum extemplo detectis insidiis nuto divino, rex exercitu coacto obsedit in civitate Moguntia ducem cum filio. Sed quia cingebantur forti ambitu murorum, tuti prævalida conspiratione civium, rex usus consilio prudentium, satius duxit hac vice loco cedendum. Secedens igitur abinde, Agrippiniam Coloniam peraccessit, ibique regni proceres unanimiter coadunatos fidei sacramento suæ securitatis confirmavit.

9. Deinde rege pro diversis necessitatum causis Italiam profecto, sanctus archiepiscopus Bruno Aquisgrani palatium venit cum Metense episcopo, quem dux Kuono civitate dolo capta (1962) propulerat ab episcopio. Illic occurrit ei domnus abbas Odilo (1963), jam senio fessus et ægritudine continua, seque in manibus ejus commendavit et sua omnia, iterans proclamationem præteritis annis coram rege dilatam. Unde commotus Emmo (1964), non jam in occulto, sed hostis publicus factus est abbatiæ, collectaque latronum manu, absque misericordia et diacretione bona diripiebat Ecclesiæ. Non tulit ulterius hanc injuriam sanctus Bruno piissimus; sed missa copia militari reum diffugii latibula captantem cepit, captumque custodiæ gravissimæ mancipavit, donec accepta fide Leodicensis episcopi, cujus erat propinquus, et sacramento ipsius, quod nihil tale præsumeret ulterius, juberet eum absolvi a publicis compedibus. Non multo post castrum Longiæ manu militari aggressus, obsidione prævalida fatigavit, tandemque captum juri Ecclesiæ (1965), sicut hodie est, remancipavit. Per idem tempus cum exclusus fuisset a civitate Metensi dux Kuono — tulerunt namque ex ea thesaurum magnum —, collecto exercitu sanctus Bruno insecutus est eum, atque a finibus suis eum expulit; sicque episcopum Metensem (1966) loco suo restituit. Hoc modo propulsis hostibus a suæ ditionis finibus, Ludolfum regis filium in patris gratiam fratrisque concordiam et amicitiam venerabilis reduxit episcopus; Deique miseratione ac piæ sollicitudinis suæ prudentia mediante, firmissum pace stabilita, circumquaque cognomen, quod ante episcopatum Christo annuente fuerat adeptus, perpetualiter obtinuit « Bruno pacificus. »

10. Dignitas etiam pontificalis et sedes in ipsa primis [540] quidem in annis admodum humilis et pene ingloria erat; dum hujus [541] episcopi nomen agebat, nil amplius reverentiæ vel obsequii sive honoris habebat, quam quilibet presbyter vel pastor apostolica ex indulgentia per manus impositionem dotatur. Solius stolæ vel unici baculi nuditate contentus, liganda ligabat, solvenda solvebat. Verum jurisdictio gladii vel civilium negotiorum, totus denique ducatus, quo sit ordine pontificio additus, ex vulgata nobis editione derivatum posteris transmittere curabimus. Igitur Romanum regente imperium glorioso Ottone, ipsius ad gratiam frater ejusdem Coloniensibus pontifex præficitur, ad sæculum egregiæ indolis, circa Deum miræ religionis; cujus apud nos vita vel actus, multarum virtutum redimita flosculis, curiosum delectabit lectorem. Et quidem miram viri efficaciam maxima ex parte indigestam scriptoris transiluit articulus, quoniam fama ejus celerior remotos orbis angulos impleverat. Hujus sacerdotii temporibus orta occasio regem cum exercitu Italicas movit in partes, de regni negotio cum Longobardis acturum. Qui eidem fratri et episcopo Galliarum procurationem delegavit, facere judicium et justitiam injunxit; prospectum sciens sub tali patrono ecclesiæ tam populo quam clero, tam civili quam plebeio. At sanctus Bruno, depositi curam gerens, lustratis ecclesiis, vicis et castellis, urbibus, quæque ad agenda quosque animavit, dissidentes ab invicem concordavit, pacem reformavit, reformatam jurisjurandi sacramento consolidavit cum primis provinciarum.

11. Mediante (1967) ita beati Petri festo, idem antistes, cum esset Coloniæ, missa legationem regem Parisiensem solemnizandi gratia invitavit. At rex,

VARIÆ LECTIONES.

[540] primus *cod.* [541] *ita corr.*; hiis *cod.*

NOTÆ.

(1961) v. Ruotg. c. 22. et de c. 8. Ruotg. c. 16—20.
(1962) cf. Ruotg. c. 24.
(1963) Stabulensis.
(1964) V. Conf. Flod. a. 976.
(1965) Metensi.
(1966) Adalberonem.
(1967) Quæ sequuntur, jam olim a Gelenio Hierotheca p. 59, excripta Thietmari narrationi II, 15, quodammodo illustrandæ conducunt. Brunonem minime fratrem prodidisse patet, sed verum rei ordinem nemo facile explicabit.

tam consanguinitatis quam dilectionis affectu conjunctus, ire non distulit. Venit ; decenti et congrua rei veneratione suscipitur, plenissima jucunditate tractatur. Tamen, nescio qua temeritate, die sacra coronatus procedere dictaverat. Quod renisus antistes, ut ne insolitis consentiens fraternum præcaveret offendiculum, regiæ coronæ procurationem quoquo modo suasum, hoc egisse dicitur, ut sacra die eam prolaturus ex populi pressura occasionem sumeret, et spontanco lapsu quasi impulsus pedibus offenderet, casuque simulato diadema labi permitteret. Sic factum est ; et populi angustiatus pressuris, cum labente corona labitur, populique strepentis pedibus attentatur [542]. Nec res gesta regem latere poterat, qui spe sua frustratus processit quidem, circulatus (1968) tamen ; missisque peractis, prægustato potius quam sumpto cibo, non ultra discumbere voluit, sed maturato præcinctu ire perrexit. Res interim silentio legitur. Parisiensis tamen, se dolens injuriatum, similem antitisti retributionem machinatur. Unde sacra die beati Dionysii, Parisiorum apostoli, rex invitavit [543] episcopum, qui solemnem mtssam omni cum clero celebraturus, gratiam pro gratia reciperet. Paruii antistes ; dieque sacra pontificali cum gloria ornatus precedens, alium nescio quem gentis illius episcopum altario astare reperit. Intellexit cruditus animus veteris iræ ultionem ; sed quoniam se sacris missalibus initiaverat, aliud ad altare divertit, suisque cum sequacibus impositam missam explevit ; et nec regi valefaciens, impransus, suis comitatus civitatem egreditur, innotesci volens tam regi quam civitatu, pro illata injuria judicium eis affuturum. Nec ultra moratus, suos comprovintiales revisit ; sumptus et necessaria parat ; castra militum ordinat ; reversusque regem cum suis omnibus expugnat, propellit et exturbat : civitatem flammis absumit et vastat, et victor regreditur [544].

12. Interea ducis Lotharingiæ (1969) stimulata invidia, quasi universa Gallia suæ majestati ad injuriam clerico foret edita [545], idque suæ generositati incautum autumans, primum pacis commertia non est veritus irrumpere ; sed collecto exercitu, latrociniis, incendiis quacunque regnum omne cœpit infestare. Quid plura ? Gemit pius pastor laceri gregis incommoda ; nunc in cordis divisione animadversionis quærit consilia ; et an injuste foret cedendum, an pari congressione dimicandum, pendula mente discutit ; quoniam gladii censuram non in vacuum sibi creditam intellexit. Conscitis itaque primis provinciarum consiliis, quærit, invenit, diem statuit ; qua congressus cum duce, victor existit ; cujus disturbato exercitu, ipsum ducem captum et vinculis injectum, ne tantam victoriam sanguine fœdaret, fratris adfuturi judicio reservarit. Sicque pacis hoste distracto, pax redditur Ecclesiæ. Nec multo post imperatorem fratrem, Italico exacto negotio, lætus excipit. Quem, quæ frater et episcopus egerit, quam civilis, quam pacificus, quam districtus judex et victor fuerit, minime latere potuit. Unde solemni principum habito colloquio, id omnium pari sancitum est consilio, ut devicti ducis monarchia præsuli Coloniensi suisque successoribus usu et jure cedat perpetuo, et ut præsules sic et duces nominentur, sic et sint, judicentque in gladio, qui antea unico utebantur baculo.

13. Hac ergo subnixus dignitate sanctus Bruno pacificus, pacis et gratiæ alumnus, bonæ voluntatis hominibus pacem reformavit, discordantes a devio revocavit, obstinaces et duros ad aliorum terrorem variis sententiarum modis multavit. Sponsam suam, inclytam Coloniam, a jugo ancillari excussit, frenum tributi ejus solvit, ac libertati perpeti eam donans, gloriæ benedictionem primus in ipsa inseruit, reliquias sanctorum quacunque collectas in ea congessit. Pontem [546] etiam porrectum trans Rheni alveum, æquissimo rationis actus libramine, dejecit, quoniam latronum manus eum fœdaverant. Nempe qualibet dierum Transrhenenses ruricolæ negotiandi causa per eum Coloniam ingressi, causarum diversitate vix in vespere expediti, declinato die dum redirent, ipso in ponte rebus et vita privati Rheno injecti sunt ; mortisque auctores latuerunt, sceleris sui sigillum noctem habentes. Hinc sanctus Bruno prope urbis muros monachorum congregationem instituit, quam rerum suarum fecit hæredem, multiplici eam dote nobilitans. Locum quidem, fundamenta jaciens, initiavit : sed ad præmia bonæ voluntatis suæ beato fine vocatus, imperfectum reliquit, sed sumptuum copiam ad fabricæ erectionem disposuit ; in qua et sepultus quiescit. Qui cujus coram Deo sit meriti, ex prospectus ejus regimine quotidie sentimus.

14. *De expulso episcopo et in sedem ab ipso Domino reducto.* Veronensi Ecclesiæ intra Italiam præerat vir strenuus, nomine Ratherus, habitu monachus, totius religionis cultor præcipuus, et divinarum Scripturarum tractator luculentissimus. Hic Aquisgrani palatio canonice electus instante Septembris mensis jejunio, sequenti Dominica consecratus est a duobus archiepiscopis, videlicet dignæ memoriæ sancto Brunone Coloniensi atque Trevirensi Ruberto, nec non coepiscopis quinque, et consensu cleri plebisque intronizatus est supradictæ Ecclesiæ. Qui sic potius pontificali cathedra, res episcopii et

VARIÆ LECTIONES.

[542] allentatur *c.* [543] invitatum *c.* [544] ingreditur *c.* [545] edito *c. an.* tradita ? [546] pontis *c.*

NOTÆ.

(1968) i. e. circulo ornatus.

(1969) Kuonradi.

ecclesiastica jura legitimæ districtionis disponebat censura, posthabitis illorum consiliis, qui eatenus in talibus negotiis non ea quæ sunt Christi, sed sua quærebant commoda. Erat enim vir idem, licet alias admodum probus, ut se habet morum diversitas, spiritus vehementioris, paulo severior in responsis, zelo justitiæ et æquitatis. Sed quia, ut quidam ait, *veritas odium parit*, hujusmodi studiis non solum clericorum, sed etiam civium in se odia concitavit. Quorum quidam, episcopis Ruberto Treviren si, et Balderico Leodicensi consanguinitate proximi, damna quæstus sui conquerentes, per violentiam episcopi concitaverunt eos in odia et inimicitias domini sui' illum protestantes phreneticum et indignum honore et nomine episcopi. His convitiis præsul idem Ratherus modice motus, non ad exteriora confugit adjutoria, sed ad librorum conversus armaria, adversus Baldricum et Rubertum episcopos exorsus est scriptitare quædam invectiva. Unde contigit, ut æmulorum suorum exardescente invidia, de sede pontificali expelleretur non absque contumelia. Qui expulsus ad gloriosi regis Ottonis suffragia se contulit. Ipso rege pietatis intuitu conante auxiliari, verum adversariis fortiter obsistentibus, cum nulla restitutionis ejus copia processisset, utile visum est, ut ad benignitatem piissimi sanctique Brunonis archiepiscopi ordinatoris sui confugium faceret. Qui veniens, benigne susceptus et consuetudinario benignitatis ejus more honorifice habitus, non multo post cathedræ suæ decenter est restitutus. In tanti enim viri judicio evanuit omnium inimicorum ejus obstinata conjuratio, et in ejus defensionis constanti testimonio obmutuit onus adversariorum præscriptionum. Proponebant enim vir totius providentiæ ordinem illius canonicæ electionis et ecclesiasticæ consecrationis, nec debere tantam justitiam irritam fieri qualicunque accusatione testimonii laicalis, imo omnes factionis hujus ministros graviter formidare posse offensam apostolicæ animadversionis. Igitur dulciflux facundiæ suæ antidoto adversariorum animis mitigatis, sic ordinante divina clementia disposuit, ut omnibus indissolubili concordia pacificatis, ab eisdem cum omni honorificentia in sedem suam reduceretur episcopus, a quibus antea fuerat cum indecenti contumelia propulsus, et emendatior fieret omnibus ævi sui diebus.

15. *Epistola episcopi Ratheri ad Brunonem.* Exstat etiam epistola ipsius episcopi ad sanctum Brunonem directa, satis luculentur digesta (1970-71); in qua eum patronum suum nominans, cum inæstimabili gratiarum actione protestatur, se divina clementia præeunte et subsequente et ejus spirituali prudentia mediante in virum alterum transformatum, et renovatione mentis et spiritus in melioris status efficaciam commutatum, suorumque omnium amore [547] in profectum et augmentum sui honoris conglutinatum [548].

Hic quædam excidisse videntur.

Visio abbatis Wolberonis. Nam cur, quare, quam ob rem, tanti viri gratulemur patrocinio, hæc causa est. Tempora prioris Frederici, Coloniensis archiepiscopi (1972), nobis invisa et infesta fuerunt; qui ejusdem sacræ congregationis violentus invasor, multis etiam gravavit adversis. Quandoque enim mortuo ejusdem loci abbate, liberam eis electionem infringens, qua ex Benedicti apostolici indulgentia illud adusque tempus gloriabantur, abbatem eis intrusit ignotum, cui ad obediendum jurisjurandi sacramento compulit, renitentes inclementer afflixit et exsiliavit, etsi non ipse, tamen per manus dominorum crudelium. Nam intrusus abbas plerosque suæ congregationis fratres secum adductos singulis obedientiis præfecit, claustrum eis omne subjecit. Eratque necesse sub hac dissidentia Ecclesiam periclitari. Videns ergo Dominus populi sui afflictionem, mediante Brunonis merito, erroris hujus auctorem episcopum Fredericum vita absolvit (1973), ut se non deesse suis monstraret, et intrusus abbas intenderet cumque suis subjectis mitius ageret. Interea revocantur exsules, ejiciuntur et remittuntur adulterini officiales. Solo abbati manere conceditur, reverentia ei digna exhibetur; nullo gravamine vellicatur [549]; Dei super hoc metuentes judicium sæculique infamiam. Jam optato cursu jubilæus aderat, serena se tempora secundabant, dum et captivis indulta libertas, et jamdudum defuncti præsulis Frederici datum est innotesci. Nam ejusdem ecclesiæ custos nocte quadam post matutinos, fratribus cubitum regressis, ut familiare est custodibus, altaria lustrabat, luminaria reparabat, postremo tumbam sancti Brunonis visitans oratum se deposuit; cum repente collapsis oculis hæc in spiritu vidit. Vidit et ecce sæpedictus episcopus Fredericus lugubri gestu erat incedens et crebris singultibus secum dure agi insinuans. Quem idem custos, ut erat, in spiritu allocutus, causam mœroris inquirit, dum pro ipso

VARIÆ LECTIONES.

[547] amore *cod.* [548] *Posthæc quamquam in codice nullum lacunæ vestigium exstat, satis tamen apparet, finem hujus narrationis intercidisse, sequentiaque nil esse nisi sermonem quendam de S. Brunone, initio carentem, auctore quodam monacho S. Pantaleonis, qui fortasse vitæ finem dedit. In exemplari, unde noster exscripsit, procul dubio aliquot folia exciderant, quod scriba non sentiens hæc ita conscripsit.* BETHMANN. [549] vellitatur *c.*

NOTÆ.

(1970-71) diversa ab ea quam in Opp. Ratherii p. 529, legimus.

(1972) a. 1099 sqq. Fridericus II. sæculo XII. medio sedit. Nec liber ipse medium sæculi XIII. superare videtur; v. supra c. 12 in fine.

(1973) A. 1131.

universalis Ecclesiæ multa precum redditio, elemosynarum distributio, omnimoda salubrium votorum oblatio, Deum indesinenter sollicitaverit. Et ille : « Vera, inquit, vera, frater, commemoras, sciasque Deum delectari in precibus fidelium pro me fusis. Ex quibus dum gratiam consequi debueram, a sancto Brunone graviter impedior. Obstatenim multa quæritans adversa, quibus miser ego hanc sanctam nocui congregationem ; sec sibi satisfactum pro iis, nec digna pro meritis me recepisse opponit. Pro solis ergo vobis hactenus mihi negata est venia. » Et custos :« Mi domine, ait, si omnibus iis, quæ prosecutus es, fides adhibenda est, nobis quid [550] de tali præsumendum est patrono? » Et ille :« Magni, ait, meriti hunc apud Altissimum scias, et vere provisorem et dispositorem omnium quæ vobiscum aguntur. Nam locum istum et fratres quasi a Deo sibi creditam possidet familiam, utque advocatus vester inter vos frequenter versatur, cuncta ordinat et disponit. Et quoniam ipsi de vobis cura est, misericordiam flagito; vestris super me precibus moveatur! » Nec plura iis locutus, subtrahitur; custos etiam sibi redditur.

Item de eodem Brunone archiepiscopo. Magni enim meriti apud Deum beatus Bruno esse dignoscitur. Nam quicunque in quartana vel tertiana laborat, si ad sepulcrum ejus devoto corde accesserit, et de calice qui ejus pectori superpositus in sepulcro fuit, per tres continuos dies biberit, ejus meritis a Deo sanctitatem se percepisse gaudebit.

De miraculo quod in cœna Domini contigit ad sepulcrum ejus. Ne vos lateat miraculum, quod in cœna Domini contigit, vestræ charitati intimare disposui. Cum mane convenissemus oratum pariter, ingessit se pari devotione quædam, ut oraret. Hæc quinquennio manus infirmitate laboraverat, ut in palme medio infigerentur sibi digitorum summitates. Mox ut prostravit se sepulcro sancti Brunonis archiepiscopi, extensa manu sanitatem obtinuit. Et ne videatur inane, cicatrices jacentium digitorum probant manifeste.

Bruno pacificus, æterni regis amicus,
Te [551] duce, pastore et rectore Colonia gaudet.
Cum duce majestas, et cum duce regnat honestas,
Sub duce pax grata multis et curia lata,
In duce lex culta viget et sapientia multa.
Cum duce majores sunt et plerique minores,
Sub duce prudentes versantur et insipientes,
Et merito vere scit quemque decenter habere.
Tractat clementer humiles, timidosque potenter.
Clerus honoratur ab eo, populusque juvatur;
Attollit plenos opibus, solatur egenos;
Nil patitur nequam, sed legem discutit æquam.
Delicias nescit, qui non sub eo requiescit.
Cum duce multarum sunt gaudia divitiarum.
Hoc siquidem juste, quia dispensando venuste
Non illas celat, sed in iis, ut prosit, anhelat.
Isti sunt mores, quibus acquisivit honores,
Per quos et captat sibi plures atque coaptat.
Lætus, non tristis, semper perduret in istis [552].

VARIÆ LECTIONES.

[550] nobisque *c.* [551] Me *cod.* [552] *hic sequuntur in codice duo versus :* Arborei flores designant orbis honores. Ut pereunt flores, pereunt sic orbis honores. *Sed apparet, in codice, unde noster descriptus est, eos ab alio in loco vacuo additos fuisse, ut sæpe fit in codicibus; nostri scriptor, diligentissime omnia exscribens, neque hos versus omittendos putavit. BETHMANN.*

DIPLOMA BRUNONIS.

Confirmat commutationem factam inter Werinfridum abbatem et Warnerum comitem.

Bruno sanctæ Coloniensis Ecclesiæ filius Dei gratia archiepiscopus servorum Dei, notum esse volumus tam præsentibus quam et futuris, quia quidam religiosus abba ex monasterio Stabulaus et Malmundaria Werinfridus nomine adiit clementiam nostram, pro quadam commutatione, quam fecerat cum comite Warnero fideli nostro, et quia eadem monasteria sub nostræ tuitionis defensione erant, petiit eamdem commutationem nostra auctoritate roborari. Cujus petitioni, quia justa erat, annuimus, et utilitati Ecclesiæ consuluimus. Habebat namque prædictus comes noster fidelis juxta monasterium Stabulaus quamdam villam sui juris nomine *Baldau*, quam Sigifridus comes ut acquireret, et apud nos et apud fideles nostros sui intercessores valde laborabant, quod abbas audiens, et nimiam imo immortalem inquietudinem (1974) timens loci, hoc consilium toto nisi studuit præoccupare, et aures clementiæ nostræ ne id fieret sæpius commonere. Itaque convenientes in unnm abba præfatus et comes dedit idem Werinfridus abba Warnero comiti fideli nostro quidquid habere videbatur in villa *Nohas* dicta, in pago Heiflensi, in comitatu Tulpiaco, id est curtem bonam cum casticiis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, quæsitis et inquirendis, silvarum magnam copiam, familiam utriusqae sexus, et cætera ad eumdem locum pertinentia. Et quia monachi alterius monasterii, id est Malmundariæ, quamdam partem in eadem villa habebant, reddidit abba eidem ecclesiæ in pago Condustrio locum qui dicitur Villa, in comitatu Hoio vi mansos bonos cum familia utriusque sexus, silvam bonam, et cætera ad eamdem villam appenditia. Econtra dedit memoratus comes Warnerus coram testibus idoneis quidquid habere videbatur in villa jam dicta *Baldau* curtem bonam sed ab hostibus valde vastatam, agri culturas

(1974) Quippe antiqui patres magnatum procerum qui consortia ante omnia fugiebant; atque adeo vicinitatem ipsorum in primis declinabant. Unde et horrendas ad inhabitandum solitudines eligebant.

bonas, Cambam, molendinum, silvam magnam. Nam ecclesia ejusdem villæ cum bono dotalicio, privilegia et constitut, scilicet terra et silva eidem monasterio antiquitus fuerat data ; hæc omnia invicem sibi tradiderunt abba cum consensu monachorum utrorumque cœnobiorum, et comes cum consensu uxoris et filiorum et amicorum suorum, et coram celsitudine nostra eamdem commutationem firmaverunt, et idem comes per testes idoneos ramum cum cepite ad altare Stabulaus misit, et traditionem cum vestitura A legaliter fecit. Et ut hæc cummutatio futuris temporibus firmior habeatur, petitione ejusdem abbatis manus nostræ tractu signavimus. Signum Werinfrindi abbatis. Sign. Werinmundi, Titgeri, Norberti, Reginardi et cæterorum. Et alterius monasterii. Signum Odulfi, Wisirici, Heilfridi, Rogibaldi. Sign. Warneri comitis, Reginardi, Gevardi, et Richarii, et multorum. Acta sunt hæc publice Aquis palatio die II Kalend. Novembris, regnante rege Ottone fratre nostro, anno XVIII, Godefrido duce.

ANNO DOMINI DCCCCLXV.

LEO VIII ANTIPAPA

NOTITIA HISTORICA.

(Gocquelines, bullar., privileg. summ. pont. ampl. Collect.)

In Romana Synodo deposito Joanne XII sanctæ Romanæ Ecclesiæ die VI Decembris anni 963, Leo VIII protoscriniarius in ejus locum ordinatus est, quem tamen Romam rediens, sequenti anno, Joannes post Othonis imperatoris recessum fugere coegit, usurpatamque dimittere dignitatem. At cum Joannes die XIV Maii obiisset, Romani Benedictum, de quo mox dicemus, sine Othonis consensu et voluntate, apostolicæ sedi imposuerunt. Quare imperator cum Leone Romam perrexit, factoque conciliabulo, Leo pallium Benedicto abstulit, et simul pontificalem ferulam, quam fregit et iterum pontificiam sedem invasit, quam unum annum tenuit tresque menses.

LEONIS VIII

ANTIPAPÆ

PRIVILEGIA ET CONSTITUTIONES.

I.

LEONIS VIII EPISTOLA AD RODOALDUM PATRIARCHAM AQUILEIENSEM.

(Anno 963.)

Illi pallium mittit.

[Apud Ughelli, *Italia* sacra, V, 44.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo ac sanctissimo confratri nostro Rodoaldo, sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ patriarchæ.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilitantibus circumspectant, quanto nos sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, qui pastores animarum dicimur. Attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum Pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter ceteros judicamur. Pallium autem fraternitati vestræ ex more ad missarum solemnia celebranda transmisimus; quo tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in tuo statu manentibus, uti concedimus, B quam prædecessores decessoresque tuos usos esse incognitum non habetis. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut et morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus, auctore Deo, recte utrobique, possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa, si qua fortitudo illis injecta est, dirigantur; in ea quod imitentur aspiciant; in ipsa semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bene quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant. Sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniat. Districtum mali cognoscant. Insontem apud te suggestio mala non faciat. Nocentem gratia non excuset; remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas; sit in te boni Pastoris dulcedo; sit et judicis severa districtio. Unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos ferocientes a feritate compescat. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correptio, iram judicio refrena, et censura C

Custodia te æquitatis extollat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere. Nec pauperem de re sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo miserante talis possis existere, qualis sacra lectio præcipit dicens : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse* (*I Tim.* III, 2). Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Et ecce, fratrum charissime multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, quæ si studiose servaveris, quod foris accepis se ostenderis, intus habebis. Et ut omnibus pateat Christianis, quanta charitate diligamus ob amorem beati Marci evangelistæ pastoris nostri, gloriosissimi Petri apostolorum principis discipuli, qui vestræ præsedit cathedræ, renovamus vobis, per præsens privilegium, illud antiquum sanctissimo Hermagoræ, beati Marci evangelistæ successori, a beatissimo Petro contraditum, verum peccatis nostris promerentibus a paganorum sævitia concrematum. Volumus scilicet, et apostolica auctoritate jubemus, ut inter omnes Italicas Ecclesias Dei sedes prima post Romanam Aquileiensis, cujus Deo auctore præes, habeatur. Sed et hoc in augmentum et decorem Ecclesiæ vestræ concedimus ut dum volente Deo vos vestrique successores ab hac luce migrare centigerit, non liceat quempiam ex aliena Ecclesia præponi. Sed ex proprio sinu tam clerici, quam laici eligant, quem legaliter sibi pastorem constituant. Fidelis est Deus, qui nunquam deficere patiatur, ne in Aquileiensis Ecclesiæ cœtu talis possit inveniri, qui merito cæteris episcopatus dignitate possit præponi. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur.

Datum in sacritissima æde Petri apostoli, Idibus Decembris, anno pontificatus Leonis I, imperante Othone anno II.

disciplinæ sic utere, ut culpas ferias, et a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas; misericordem te, ut virtus patitur pauperibus exhibe. Oppressis defensio tua subveniat ; opprimentibus modesta correptio contradicat. Nullius faciem contra justitiam accipias. Nullum quærentem justa despicias.

II.

LEONIS VIII PAPÆ PRIVILEGIUM DE INVESTITURIS.

(Anno 963 Dec. 6, 964 Jan.)

[Apud Pertz, *Monumenta Germoniæ historica*, Leg. tom. II, p. 166].

MONITUM.

Chartam inde ab undecimo sæculo celebrem ex fol. 192 codicis Vaticani n. 1984, (1975) Romæ sæculo XI et initio sæculi XII exarati sistimus, emendatam tamen ope codicis Cæsarei Vindobonensis in catalogo Juris canonici n. 105, fol. 13, quem Gentillotus sæculo XII, sed kopitarius noster decimo tertio assignat. Tertium exemplar exstat in bibliotheca eadem inter codd. Salisburgenses n. 323. mbr. sæc. XI excuntis aut XII, fol. 104 ; quartum evolvi Bambergæ in collectione canonum sæc. XII vel XIII ineuntis C. 64 signata, ubi post notitiam de Adriani decreto et ante Nicolaii II constitutionem et concordatum Wormatiense habetur; quintum Cantabrigiæ inter codd. collegii Corporis Christi ; sextum in bibliotheca civitatis Bruggensis in Flandria, ubi una cum Nicolai II constitutione de electione papæ in codice sæculi XIII Petro de Riga super tota biblia subjicitur. Partem ejus Ivo Panormiæ L. 8, cap. 135, et Gratianus Decreto suo dist. 63, c. 23, inseruerunt ; integra, sed aperte interpolata, ex codice Florentino in Theodorici de Niem tractatu De privil. et juribus imperii apud Schardium *Coll. opp. de jurisdictione imperiali Basil.* 1566, et Goldastum prodiit. Notitiam rei gestæ legimus in libro tertio Collectionis canonum tripartitæ et in Decreto Ivonis I. 8, c. 136 (1976). Lis de auctoritate chartæ rationibus huc usque prolatis minime conficitur. Nam omnia illa quæ hic regibus Theutonicis conferuntur, scilicet jus certum in eligendo pontifice, patriciatum Romanum et jus vestituræ episcoporum, inde ab antiquis temporibus ad eos pertinuisse constat; jus vero eligendi sibi successorem Otto jam tum temporis, consentientibus Germaniæ proceribus, sibi usurpaverat. Forma tamen chartæ ea est, quæ suspicionem aliquam certe moveat : nam ut alia taceam, quis unquam papa de prædecessore suo scripsisset *cujus vitam et actionem satis discretam audivimus*, et Ottonem omissa *imperatoris* voce nonnisi *regem Teutonicum* designari, scrupulum injicere debet ; et temporis designatio desideratur. Sed cum Ottonem et Leonem fœdus Imperii et Ecclesiæ renovasse haud dubium sit, conditionibus hic propositis fides haud omnino abneganda erit.

Privilegium Leonis Papæ VIII.

Convenit apostolico moderamine pollentibus be-

NOTÆ.

(1975) Unde et in Baronii Ann. edit. Luc. transcripta est.

(1976) Kopitario nostro textum Ivonis in codice Cæsareo Vindobonensi inter Salisburgenses Nro. 323. mbr. sæc. XI exeuntis aut XII debemus : « Leo papa congregata. Rome synodo in ecclesia sancti Salvatoris, ad exemplum beati Adriani apostolicæ sedis episcopi qui domno Karolo victoriosissimo regi Francorum et Longobardorum patriciatus dignitatem ac ordinationem apostolicæ sedis et investituram episcoporum concessit. Ego quoque Deo servus servorum Dei episcopus cum cuncto clero ac populo Romano constituimus, firmamus et corroboramus, et per nostram apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur domno Ottoni primo regi Teutonicorum ejusque successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum, tam sibi facultatem eligendi successorem quam summæ sedis apostolicæ pontificem ordinandi. Ac per hoc archiepiscopos seu episcopos ut ab ipso investituram suscipiant, consecrationem autem unde debent ; exceptis his quos imperator pontifici ex archiepiscopis concessit. Et ut nemo deinceps cujuscunque dignitatis vel religionis eligendi vel patricium sive pontificem summæ sedis apostolicæ aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius imperatoris ; quod tamen fiat absque omni pecunia. Et ut ipse sit patricius et rex. Quodsi a clero et populo episcopus quis eligatur, nisi a supradicto rege laudetur et investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc apostolicam auctoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi subjacere decernimus, et nisi resipuerit inrevocabili exilio puniri vel ultimis suppliciis feriri. Explicit decretum. »

nivola compassione succurrere, et poscentum [553] animi alacri devotione prebere assensum. Ex hoc enim potissimum premium apud conditorem omnium depromitur [554] Deum, quandoque omnem clerum et omnem populum asserimus esse concordem, et ad meliorem fuerit sine dubio statum perductus. Atque ideo quia juste et rationabiliter vestra humilitate [555] nostro apostolatui humiliter postulatis, quatinus gratulanter peragentes [556] sanctam synodum, nostro consilio [557] congregatam patriarchio Lateranensi [558], in ecclesia sancti Salvatoris constitutam, a compluribus viris catholicis episcopis et abbatibus insuper judicibus ac legis doctoribus promulgantibus, qualiter quiete ac pacifice stare ac vivere valeamus; presentibus omnibus et [559] singulis regionibus hujus alme urbis Rome, ac ex omnibus ordinibus, clericy [560] ac populi, asserentibus et confirmantibus per omnia, heresi et alteratione et omni errore expulso, quoniam nimis [561] his temporibus error ex hoc crescebat; decernimus tam de Romano imperio quam de apostolica sede ac dignitate patriciatus quam de investitura [562] episcopatus. Idcirco ad exemplum beati Adriani sedis apostolice episcopi, cujus vitam et actionem satis [563] discretam audivimus, et rationabilem [564] admodum in suis [565] spiritalibus sanctionibus recognovimus; qui [566] ejusmodi sanctam synodum constituit, et [567] domno Carolo victoriosissimo regi Francorum ac Longobardorum, ac patricio Romanorum [568], patriciatus dignitatem ac ordinationem apostolicæ sedis et [569] episcopatuum concessit [570]; nos quoque Leo servus servorum Dei episcopus [571], simul [572] cum cuncto clero et universo populo Romano omnibus [573] ordinibus hujus [574] alme Urbis, sicut in ipsis conscriptis appareret, constituimus, confirmamus, corroboramus, et per nostram apostolicam auctoritatem concessimus atque largimur, domno Ottoni [575] primo, Teutonico regi, dilectissimo spirituali in Christo filio nostro, ejusque successoribus hujus regni Italie in perpetuum, tam sibi facultatem successorem eligendi, quam summe sedis apostolice pontificem ordinandi, ac per hoc [576] archiepiscopos seu episcopos, ut ipsi tamen [577] ab eo investituram suscipiant, et consecrationem recipiant undecumque pertinuerit, exceptis his quos imperator pontifici et archiepiscopis concessit. Ita demum asserimus, ut nemo deinceps, A cujusque gradus vel conditionis [578] aut dignitatis sive [579] religiositatis, eligendi regem vel patricium [580] sive pontificem summe sedis apostolice, aut quemcumque episcoporum [581] vel ordinandi habeat facultatem; set soli regi Romani imperii hanc reverentie [582] tribuimus facultatem, absque omni pecunia hec omnia superius disponenda [583]; et ut ipse sit rex et patricius. Quod si a clero et populo quis eligatur episcopus, nisi a supradicto [584] rege laudetur et investiatur, a nemine [585] consecretur. Unde si quis contra hanc apostolicam auctoritatem et traditionem aliquid molitur, aut temerator in aliquo repertus fuerit, sive contra hoc [586] nostrum concilium [587] agens, sciat se in iram beati Petri apostolorum principis et filii nostri domni Ottonis ejus successorum et nostram [588] casurum, et sub anathematis vinculo emersurum, ac per hoc excommunicationi universalis Ecclesiæ omnisque populi cristiani eum subjacere decrevimus. Insuper nisi a malo resipuerit, irrevocabili exilio puniatur, vel ultimis suppliciis feratur. Qui vero pio intuitu cunctorum [589] observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam vitamque eternam cum omnibus sanctis sine fine habere mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Amen. Amen [590].

B

III.

LEONIS VIII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. PETRI MONTIS MAJORIS.

(Anno 963-5.)

[Apud Baluze, *Miscellanea*, III, 5.]

C

Leo episcopus, servus servorum Dei, Mauringo religioso presbytero et monacho atque abbati venerabilis monasterii beati Petri apostolorum principis, quod situm est territorio provinciæ in locoque Montemajore, et per te in eodem venerabili monasterio successoribus tuis in perpetuum.

Si semper sunt concendenda quæ piis desideriis congruunt, quanto potissimum ea quæ pro divini cultus prærogativa noscuntur, non sunt omnino abneganda, quæ sunt a largitoribus non solum poscenda, sed vi charitatis procul dubio exigenda. Igitur quia petiit a nobis tua religiositas quatenus confirmaremus vobis et vestro monasterio in honorem videlicet beati Petri apostoli (fundato), quod situm est in monte qui Major (dicitur), pro voto et amore dilectissimi et charissimi filii nostri imperatoris

VARIÆ LECTIONES.

[553] poscere cui 1. poscendum 2. [554] depromitur dum 1. [555] nostra umilitate 1. [556] peragrantes 1. [557] concilio 1. 2. [558] laterani 2. [559] *deest* 1. [560] cleri 2. [561] nimius 2. [562] vestitura 2. [563] sat 2. [564] rationaibiter 1. [566] ssuis 1. [567] quia 2. [568] et in præsentia eorumque auctoritate *Theod. de Niem.* [568] Romano suisque successoribus regnum Italiæ, patriciatus d. *Theod. de Niem.* [569] *deest* 1. [570] c. Insuper et episcopatuum investituras velut ipsi cum discretione et reverentia libitum fuerit. Igitur nos Leo *Theod. de Niem.* [571] episcopis *Theod. de Niem.* [572] similiter 2. [573] omnibusque 2. [574] ujus 1. [575] domno Ottoni primo teutonico reg. 1984. domino Othoni primo Augusto, Teutonico, regi providentissimo spirituali in Christo filio nostro *Theod. de Niem.* [576] hoc et a. 2. [577] tantum *Th.* [578] condictionis 1. [579] vel 2. [580] principem *Th.* [581] episcopum ut vel 2. [582] reverentiam 2. reverendam *Th.* [583] disponet ac reget, utpote rex et patricius Romanus *Th.* [584] suprascripto 2. [585] i. non c. 2. [586] *deest* 2. [587] consilium *Th.* [588] et omnium prædecessorum nostrorum et nostram 2. [589] custos et obs. 2. [590] amen *habetur semel in* 2. *Theod. de Niem hæc addit :* In his actis interfuere senatores, proconsules, exarchatus quidem tenentes regionarii, schola Græcorum, Arabum, Judæorum et de majoribus omnium platearum. Insuper cardinales, archiepiscopi, omnes presbyteri et episcopi de finitimis civitatibus, processionarii, notarii, cancellarii, et ex omni plebe Romani imperii.

cum summa reverentia nominandi Ottonis et Adalaisæ charissimæ imperatricis conjugi ejus filiæ charissimæ nostræ spirituali, ut privilegium sedis apostolicæ largiamur, ipso namque monasterio in integro cum ecclesiis suis, terris et silvis, fundis et casalibus, cum servis et ancillis, et monasterium desertum antiquumque Horluc cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis suis, necnon et villa quæ Tunneto cum servos et ancillas, vineis seu terris, cum omnem dationem et publicam functionem, quæ sita est in comitatu Bedarese, pariter et cellam sancti Honorati in integro cum omnibus sibi pertinentibus, sitam in comitatu Aquense, ubi dicitur Rocca Fraudosa, et sunt in comitatu Tolonensi; castrum qui nuncupatur Septem Furnos cum omnibus appendiciis suis; id est, villis, salinariis, piscationes, salinas quæ vocant Eras, et omnia ibidem pertinentia, et sunt in comitatu Arelatensi; terra sancti Petri in castro Fossis, vallem quæ nominatur sancti Petri ab ipsis ecclesiis, in primis sancti Petri, sancti Martini, sancti Juliani, sancti Genesii, sancti Hermetis; et in ponte vaso uno qui Venroso vocatur; et in comitatu Avenionense, in villa quæ vocatur Casus, sunt mansi octo et ecclesia disrupta cum servis et ancillis; et in comitatu Regensi curtem quæ nominatur Criselgis, cum servis et ancillis, sive etiam et aliis locis quæ a priscis temporibus in eodem monasterio a Christianissimis hominibus collata fuerunt, vel quæ amodo in antea conceduntur, per hunc nostrum apostolicum privilegium vobis vestrisque successoribus in perpetuum confirmamus; quatenus sub juridictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore præsidemus, ecclesiæ constitutum, nullius ecclesiæ jurisdictioni submittatur, præstante prænominato monasterio sanctæ nostræ ecclesiæ pro luminariis solidos quatuor. Quod si propter longinquitatem itineris aut forsitan inimicorum discrimen, aut propter regni dissidium, superius nominatam pensionem quotannis solvere non potueritis, liceat vobis post tertium aut quartum annum de præteritis annis omnem simul pensionem nobis nostræque ecclesiæ persolvere. Pro qua re piis votis faventes, ac nostra auctoritate id quod a tua religione exposcitur effectui mancipamus; et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem infra præfati monasterii ditionem qualibet auctoritate, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, Missarum solemnitatem celebrare omnino prohibemus, statuentes atque promulgantes apostolica auctoritate sub interminatione futuri judicii nulli licere nostrorum successorum pontificum vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ, tam dux, sive marchio, aut comes, sive tam gastaldus, vel cujuscunque dignitatis præditus sit homo, hæc quæ a nobis intentione decreta sunt privilegia pia in quoquam convellere, potius firma stabilitate inconvulsa manere definimus, atque anathematis vinculo, nisi resipuerit perpetuis temporibus observanda. Qui vero pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii, præcepti, confirmationis paginam in omnibus exstiterit, benedictionis gratiam a retributore omnium bonorum Deo consequi mereatur et vitæ æternæ particeps efficiatur. Curæ ergo tuæ sit monasterii fratres quo præes egregiis moribus ac vita irreprehensibili exornare, ut profecto juxta id quod subjectos apostolicis privilegiis maluit inconcusse dotando, desideret potius et anhelet inviolabili cœlestis affluentiæ munere diurnis disciplinæ precibus decorandos. Sit profecto communis et sincera vita, sit sobria communis sinceritas, ut quibus mundus est mortuus ac sepultus, per incentiva contentionis vitia minime suscitetur, quia incassum quis et frustra laborare cognoscitur si superbiæ vitiorum auctrici colla submittere sentiatur. Sit excelsa in Deo humilitas, quia per hanc electi arcem cœlestium munerum possederunt. Sit igitur ante oculos mentis et corporis traditionum regula, quam sancti quidam tradiderunt patroni, ut unusquisque prælatus noverit qualiter debeat imperare subjectis, ne dum aspera et non unicuique servari aptissima videnter imponi, atque ad contemptum prorumpant de imperantis indiscretione subjecti. Sit itaque moderata vivacitas, sit sollicitudinis supereminens in fratribus serenitas; ut dum regulariter omnes qui se Deo integerrime conferunt per obedientiæ lineam bene servientes temporalia, ad gaudia cœlestis patriæ perveniant sempiterna. Et hæc quidem quæ ad sollicitudinem pertinent dixisse sufficiunt. Ante omnia vero Redemptoris nostri misericordiam cum ingemiscimus, redemptionem nostram exspectantes enixius cum singulis gentibus exspectamus, ut ea quæ pietas flagitat, fragilitas humanæ conditionis sufficienter atque confidenter de sui auctoris suffragatione adimpleat. [Sriptum per manus. . . *Cætera desunt.*]

IV.

LEONIS VIII CESSIO DONATIONUM ROMANÆ ECCLESIÆ.

(Anno 964.)

[Apud Pertz, *Monumenta Germ. hist.*, Leg. tom. II, p. 168.]

MONITUM.

Constitutionem cum libello Theodorici de Niem l. c. vulgatam, jam ex collectione decretalium Cæsarea Vindobonensi inter libros Juris canonici n. 105 signata mbr. sæc. XIII, olim monasterii Frankenthal inter Spiram et Wormatiam, kopitarius noter transcripsit. Charta vel ex subscriptionibus apertissime falsitatis arguitur; et in controversia sacerdototii et imperii sub Henrico IV aut V contra supposita Ludovici, Ottonis et Henrici donationes defensionis instrumentum, confecta esse videtur.

Item decretum ejusdem papæ Leonis.

LEO servus servorum Dei episcopus, OTTONI spirituali filio nostro in Christo imperatori augusto, omnibusque successoribus tuis imperatoribus et regibus regni Italiæ.

Quod domnus Carolus rex Francorum ac Longobardorum et patricius Romanorum, nec non Pipinus pater ejus, de regalibus rebus hujus regni Italiæ tribuerunt in sancta Romana ecclesia beati Petri apostoli, sive per instrumenta quæ scripta

fuerunt per Etherium notarium suum, sive per sacramenta vel per donationem,seu per alios modos, sive obveneurnt per donationes de Justiniano imperatore et de Ariperto rege,hæc omnia largimur ac desinimus atque transactamus vobis Ottoni imperatori,et Adeleide conjugi tue regnique consorti, vestrisque successoribus hujus regni Italie,in perpetuum, sanctis evangeliis et patrociniis pluribus sanctorum,videlicet de cruce Domini, et de caligis pedum suorum,et de vestimento inconsutili [591], et supra corpus beati Petri, cum terribilibus sacramentis a prædicto papa et a suis cardinalibus per consensum et auctoritatem totius populi Romani tam clericorum quam laicorum, de ordinibus Romanorum ex unaquaque regione, præsentibus laudantibus ac firmantibus,pro nimia persecutione inimicorum Dei et ecclesie,ut Deus omnipotens victoriam tali regi tribuere dignetur et pellere eos ex provinciis imperii Romani.

Prædictas autem donationes quas hic specialiter nominabimus,perpetualiter in regalibus rebus sujicere volumus per nostram apostolicam traditionem Id est : in Suriano (1976*) ; in monte Bardonis, et Lune, et insula Corsicæ, seu Regium, Parmam, Mantuam, Montem Silicis [593], insulas Veneciarum ducatum Ferrariæ, Gabellum, Comaclum, ducatum Istriæ, Dalmatiam, exarchatum Ravenne, Faventiam, Cesenam, castrum Tyberiacus, roca Modiliana, roca Elmiza [596], roca Cortuclaria [594], roca Fanilla,petra de Appla,seu castrum Tosianianum [595], castrum Ceperianum, petram Auri, Civitellam ducatum Ariminum,Concam, montem Feretrum, et montem Carpinum [592], seu Olimpicum castrum Exforium [597], Bobium, Eugobium [598], Urbinum, et Forum Simphorini, Galli,et Senegalli, et Ancona, et Oximanum [599], Firmano, et Hesi,et ducatum Perusie,seu Urbs vetus ; et Tuder, Amelia, seu Orti, montem Sirapti cum oppidis suis, castrum Cumanum [600],castrumGalliensium, seu castrum Sutrium, Castellana, seu Tiburtina, ducatum Spolitinum, et Marsorum [601],Zangar,seu totiusque [602] lacum Barani, Terma, et Termula, Dracomaria, Lisimas, montem Gargani, et Capitenata, Apulia, Calabria, Rar [603],Teranto, ducatum Neapolis,ducatum Beneventi, seu Capuam, Salernum,et Sorentum [604] ; et insulam Sardinia, insulam Meseum [605], insulam Aticiæ, insulam Ceum [606],montem Lucreti,montem Argentarii,territorium Gauzitano [607], territorium Prænestinum[608], territorium Silvanum, territorium Clusinum, territorium Fundano, territorium Casipate [609], territorium Vegetanum, territorium Claudianum,territorium Canusinum [610], territorium Saviniense,territorium Suerranum [611],territorium Canino [612],territorium Portuense cum insula Arsis [613] territorium Hostiense cum maritimis, castrum Lucedis [614] et montem Bibionis [615] cum tota Campania, civitatem Fundis [616], civitatem Anagninam [617], Aquinenses, seu Ferentinam [618], Tarracinam [619] ; item civitatem Laurentum [620], et Suphuratam,et Lisinas [621], et Septimi, et Miticies ; item civitatem Nepesinam, civitatem Falisca, et Fidenas [622], Villa magna, Feretrum, Biterva [623], Veteralla, Pontem logum, Gessum, roca Bergulli [624], roca Taniano [625], roca Bociola, Castrum ruptum, Alborum, Castrum rubeum ; item Neapolim,Caliopolim [626], Cotronam, et Regiam [627], Amelfetanis [628], Raspidum, caput Apuliæ, caput Lirnium, Melfi ; item Balenses [629], Pinenses, Forconini, civitatem Mortanam, Torritanum, Pateranensi, Merathensi Cathensi, Athenis, monasterium sancti Benedicti Aquinense, monte Cassini, monasterium Farphis, monasterium Imbellaris [630], monasterium sancti Hylarii ; item monasterium sancti Vitalis Ravenne, monasterium sancti Archangeli Bononiæ, monasterium Aule regie, monasterium Nonantule [631], monasterium martyris [632] constitutum Tusciæ : ut habeatis, teneatis, et possideatis in perpetuum [633]. Nam si quispiam hanc nostram auctoritatem destruxerit et hujus violator repertus fuerit,sive contra hoc agens, sciat se in iram beati Petri apostolorum principis et nostram nostrorumque prædecessorum casurum. Insuper nisi a malo resipuerit,

VARLÆ LECTIONES.

[591] inconsumabili *cod.* [592] monte Celete *Th.* [593] Coniza *Th.* [594] Cornicularіam, Civitadellam, arcem Mediolanam, arcem Commensem, terminum castrum Ceperianum,arcem Conidariam, arcem Favillam *Th.* [595] Tusinianum petram Mauri Servutealni, ducatum Arimini, m. F. *Th.* [596] Carpimini *Th.* [597] Exfor *c.* Ex forii *Th.* [598] Sugobium *c.* [599] Auxiniam, Gosam ducatum Perusii, Urbenetam et Tudertum *Th.* [600] Cimianum, c. Gallera *Th.* [601] Sp. Marcham Marsii et Zangar *Th.* [602] tetiusques. Zangar, Theatium, Locumbarem terram, Termulanensem, Drogonaiam *Th. de N.* [603] Bari? — Calabriam, Borterantum *Th.* [604] torentum *aut* otrentum *c.* Otrenti insulam *Th.* [605] Messanam *Th.* [606] seu montis L. *Th.* [607] Cusitanum *Th.* [608] prædestinum *c.* P. et Cornetum prope mare cum multis castris, terram Silandis *Th.* [609] Casinate? [610] Camisinam *Th.* [611] Suaniensem *Th.* [612] caninō *an* caranō? *KOPITAR.* Corami *Th.* [613] Arohis *Th.* [614] Luccolis *Th.* Luceolis? [615] Bobium *Th.* bibio *c.* [616] undis *c.* [617] uganinam. Aquirienses *c.* [618] florentinam *c.* [619] Terrarium *Th.* [620] Lamentum *Th.* [621] Lisuvinas, Septimi Tramiricies civitatem *Th.* [622] sidenas *c.* [623] Biterna *c. Th.* [624] Bergali *Th.* [625] Fanuanam, roca Pallioli *Th.* [626] Saliopolim *Th.* [627] C. Aregium *c.* [628] Almesiconis, Transpadum, caput *Th.* [629] Belbuisse, Pineum, Fortomini, civitatem maritimam Territanensem in regno Trinacria, Pateramsem, Meranensem, Cachamensem, Athenarum, monasterium S. Benedicti in monte Casino *Th* [630] imbellimarum *Th.* [631] Novauculæ *Th.* [632] martyrum *Th.* [633] p. ad usus curiæ et militiarum vestrarum, ad bellandum et expugnandum contra prædictos paganos, et contra rebelles Romani imperii. Ideoque per hujus nostri auctoritatem instrumenti confirmamus, corroboramus in omnibus progeniebus vestris, de generationem in perpetuum *Th.*

NOTÆ.

(1976*) V. recens. *Adrianus papa obtinuit* apud Borgiam Breve Istoria del dominio temporale,etc. Ap.p. 1. sqq.

subjaccat legi Juliæ reus regiæ potestatis et rei publice,ut hii qui contra rempublicam vel contra imperatoris magestatem aliquid moliti fuerint,anime amissionem sustineant et bona eorum publcentur. Fiat, fiat. In his actis interfuere [644] : Eustacius Albanensis [635]. Georgius Portunensis. Gratiosus Prenestinus episcopus. Deodatus Hostiensis. Benedictus Tiburtinus. Cardinales his actis interfuere : Benenatus cardinalis sanctæ Cecilie. Julianus presbyter Laterani. Marcus presbyter sancti Pauli apostoli. Gregorius cardinalis ad Vincula. Andreas presbyter patriarchio Laterani.Faustinus presbyter sancti Petri. Hii omnes cardinales. In his actis interfuerunt archiepiscopi et episcopi de vicinis :Citonatus archiepiscopus Caralitanus. Marcianus Narniensis.Gerardus Castriensis. GregoriusTudertinus Andreas Nomentanus.Savinianus Plerane. Dalmianut Altinus. Joannes Petrusinus. Valentinus Meranensis. Theodorus Mileto. Alberius Marceriæ Hii[636] omnes archiepiscopi et episcopi. Faustinus caput A senati exconsul. Propinus exconsul palacio Luciano Paulus de templo Palatinis [637]. Leo de via Salaria Stauflus de via Mamertina.Gaidus de via Flaminea. Goibius de via Latina.Savinus de via Appia.Merianus de via Tiburtina.Raidus de macello [638] Lidiæ. Item de omnibus his regionibus his actis interfuere Regio de vico Patricii. Regio caput Tauri. Regio rivum Argentarium.Regio ad duo adamantes.Regio octava sub Capitolio. Regio Liberatica. Regio Sicinii. Regio via lata. Regio Celio monte.Regio prima Aventino.Regio urbis Ravennæ. Regio ad Gallinas albas.Regio Orrea.Regio secunda Marmertini.Regio secus Portam Metrorii. Janciarius ex nota Grecorum. Johannes consul de palacio Sosoritano.Jobianus de fonte Aureo. Gregorius de Cellanova.Romanus de forma Trajana. Johannes de via Claudia. B Remigius de via Aurelia. Romulus de via Ardeatina. Marcus de via Portuensi. Trajanus de ponte Molbio. Amatus consul de palacio Vaticano [639]. Pitrosius [640] de Circo [641].

VARLÆ LECTIONES.

[634] i. archiepiscopi et episcopi de vlcinis *c.* i. a. et e. alii de v. comitatibus *Th.* de *Niem* [635] *Subscriptiones Theodorici de Niem hæ sunt* : Archiepiscopus Calaritanensis. Ciconatus episcopus. Eustasius Albanensis episcopus. Gratiosus Penestrinensis episcopus. Benedictus Tudertinensis episcopus, Boardus Castrensis episcopus. Joannes Perusiensis episcopus. Georgius Ortensis episcopus. Valentinus Menensis episcopus. Andreas Momentanensis episcopus. Theodosius Miletensis episcopus. Savianus Ferenensis episcopus. Albertus Lucernensis episcopus. Damianus Alanus. Hi omnes archiepiscopi et episcopi in his actis interfuere. Cardinales, presbyteri : Geordinus cardinalis in vincula. Benedictus cardinalis de præsepe sanctæ Mariæ. Cardinalis presbyter Leo sanctæ Jerusalem. Cardinalis presbyter januarum sanctæ Cæciliæ. Andreas patriarchatus Lateranensis cardinalis. Presbyter Faustinus sancti Petri apostoli. Hi omnes cardinales his actis interfuere. Omnes scholæ Romanæ, deinde proscrinarii, satellarii ex omni ordine Romanensi atque minoris populi Romani. Item Faustinus caput, senatus exconsul, protribunus, exconsul palatio. Lucianus Romanensis de forma Trojanensi. Paulus de templo palatii. Johannes de via Claudia. Leo de via Salaria. Remigius de via Aurelia. Scamphus de via Mamertina. Romulus de via Ardeatium. Sardus de via Flaminia. Marcus de via Portuensi. Garbus de via Latina. Savinus de via Appia. Menanus de via Tiburtinensi. Gardus de macello Lydiæ. In his actis interfuere de omnibus regionibus istis : Regio Vico patricii. Regio caput Dauri. Regio viri argentarii. Regio ad duos montes. Regio octava sub Capitolio. Regio Lybantica. Regio Fundanar Regio Via lata. Regio Celimonte. Regio prima Aventini. Regio urbis Ravennæ. Regio ad Gallinas albas. Regio herea. Regio secunda Mamertini. Regio secus portam Metronii. Januarius ex nota Græcorum, Trojanus de ponte Milvio. Joannes consul de Palio Sosortanensi. Amatius consul de palatio Vaticanensi. Joannes de Monte aureo. Petrocius de circo. Gregorius de Cella nova. [636] aii *c* [637] palacinis *c.* [638] mallo *c.* [639] vatirano *c.* [640] Petrosius *corr.* Pitrosius. [641] *Tbeod. de Niem hæc addit :* Scripta per manum Gregorii archinotarii nostri. Datæ in patriarchio Lateranensi 3. Calend. Maii, indict. 6. Anno ejus secundo, et dicti domini Othonis secundo feliciter.

ANNO DOMINI DCCCCLXV.

UTHO

ARGENTINENSIS EPISCOPUS

MONITUM IN SEQUENTEM S. ARBOGASTI VITAM.

(Bolland. tom. V Jun, p. 179.)

Ex quo inventa est ars typographica, auctores plurimi, non orthodoxi tantummodo, verum etiam hæretici, acta S. Arbogàsti vulgarunt, ita tamen ut quo juniores iis sunt, eo ferre proferant copiosius argumentum, quare ne quid in hac re temere ac sine idonea satis auctoritate assertum obtrudamus, primos quantum quidem fieri potuit, detegere fontes conati sumus; quamquam auctores aut sancto nostro æquales aut suppares assequi non licuit, ad eum devenimus tandem, qui omnium primus hæc acta litteris mandasse videatur, ut ex hoc ejus exordio liquet: *Sanctissimi sacerdotis... tradunt namque*, etc.

Quibus quidem verbis haud obscure significat primo quantum a S. Arbogasti temporibus distet, cum ea nomine *antiquitatis* appellet; deinde cur illa prætermiserit quæ sancti pontificatum antecedunt; quod ea nempe nec antiquitas traditione, nec scripto historia conservasset; postremo miracula se tantummodo quædam afferre, non quæ scripta prius uspiam legerit, sed quæ per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, auribus ejus sint infusa, ut solam historiæ suæ testem abducat piam illam, quæ ad ejus usque tempora perseveraverat fidelium traditionem. Frustra sit igitur, qui scriptorem Vitæ S. Arbogasti hoc nostro (quisquis hic demum fuerit) antiquiorem requirat. Nec vero sine fide ac teste admittendum videtur, si quid auctores alii, nostro utique juniores, de sancto hoc præsule vel amplius vel contrarium, narrant, quando unicum eorum omnium, quæ de illo sciuntur, fundamentum priorum hominum est traditio, quæ in rebus ejusmodi hoc minus suspecta solet esse, quo cæteris est magis antiqua.

Quod si quis me roget quem tandem aut cujus ætatis esse putem auctorem nostrum, id me fateor nullo certo indicio posse definire. Si tamen verum est quod tradit Guilielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis, excuso Dilingæ anno Christi 1565, et ex eo Possevinus noster in Apparatu sacro, aliique in suis bibliothecarum scriptorumque commentariis; si verum est, inquam, Vitam S. Arbogasti scriptam fuisse ab Uthone, qui hoc nomine secundus (juxta Wymphelingum *tertius*) episcopum egerit Argentinensem, ab anno Christi 950 usque ad 965, ausim affirmare auctorem nostrum sæculo decimo juniorem non esse, atque adeo vel ipsum esse Uthonem, ut sentit Henschenius noster in Datriba de tribus Dagobertis, pag. 77, vel alium quidem, sed Uthone priorem; quippe qui nullum ante se actorum S. Arbogasti scriptorem noverit.

Et de Uthone quidem haud levis est conjectura: convenit certe tempus; nam si primum ab illo scripta sint hæc acta sæculo decimo, recte dicere potuit, *multa*, quæ ad sancti vitam pertinebat, *antiquitate* fuisse *oblitterata*, ut qui tertio post S. Arbogastum sæculo scriberet. Convenit etiam locus: Argentinensis enim episcopus erat Utho; apud Argentinenses autem scripsisse auctorem nostrum tum ex eo colligitur quod sanctum Arbogastum *Patris* nomine compellet, tum etiam quod ibi opus hoc elaborarent, ubi præcipua vigebat miraculorum ejus operumque in pontificatu Argentinensis Ecclesiæ gestorum memoria, quæ *posteris narrantibus* ipse didicerit. Denique si Vitam S. Arbogasti aliquam composuit Utho, eam haud dubie bibliothecæ etiam Argentinensi, quam tanto studio, testibus Wymphelingo, Eysengreinio aliisque locupletare conquisitis undique libris conatus est, reliquerit; aut certe cunt popularibus ipse vicinisque, præsertim religiosis atque ejusmodi lucubrationum amantibus communicaverit; qui eam in codices quoque suos transcripserint; atqui non alia S. Arbogasti acta relata in codices mss. isthic invenimus quam ea quæ modo daturi sumus. Restat ergo ut opus Uthonis ea esse censeamus.

DE S. ARBOGASTO MABILLONII DISQUISITIO BREVIS.

In Breviario Argentinensi dicitur S. Arbogastus *claris ortus natalibus*, atque ideo nobilibus, et, quod est excellentius, parentibus Christianis editus... Neque nil amplius dicitur: et ut dicitur initio ipsius Vitær.. *Incertum habetur*... Unde sequitur ut neque de tempore quo sit natus certi quidquam statui possit.

Adulta tandem maturaque ætate ex Aquitania in Alsatiam venit, ut constat ex antqiuis... Sed quid ibi primum gesserit sæculi decimi scriptor usque adeo ignorabat, ut a profectione ejus statim ad episcopatum transiliat, quasi nutu quodam divino, ut primum advenerat ad insulas esset evectus, aliter hæc tamen pene omnes qui deinceps scripserunt accipiunt: nam solitariam ipsi prius in Alsatia vitam attribuunt quam sedem Argentinensem adierit. Et solitudinem quidem diu ante incoluisse dicendus est si ad eam se contulit cum Deodato episcopatum Nivernensem cum Vosagi eremis commutante ut in Vita S. Florentii apud Surium die 7 Novemb. et S. Deodati 29 Januar. habetur; ubi sic.. « Igitur terque quaterque beato Deodato centuplum a Christo et vitam æternam capessenti, præ ceteris comites tantæ mercedis cobæsisse feruntur isti, Argobastus et Florentius.... quorum prior in sacro nemore, quod Teutonico idiomate *Heiligessorish* vocitatur, eremitica vita est functus indeque ad episcopatum Argentinæ civitatis est raptus. »

In ipsius actis legitur... eum in temporibus Dagoberti regis divino nutu Argentinensis Ecclesiæ cathedram consedisse. Cum ergo Dagobertum secundum ignorarent, hoc ad primum retulerunt, sed ad Dagobertum II qui vixit cum anno Christi 680 et non ultra; hoc anno enim vel sub finem antecedentis iste rex interfectus fuit.

DE ECCLESIA ARGENTINENSI.

Cæteris Ecclesiis multum antecellit Argentinensis cujus Breviarium habemus excussum anno Christi 1489. In eo namque ad diem 21 Julii antiphonæ ad Matutinum, Laudes ac Vesperas, lectiones et responsaria omnia communia sunt.

Gaude, nobilis Ecclesia, spiritalis argenti fulgens elegantia, quæ tui patris Arbogasti votiva recolis solemnia.. Hunc nobis specialem mater Hibernia misit pastorem....

Claris ortus natalibus Hibernia oriundus velut unum ex fluminibus paradisi Arbogastus, emissus est.

Infirmitate ingravescente dissolutionem sibi immi- A *nere præscius extra portam sepulturæ locum delegit.*

—

Jacobus Wymphelingus initio operis sui de sancto Arbogasto sic pronuntiat : « Etsi exactissimam fecerim diligentiam in colligendo nostratium episcoporum catalogo, non potui concordes per omnia invenire scriptores. Parum referre videtur quoto quisque anno mortem obierit, aut quot annis sedi huic præfuerit, dummodo de vitæ et morum rerumque aliarum gestarum statu ab ipso comperta veritate non deviemus. »

VITA SANCTI ARBOGASTI

EPISCOPI ARGENTINENSIS IN GERMANIA PRIMA,

AUCTORE UTHONE ARGENTINENSI ITEM EPISCOPO.

(APud Bolland., Junii tom. V, p, 170, ex ms. S. Maximini Trevirensis, collato cum ms. Wiblingensi, atque exemplaribus olim prelo vulgatis.

1. Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exor- B tum vel conversationem ejus a puero ad provectionem usque pontificatus, seu antiquitas oblitteraverit, vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur. At vero tanti Patris insignia, quibus in diebus suis, miraculis coruscantibus, claruit, non ex toto sunt silentio oppressa ; quæ per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, auribus nostris sunt infusa. Tradunt namque eum in temporibus Dagoberti regis (1) cum sancta Ecclesia longe lateque flores doctrinæ catholicæ suave redolentes diffunderet, et verbum Dei usquequaque prospere curreret, de Aquitania progressum, divino nutu, quod postea signis testantibus patuit (2) Argentinensis Ecclesiæ cathedram consedisse, susceptumque culmen regiminis felici gubernatione diu rexisse. Qui beatus Christi sacerdos C præfato regi amica familiaritate adeo est innexus ut, eo intra regalem aulam ascito, illus alloquio, quasi mellis dulcedine degustata (3) delectaretur et consilio uteretur.

2. Qua jocunditate cum uterque, suo rex in regno, episcopus in episcopio prospere se agerent, hostis humani generis invidia res læta vertitur in contraria. Nam cum quadam die venatores regis more solito aprum insequerentur in saltu (4), regis etiam filius, qui erat ei unicus, pariter cum eis in eodem discursu festinavit. Dum autem illi per devia quoque et diversos anfractus cum canibus aberrarent, solus relictus, singulari (5) occurrit incautus ; quo viso sonipes, in quo sedit pavefactus, cursum retorquens, in fugam vertitur. Puer vero, cum eum freno retinere vellet, et in alteram partem habenam strictius traheret, heu ! nimium pronus a sella est prolapsus; adhuc autem habenæ, quam in manu tenebat, inhærens, per terram tractus, calcibus equi miserabiliter est protritus. Quem sui pedisequi diu quæsitum, et ita invenientes attritum non sine maximo mœrore tollentes, et in equis levantes, funere lugubri domum sunt reversi. Hinc venit sermo, quod sit percussus ab apro (6).

3. Quod cum in palatio regis (7) personaret, quantus undique concursus virorum ac mulierum, quantus ejulatus regales ædes, vicos, campos, ubicunque auditum est, impleverit, nemo valet explicare (8) : nam non solum in vicinis, sed in omnibus usquequaque provinciis, ubi casus tantus est auditus, omnes dolor stuporque mavimus invasit. Primates dignitates regni omnes eodem perculsi dolore, exanimati regis desperatione, ipsi desperati, quid faciant ; aut in quo spem regni constare confidant ? Quippe quia hæres regni et spes tota fuisset exstincta. Interea puer in lecto collocatus, altera die vita est præsenti exutus. Quid igitur hujusmodi concus-

(1) *Dagobertum* hujus nominis *secundum* intelligere debemus.

(2) *Quod.... patuit*, utrumque exemplar Ms. habet : at omittunt impressa.

(3) Hæc comparatio est in utroque ms. et Breviario Argentinensi ? non item in auctario historiæ Lombardicæ.

(4) *Saltus* is situs est cis locum, qui sive a copia aprorum, sive (quod vero propius) ab infausto apri lædentis eventu nuncupationem accepit vulgo *Ebersheimunster* sive Apri-Monesterium, quod est oppidulum in ditione episcopi Argentoratensis, et sedet ad Ellum fluvium, vix uno milliari Germanico distans a Schlestadio in septentrionem : unde ipse saltus dicitur *Ebersheimumstermald*, teste Coccio in Dagoberto, cap. 15.

(5) Singulari, id est apro, ut probat Cangius. D

(6) Ita utrumque nostrum ms. ; sed excusa hanc reflexionem expunxerunt.

(7) Dagoberti II regia erat Kirchemium haud procul a Mosheimio, quod Bruscha fluvius aluit.

(8) Quæ sequuntur usque ad *Interea puer* sunt in utroque ms. nostro ; sed in excusa Vita desunt.

sionis facto opus sit, et quomodo regis dolorem mitigarent, cum secum quærerent, tandem consilio invento, ut episcopus invitetur regi suggerunt : quod ille devotissime amplectens, mox sine dilatione legatis directis, ut ad se episcopus omni festinantia fatigare se dignetur exposcit.

4. Nec mora, faciunt jussa : episcopum adeunt, causam invitationis non sine luctu exponunt. Ille vero, audito casu amici, totus spiritu conturbatus, flens multumque gemens, vocato comitatu, statim properare non distulit. Nec minus interea rex ad adventum pontificis impatiens, egressus, senem eminus festinantem conspicatus, fusis lacrymis, velato capite, comitantibus multis atque lacrymantibus stipatus occurrit. Qui cum se invicem solito salutare pararent, præ nimio dolore cordis vox hæsit in gutture. Quantum lacrymarum ex utraque parte flueret, nulli cognitum esse poterit. Tandem luctu satiati (9) transacto longo spatio, tersis luminibus, ruunt in oscula amicis salutantibus. Ad orationem procedit episcopus rex cum suis a longe est secutus. Nec minus regina, comperto sancti viri adventu, ut Martha vel Maria pro fratre, fusa lacrymis, singultu pectus quatiente, sed verecundo pudore vultu submisso, ad episcopi flectitur genua, pro filio rogatura. Quam ille submissus manu erigens, quid velit non rogat, pie admodum intelligens quid singultus implorat.

4. Deniqus jejunus mox ecclesiam ingressus, in oratione pernoctavit, Dominum pro puero deprecaturus. Quomodo, aut quibus verbis oraverit, non patet ; quid autem impetraverit, non latet. Nam finita oratione (10) diei advenientis crepusculo cum sopor gravissimus mortales solet occupare, lento pede ad puerum ingressus, ejectis omnibus ad exsequias vigilantibus, flexis genibus, committit se beatæ Mariæ patrociniis ut illa, quæ vitam genuit, vitam puero impetraret a Filio (11) : nam aliter non est ausus tale aliquid tentare nisi illa pro se Dominum dignaretur invocare. Quid enim ageret ? Inter spem metumque trepidus, optatum instanti orationc exspectat auxilium. Nec suspendit diutius pius Archiater famulum suum qui ita sperantibus in se solitum confert remedium. Inter orandum enim puer, quasi de gravi somno excitatus, caput extulit; somniet, an vigilet, stupefactus. Sanctus ergo cum spei fixæ in Deum cognovit eventum, lætus accessit ; puerum vivum erexit : vocatis officialibus, illum indumentis exui jubet funebribus, et quibus ante usus est indumentis indui regalibus.

6. Igitur qui hic officio aderant clamorem gaudi diutius cohibere non poterant : quin libere eruptum atrium, omnemque aulam regis vociferatu maximo implebant. Quo omnes a somno excussi, huc illuc que discurrebant, causam tanti sonitus ignorantes. Necnon ipse rex, qui tunc primum parum somni carpebat, exterritus, nam nimium tristis tota nocte jacebat insomnis, cubiculum, ubi tantus fragor exortus est, festinus incurrit. Quanta lætitia cor ejus pulsaverit, fusæ pro gaudio lacrymæ testantur, cum reviviscere vidit pro quo, si eum reciperet, ipse mori concupivit. Vocata mater ad tanti viri pedes festinat, quia cor ejus triste filius vivus mulcebat, necnon omnes qui ad funus deflendum confluxerant, gaudio repleti ad admirationem resurgentis pueri quique pro aliis ire festinabant.

7. Rex ergo, ne moram faceret episcopo domum, ne laudaretur a populo festinanti, consilium cum regina duxit quomodo sanctum remuneraret, qui ei tanta beneficia adeo præstaret. Aurum, argentum, quæcunque concupiscibilia et regis domo honorabiliora in thesauris invenire poterant, gratissimæ præcepit offerri, humiliter deprecans, ut accipere dignaretur ; quæ sanctus vir accipere devitans, ait : Si aliquid pro gratiarum actione Deo offerre te delectet, ad augendum Dei officium in ecclesiæ beatæ Matris Christi, cujus meritis filium vivum recepisti, terminos ejus, qui angusti sunt ad tantum servitium dilatare aliqua parte regni tui, ut sit in usufructuario ibi servientibus Domino, si ita regiæ majestati placet, poteris : quia firmius hoc ac stabilius est ad beatitudinem tuam, tuorumque procedentium patrum, et sequentium posterorum promerendam, quam aurum, quod oculos, cum videtur, delectat, et cor, cum perditum fuerit, contristat.

8. Quam propositionem pontificis rex gratulanter amplectens ; ubi, inquit, invenire poterimus locum talem, qui congruat ad serviendum Matri cœlestis Regis, cujus sunt universa in cœlis et in terris ? Cumque hæc secum volveret, mentemque per omnem Alsaciam spargeret, sicubi talis forte locus inveniretur, qui tantæ donationis aptus haberetur; occurrit animo Rubiacham (12) oppidum cunctis usibus, id est, agrts amœnis, campis, silvis, aquis, ædificiis, populis opulentissimum, summæ reginæ in dotem convenire. Nec distulit rex, voto tandem invento, cancellario mox accito (13) coram optimatibus suis assensum tam bono consilio præbentibus testamentum facit, ut Rubiacha cum omnibus appendiciis suis confinibusque ad se pertinentibus, etiam cum villis,

(9) Quod sequitur usque ad *Quomodo, aut quibus verbis oraverit*, desidcratur in Vita impressa : conveniunt tamen hic inter se apographa nostra.

(10) Ita consonant mss. sed in impressis Actis deest quod sequitur usque ad. . . . *ejectis omnibus*.

(11) Hinc usque ad initium sequentis numeri pleraque omittuntur in impressis ; nonnulla etiam variantur : exemplaria tamen mss. conveniunt.

(12) Vulgo *Rufach*, de quo vide Coccium in Dagoberto, cap. 21, ubi et de templo parochiali S. Arbogasti titulo insignito.

(13) *Cancellario mox accito*, non est in Vita impressa ; est tamen in utroque apographo nostro ; quamvis autem vox *cancellarius* vix tunc in usu fuerit, communis evenit quando scripsisse putamus auctorem nostrum qui usitata ac nota suis temporibus appellatione officium illud significat, quod alio prius nomine, sed jam exoleto nuncupatum fuerat.

totum et integrum amodo et deinceps sit sub dominio sanctæ Argentinensis Ecclesiæ ; servientis Dei genitricis Mariæ (14) stabili et inextricabili stipulatione subnixum. Hoc nobili donativo diatus, valedicens regi, ad propria remeavit episcopus, convocatoque clero, militumque cœtu, populique conventu, cunctis astantibus et aspicientibus testamentum acceptum posuit super altare consecratum in honore sanctæ Mariæ.

9. Postea vero multis vixit annis (15) pollens virtutibus sanctis equibus unum miraculum fidelibus valde proficuum huic operi dignum duximus inserendum. Fertur namque, cum citra flamen quod de saltu Vosagi, nomine Briusoha, (16) mistum cum Alsa fluvio qui alveo per Alsatiam eo usque decurrit, oratorium ligneum parvum sibi fieri jussisse, quo nocturno silentio fluvium transiens veniret, ut ibi se secretius in oratione mactaret, mentem quoque in divina contemplatione latius extenderet. Subinde vero cum navigium non invenit. siccis pedibus fluvium transivit ; completaque oratione, rursus super undam ambulans repedavit. Ita ergo religiosam vitam ducens, diversis modis oppressos curavit ; dæmones ab obsessis corporibus fugavit ; discordantes concordare fecit ; quibusque secundum modum necessitatis commodus exstitit moderator.

10. Cum autem sentiret imminere sibi diem extremum in monticulo urbi vicino extra civitatem (17) ubi sancti Michaelis est ecclesia constituta, sepulturam sibi fieri præcepit, et eo se ferri ac sepeliri, imitans Salvatorem Christum, qui extra portam elegit sibi sepulcrum (18). At vero post multos annos inde translatus et ad cœnobium Suburcæ deportatus, ubi est honorifice reconditus ; ubi et nunc famulantibus Deo et hymnis et laudibus multa beneficia patronus [confert] comitante gratia Christi, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum Amen.

(14) Ecclesia cathedralis Argentorati, jam tunc Dei Genitricis erat sacra ; nondum adeo tamen augusta, ut modo est. Adi Guillimannum cap. 9, et Morianum in Alsatiæ topographia idiomate Germanico scripta pag. 37. •

(15) Annis scilicet octo circiter, ut in commentario dictum.

(16) Impressa habent *Bruyscha* ; ms. Wiblingense *Brusen*, vernacule *Breusch*, Latine *Bruschius* et *Brucha* dicitur. Fluvius est Alsatiæ nobilis qui prope Argentinam cum Illo, Ello, sive Alta principe Alsatiæ flumine, a quo et nomen habet regio, mistus suum deinde nomen retinet, donec se in Rhenum exonerat.

(17) Est monticulus ille cum imposito sacello sancti Michaelis modo intra urbis mænia, ut in commentario dicitur.

(18) Quæ sequuntur solum habet exemplar ms. Trevirense.

ANNO DOMINI DCCCCLXV.

WIBOLDUS
CAMERACENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Chronicon Cameracense*, auctore Balderico. — Vide infra adnotationes D. Leglay, hujus Chronici editoris novissimi.)

Wiboldus, Noviomensis Ecclesiæ archidiaconus, vir videlicet tam sæcularibus quam ecclesiasticis disciplinis satis imbutus, consecratur in episcopum Cameracensem anno 965. Iste siquidem clericis aleæ amatoribus regularem ludum artificiose composuit, quo videlicet in scholis se exercentes, charitate vitia vincere assuescerent, sæcularemque et jurgiosam aleam refugerent. Quem ludum hoc modo incipit :

I. II. Karitas, III. I. I. II. Fides, IIII. I. I. III. Spes. C II. VI. VI. Reverentia, XIIII. III. III. III. Pietas, VIIII. V. I. IIII. Justitia, VI. I. I. V. Prudentia, VII. I. I VI. Temperantia, VIII. I. II. II. Fortitudo, V. I. II. III. Pax, VI. I. II. IIII. Castitas, VII. I. II. V. Misericordia, VIII. I. II. VI. Obedientia. VIIII. I. III. III. Timor, VII. I. III. IIII. Providentia, VIII. I. III. V. Discretio, IX, I. III. VI. Perseverantia, X. I. IIII. IIII. Bonitas, IX. I. IIII. V. Modestia, X. I. IIII. VI. Longanimitas, XI. I. V. V. Mansuetudo, XI. I. V. VI. Benignitas, XII. I. XI. VI. Sapientia, XIII. II. II. II. Compunctio, VI. II. II. III. Gaudium, VII. II. II. III. Sobrietas, VIII. II. II. V. Delectatio, IX. II. II. VI. Suavitas, X. II. III. III. Astutia. VIII. II. III. IIII. Simplicitas, IX, II III. V. Hospitalitas, X. II. III. VI. Parcitas, XI. II. IIII. IIII. Patientia, X. II. IIII. V. Zelus, XI. II. IIII. VI. Paupertas, XII. II. V. V. Latinas, XII. II. V. VI. Virginitas, XIII. III. III. IIII. Indulgentia, X. III. III. V. Oratio, XI. III. III. XI. Amor, XII. III. IIII. IIII. Judicium, XI. III. IIII. V. Vigilantia, XII. III. IV. VI. Mortificatio, XIII. III. V. V. Innocentia, XIII. III. V. VI. Contritio, XIIII. III. VI. VI. Confessio. XV. IV. IV. IV. Maturitas, XII. IV. IV. V. Sollicitudo, XIII. IV. IV. VI. Constantia, XIV. IV. V. V. Intellectus, XIV. IV. V. VI. Suspiratio, XV. IV. VI. VI. Fletus, XVI. V. V. V. Hilaritas, XV. V. V. VI. Compassio, XVI. V. VI. VI. Continentia, XVII. V. VI. VI. Humilitas. XVIII.

Cleros Æolice, Latialiter *sors* dicitur : hinc cleronomia *hæreditas*, cleronomus *hæres* : inde clerici nuncupantur, eo quod sint de sorte Domini. Canon Græce, Latine *regula*. Ab eo canonici regulares nominantur. Ergo quia idem canon (quoniam a per-

fidis et spe boni carentibus alea reperta atque prave usitata est) ut discordiam, perjuria cæteraque vitia, clericos interdicit aleatores fore, oppido condecet ut relictis vitiis examussim sibi quique virtutes sortiantur. Libet itaque ex eadem qua præfati sumus alea, quemdam clericalem, et ut ita dixerimus, regularem, non cavillandi aliquem causa, sed exercitandi gratia, comere ludum. Charitatem omnium principatum obtinere virtutum, nemo qui verbo Evangelii dicentis : *In his duobus universa lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40), intelligit, nescit. Ubi ergo tanta profunditas manet, vastam uberrimamque virtutum propaginem de se profert. Itaque ponamus charitatem cum sua multimoda sobole nominatam, et singularis quibusque numeros sortibus tali moderamine congruos aptemus, ut isto contineri, quod illa examinare, neque hac ostendi, quod hic fas sit, nequeat invenire (*sic*). A principali siquidem principalis principium initians perque binarium ac cæteros usque ad senarium currens, suimet eorumque revolutione tripartita, viginti sanctæ matris contineat filios, et in sapientia limitet. Postque binarius compunctione inchoans, quindecim ejusdem reverentiæ, hinc ternarius a principio pietatis decem exomologeseos ; sicque quaternarius a maturitate VI fletus : ab hilaritate quoque quinarius tres complectens, continentiæ fine claudetur. Senarius vero ultimus : ut primus, simplicitate gaudens, custodem virtutum possideat humilitatem, quæ simul junctæ quinquaginta sex fiunt. Et si diligentius respiciamus, intuebimur, quod hæc progressio numerorum, a ternario ocdenarium scandens, singulæ sibi virtutum, virtutes legat. Prima quidem, secunda, ultima et penultima singulas. Tertia et ante penultima, trinas. Quæque intra ipsa sunt similiter a principio et fine usque ad quatuor mediasque senas junctæ ternas, quaternas, vel quinas recipiunt virtutes, et vicesimum primum, in sese : invicem semper exprimunt numerum. Sunt igitur III, quatuor, decem VII, et decem et octo, qui singulas metiuntur : Charitatem videlicet, fidem, continentiam, et humilitatem, quinque et XVI qui binas : spem et fortitudinem, fletum et compassionem ; VI et XV ; ternas : justitiam, pacem, et compunctionem ; confessionem, suspirationem et hilaritatem : VII et XIIII. Quaternas : Prudentiam, castitatem, timorem et gaudium : reverentiam, contritionem, constantiam, et intellectum. VIII et XIII. V. Temperantiam, misericordiam, providentiam, sobrietatem et astutiam ; sapientiam, virginitatem, mortificationem, innocentiam et sollicitudinem. IX et X, XI et XII senas discernunt : obedientiam, discretionem, bonitatem, delectationem, simplicitatem, et pietatem, perseverantiam, modestiam, suavitatem, hospitalitatem, patientiam, scilicet et indulgentiam : longanimitatem, mansuetudinem, parcitatem, zelum, orationem quoque et judicium, benignitatem, paupertatem, lenitatem, amorem, vigilantiam utique ac maturitatem. Et ut per singula redeamus, cujus per ternarium, nisi sanctificatricis, et in ejusdem, redeuntis principii unitatem, vocabulum signabimus Trinitatis ? Quid autem per quaternarium nisi quatuor evangelistarum tubas ? Hi simul collati illam sanctissimam plenam donis charismatum, septiformem gratiam, demonstrant : Septenarius vero bis ductus, et assumpto ternario XVII, quaternarioque XVIII. Ecce qualiter III et VIII, atque III in sese redeunt. Possumus etiam decem, Decalogi mandatum, quod sub lege quondam, et nunc sub gratia operatur, et VIII octavam, quæ necdum agitur, ætatem asscribere. Sed hæc tria modo amplius decuit commemorare. Ergo clangorem sancti Evangelii tubarum, qui aure cordis sanctam Trinitatem intimo amore diligit, gratiaque septiformi finetenus tueri cupit, charitatem, in qua universa lex impletur, fidem sine qua impossibile est placere Deo, continentiam, ut abstineat se a vitiis, quo virtutes continere valeat, humilitatem, qua sine qui virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat, habere quærat : habita charitative, fideliter, continenter, atque humiliter exercere satagat, ut ad eorum cumulum pervenire queat. Quinario numero, quinque sensus conjungere possumus, qui fluiter ductus, et unitate sumpta in sextum decimum surgit. Si enim hos quinque per physicam, logicam, et ethicam castigamus, ut ad unitatem charitatis, quæ Deus est, semper redeamus ; has profecto virtutes, quæ in duobus numeris insignitæ videntur, naturaliter, rationaliter moraliterque possidebimus. Senarius, cujus sexta pars, I, et tertia medietas, III, quia perfectus est numerus, suis bene constans partibus, perfectio operis ei deputarii potest. His igitur sibi replicatis, ternario addito, XV facit. Simus ergo perfecti operibus bonæ actionis, et nitamur conscendere XV Psalmographi gradus, ut sanctam Trinitatem in Sion cernere mereamur, et horum procul dubio numerorum expertes virtutum non erimus. Adest iterum VII gratia spirituali refertus, XIV depromens per binarium. Eumdem itaque precemur Spiritum, ut per practicam ad theoricam vitam pervenire largiatur, quatenus virtutibus ejus ascisci mereamur. Sed quia supra retulimus ; octavam ætatem de qua titulus psalmi IV inquit : *In finem pro octava*, octonario posse conferri, sicut decem inferius adfore indicatur : huic utique si addantur V, XIII, explicabunt. Bene etiam quinque sensus octavæ vitæ supponuntur, quia non solum hæc, nisi voluptuosus eorum appetitus, chamo et freno spiritualis modo disciplinæ coerceatur : sed nec ea quæ ab Abel singularum datione stolarum, donec justitia convertatur in judicium, sanctique in terra duplicia possideant, agitur, meretur. Nunc autem IX, X, XI et XII supremi remanent. Quorum primus novem cœlicolarum ordinibus, secundus decem legalibus verbis, tertius dignis pœnitentiæ fructibus, quartus Novi duodenis Testamenti præconibus consecrati effulgent. Quintus, quoniam, ut scriptum est : *In multis* delinqnimus omnes (*Jac.* III, 2, *in multis offendimus* omnes), quisquis instituta X prætergre-

A nesse lhete habenat vnete eadana wunnic. Ure ingor nearan, hit in neorre ure nerest, ge nenl hael an et nenle rene- lisne v i. tiddeal A, E, I, O, U aigiste nodeur re- tiseleglippe.ar, et ener rofrine nrebre aept. parer! ; ar lanne lneare, ei la ginne a, ie nea nde E, lo nrrle l, ar nee forpene, d'rrio aorper nrt- laior lneare, et nelea ajne leiaior. ia.



Ele laqre depodis, relrrrio or per lae rne, lo- et ic ie jeedar nrle lide, neaer ge aqpeaed aue, pene nee dcrrerd,ne aerper cdrie reje- neaie. ' r nee neaeo arlrrnaqre voaee ine ecdeaer qed code eadei eadne idlrrie ialqrrie laqie n eaedeae rejrie relegrqdorrn ar pieee ne caerrrcae,ad qela aeqpeadee qeie ie- drrne, relgrrerqie neer rdeleiie aerrrer) pneiaeraeie. Caerae, reeeeaeie, qeeiee eeerdre ie elgleieo reeaer eaeqie r. qaee ererrrrrae, qeie ei eaeiaeie aeqrrraaei neeieael, qeeqae eie rdeiaeie. e, ele qie rie laeee aeiiel, jeedaie ile eeerpreeid jeiel. ei aqlaeie deeiae ae- ieiraie rdeleier. ilgrer ieiel neeiie ieiqqiae, ia eeeeeeae ner ieieeeeeie iqrqae prreeid, qae qeeiee aeqrrraaei, laeeree qeeiei, ia :

Qae laeee ldr lqie reeeiier, ie ei rer eie iae- rreee qie eeeeeeaeie ie eeeee rreiie, qae reeee eeeiei, rqeie ieeid. pro ieeiie eieiae eeeqeiaee, ei qeel ldeqqeel ael aeqreeie aqe- reid. lee iea ieeieeel, ii ie ieel iaa, daeeee- eeeiei.

Ree eaaeeie, qeqae eee aeqae, eqae iae, qae eeieqieeeee. die aeiee qeeeeie ei eeeeee, aee ieqae qeeiee eieeieee, ael aeqeeiee ae- peeiaeie aqeeeeeaeie, qeeiae ael iaaqeee, ael aeeeiee laeee eieeeier ! ei ee eieeeeee, lee iaeee, aeie aeeqeie. eel, qeeei deeeeeee, eie

B reeeiier ae Deeeeee qe deda Eeee. Ieeie ai, ' Ee jeqeeie aieid e eaee oede eae ieee ejee, ceeqeee aeqieeiier Ieeee peeqeeie. ieee neeeeeeie ael ie aaqeieee ceeeeee eee ieee- eeeeeeee eaed ael aeeqieer ieqeeiee qeeeie. eieeeee qie ieee Ieeieie. Ieeeeqeee, ie ee ieeieie, ceeqeeee qie eee, ei jeeee eeieeeee ieeeee eeqeqeee eeeeeee ieeeeee ieeeeeeee ieeeeeeee ieeeeeeee qeeeeee ieee ie aeeieer Ieie aei eieeei eieeeie. Tiei ie- eeeeeeeee eeeeee aeeieeeei qeeeqeeeee qeeeeeee jeeeiee. eeeiee eeeee aeqieee eqeeeieeeeee, eeeeeeeee ie eee eeeee aeqieee eqeeeieeeeee, eeeeeeeee ie eeeeeee

exercitatio mentem ad eum convertant, ut collatione numerorum exerciteris, virtutumque cumulo gratuleris. In quibus acquirendis, si vincas, non elationem : si vincaris, non habebis confusionem. Si enim minus adeptus fueris, obediens ; si plus, obedientem debes esse diligens. Omnibus has in Christo virtutes sectantibus, acta et moribus recolentibus, sit gratia et pax in æternum. Amen.

Onoma dactilicis actoris quæritur ipsis
Si numeris? Primum faciunt, apicemque secun-[dum,
Octavumque decem his ducti, sicque novenis
Tertius ingeritur, quartus hinc esse duobus,
Quattuor et denis quintus, mox denique sextus,
Undenis legitur, bisbinis septimus, atque
Limitat in numeris ter senis ultimus ordo.
Queis simul illatis theorica summa sacratur,
Virginitas animæ, mandataque dena refulgent.
Quæ qui custodit cœli sibi gaudia sistit.

Admonet hic ludus tabulatum pergere clerum,
Nomina virtutum condere quo valeant.

D. LEGLAY

IN WIBOLDI LUDUM CLERICALEM

ADNOTATIONES.

Wibold ou Wibald, vingt-sixième évêque de Cambrai, appartenait à la famille des Levin, qui possédait, dans le onzième et le douzième siècle, la vidamie de Cambrai, et qui perdit cette charge vers l'an 1150, époque où Foulques de Levin en fit l'abandon au chapitre de la cathédrale. Il parait même que cette puissante maison avait des prétentions fondées à la souveraineté absolue, puisqu'en 1007, lorsque l'empereur saint Henri donna ce comté à l'évêque Herluin, on exigea du vidame une renonciation aux droits qu'il aurait pu y faire valoir. Quoi qu'il en soit, Wibold, né à Cambrai, vers le commencement du dixième siècle, était versé, dit Balderic, dans les lettres divines et humaines. Ayant embrassé l'état ecclésiastique, il devint archidiacre de Noyon. Les suffrages réunis du peuple et du clergé l'appelèrent en 965 sur le siége épiscopal de Cambrai et d'Arras, vacant par la mort d'Ausbert. On obtint sans peine l'agrément de l'empereur Othon, qui se trouvait alors en Italie ; mais Wibold crut devoir se rendre auprès de ce monarque, pour recevoir de lui une sorte d'investiture. Il fit ce voyage pendant les plus grandes chaleurs de l'été. L'empereur le reçut gracieusement, lui donna même la souveraineté du Cambrésis, et confirma ainsi les droits de la famille de Wibold. A son retour, ce prélat se trouva tellement épuisé et exténué, qu'à sa prise de possession, voulant, selon l'usage, sonner une des cloches de sa cathédrale, il ne put la mettre en mouvement. Cet état de langueur se termina par la mort, avant que l'année fût révolue. On l'inhuma dans l'église cathédrale, à laquelle il avait laissé un texte d'Evangile enrichi d'or et de pierres précieuses, ainsi qu'un certain nombre de livres recueillis pendant son voyage en Italie. Wibold est auteur d'un monument singulier de littérature, intitulé : *Ludus regularis seu clericalis*, que Baldéric a inséré dans son *Chronicon Cameracense et Atrebatense*, lib. I, cap. 87. Notre prélat avait imaginé cet amusement pour détourner ses clercs des jeux profanes de hasard, et les conduire par le plaisir à la pratique des vertus. Le texte explicatif qu'il a joint à son jeu n'est guère propre à en faciliter l'intelligence. George Colvener, éditeur de Baldéric, et Boèce Epo, tous deux professeurs à l'université de Douai, se sont efforcés d'en donner une idée un peu plus nette ; mais il faut convenir que leur commentaire n'a pas jeté beaucoup de lumière sur le texte. La pièce essentielle du jeu est une table ou carte offrant les noms de cinquante-six vertus rangées à peu près comme les figures du jeu de l'oie. Les vertus théologales, à commencer par la charité, occupent les premières places ; viennent ensuite les vertus cardinales, etc. Chaque vertu est précédée de trois nombres, dont le plus haut ne s'élève jamais au-dessus de six. A la suite du nom de chaque vertu se trouve un autre nombre formant le total des trois qui précèdent. On jette le dé trois fois, et le joueur qui amène les trois nombres correspondants à telle vertu est obligé de travailler spécialement à l'acquérir. Du reste, pour accorder aussi quelque chose aux avantages temporels, celui à qui le sort faisait échoir les vertus les plus éminentes jouissait pendant la journée d'une certaine supériorité sur ses confrères. Ce jeu offrait encore d'autres combinaisons soumises aux lettres de l'alphabet. On s'aperçoit dans cet ouvrage que Wibold était imbu des idées de Pythagore, et que, comme ce philosophe grec, il attachait aux nombres une signification mystérieuse. Le jeu qu'il a inventé a même des rapports évidents avec la *Rythmomachie*, ou jeu philosophique de Pythagore, sur lequel Claude Boissière a publié un traité in-8°, 1556. Les termes grecs que Wibold affecte d'employer dans l'explication de son jeu, donnent lieu de croire qu'il avait quelque connaissance de la langue d'Homère, ce qui était fort rare au dixième siècle.

Sans nous arrêter au dédale inextricable de ce jeu, nous nous bornerons ici à donner une des trois tables que Colvener a jointes à ses notes, tables qui offrent du moins une idée générale de la manière dont il paraît que Wibold entendait que ses clercs s'amusassent. Mais, avant d'indiquer la destination de cette table, essayons d'expliquer les dix vers qui terminent le chapitre, et qui sont une espèce d'énigme ou plutôt de logogriphe que M. Peignot aurait pu admettre dans son curieux ouvrage intitulé : *Amusements philologiques*.

Onona dactylicis actoris quæritur ipsis Si numeris? —C'est-à-dire, Veut-on connaître, à l'aide des nombres, le nom de l'auteur? *Primum faciunt, apicemque secundum ; octavumque decem bis ducti* : Prenez la vingtième lettre de l'alphabet, u ou plutôt *v* pour en former la première, la seconde et la huitième du mot cherché, *sicque novenis tertius ingeritur ;* puis, placez en troisième lieu la lettre neuvième, *i quartus hinc esse duobus* : que la seconde, *b*, soit mise à la quatrième place, et que la quatorzième, *o* vienne ensuite. *Mox denique sextus undenis legitur :* mettez en sixième la lettre *l* ; *Bis binis septimus*, en septième la quatrième lettre, *d*. Nous avons vu plus haut que la lettre *u* occupe le huitième rang. *Limitat in numeris ter senis ultimus ordo* : Le mot est terminé par la lettre dix-huitième *s*. Tout cela forme le mot Wilboldus ainsi combiné :



♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎
20 30 9 3 11 11 4 20 18

Quelle chose! Enfin, — j'ai l'honneur, monsieur, à vous saluer! — Je suis ravi, monsieur, de vous rencontrer. C'est une joie pour moi. Soyez assuré, monsieur, que je suis votre très humble serviteur. Je vous présente mes hommages empressés. Je vous salue bien cordialement. Recevez mes salutations les plus distinguées. Je vous prie d'accepter l'expression de mon profond respect. Je vous offre mes hommages les plus empressés. Je vous salue très cordialement. Agréez mes salutations les plus distinguées. Je vous prie d'agréer

CIRCA ANNUM DOMINI DCCCCLXVI.

GUILLELMUS

CABILLONENSIS MONACHUS.

De fulmine quo percussum est S. Petri Cabillonensis monasterium (hoc est ecclesia) Rodulfo tunc abbatte, die Sabbati XV Kalendas Augusti, anno Christi 865,

GUILLELMI

Qui præsens aderat, ejusdem loci monachi,

NARRATIO.

(Apud Chifflet. *Histoire de Tournus* append., ex codice pervetusto sancti Lazari Augustodunensi.)

Anno incarnationis Domini nongentesimo sexagesimo quinto, indictione octava, IV Kalendas Augusti luna XXVI, die Sabbati, vespertinali solemnitate peracta, processioneque completa in oratorio juxta morem sancti Benedicti, cum jam post sonitum cymbali manus lavaremus cœnandi causa, percussum est monasterium beati Petri Cavillomno fulmine, Percussio autem hæc talis fuit.

Dum vesperas cantaremus, audiri ab alto cœpit tonitruum, et sicut valde procul. Cum jam perventum esset ad horam quæ supra jam dicta est, subito valde fragore cœlum intonuit, validissimoque sonitu perculsi sumus omnes, et prostrati plurimi. Tria fulgura visa sunt cecidisse de cœlo plena foco, terribilia nimis : quæ percusserunt tria hæc monasterii nostri ; turrim signorum, quam rustici cloccarium dicimus : arcum maximum veteris maceriæ sancti Petri quæ videtur dividere inter chorum fratrum et principale altare ; et cereum floridum, stantem atque statutum in ipso arcus medio ante altare,

Hæc de turre percussa sunt : similitudo galli in summo pomo : ipsum pomum cum omnibus subaurationibus et ornamentis suis tectum turris, media pars, id est, in duobus angulis ; cum tabulis, cum tegulis superaffinis, et cum omnibus clavis et ligaturis, ornamentis atque picturis suis, angli parietum turris qui supra tectum monasterii stabant duo Hæc omnia in mille milliorum minutis confracta sunt comminuta atque contrita : et per totum monasterium per plateas, per vicum, usque pontum quo intratur civitas Cavilon, huc illucque per omnem ventum et locum, longe lateque dispersa et dissipata sicut dispergitur et projicitur favilla stipulæ, turbine fostissime rapta. Columnellæ autem turris infra tectum monasterii, vel infra transtra, et ligna cætera quibus fulciebantur, ita concissa sunt et conquassata, concisa et comminuta, sicut conciduntur A ligna ad focum faciendum, et sicuti fiunt minutiæ subtillissimæ ac tenuissimæ ad initiandum ignem, et sicuti quassantur faculæ : et hæc omnia similiter per totum monasterium, intrinsecus projecta atque dispersa sunt a duobus angulis turris. Illa vero de columnis maximis, quæ intra analogium adhuc stat super quo legitur Evangelium, a summo usque ad basim suam exarata est, et tanquam fissa videtur; in qua et carbones invenimus mortuos, et titiones exstinctos atque quassatos tanquam faculæ scissæ; certos satis indices fulguris pervolantis, penetrantis et dissipantis hæc omnia; hæc et talis fuit percussio turris signorum apud nos, die supra signata

Percussus est et arcus tali modo. Fundamentum et basis columnæ marmoreæ maximæ, quæ est in dextera parte monasterii respicientibus ad altare, B ita concussa sunt atque commota ut rimæ factæ, videantur separationes et aperturæ inter hæc et materiam cæteram ; et cornu fundamenti quartum, totum confractum sit, contritum et comminutum. Cornu vero capitelli ejusdem columnæ, similiter fractum est et projectum longius. Lapides ipsius arcus a summo sui conscissi sunt, confracti projecti atque dispersi per omne pavimentum, circa altaria sanctorum Petri et Pauli, et per totum chorum et ante : quorum fragmina maxima longitudinem et latitudinem habuerunt pedalem. altitudinem mensura palmi : cætera fragmenta usque ad pulverem, et magnitudinis fuerunt incomprehensæ et multitudinis innumerabilis sicut arena et sicut pulvis. Arcus vero percussura cum hæc omnia perfecisset, in alteram e regione maceriam se transtulit : et columnam quidem alteram arcus marmoream nequaquam C tetigit, sed maceriam ita concussit atque quassavit, ut aperturam et scissionem inter eamdem maceriam et arcum faceret, et eamdem maceriam quassatam penetrans, usque ad sepulcrum domni Ardradi epi-

scopi se proruëret ibi suæ vastationi tamquam finem imponens, et ibi quiescere volens.Quod sepulcrum ita percussit, atque commovit, ut facillimo attactu moti lapides dissolverentur atque corruerent. Et arcus percussio ita se habuit.

Et percussus cereus, sicut dictum est, qui non vere cereus.erat,quia non erat ex cera solidus factus, sed ligneus cum esset, cera coopertus erat atque confectus,variis coloribus tinctus ; et diversæ magnitudinis,et dissimilis formæ quasi floribus distinctus.Erat enim pertica lignea grandis altitudinis habens sibi circum se coronas adfixas quatuor,convenientibus spatii [prout fictor voluit] separatas : de quorum medio spatiorum quatuor exibant calami per singula quatuor spatia coronarum,in similitudinem ramorum : et hæc omnia lignea erant, non cerea, cera tamen cooperta, et vestita per totum similitudinibus fiorum, sicut et tota pertica. Percussio igitur hujus cerei facta est talis :

Corona maxima, quæ erat juxta basim ejus, fracta est,et penitus comminuta,cum omnibus suis picturis et coloribus.Similiter et ramorum super se præcedentium omnes flores contriti et comminuti sunt. De cæteris coronis et ramis,et de tota pertica tantum remansisse videtur,quantum satis manifeste demonstratur : et cum quanta ira furoris abominata sint cætera omnia despecta atque projecta quæcunque hujus cerei vastatione præsenti deperisse videntur. Et hujus percussio cerei ita completa est.

Cum autem hæc omnia vastarentur quæ dicta sunt totum monasterium repletum erat fumo tam densæ spissitudinis, ut nullius acumen oculi hunc penetrare posset, donec fragor cessaret, et micantia fulgura. Omnes enim nos mori putabamus, nec aliquis de loco quo stabat (qui tamen non ceciderat) audebat se movere ; tantus tremor ac timor super omnes venerat. Post finem fragoris et micantium fulgurum, ad monasterium omnes concurrimus,videre volentes (licet moribundi) quid intra actum sit Ad ostium venientes, longius ingredi non audebamus ; videbamus enim fumo omnia repleta,et præ fumo nihil aliud videntes, clamabamus ad invicem quia totum devoratur monasterium ab occulto igne odorent enim sentiebamus talem,et fetorem ignis, qualis solet in favilis sentiri, relictis ab incendio maximo.Pro hoc longius progredi non audebamus ne forte ignem offendentes quem non videbamus, absorberemur ab eo.Foras ergo reccurrentes, aspiciebamus ad lectum ecclesiæ, si forte videremus flammam sursum aliquo modo se demonstrantem.

Hic Pater monasterii,tunc temporis domnus abbas Rodulfus, a domo suæ habitationis proruens, et totum periculum audacter penetrans, per medium monasterium,cum fratribus qui forte secum adfuerant, ad nos concurrit, ubi stabamus flentes et lugentes interitum loci,clamans et dicens : « Recurrite, fratres, recurrite in monasterium,et omnibus nisibus ignem extingnere molientes elaborate, de toto saltem aliquid liberate.» Recurrentes igitur ad ostium monasterii cum eodem,ipse per semetipsum inchoavit antiphonam : *Stetit angelus ad sepulcrum Domini*. dicens nobis,qui nesciebamus,quia locum uequaquam periret tali periculo ubi cantaretur.Hæc ergo ter repetita et vix finita : tremebant enim labia et pavore solutis nobis ablatus fuerat pene omnis vigor cordis et corporis ; ut de nobis ipsis vere possimus confiteri quod de aliis antiquioribus nobis, scriptum cantamus : *Anima* nostra *in malis tabescebat : turbati* eramus, *et moti sicut ebrius, et omnis sapientia devorata est*. Bone Domine Jesu, scis me verum confiteri ; quia antequam donasses evincere, multis vicibus hanc antiphonam domnus abbas incœpit,nec ad finem ullus nostrum unquam potuit pervenire : sed postquam donatum est, et tandem antiphona, sicut dictum est, ter cantata, nebula tenuata est,fumus evanescere cœpit, pulvis residere : hæc enim tria eatenus mixta ferebantur, et eorum caligo totum cæcaverat monasterium:qua rarescente, a fratribus clamatum est quia ignis occultus sursum in trabibus latenter forte resideat. Has ergo subeuntes cum omni festinantia, exclamaverunt, nihil penitus adesse : quo audito, securitate donati, ab ecclesia omnes egredimur.

Tunc astantibus aliis nostrum,aliis assidentibus sibi, domnus abbas sic locutus est : « Vidimus apertissime, fratres, iram Domini super nos, et furorem succensum. Pro nostris iniquitatibus nobis iratus est: quapropter redeat unusquisque nostrum ad cor, et ibi videat quidnam faciat, aut fecerit, Adeamus faciem ejus confessione. Venite, pœniteamus, adoremus, procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos,illi cantantes septem pœnitentiales psalmos,et cantando deprecantes ne in ira sua arguat nos,neque in furore corripiendo consumat. Invocemus sanctos ejus in adjutorium nobis. Simul et gratias agentes, quoniam ostendit populo suo dura, potavit nos vino compunctionis, et necdum consumpsit nos;quin potius dedit metuentibus se significationem, ut fugiamus a facie arcus judicii scilicet generalis ac metuendi, et liberemur dilecti ejus. » His dictis finem fecit : omnia hæc operibus prosecutus, cum omnibus nobis prostratis ante altare beatæ Mariæ semper virginis, et sociis ejus, convenit et init quisque nostrum ad id quod agendum prius institerat. Animus tamen, sermo et incessus,totiusque corporis gestus talis erat,qualis solet esse in hominibus multo labore et fatigatione ab ipso mortis periculo vix liberatis, qui maxima detrimenta vel damna sustinuerint charorum,amicorum, sive rerum suarum; ita tremebunde,gemebunde, lugibunde,languibunde gerebantur a nobis omnia.

Talis fuit inceptio tota periculi hujus, medietas et finis, et omnia supra notata circa nos. Nunc precor eum qui legere hoc dignatus fuerit, non otiose putet a me peccatore,nominato Vuidone conscriptum : habet enim hic, si charitate repletur, unde gaudeat, habet unde timeat, habet et unde

gratias agat. De nobis gaudeat liberatis ; de se me- A nibus periculis eruere potest. Cæterum qui sine cha-
tuat, ne talibus pereat ; Domino Deo gratias agat, ritate est, nec nobis gaudebit, nec sibi providebit,
qui et nos liberavit, et se talibus et cæteris om- nec Domino Deo gratias agendo placebit.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ATTO VERCELLENSIS EPISCOPUS.

PROLEGOMENA.
Epistola dedicatoria. 9
Burontii præfatio. 9
Acherii præfatio. 25
CAPITULARE. 27
CAP. I. — Admonitio pontificis ad presbyteros, qualiter erga subditos agant. 27
CAP. II. — Retractatio ejusdem et de ordinis discretione, bonæque vitæ exhortatione. 28
CAP. III. — De ignorantia evitanda et doctrina servanda. 29
CAP. IV. — Ut omnes fidem catholicam memoriter teneant. 29
CAP. V. — De negligentia cavenda amplectenda et vita emendanda. 29
CAP. VI. — Quibus armis diabolus et vitia expugnentur. 29
CAP. VII. — Quod sacerdos missam solus nequaquam celebret. 30
CAP. VIII. — Quod sacerdos missas nisi sacratis ab episcopo locis non præsumat celebrare. 30
CAP. IX. — Quod divina mysteria studiose celebrentur. 30
CAP. X. — Item ex eisdem. 30
CAP. XI. — Ut feminæ ad altare non accedant. 30
CAP. XII. — Ut feminæ sacrata vasa, vel pallas non contingant. 30
CAP. XIII. — Ut nullus præsumat qualibet ex sacris illicite usurpare. 31
CAP. XIV. — Ut vestimenta ecclesiastica sacrata et honesta sint. 31
CAP. XV. — Ut clerici sæcularibus indumentis non utantur. 31
CAP. XVI. — Quando symbolum competentibus tradatur. 31
CAP. XVII. — De tempore baptismi. 31
CAP. XVIII. — Qualiter baptismi sacramenta celebrari oportet. 32
CAP. XIX. — Item de parvulis ægrotantibus. 32
CAP. XX. — Ut presbyteri absque diaconis baptisma non celebrent. 32
CAP. XXI. — Quæ in ecclesiis recondi liceat. 32
CAP. XXII. — Quod in ecclesia convivia et accumbitus non fiant. 33
CAP. XXIII. — Quod in ecclesiis sepulturæ non fiant. 33
CAP. XXIV. — Ut sepulturæ non vendantur. 33
CAP. XXV. — Ut diœceses singulis annis visitentur. 34
CAP. XXVI. — Qui presbyteri chrisma petant. 34
CAP. XXVII. — Quid singulis annis synodus celebretur. 34
CAP. XXVIII. — Qualiter majores presbyteri ad synodum veniant. 34
CAP. XXIX. — Quod singulis Kalendis collatio in plebibus fiat. 34
CAP. XXX. — Quod nullus absolute clericus ordinetur. 35
CAP. XXXI. — Ut singulis ecclesiis sacerdotes ordinentur. 35
CAP. XXXII. — De clericis qui loca in quibus ordinati sunt derelinquunt. 35
CAP. XXXIII. — De presbyteris qui pro alterius ecclesia munera promittunt. 35
CAP. XXXIV. — Ut nullus oblationes ecclesiæ præter conscientiam episcopi aut det, aut accipiat. 35
CAP. XXXV. — Ut nullus presbyter absque permissu episcopi aliquid in ejus parochia agat. 36
CAP. XXXVI. — Ut nullus clericus mulierem in consortio familiaritatis habeat. 36
CAP. XXXVII. — Ut clericus nullam conversationem cum muliere post denominationem habeat. 36
CAP. XXXVIII. — Qualem professionem presbyteri et diaconi faciant, quando ordinantur. 36
CAP. XXXIX. — Item qualem episcopus diaconum faciat. 36
CAP. XL. — Ut clerici episcopis suis obtemperent. 37
CAP. XLI. — Quod nullus clericus die Dominico aliquod sæculare negotium audeat vindicare. 37
CAP. XLII. — Ut clerici ludicris spectaculis non intersint. 37
CAP. XLIII. — Ut clerici per plateas vel andronas vel mundinas non ambulent, 37
CAP. XLIV. — Item clericum scurrilem puniendum. 37
CAP. XLV. — Item clericus et proditor degradetur. 37
CAP. XLVI. — Clericus inter epulas cantans similiter. 37
CAP. XLVII. — Quibus negotiis se miscere debeant. 37
CAP. XLVIII. — Ut clerici auguria non credant, nec divinationes exquirant. 37
CAP. XLIX. — Ut clerici usuras non accipiant, nec laici quoque. 38
CAP. L. — Ut clerici vilius emendi et carius vendendi usum non habeant. 38
CAP. LI. — Ut clerici sæcularem defensionem adversus ecclesiasticam disciplinam non requirant. 38
CAP. LII. — Ut clerici ecclesiastico judicio contenti sint. 38
CAP. LIII. — Ut clerici vigiliis non desint. 38
CAP. LIV. — Ut presbyter in nuptiis bigami non prandeat. 38
CAP. LV. — Quod ex collatis convivia non celebrentur. 39
CAP. LVI. — Quod ad Agapem vocati ciborum partes non accipiant. 39
CAP. LVII. — Quod clericos orare et legere ac manibus laborare instanter conveniat. 39
CAP. LVIII. — Qui psalmi in ecclesia cantentur, vel libri leguntur. 39
CAP. LIX. — Ut oratio Dominica quotidie proferatur. 39
CAP. LX. — Quod profundiores quæstiones penitus non astruantur. 39
CAP. LXI. — Ubi et qualiter scholæ habeantur. 40
CAP. LXII. — Quibus libertis manumittatur. 40
CAP. LXIII. — Quales ad ministerium clerici eligantur. 40
CAP. LXIV. — De jejunio quadragesimali clericorum. 40
CAP. LXV. — Quod nulli sacerdotum liceat canones ignorare. 40
CAP. LXVI. — Quomodo adversa pro Christo patienter tolerare oporteat. 40
CAP. LXVII. — Quod cum excommunicato non sit orandum. 41
CAP. LXVIII. — Quod oblationes discordantium, vel pauperes opprimentium refutandæ sint. 41
CAP. LXIX. — Ut ebrietas vetetur. 41
CAP. LXX. — Qualiter singulis feriis agendum sit. 41
CAP. LXXI. — Quod die Dominico stantes oremus. 42
CAP. LXXII. — Ut sacerdotes admoneant populum qualiter festis diebus se habeant. 42
CAP. LXXIII. — Quibus festis populus communicet. 42
CAP. LXXIV. — Si sacrificium per negligentiam ceciderit. 42
CAP. LXXV. — Si vomitus infra tres dies post communionem negligenter evenerit. 42
CAP. LXXVI. — Ut energumeni non communicent et balnea in sacratis aquis non faciant. 42
CAP. LXXVII. — Qualiter mysteria baptismatis vel chrismatis custodienda sint. 43
CAP. LXXVIII. — Ut spectacula ludorum diebus festis non celebrentur. 43
CAP. LXXIX. — Ut nullus Kalendas Januarii colore aut choros ducere præsumat. 43
CAP. LXXX. — Ut quod ad ecclesiam conveniendum sit. 43
CAP. LXXXI. — De doctrina virorum et mulierum. 44
CAP. LXXXII. — Item de indumentis eorum, 44
CAP. LXXXIII. — Ut natalitia seu nuptiæ in quadrage-

sima non fiunt. 44
Cap. LXXXIV. — De jejunio quadragesimali. 44
Cap. LXXXV. — Item de observatione ejusdem. 44
Cap. LXXXVI. — Item unde supra.
Cap. LXXXVII. — De jejunio quatuor temporum. 45
Cap. LXXXVIII. — Jejunium ecclesiasticum non dissolvendum. 45
Cap. LXXXIX. — Ut pœnitentibus infirmis oleum sanctificatum non infundatur. 45
Cap. XC. — Qualiter presbyteri erga pœnitentes agant. 45
Cap. XCI. — Ut pœnitantes quotidie genua flectant. 46
Cap. XCII. — Ut mortuos pœnitentes sepeliant. 46
Cap. XCIII. — Pœnitentes negotiis sæcularibus se abstineant. 46
Cap. XCIV. — Qualiter sponsus et sponsa a sacerdote benedicantur. 46
Cap. XCV. — Quæ nuptiæ vitandæ sint. 46
Cap. XCVI. — Qualiter unusquisque docendus sit. 48
Cap. XCVII. — Ut orationem Dominicam et symbolum memoriter teneant. 48
Cap. XCVIII. — Ut hos canones nullus refutare præsumat. 48
Cap. XCIX. — Ut quæ statuta sunt nullo modo immutentur. 48
Cap. C. — Quod scire etiam non oporteat quæ in sacris Scripturis recipienda sint, quæve refutanda. 49
DE PRESSURIS ECCLESIASTICIS LIBELLUS. 52
Pars prima. — De judiciis episcoporum. 52
Pars II. — De ordinationibus eorumdem. 68
Pars. III. — De facultatibus ecclesiarum. 87
EPISTOLÆ. 95
Epistola prima. — Ad Valdonem episcopum. 95
Epist. II. — Ad omnes fideles diœcesis suæ. 104
Epist. III. — Ad plebem Vercellensem. 104
Epist. IV. — Ad omnes fideles diœcesis suæ. 105
Epist. V. — Ad Azonem episcopum. 106
Epist. VI. — Gunzonis levitæ Novariensis ad Attonem. 111
Epist. VII. — Ambrosii Mediolanensis presbyteri ad Attonem. 112
Epist. VIII. — Attonis ad Ambrosium sacerdotem. 113
Epist. IX. — Ad omnes sacerdotes diœcesis Vercellensis. 115
Epist. X. — Ad eosdem. 119
Epist. XI. — Ad suffraganeos suos. 120
EXPOSITIO IN EPISTOLAS PAULI. 125
Epistola ad Romanos. 126
Argumentum, 126
Epistola prima ad Corinthios. 288
Argumentum. 287
Epistola secunda ad Corinthios. 412
Argumentum. 412
Epistola ad Galatas. 492
Argumentum. 492
Epistola ad Ephesios. 545
Argumentum. 545
Epistola ad Philippenses. 586
Incipit textus. 587
Capitulatio ad Colossenses. 607
Quos sanctorum commemoret apostolus Paulus in epistola ad Colossenses. 608
Argumentum. 609
Epistola ad Colossenses. 609
Argumentum. 609
Epistola prima ad Thessalonicenses. 643
Epistola secunda ad Thessalonicenses. 656
Epistola prima ad Timotheum. 663
Argumentum. 663
Epistola secunda ad Timotheum. 685
Argumentum. 685
Capitulatio ad Titum. 699
Argumentum ad Titum. 699
Epistola ad Titum. 700
Epistola ad Philemonem. 719
Argumentum. 719
Epistola ad Hebræos. 725
Incipit capitulatio. 725
Argumentum in Epistolam. 727
Prologus. 727
SERMONES. 833
Sermo primus. — In Adventu Domini Jesu Christi. 833
Sermo II. — In Natali ejusdem. 835
Sermo III. — In festo Octavæ Domini. 835
Sermo IV. — In Epiphania. 837
Sermo V. — In Capite jejunii. 839
Sermo VI. — In Capite jejunii. 840
Sermo VII. — In die Palmarum. 842
Sermo VIII. — In die sanctæ Resurrectionis. 843
Sermo IX. — Item in Albis. 844
Sermo X. — In Ascensione Domini. 845
Sermo XI. — In Pentecoste. 846
Sermo XII. — Idem sermo abbreviatus, ne vulgares fastidiarentur. 849
Sermo XIII. — In Annuntiatione beati præcursoris et martyris Domini nostri Jesu Christi, Joannis Baptistæ. 850
Sermo XIV. — De Nativitate ejusdem. 851
Sermo XV. — In festivitate sanctorum apostolorum Petri et Pauli. 852
Sermo XVI. — In depositione beatissimi Eusebii Verullensis episcopi. 853
Sermo XVII. — In Assumptionne beatæ Dei genitrici semper virginis Mariæ. 859
POLYPTICUM quod appellatur Perpendiculum cum antiquis glossis et scholiis. 859
Maii monitum. 859
Incipit Epistola. 859
Argumentum. 861
Polyptici textus alter. 881
Incipit Epistola. 881
Argumentum. 881
TESTAMENTUM. 893
Appendix ad Attonem.
Fragmentum veterum precationum, in formam litaniarum, in honorem S. Eusebii. 899
Nomina plebium episcopatus S. Eusebii. 900
De Attonibus diatriba auctore erudito sæculi XVIII viro. 901

ADALGERUS FORSAN AUGUSTANUS.

ADMONITIO AD NONSUINDAM RECLUSAM. 915
Cap. I. — De charitate. 917
Cap. II. — De humilitate. 917
Cap. III. — De obedientia. 918
Cap. IV. — De continentia et ejus divérsitate. 920
Cap. V. — De continentia oculorum. 921
Cap. VI. — De continentia locutionis. 922
Cap. VII. — De continentia vestitus. 923
Cap. VIII. — De abstinentia. 924
Cap. IX. — De compunctione. 927
Cap. X. — Admonitio salutaris. 928
Cap. XI. — De qualitate orationis. 928
Cap. XII. — De pugna vitiorum. 929
Cap. XIII. — Admonitio de divina pagina. 931
Cap. XIV. — Admonitio de adversis tolerandis patienter, infirmitateque amanda. 932
Cap. XV. — De speranda venia peccatorum quamvis innumerabilia sint pœnarum tormenta, pœnitentiaque Theodosii imperatoris a beato Ambrosio sibi injuncta, causa exempli hic infertur. 934

S. BRUNO COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS

Notitia historica. 937
Vita sancti Brunonis auctore Ruotgero clerico Coloniensi. 938
Præfatio. 941
Incipit Vita. 942
Altera Vita. 977
DIPLOMA. 988

LEO VIII ANTIPAPA.

Notitia historica. 989
PRIVILEGIA ET CONSTITUTIONES. 989
I. — Epistola ad Rodoaldum patriarcham Aquileiensem. 989
II. — Privilegium de investituris. 991
III. — Privilegium pro monasterio Montis majoris. 994
IV. — Cessio donationum Romanæ ecclesiæ. 996

UTHO ARGENTINENSIS EPISCOPUS.

Monitum in sequentem S. Arbogasti Vitam. 1001
De S. Arbogasto Mabillonii disquisitio brevis. 1001
De Ecclesia Argentinensi. 1003
VITA S. ARBOGASTI. 1003

WIBOLDUS CAMERACENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1007
LUDUS CLERICALIS. 1007
D. Leglay in Wiboldi Ludum clericalem adnotationes. 1013

GUILLELMUS CABILLONENSIS MONACHUS.

FRAGMENTUM HISTORICUM. 1017

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI QUARTI.